





BIBLIOTECA
COMPLUTENSE.
E. 72 C. 2 N. 11

ABBATIS
PICINELLI

LUMINA REFLEXA.


LVMINA
REFLEXA
ABBATIS
PICINELLI
SENE
CÆ
LVMEN A SOLE

LUMINA REFLEXA,

SEU

OMNIUM VETERUM CLASSICORUM AC ETHNICORUM AUTHORUM EXACTISSIMUS CONSENSUS CUM SINGULIS CAPITIBUS, AC SINGULIS PENE VERSICULIS SACRORUM BIBLIORUM UNIVERSÆ TAM VETERIS, QUAM NOVÆ LEGIS;

DESERVIENS INSTAR

COMMENTARII AD TOTAM S. SCRIPTURAM;

Additis plerumque Sanctorum Patrum Sententiis & Conceptibus, ad extirpanda vitia, virtutesque amplectendas accommodatis.

CONCIONATORIBUS, ORATORIBUS, HISTORICIS, POLITICIS, ET POETIS, MAXIMAM AFFERENS UTILITATEM AC ERUDITIONEM.

AUTHORE

D. PHILIPPO PICINELLO,

MEDIOLANENSI, CANONICO REGULARI LATERANENSI, ABBATE, THEOLOGO, LECTORE, ET PRÆDICATORE PRIVILEGIATO.

Ex Italico latinè reddidit

D. AUGUSTINUS ERATH,

Antiquissimæ Cæsareæ & Insignis Collegiatæ Ecclesiæ Canonicorum Regularium ad S. Andream cis Trasenam in inferiore Austria Præpositus, Sacræ Cæsareæ Majestatis & Eminentissimi Cardinalis, Principis & Episcopi Passaviensis Consiliarius, SS. Theologiæ Doctor, Protonotarius Apostolicus & Comes Palatinus Cæsareus.


Cum Privilegio Sacræ Cæsareæ Majestatis, & Permissu Superiorum.

FRANCOFURTI ad MOENUM,

SUMPTIBUS SOCIETATIS.

Typis, JOH. NICOLAI ANDREÆ.

ANNO M. DC. CII.




CELSISSIMO AC REVERENDISSIMO PRINCIPI AC DOMINO,

DOMINO

RUDOLPHO JOSEPHO,

SACRI ROM. IMP. PRINCIPI ET EPISCOPO SECOVIENSI, S. R. I. COMITI à THUN.



GLorioso Nomini Reverendissimæ Celsitudinis Tuæ consecro mea Lumina reflexa; ita jubente Servatore nostro, ne *sub modio, sed super Candelabrum* collocaretur Lumen. Candelabrum enim Ecclesiæ Christi cognominatur Episcopus tum in S. Litteris *Matth.* 5. tum à SS. Patribus, cumprimis à S. Gregorio Nazianzeno *in Orat. de Laud. Athan.* & S. Basilio *Epist.* 61.

Neque

Neque solùm Divina Lex , sed ipsa etiam Mundi hujus absolutissima compages ac coordinatio persuasit, ut Lumina hæc reflexa stabilirem in Reverendissima Celsitudine Tua, cùm Imperii Principes proprio quasi Symbolo sibi vendicent sublimitatem Firmamenti, in quo pulcherrima siderum Lumina fuerunt à supremo rerum omnium Architecto firmata. Et certè sive Candelabri, sive Firmamenti Emblemate Celsitudinem Tuam repræsentem, utrobique assentientem habeo Ecclesiam ac Diœcesin Secoviensem, quam Illustrissimi Generis ac Virtutis, Sapientiæque Tuæ splendore ita illustras & custodis, ut Tuam in gubernando facilitatem & felicitatem nemo non venerabundus suspiciat & admiretur. Volupe mihi foret, Tuas amplissimas virtutes, ac tàm Juris utriusque; quàm sacræ & profanæ Historiæ insignem peritiam commemorare: sed ne videar Soli afferre lucem, ac congenitæ modestiæ Tuæ vim inferam, consultò omnia prætereo, solumque repeto singularem illam Tuam erga exteros & domesticos humanitatem ac prorsus insolitam animi demissionem, quam ego nuper, Græcii & Secovii præsens, adeò effusam expertus sum, ut me totum in Tui admirationem & affectum abripueris Enimverò si Episcopus ex Sacræ Paginæ præscripto sit Angelus; tota sanè Styria, totusque etiam Canonicorum Regularium Ordo testatur, quòd Angelicum hoc munus ita cumulatè expleas, ut omnibus numeris merearis dici Angelus Pacis, dum in gubernanda Tua Diœcesi ubique figis pacis & tranquillitatis æterna monumenta; prout etiam sumptuosam & acerrimam illam litem, inter Episcopos & Cathedralem Canonicorum Regularium Ecclesiam Secoviensem, ultra centenos jamjam annos coram supremis Tribunalibus agitatam, suavissimâ Tuâ dexteritate ac prudentiâ felicissimè composueris; atque adeò non solùm Cathedralem Ecclesiam Secoviensem, sed totum Canonicum Ordinem nostrum arctissimè Tibi obstrinxeris, ejusque etiam nomine humillimas Tibi grates referam, & perennis mnemosyni loco hunc librum ad Gratiæ Tuæ Aras suspendam. Ergò Librum hunc eo favore ac benevolentiâ accipe, quo me ipsum nuper dignatus es, & si exiguo volumini opus fuerit patrocinio, penitissimè totusque confido *in* Gentilitio Secoviensi *Brachio Virtutis Tuæ.* Dabam ad S. Andream, Anno à pariente Virgine 1702.


Reverendissimæ Celsitudini Tuæ

Devotissimus in Christo Servus.

Augustinus Præpositus ad S. Andream.


BIBLIOTECA


D. PHILIPPVS PICINELLVS MEDIOL:
CAN: REG: LATER: ABBAS PRIVILEG.
ET CONCIONATOR ANN: LXII.



Lector benevole!

D*Ivitias capere è peregrino ærario conatur, cujus patrium solum aureis caret intestinis. Sterile mihi ingenium, conscio paupertatis, quæ jubet à hortulo meo peramœnas flosculorum opes abesse; ita ut olitoris instar, floream uberem messem ardentis, eandem exterâ adaugere Chloride non dubitaverim. Studiorum meorum princeps scopus, quem anhelo, est discendi cupido; & sæpenumero auctores profani in hanc operam intento quædam vestigia sacri luminis conspicienda propinarunt, scriptores verò sacri contra ea eruditionis ab istis desumta fecerunt indicia. Animus inde tulit, iis fructibus metendis diligentiorem falcem admovere. Volui autem imitari Plutarchum in opusculo suo, Paralelli inscripto, ubi quædam Romanorum gesta cum rebus Græcorum confert. Sententias itaque morales & politicas, eventus historicos, ritus cùm ad nuptias, tùm ad funera pertinentes, triumphos, sacrificia item, & varia dicendi genera è libris profanis excerpta collegi ea, quorum similitudo aliqua cum his, quæ sacris paginis referuntur, deprehenditur; illo fine scilicet, ut, cùm hæ sint cœlo demissum lumen illustrandis fidelium mentibus, illa suavitate suâ atque lepore & prodesse studiosis, & delectare eosdem queant. Invenies autem quatuor millia locorum, hoc opere, quâ dixi, ratione inter se collatorum; fortiori stylo pariter ac doctiori apertâ viâ relictâ ad campum hunc spatiosum sorte digniore & successu decurrendum. Intereà non recusabunt, spero, sacri Oratores amico oculo perlustrare, quod ego Picinellus, & cognomine & ingenii dotibus parvulus, offerre potui; minimùm non aversaturi, desiderium, quo flagro, iis inserviendi. Equidem ingentem molem non exhibeo, ideò illorum usui tempore quocunque & loco commodiorem; ita ut non habeant, quod timeant laboribus suis, eâdem ceu denso vepreto obscurandis; quin potiùs eos, prout festis diebus solenne est, tanquam ex ordine dispositis ramulis ornatum iri credant. Eruditio quippe profana sacris medita-*

ditationibus eo, quo sal ferculis solet, modo adspergenda est; quia gustum offenderet copia. Sicubi hallucinato in quâdam historicâ narratione aut sententiâ vel Philosophicâ vel Poëticâ, compluries fortean repetitâ, pro humanitate tuâ ut ignoscas, facilè poteris exorari; imprimis memor, non esse in ejusmodi generis operibus insuetum, perfidam & proditricem experiri memoriam. Porrò siquid sapidi palatum tuum inibi repererit, applausu me juvabis; & magno gaudio fuero perfusus: sin minùs quicquam arriserit, excusabis tamen, idcircò me tibi devinctum. Dum verò de his Luminibus reflexis imperfectionem meritò dolemus, volente DEO solicitissimè curabitur, ut noster Mundus symbolicus secundum prælum subeat, omni parto actutùm auctior, nec alius Apostolici sudoris indigus, quàm ut quoque in gratiam amicorum olim iteratâ vice è Typographeo posset emitti. Hisce ergò benè valeas; & fervore orationis tuæ à summo Bono salutem & vires mihi impetrare, rogo, velis, ut non tàm debiles ingenii mei partus, quàm me ipsum perducere ad optatum finem valeam.

Cæterùm de vitiis typographicis nihil dicam, queîs irrependis potest vel ignorantia typothetæ, vel incuria correctoris occasionem dedisse; cùm faciliùs sit, Herculi extorquere clavam, quàm ab istis sibi præcavere. Magna cœli fax illa non sine maculis cernitur: quid mirum, si hæ pagellæ itidem earum non sint expertes? Quædam, eademque pauca admodùm errata ad finem Indicis denotabo, reliqua omnia benevolo affectui tuo & prudentiæ commissurus.



Revisorum & quorundam vivacium ingeniorum judicia, & encomia.

TAnti operis structuram à Reverendiss. P. D. Philippo Picinello nostræ congregationis Abbate concinnatam, summa cum admiratione pervidi, de mandato Reverendiss. Patris Abbatis Generalis, atque illam, non quibusdam reflexi splendoris radiis, sed plena Doctrinarum luce perfusam comperi. Nescio quid in ea primum admirari debeam, eruditionem sæculi, an scientiam scripturarum: Hic author Gentilium Sapientiam de Ancilla, atque captiva Israelitidem facit, & velut alter Osee è Filia Dabelaim Jezrahelem Deo suscitat, occulta Proverbiorum exquirit, tenebrisque involuta nova luce irradiat: Hic candidiores Musas purissimo nitidioris eloquentiæ lacte enutritas profert; Scripturarum Majestatem multiplici profanæ eruditionis famulitio decorat. recondita Philosophiæ arcana exponit, legum jura dilucidat; uno verbo dicam: Omnigenæ litteraturæ hæc est officina, omnes ad colligenda Sapientiæ, ac Prudentiæ præcepta invitans, quibus collectis Immortalitatis Laurea præclarissimo authori paretur; prodeat ergo in lucem, & veluti inocciduus quidam splendor perpetuo rutilet Reipublicæ litterariæ beneficio.

D. Gregorius Brunellus Mediolanen. Can. Reg. Later.

ELaboratissimum hoc, omnibusque numeris absolutissimum opus, cui titulus est *Lumi Riflessi della Sacra Scrittura* sapientissimi, eruditissimique viri, ac Concionatoris celeberrimi Patris D. Philippi de Picinellis, Illustrissimæ Congregationis Canonicorum Regularium Lateranensium Abbatis Reverendiss. ingenio, studio, operaque digestum, ac concinnatum ego infra scriptus ea majori, qua potui, solertia perlustravi, inoffensoque pede perlegi. Cumque nihil prorsus in eo aut fidei orthodoxæ dissonum, aut morum honestati incongruum, quinimò omnia, & singula & veræ religioni, & Christianæ pietati consona valdè, ac perutilia animadverterim; cunctaque & sententiarum ponderibus, & rerum varietate, ac cujusvis generis eruditione refertissima admirabundus suspexerim. Ubi argumenti præclara dignitas, & Auctoris ingenium prope divinum benè conveniunt, & in una quasi sede morantur; ubi, inquam, tamquam in speculo non vulgaris, sed ingeniosa admodum sacrarum scripturarum elucidatio, stylus gravis quidem, sed non demissus, laboriosa ex æquo, & elaborata praxis, inventum denique suo Auctore planè dignum enitere conspiciantur. Idcircò & suum, suæque præclarissimæ Congregationis decus, & ad studiosorum omnium commodum, & ad sacræ paginæ commendationem hoc amænitatis viridarium, eruditionum segetem, concionatorum sylvam, aulam theologorum, & oratorum, poetarumque quorumcunque amplissimum campum & prælo dignissima censeo, & ad auram publici conspectus, non ut lucem inveniant, sed ut omnibus elucescant, omnes, ad quos spectat, quanto citius dando suadeo.

Ego D. Carolus Goranus Cler. Reg. S. Pauli Barnabita.

REV.

REV^MO. P. PHILIPPO PICINELLO ABBATI, &c.


Post Mundum Symbolicum

Reflexa lumina in lumen publicum edenti.



Rediviva iterum anima linguæ tuæ fulmina,
Parens eloquii Demosthenes.
Novis PHILIPPICIS detonandum tibi est.
Sed quæ laudationes sint, non satyræ.
Alter denuo PHILIPPUS eò digniùs facundiam tuam elicit,
Quò magis Athenas tuas populatus est,& Græciam.
Dum proferens ingenii Imperium,
In omnium doctrinarum prædam grassatur,
Quidquid fuit,de quo illa scientiarum patria gloriata est,
Sive ingenium, sive facundia,
Sive humanæ, sive divinæ literæ,
In spolia, & trophæa PHILIPPI iverunt.
Sed iterum redi in silentes tuos cineres Demosthenes,
Postquam fortiora audis in PHILIPPO eloquii fulmina.
Silere tibi honestius est, & periisse.
Vis & PHILIPPI nostri, ut Macedonis, gloriam in sobole agnoscere?
Partum non unum invenies,cui Aristotelem præceptorem non assignes, sed discipulum.
Cum NOSTRUM videris prælis, quam illum præliis
HUNC libris,quam illum libris gloriosiorem,
Dices unum illius Alexandrum pro multis Philippis,
Hunc unum PHILIPPUM pro multis Alexandris valere.
Vide an HUIC quoque minimè sufficiat Orbis,
Qui post totum scientiarum orbem peragratum
Alios MUNDOS sibi fecit,& aliis.
Adeò melior Alexandro PHILIPPUS, MUNDUM aliis non eripit, sed donat.
Post datum MUNDUM, largitur modo & sidera.
Quid enim sidera, nisi LUMINA REFLEXA?
Quid luminibus plena volumina nisi Cæli,
Qui enarrant gloriam DEI?
Lumina noctis illius sunt,quæ nocti sæculi indicat scientiam.
An hic PHILIPPUS factus & ipse facundus piscator hominum
Ethnicorum nocti Christi doctrinam attulerit, ignoro.
Certe facit, ut Doctores ethnici cum divini Codicis doctrinis hic consentiant
Unde emat panes sequentium se famem pasturus,
Iterum ne quærat Christus à PHILIPPO.
Esurienti sapientiam turbæ
De Bibliorum penu quot eduliorum millia ipse providit!
Deliciis saginare assuetus
Portiones singulas vult non esse simplices,
Quas è sacræ, profanæque scripturæ mistura
In suavissimum condivit opsonium.
Quæ PICINELLUS aperit,
Jactate, Mediolanenses, scientiarum Gazophilacia:
Quid procusis quotidie tot in ærario vestro Philippis superbitis?
Unicus hic PHILIPPUS pro omni thesauro est.
Pro tot, quas gratuitas largitur opes,
Gratæ saltem linguæ munera date.
Imo tacete mecum. Meritorum amplitudo quasque linguas confundit.
Ita etiam PICINELLI Gentili eminentissima Turre
Linguarum confusio est.

Joan. Baptista Mazzolenus, J.V.D.
inter Excitatos Acad. Taciturnus.



DISCURSUS PROEMIALIS.

Quòd Eruditiones profanæ admodùm benè conveniant cum Sacris Litteris.



Uemadmodum Sapientia, quæ à Romano Oratore definitur; *Divinarum & humanarum rerum scientia*; animæ rationali tribuit exquisitum & admirabile ornamentum; ita non aliunde, nisi ab ipso DEO derivari debet: *Omnis sapientia à Domino DEO est.* DEus, fons inexhaustus sapientiæ, similis illi, qui describitur in Genesi, infinitâ benignitate profundit rivulos; *irrigans universam superficiem terræ.* Ille, portans in fronte Solem, explicat aurea lumina *super bonos & super malos*; & instar fœcundæ nubis, pretiosas pluvias, symbola doctrinarum, asserente S. Gregorio Papâ, *super justos & injustos.* Unde in partem & dignitatem horum favorum videmus vocatos non solùm Israëlitas, qui sub splendore diei, id est fidei, obtulerunt supremæ Majestati purum & venerabundum obsequium; sed ipsos etiam Gentiles, tametsi inter nocturnas umbras infidelitatis misere ac deplorando modo sepultos. Huc unice collimâsse videtur Ecclesiasticus, quando de Sapientia, seu DEO, ipsius authore, ait: *Effudit illam super omnia opera sua, & super omnem carnem secundum datum suum, & præbuit illam diligentibus se.* Illuc etiam tendit S. Jacobus Apostolus; *Omne datum optimum, & omne donum perfectum*, quale omninò est sapientia, *desursum est, descendens à Patre luminum.* Proinde, sicuti lux, quam vitra vel crystalli, à radiis solis illuminati spargunt, nonnisi merum donum excelsi illius planetæ censetur; ita sapientia, relucens in sacris & profanis, in Prophetis & Poëtis, est mera profusio gratiæ, quam ipsis Divina bonitas est elargita, prout apprime dicit Doctor Angelicus: *Sapientia, quâ formaliter sapientes sumus, est quædam participatio divinæ sapientiæ, quæ est DEus.*

(l. 1. Offic. — Sapientia venit à DEO. — Eccl. 1. 1. — Gen. 26. — Matt. 5. 45. — Eam communicat omni nationi. — Eccl. 1. 10. — Jac. 1. 17. — 2. 2. q. 23. — Beyerlinck)

Grandis hujus thesauri etiam particeps factus est Adamus tantâ sapientiâ illustratus, ut intime penetrans reconditissima Philosophiæ arcana, totamque rerum omnium naturam, cuivis animali dederit nomen proprium, significans indolem & qualitatem cuivis proportionatam. Moses in Divinis colloquiis repletus est tanto lumine, ut in legibus civilibus, militaribus, politicis, & rituum Ecclesiasticorum institutione censeatur inter homines prodigiosissimos, quos unquam vidit Sol. Salomon fuit tantâ sapi-

(Adamus sapientissimus. — Moses. — Salomon. — 3. Reg. 3. 12.)

S. Paulus. Hom. 4. de laud. Pauli Apostoli. Chrysost. Hom. 15. in Matth.

sapientiâ dotatus, ut nec ante, nec post se habens similem, sapientiæ suæ famâ repleverit totum Mundum, rapueritque ex remotissimis regnis non solùm amatores virtutis, sed ipsas etiam coronas, ut ipsum audirent & admirarentur. Paulus in scholis paradisi adeò fuit sublimis & excultus, ut à Chrysostomo cognominaretur *Mare purissimum & profundissimum.* Et ut compendio dicam totus chorus Sanctorum Apostolorum, ne dicam etiam Prophetarum, à Spiritu Sancto, spiritu sapientiæ & intellectus, fuerunt adeò rarâ sublimitate exculti & instructi, ut veluti totidem soles, juxta mentem S. Joannis Antiochensis, *omnem perlustraverunt terram, spargentes ubique lumina veritatis.*

Sapientia collecta ex Bibliis. In Apol. c. 74. Gentiles didicerunt ex Sacris Litteris. L. 1. contra Apion. L. 1. contra Celsum. 1. Stromati. L. 2. de Doct. Christ. c. 28. L. 9. de Præpar. c. 3. L. 1. Strom.

Celsissimæ hæ doctrinæ, à primo parente per longam & fidelem traditionem suis filiis, nepotibus, & pronepotibus communicatæ & posteà à litteratis calamis in volumen sacrorum Bibliorum per Divinam dispositionem restrictæ, servierunt non solùm fidelibus Israelitis, sed ipsis etiam Barbaris & Idololatris, instar obstupescendæ scholæ. Sophistæ, Philosophi, & Poëtæ, quasi canes Ægypti, anhelantes accurrerunt, ut litteratam sitim ex grandi hoc Nilo verterent in fœcundos fluvios. *Quis Poetarum,* inquit Tertullianus, *quis Sophistarum, qui non omninò de Prophetarum fonte potaverit?* Pythagoras, doctissimus Philosophorum, suas formas symbolicas partim traxit, partim speculatus est ab exemplari Divinarum Litterarum. *Pythagoras Samius*, inquit Josephus Hebræus, *non solùm quæ nostra sunt agnovisse manifestum est, sed etiam æmulatus ea ex multis apparet.* Etiam Origines, inhærens aliorum opinionibus, affirmat *Pythagoram suam Philosophiam à Judæis traduxisse in Græciam.* Socrates in suis doctrinis nil aliud videtur intendisse, nisi ut ex iis relucerent scintillæ Judaicarum traditionum, dictus proinde à S. Clemente Alexandrino, *Hebraicæ sapientiæ æmulator.* De Platone referunt, quòd tempore Hieremiæ peregrinatus sit in Ægyptum, ubi sanctissimus Propheta morabatur. S. Augustinus ait, esse omninò probabile, quòd Plato *nostris litteris per Hieremiam imbutus sit, ut illa posset docere vel scribere, quæ jure laudantur.* Philosophus enim iste sua opera scripsit adeò conformia libris Mosis, ut aliqua perspicacia ingenia gratiosè dubitârint, num dici debeat, Mosen in suis doctrinis platonizâsse, aut Platonem in suis scriptis Judaizasse. Aristoteles (uti ipsemet testatur, referente Eusebio) habuit longos & familiares discursus cum quodam doctissimo Rabbino, qui (verba sunt Peripatetici) *sicut Philosophiæ amore ad nos sponte venit, ita multo plura nobis attulit, quàm accepit.* Theocritus in suis Idyliis utitur centenis locutionibus, metaphoris, & conceptibus, quos ex Canticis Salomonis transscripsit. De Numa Rege Romanorum ait S. Clemens Alexandrinus, certum esse, quòd *ex his, quæ à Mose tradita sunt, adjutus* suis Romanis præscripserit quasdam summi momenti leges.

1. Mach. 3. 48. Fabulæ desumptæ ex sacris Litteris.

Hanc veritatem primus liber Machabæorum authenticè comprobat. Ibi enim agendo de Sacris Libris, protestatur Spiritus Sanctus, quòd ex illis *scrutabantur gentes similitudinem simulachrorum suorum:* veluti diceret, quòd ad imagines suorum falsorum Deorum cum majori decore delineandas consuluerint Divinas Scripturas; & cum erubescerent rem ipsam, prout in Sacris voluminibus reperiebant expressam, desumere, in similitudinem illarum sacrarum Historiarum speculati sunt varias figuras profanas & fabulosas. Unde sicuti Sacræ Literæ meminerunt incendii gehennæ, ipsi proposuerunt ignem inferni; & ubi illæ describunt amœnitatem paradisi, ipsi fabulati sunt delitias camporum Elysiorum. Si in Libris Regum adorabatur serpens, ritus Romanorum offerebat serpenti, ideæ Æsculapii, divinos honores. Si in sacris Libris videmus ignem è Cœlo delapsum, semperque nutritum supra altaria; illi simili modo excitârunt flam-

flammam æternam, in qua Vesta Dea repræsentabatur. Si ibi observemus currum igneum, in quo fuit translatus Elias; illi somniârunt currum igneum, supra quem Sol, dictus à Græcis *Elios*, circumvehebatur. Sortibus, quas reperimus in Jona Propheta, correspondent sortes Virgilianæ & Prænestinæ. Sacrosancto nomini Jehova, quo honoratur DEUS, fecêre similem fabulosum suum Jovem, & heroicæ fortitudini Samsonis aëreas vires Alcidis. Denique sicuti in Sacris Litteris Noë vocatur reparator Mundi, ita idololatræ commenti sunt tres fabulosos homines, Deucalionem triumphatorem diluviorum, Bacchum plantatorem vinearum, & Janum bifrontem, qui sæcula præterita & futura æquali modo respiceret. Unde Tertullianus, postquam aliquot sacras & profanas historias invicem comparavit, conversus ad gentiles, quærit: Agedum, dicite mihi benevolè; *Unde hæc, oro vos, Philosophis ac Poetis?* ex quâ fodina vestri Philosophi ac Poëtæ eruerunt hoc metallum, nisi ex illa inexhausta sacrarum litterarum? *non nisi de nostris Sacramentis?* *Apolog. c. 47.*

Sed demus locum veritati; quemadmodum gentiles instar papilionum volarunt, capti splendore sacrarum litterarum, ita fidelibus DEI servis ultra modum placuit profana eruditio, & totis viribus conati sunt eam illustrare ac locupletare. Taceo Abrahamum, qui oriundus ab Assyriis seu à Chaldæis, probabiliter ab illis gentilibus transtulit multa, sed tamen in meliorem formam redacta documenta ad instruendos suos posteros. Taceo Israëlitas, qui spatio quadringentorum annorum commorati in Ægypto, & pluribus annis in servitie Chaldæorum & Assyriorum detenti, haud dubiè multas eruditiones à doctis illis nationibus didicerunt. Solummodò dicam de Mose, viro inter omnes, quos jactare potest Synagoga, prodigiosissimo; hic enim, uti testantur Sacræ Litteræ, non tantùm *eruditus est omni sapientiâ Ægyptiorum*; sed insuper asserente Philone, habuit intellectum ornatum doctrinis, quas studiosè didicit à Chaldæis, Græcis, & Assyriis, Daniel cum nobilibus suis Collegis, tametsi jam instructi *omni sapientiâ, scientiâ, & disciplinâ*, videntur tamen in aula regia Babyloniæ intenti ad discendas *litteras & linguam Chaldæorum*. Salomon, ut populum suum perfectè instrueret, eum non solùm invitat ad studium Scripturarum Mosaicarum & Propheticarum, sed expressè consulit & hortatur: *Animadvertet parabolam, & interpretationem, verba sapientum & ænigmata eorum.* In quem locum eruditè commentatur S. Hieronymus: *Parabolas & obscurum sermonem, dicta sapientum, & ænigmata, quæ propriè dialecticorum & Philosophorum sunt.* Denique Paulus, tuba Evangelica, & fulmen hæresium, minimè acquiescebat præceptis & ritibus legis Mosaicæ, quos à tenera ætate & quasi cum ipso materno lacte suxerat; insuper in Academiis Tarsi (quæ civitas in studiis artium liberalium, & profunditate mundanarum scientiarum, teste Strabone, longis intervallis superabat Alexandriam & Athenas) fecit progressus adeò excellentes, ut illius temporis gentiles dubitârint, an non Paulus quoad ingenii subtilitatem & doctrinæ soliditatem esset præferendus ipsimet divino Platoni.

Patriarchæ & Prophetæ eruditi in scholis profanis. — *Act. 7. 22.* — *L. 1. de Vita Mosis.* — *Dan. 1. 4.* — *Prov. 1. 6.* — *Epist. 84. ad Magnû Oratorem Romanum* — *L. 14. Chrysost. Hom. 3 1. Cor.*

Proinde Israëlitæ delectabantur ingressu profanarum Academiarum, non solùm ut suos intellectus exornarent variis eruditionibus, sed longè magis ut inde reciperent opportunum lumen ad faciliorem intelligentiam quarundam scripturarum, quæ non exiguis obscuritatibus sunt involutæ. Et ut veritatem fatear, quomodo intelligemus, quid fuerint Titanes, quorum meminêre Libri Regum; Sirenes & Onocentauri, adducti ab Isaia; Arcturus, Oriones, Hyades, meræ voces gentiles & Græcæ, quibus utitur Liber Job; *quæ utique vocabula* (utor verbis S. Hieronymi) *gentilium* *fabu-*

Eruditiones profanæ serviunt ad intelligendas S. Scripturas. — *Job. 9. 9.* — *ad Gal. c. 1.*

fabularum & causas & originem habent : si non fuerimus in eruditione græca & poëticâ benè exercitati & instructi?

S. Paulus citat profanos.

S. Patres multum eruditi.

Certè Profani, similes nigris elephantibus, qui faces accensas portabant ante triumphantem Cæsarem, portant doctrinarum suarum lumina non solùm ad obsequium Divinarum Scripturarum; sed insuper serviunt instar luminum, quibus opera & ingenia ipsorum etiam Catholicorum illustrantur. Unde Doctor Gentium inter cœlestes saphyros supremorum mysteriorum, & inter suas litteras ex omni parte scintillantes, inseruit carbunculos sententiarum profanarum, utens modò versibus Menandri, Epimenidis, & Callimachi; modò efficacissimè persuadens Patribus familias, ut instruerent & erudirent filios *in disciplina*, id est, interprete Chrysostomo, in profanis litteraturis, Græcâ & Philosophicâ eruditione. S. Petrus, reflectens ad fabulas propositas & inventas ab Antiquis, dedit eis attributum doctarum: *Doctas fabulas secuti*; utpote plenas moralis, politicæ, œconomicæ, & utilissimæ doctrinæ. Unde ex una parte summis laudibus dignissimè extolluntur Josephus & Philo Hebræus; ac ex altera Clemens Alexandrinus, Gregorius Nazianzenus, Eusebius Cæsariensis, Arnobius, Lactantius Formianus, Osorius, Tertullianus, Augustinus, & centeni alii, qui ad miraculum usque instructi mundanâ eruditione, hujus virtute non solùm sparserunt clarissimum lumen ad intelligentiam Sacrarum Scripturarum & Ecclesiæ DEI, sed etiam validam defensionem ac nobile rarumque ornamentum.

1. Cor. 15. 33. Tit. 1. 12. Chrysost. hic Serm. 21. 2. Pet. 1. 16.

Eruditiones sacræ & profanæ correspondent.

Si ergò Divina sapientia instar Solis diffundit sua lumina ad omnes totius mundi nationes, &, teste Sapiente, *attingit ubique*; si spiritus sapientiæ est *unicus & multiplex*; unicus in DEO, multiplicatus in subjectis fidelibus & infidelibus, Hebræis & Græcis, Barbaris & idololatris, quibus eam communicare placuit; si mutuâ vicissitudine non solùm profani gaudent illustrari à reverberatione Sacrarum litterarum, sed etiam Israëlitæ volunt irradiari à reflexione Luminum, quæ ab eruditione sæculari proficiscuntur, bene potest de iis pronuntiari, quod instar speculorum sibi mutuò oppositorum, *Mutuant invicem.* Debent proinde Litterati, veluti ambidextri Aod, adhibere tam sacras & non sacras doctrinas. Hortus illorum intellectuum impinguetur simul *de rore Cæli* seu doctrinis è Cœlo destillantibus; *& de pinguedine terræ*, seu speculationibus derivatis ex fœcunda vena Oratorum, Philosophorum, & Poëtarum. Circumferant caput exornatum cœlestibus hyacinthis, seu doctrinis ex empyreo delapsis; sed tamen simul distinctum viridibus smaragdis eruditionum, quæ docentur à celeberrimis magistris terræ. Ingrediantur cum Regina Saba, cum Pythagora & Platone in Synagogam ad audiendas voces Patriarcharum & Prophetarum; sed tamen simul non recusent cum Mose desponsari Æthiopissæ, & aperire aures ad verba tametsi profana Jetri. Intrent cum Daniele, S. Paulo, & S. Dionysio Areopagita Academias Babyloniæ, Tarsi, & Athenarum, movendo omnes machinas, ut ipsorum intellectus, similis arcæ Testamenti, vestiatur & exornetur pretioso auro Theologicæ veritatis, & sericis ac diversicoloribus cortinis mundanæ litteraturæ. Doctrinæ sacræ inserviant ipsorum discursibus instar solidæ structuræ; Philosophicæ verò & Poëticæ instar amænæ picturæ & gratiosi ornamenti. Et si Pythagoræ, Zenones, & Orphei ex Sacris Litteris didicerunt gravissimas doctrinas & sententias, easque etiam in sua volumina transtulerunt; horum sententiæ libere à nobis adducantur, ut tali modo corona, detracta ex capite Melchom, uti olim fecit David, imponatur triumphale diadema fronti Christianæ. sic enim bonæ justitiæ actu restituetur obsequio DEI, & Ecclesiæ, quod ab illis astutis, veluti malitiosis possessoribus, indebitè fuit abreptum & usurpatum.

Sap. 7. 24. Sap. 7. 22. Gen. 27. 28. Exod. 18. 17.

Profani didicerunt ex S. Scriptura.

1. Par. 20. 2.

Scio

Scio equidem, & apprimè scio; reperiri ejusmodi fortis homines, qui, quamprimùm audiunt à sacro Oratore adduci sententiam moralem ex Platone, Seneca, aut Plutarcho, mox feruntur in impatientiam, torquentur, & se scandalizatos vociferantur. Memini, ante aliquot annos me audivisse talem, qui prædicando in Adventu, totam dimidiam concionum partem fecisse in vituperium Prædicatorum; sed in quem bonum finem, non possum dicere; certè aliud nihil secutum est, quàm offensa auditorum, & diffidentia tam erga verbum DEI, quàm erga ipsius Ministros. Sub larva zeli strepitabat audacia non minus temerariâ quàm imprudente. Quanta perversio, inquiebat, quod nostris temporibus Prædicatores utantur verbis selectis, studiosè contextis, Rethoricè amplificatis, & undique respersis conceptuum eruditione? Eò devenimus, ut non solùm sententiæ Philosophorum, sed etiam versus Poëtarum, imò & fabulæ (horreo dicere) supra pulpita sacra declamentur.

Verùm, si benè adverto, hæ exaggerationes non aliam habent matrem, nisi ignorantiam. Quòd si agamus de fabulis, hæ, teste Platone, mirificè deserviunt ad juventutem in virtutibus instruendam. *Selectas autem fabulas Nutrices ac Matres pueris narrare hortabimur, animosque illorum fabulis diligentius, quàm corpora ipsa manibus informare.* Fabulæ, teste Dionysio Halicarnassæo, *sunt hominibus perutiles; aliæ siquidem sunt, quæ naturæ opera sub allegoriis continent; aliæ humanarum calamitatum habent consolationem; aliæ terrores, animorumque perturbationes à nobis depellunt, opinionesque parum honestas destruunt.* Fabulæ, uti eruditè observat Natalis Comes, sunt vitæ humanæ ingeniosæ & doctæ magistræ, ex quibus *aliæ fortunæ inconstantiam declarant; aliæ ab impuris opinionibus, & à crudelitate, atque ab omni perfidia, & impura libidine nos retrahunt; aliæ cohortantur ad strenuitatem; aliæ ad virtutes nos alliciunt, ad integritatem vitæ, ad fidem, ad æquitatem, ad religionem; aliæ denique ab omnibus flagitiis revocant.* Unde S. Fulgentius, Episcopus Ruspensis, non minus sublimitate, quàm sanctitate vitæ clarus, scripsit tres integros libros, ubi gentilium fabulæ ad mores explicantur. Cornelius à Lapide, prodigiosus ille Sacrarum Litterarum interpres, illustrat librum Proverbiorum, inserens fermè quovis loco fabulas Cyrilli Alexandrini. S. Gregorius Papa sanctè affirmat, fideles promoveri & sublevari per fabulas & fabulosa nomina ad intelligenda mysteria Scripturarum, aliâs reconditissima.

L. 2. de Rep. — Fabulæ utilissimæ. — *L. 1. Rerum Antiqu.* — *L. 1. Mithol.* — *L. 9. Mor. c. 6.*

Sed quia ibi non agitur præcisè de fabulis, sed etiam de profanis eruditionibus, applicatis ad servitium sacrarum; dico ego, bonum illum Patrem, qui tantopere contra eas invehebatur, non legisse regulam Petri Blesensis: *Si Scripturas sacras diligenter attenderis, non censebis absurdum, quod verba Philosophiæ vel scientiæ civilis quandoque in doctrina Christiana admittantur.* Videtur non audivisse similitudinem S. Basilii Magni: *Quemadmodùm vites claviculis sustentantur, ita fides ex externis disciplinis fulcitur.* Non viderit doctrinam Primasii: *Undecunque veritas clareat, catholicæ deferenda est unitati, neque attendenda persona dicentis, sed qualitas consideranda est dictionis.* Debuisset legere Epistolas S. Pauli, ubi juxta dicta reperisset sæpius allegata testimonia veterum Poëtarum; debuisset ingredi scholam Salomonis, ubi ipsi dictum fuisset, studiosum sacrarum Scripturarum debere bene uti doctrinis sapientum, parabolis, symbolicis locutionibus, & ænigmatibus. *Animadvertet parabolam, & interpretationem, verba sapientum, & ænigmata eorum.* Debuisset aperire librum Evangeliorum, ubi reperisset, Divinum Magistrum in suis concionibus adeò frequenter usum esse similitudinibus parabolicis ut *sine parabolis non loquebatur eis.*

Eruditio profana utilissima. — *Epist. 8.* — *Hom. 5. Hexam.* — *Prolog. in Apocalyp.* — *Prov. 1. 6.* — *Matth. 13.*

Dan. 3. 98. Et si in Daniele Propheta libere est receptus Idololatra Nabuchodo-
Matt. 21. 9. nosor, Rex sacrilegus, ad ferendum testimonium de gloria filii DEI, si apud S. Matthæum fuerunt congregati perfidi & scelerati Judæi ad dandos applausus in triumphali ingressu Salvatoris, si Pilatus, homo gentilis, sceleratus & iniquus Judex, est admissus proferendo testimonio de innocentia
Matth. 27. 24. Christi; si S. Philippus Apostolus ultrò introducit infideles ad veneran-
Ioh. 12. 21. dum divinum Verbum, humana carne vestitum: cur, obsecro, Plato, Orpheus, Seneca, Epictetus, Plutarchus, Virgilius, & Martialis non poterunt cum laude vocari, ut venerabundo calamo subscribant doctrinis & verita-
3. Reg. 10. 18 tibus Catholicis ac Christianis? Si dentes monstrosorum elephantum concurrunt ad elaborandum thronum Salomonis, cur sententiæ morales gen-
Exo. 35. 23. tilium non admittuntur ad ornamenta pulpitorum? Si ad structuram tabernaculi etiam ipsi pili caprarum fuerunt adhibiti, cur non deberent in templis applicari comprobatæ pennæ Philosophorum, & harmonicæ plumæ Poetarum? Si Samson è faucibus exanimis leonis collegit mel, & Elias ex rostro nigri corvi accepit cibum, cur non ex ore & lingua gentilium liceat recipere eruditionum substantiam & optima documenta, utut gentiles forsan sint inflati leones ac infausti augurii corvi.

1. Reg. 13. Eruditio profana servit sacris scripturis.

Libro primo Regum refertur, quòd *descendebat omnis Israel ad Philisthiim, ut exacueret unusquisque vomerem aut ligonem*; si ergo ferrum aratri est Sacra Scriptura, cujus operâ sulcatur cordis nostri terra, & animæ disponuntur non solùm ad recipienda semina virtuosarum doctrinarum, sed etiam ad producendos fructus meritorum, vitæque æternæ; vadant proinde Sacræ Scripturæ Interpretes ad officinas profanarum eruditionum,
S. Greg. ib. hortante S Gregorio Papa, *ut per instructionem illarum Divina eloquia subtilius intelligantur.* Certissima enim veritas est, subjungente Magno illo Pontifice, quòd, *dum secularibus litteris instruimur, in spiritualibus adjuvamur.* Et quòd *vomerem apud Philysthinorum fabros acunnt, quia sancta prædicationis studium de sæculari eruditione componunt.* Si Seraphinus, descriptus in Isaia, ad purificanda labia contaminata & impura illius Prophetæ usus est carbone, desumpto quidem ex sacro altari, sed tamen solummodò sub-
Isa. 6. 6. lato per ferream quandam forcipem, *in manu ejus calculus, quem forcipe tulerat de altari*: sitque textus sacrarum scripturarum instar carbonis, undique ignei; poterit certè iste beneficio profanæ litteraturæ, ceu ferreæ forcipis, commodissimè tractari, uti docet Giobius Monachus apud Photium Cod. 222. *Docet nos Sacra Scriptura, quemadmodum sinè intermedio aliquo & absque crassiori materia ignis capi non potest; sic nec rerum Divinarum quidquam percipi posse sine materialibus symbolis, cæterisque rebus, iis qui suscepturi sunt, accommodatis.* Si Magi, homines laici, & in profanis doctrinis admodùm versati, à Sapientia Incarnata fuére ultro ad suum natale præsepe convocati; cur ab ipsius templo & pergamis excluderemus illos litte-
Matth. 2. ratos, quos omnis schola ob exquisita merita laudat & extollit? Et si
in Catena aur. Christus è manibus Magorum accepit *aurum, thus, & myrrham*; id est, mysticè vertente Glossâ; *Historicum, moralem, & allegoricum sensum; vel Logicam, Physicam, & Ethicam, dum illa fidei servire faciunt*; cur nos negaremus eidem nostro Domino illa ipsa tributa, quibus is summe glorificatur, & fideles mirifice proficiunt.

Documenta profanorum valide movent.

Impulsum non exiguum in cordibus nostris efficiunt virtuosa documenta, & sanæ doctrinæ gentilium; quippe quibus fideles non solùm animantur & persuadentur sed etiam superantur & convincuntur. Quòd Angelus Tobiæ, charus DEI minister, suadeat affectus gratitudinis erga supremum Monarcham, non est res adeò grandis; admodùm tamen grande est, quòd cap. 1. Jobi suadeat id ipsum Sathan, tametsi implacabilis inimicus DEI, & ad æterna supplicia condemnatus. Ingentem impulsum facit,

facit, quando audimus virtutem deprædicatam ab hominibus omnigenæ bonitatis & sanctitatis vitæ; sed, meâ opinione, longè majorem facit, quando ipsi etiam vitiosi eam reverentur, suadent, & exaltant. Quòd Hieronymus, Ambrosius, & Augustinus me inflamment ad condonandas injurias, ad contemptum mundanarum divitiarum, & ad fugam voluptatum sensualium & scandalosarum, mihi non adeò videtur esse mirum; sed quòd prorsus conformiter, & eodem ardore loquantur Senecæ, Ovidii, & Plutarchi, illud certè me penitus confundit & convincit. In gentibus observari debet non quod sunt, sed quod dicunt; & reperiemus, ex ore jumentorum summè recalcitrantium, veluti tempore Balaami contigit, Deum scire & posse eruere voces non solùm humanas, sed etiam oracula.

Quantum denique attinet ad texendas conciones & sacros discursus, quos homo ille volebat construi verbis simplicibus, humilibus, & trivialibus; id nil aliud foret, quàm victimis & sacrificiis Divinis auferre illum salem, quem Divina lex expresso decreto exigit, & indignitate verborum efficere vile illud argumentum quod, utpote solum Divinum, summo decore tractandum est. Frustra instrueretur juventus in exercitiis humanitatis, Rhethoricæ, Logicæ, & Philosophiæ, nisi suo tempore possent uti figuris verborum, sententiis, emphasi argumentorum & rationum, quæ aptæ sunt ad persuadendum populis non solùm horrorem & odium erga vitia, sed etiam amorem erga virtutes, sanctitatem & perfectionem. Sit sanè plana, humilis, & terrena mundi litteratura; servit tamen, qualis qualis sit, instar scalæ, per cujus gradus noster intellectus elevatur ad excellam intelligentiam & doctam explicationem Divinarum Scripturarum. *Hanc quippe secularem scientiam*, inquit S. Gregorius Papa, *omnipotens DEus in plano antepofuit, ut nobis ascendendi gradum faceret, qui nos ad Divinæ scripturæ altitudinem levare debuisset.* Et si Sancti Patres sunt validi illi magistri, & optima exemplaria, quibus instruendi sunt prædicatores; debent illi utique totis viribus imitari periodicam majestatem S. Leonis Papæ; acumina & conceptuum subtilitates, quas reveremur in S. Petro Chrysologo, & in Sancto Augustino, præsertim in Sermonibus de Sanctis; dulcedinem lacteam, quæ destillat ex tractatibus & concionibus S. Maximi & S. Ambrosii; eruditionem variam & infinitam, quâ exornata sunt opera Tertulliani, Lactantii, & S. Clementis Alexandrini.

Levit. 2. 13.

Verbum DEi debet tractari cum modo.

Litteræ profanæ sunt scalæ ad Divinas

1. Reg. 13.

S. Patres eloquentes, floridi, eruditi.

Sed, quantum adverto, qui vituperat elegantiam in dicendo, & amœnitatem eruditionis, apertè demonstrat, se utriusque esse rudem; reprehendit in aliis, quod à se non posfideri erubescit. Homines stupidi ingenii, &, ut Nazianzenus loquitur, in aliorum contradictionem nati, multiplicant invectivas, ubi deberent accumulare laudes; unde quidquid dicant, merentur tractari instar delirorum, nulloque modo audiri vel æstimari. *Non idcirco contemnenda est conditio, quòd ita quibusdam videatur, quin potius insulsi & præposteri habendi sunt, qui hoc existimant.* Certum est, illum promereri majorem laudem, qui possidet talenta quatuor vel sex, quàm qui unum tantummodò. Et si veritas Evangelica similis est Sponsæ regiæ, descriptæ in Psalmo; ista sanè deprædicatur, quòd quidem compareat vestita pallio aureo, contexto ex filis propheticarum & Evangelicarum scripturarum, *in vestitu deaurato*; sed tamen simul ornata nobili veritate, quam subministrant Philosophi, Historici, Oratores, & Poëtæ; *circumdata veritate.* Teste Nazianzeno, est infallibilis veritas, quòd varietas eruditionis superet omnia ornamenta, quibus condecorata est anima rationalis. *Eruditionem inter humana bona primarium locum tenere.* Quapropter animæ auferre istas pompas, nil aliud est, quàm hortum spoliare floribus, cœlum stellis, & mœno solis vultu coronam lucis. *Qui sane sapiunt*, inquit S. Paschasius, *intellexerunt, quod semper res, verba, & eloquentia velut ancilla servit sapientia*

Orat. in fun. Basilii.

Eruditio affert ornatum & beneficium.

loc. cit.

L. 3. in Mat.

2. D. Ch. Doctr. Christ. c. 28 *tia Divina.* Et quia, docente S. Augustino, non solùm *Historia*, sed etiam Rhethorica, Poësis, & Philosophia *plurimùm nos adjuvat ad sanctos libros intelligendos, etiamsi præter Ecclesiam puerili eruditione discatur*, idcircò salvo cujusvis respectu, è sacris templis non debent proscribi, sed omninò in eorum sinu conservari profana documenta, ut instar reverentium ancillarum deferant Sacræ Scripturæ, veluti cuidam Reginæ Esther, venerabundum obsequium. Nam, ut meus Richardus Victorinus observat, *debent sæculares scientiæ spiritualibus studiis inservire.* *l. 2. de Erud. inter. hominis.* Ita immensum mare Sacræ Scripturæ à rivulis & fluminibus mundanæ eruditionis recipit generosum & commensuratum tributum. Ita Sacri Oratores fidelibus non absque nobili pompa instruunt sacram mensam, porrigendo iisdem fructus à se collectos non solùm ex felicissimis arboribus Sanctorum Patriarcharum, Apostolorum & Prophetarum, sed etiam cum delitiis frondium ac florum, decerptis ex horto eruditæ Minervæ. Similes Magno Mosi, applicabunt aurum, collectum ex Ægypto, honoribus sanctuarii & altaris. Similes generosæ Judith, valido & potenti brachio Sacræ Scripturæ, jungent ferreum gladium terrenæ eruditionis, abscindentque caput vitiosi Holofernis.

His considerationibus persuasus, exhibeo benevolis meis Lectoribus certum numerum Sacrarum Scripturarum, mundana eruditione explicatum & illustratum; ut hinc reperiant lac, expressum ex uberibus Sanctæ Ecclesiæ, & mel extractum è floribus, tametsi humilibus, mundanæ litteraturæ; recipiantque simul alimentorum substantiam ad solidam nutritionem, & amænam dulcedinem ad deliciosam recreationem: sicque ex mutuâ reflexione sacrorum & profanorum luminum tam intellectus, quàm affectus meorum Lectorum unà & illustrentur & inflammentur.




LUMI-


LUMINUM REFLEXORUM


PARS PRIMA,

Continens

GENESIN
EXODUM
LEVITICUM
NUMEROS
DEUTERONOMIUM.







LUMINA REFLEXA EX GENESI.

CAPUT. I. n. 1.

1. Mundus creatura Dei. Nobilis & majestatis plena machina mundi non alium habuit fabrum seu Architectum, quàm immortalis Dei infinitam sapientiam & potentiam. His placuit virtute suâ creatrice illam stabilire supra fundamenta nihili; prout primus omnium scripsit Moses *Gen. cap.* 1 *n.* 1. *In principio creavit Deus cœlum & terram.* Et post illum David; imprimis Psalmo 8. n. 4. *Videbo cœlos tuos opera digitorum tuorum; Lunam & stellas quæ tu fundâsti:* & dein Psalmo 94. n. 5. *Ipsius est mare & ipse fecit illud: & siccam manus ejus formaverunt.* Ita Sancti Apostoli, Paulus & Barnabas, Act. 14. n. 14 persuadebant Gentilibus, ut converterentur *ad Deum vivum, qui fecit cœlum & terram, & mare, & omnia quæ in eis sunt.* Et S. Joannes tam in Apocalypsi cap. 14. n 7. *Adorate eum, qui fecit cœlum & terram* quàm in textu Evangelico Joh. 1. n. 3 *Omnia per ipsum* (id est *Verbum Dei*) *facta sunt.*

Creatio Mundi cognita Gentilibus. Hæc doctrina etiam à Gentilibus fuit approbata ac subscripta; *Pulcherrima res Mundus,* inquiebat Tales Milesius, referente Diogene Laërtio; *opus enim Dei est.* Eodem modo Sophocles;

Unus profectò est, unus est tantùm Deus,
Cæli, soliq; machinam condidit,
Vadumq; ponti cæruleum, & vim spiritûs.

Sibilla, producta à Lactantio Firmiano lib. 1. cap. 6.

Sed Deus, solus unus eminentissimus, qui fecit
Cælum, Solemq;, & Astra, atque Lunam,
Fructiferamq; terram, atque Maris fluctus.

Empedocles, cum Melisso, Parmenide, Pitagora, & aliis Græcis credidêre, quòd principium cœli, rerum immortalium aliarumque omnium fuerit Deus, uti refert Simplicius lib. 1. Physic. Comment. 4. & 5. Plutarchus etiam in Opusculo de creatione animæ; *Præstat Platonis sententiam sequi, atque hoc dicere, & canere. Mundum à Deo esse factum. Nam & Mundus operum est pulcherrimum, & Deus omnium causarum præstantissima.*

CAP. I. ℣. 1. &c.

2. Mundus creatus & gubernatus à Deo. Moses ad describendam Mundi creationem, præcisè hâc dicendi formâ utitur; Gen. I. n. 1. *In principio creavit Deus cœlum & terram.* Postea num. 2. in illo producit *faciem abyssi.* id est, vastitatem aquarum, & num. 14. *Luminaria in firmamento cæli.* Expresè docens num. 2. quòd *Spiritus Domini ferebatur super aquas.*

Virgilius lib. 6. Æneid. v. 724. ita conformiter ad illa Mosis verba scribit, ut ipsius versus videri possint excellentissimum opus Mosaicum, elaboratum Sacræ Scripturæ materialibus ac gemmis.

Principio cælum, ac terras, camposq; liquentes,
Lucentemq; globum Lunæ; Titaniaq; astra,
Spiritus intus alit.

Ad hoc propositum non inconcinnè Manilius lib. 1.

Hoc opus immensi constructum corpore Mundi,
Membraque naturæ, diversâ condita formâ
Aëris atque ignis, terræ, pelagiq; jacentis,
Vis animæ Divina regit, sacroque meatu
Conspirat Deus, & tacitâ ratione gubernat.

CAP. I. ℣. 2.

Terra creationis suæ tempore tota erat confusa, ac commixta aquis, ita ut non terram simplicem, sed madentem limum, luteumque pratum, herbis, floribus, fructibus, omnique ornamento miserè spoliatum, repræsentaret. Moses Gen. I n. 2. illam descripsit, dicens; *Terra autem erat inanis & vacua*; id est, uti interpretantur septuaginta, *Invisibilis & incomposita*; seu ut ait Symmachus; *otiosa & indigesta*; vel ut Onkelos; *Desolata & vacua.* 3. Terra creata imperfecta.

His verbis exactè insistit Ovidius lib. 1. Metam. de terra canens;

- - - - Rudis indigestaq; moles,
Nec quicquam nisi pondus iners, congestaq; eodem
Non benè junctarum discordia semina rerum

CAP. I. ℣. 2.

Quia aquæ à creatione destinatæ erant ad producendos pisces, aves, herbas, & centenas alias nobiles ac exquisitas delitias; idcircò ut fierent mirabiliter fœcundæ, refert Moses, quòd *Spiritus Domini ferebatur super aquas* Gen. 1. 2. Idque ut aquis, instar gallinæ, inspiraret calorem, vigoris, spiritusque plenum; prout inter alios dicit Marius Victor. 4. Spiritus Sanctus vigor Mundi.

Et sacer extensis impendens spiritus undis
Altrices animabat aquas, dans semina rerum.

Hanc veritatem approbat Plato, qui, referente in hunc locum Cornelio à Lapide, dicebat; *Hunc spiritum aquas, omniaq; vegetantem esse animam mundi.* Ad hoc propositum Virgilius l 6. Æn. v. 726.

Spiritus intus alit, totamque infusa per artus
Mens agitat molem, & magno se corpore miscet.

CAP. I. ℣. 5.

5. Attentâ consideratione dignus est modus, quem Moses in describendis diebus creationis adhibuit, dum iis pro principio tribuit vesperum, & pro termino matutinum; ita ut incipiant à nocte, & finiant ad initium diei. *Factumque est vespere, & manè dies unus.* Gen. cap. 1. v 5 & rursus c 8 v. 13. 19. 23. & 31. Hanc reflexionem suggerit S. Basilius in Catena Græca; *Ut igitur Moyses primas diei partes reddat, finem prius diei memorat.* Documento id est cuivis Christiano, quòd non debeat recusare mœstum, humilem, ac calamitosum miseriæ mundanæ occasum, dum per præsentem obscuritatem ac tristitiam possumus perduci ad clarum cœlestis & sempiternæ lucis diem.

Dies incipit à vespero.

Calamitas definit in felicitatem

Non solùm Moses, sed etiam Ægyptii ac Athenienses incipiunt diem ab occasu solis. De his Alexander ab Alexandro Genial. Dier. lib. 4. cap. 20. *Pervulgatum ferè est, Ægyptios & Athenienses diem à Solis occasu facere* &c. Simili modo, inquit ille; *Galli & Germani ita sunt metiti diem, ut temporum spatia non dierum numero, sed per noctium vicissitudines computarent, noctesque diebus anteferrent.* Hunc morem etiam receperunt in Italia, ubi prima hora diei etiam est prima hora noctis.

CAP. I. ℣. 9.

6. IN creatione Universi erat terra undique cooperta, occupata, & sepulta in aquis, sicque tota inhabitabilis. Proinde sicuti ex undis extractum volumen linteum, ex una parte erigeretur instar parvulorum montium; ex alia explicaretur in apertam planitiem, & ex aliâ recideret in gratiosas valles; ita infinita sapientia separavit & elevavit ex aquis terram, quæ inde extracta, evasit excelsa in montibus, declivis in amœnis vallibus, & complanata in vastissimis campis. Dei ore id totum synopticè expressit Moses Gen. 1 v 9. *Congregentur aquæ, quæ sub cælo sunt, in locum unum, & appareat arida.* In hoc argumentum Propheta Ps 103 v. 8. *Ascendunt montes, & descendunt campi in locum, quem fundasti eis.* Hanc dispositionem & coordinationem præclarè insinuavit Ovidius 1. Metam.

Distributio terræ fit in campos, valles & montes

- - *Quisquis fuit ille Deorum,*
Jussit & extendi campos, subsidere valles,
Fronde tegi sylvas, lapidosos surgere montes.

CAP. I. ℣. 11.

7. DIvinum illud Geneseos præceptum cap. 1. n. 11. *Germinet terra herbam virentem, & facientem semen, & lignum pomiferum faciens fructum &c.* Multis persuasit, illud ipsum tempus, quod est principium anni, fuisse etiam principium mundi. Et quia terra in suo exordio undique erat vestita herbis, ornata floribus, ac fœcundata fructibus, idcircò ajunt, mundum esse creatum dulci & amœno veris tempore. Hujus sententiæ fuit S. Joannes Damascenus lib. 1. de Fide. c. 7. *Per solem quatuor anni conversiones constituuntur, quarum prima verna est, in qua Deus res universas condidit, idque ex eo constat, quod nunc quoque vere flores germinant.* Ita etiam Cyrillus Hierosolymitanus 3. Catech. *Xanticomense instante, ver est reliquum, estque hoc tempus mensis primus apud Hebræos, in quo festum Paschæ prior erat typica, nunc verò est vere; hoc tempus est creationis mundi; tunc enim dixit Deus; producat terra herbam virentem &c.* S. Ambrosius, reflectens ad illa Exodi verba cap. 12. v. 2. *mensis iste vobis principium mensium, primus erit in mensibus anni.* lib. 2. Hexam. c. 4. ita discurrit; *Mensis hic initium mensium est vobis, quamvis & de tempore illud accipiatur, quia de Pascha Domini loquebatur, quod veris initio celebratur. In hoc ergò principio mensium cælum & terram fecit, quod inde mundi capi oportebat exordium, ubi erat opportuna omnibus verna temperies, unde & annus mundi imaginem nascentis expressit &c.*

Mundus in vere creatus.

Haud aliter cecinit Virgilius lib. 2. Georg.

Non alios primâ crescentis origine mundi
Illuxisse dies, aliumq; habuisse tenorem.
Crediderim, ver illud erat, ver magnus agebat.
Orbis, & hybernis parcebant flatibus Euri.

CAP. I. ℣. 16. &c.

PLacuit Majestati divinæ, homini genuinam creatoris imaginem imprimere: ut instar cujusdam Vice-Dei posset habere nobile dominium super omnes creaturas. *Faciamus hominem*, inquiebat Gen. 1. v. 26. *ad imaginem & similitudinem nostram.* Et mox; *Et præsit piscibus maris, & volatilibus cœli, & bestiis, universæque terræ, omnique reptili, quod movetur in terra.* Et v. 29. *Ecce dedi vobis omnem herbam, afferentem semen super terram & universa ligna, quæ habent in semetipsis sementem generis sui, ut sint vobis in escam.* De hàc præcedentia ac dominio tam David Psal. 8 v. 8. *Omnia subjecisti sub pedibus ejus, oves & boves universas insuper & pecora campi, volucres cœli, & pisces maris;* quàm Ecclesiasticus; cap. 17. n 3. *Dedit illi potestatem eorum quæ sunt super terram, posuit timorem illius super omnem carnem, & dominatus est bestiarum & volatilium.* 8.

Homo est Vice-Deus.

Dominiũ creaturæ.

Ipsimet etiam Stoici referente Cicerone 1. de Officiis asserebant, res omnes, quæ generantur in terra, esse creatas ad usum hominis; Ita affirmant Lucretius de Stoic. lib. 2. & Ovidius lib. 1. Metamor.

Sanctius his animal, mentisque capacius altæ
Deerat adhuc, & quod dominari in cætera posset,
Natus homo est, sive hunc divino semine fecit
Ille opifex rerum, mundi melioris origo.

Proinde præsuppositâ istâ prærogativâ, quòd homo à Deo sit assumptus ad dignitatem dominandi, optima ratione ei in hunc modum exprobrat S. Basilius Hom. 10. Hexam. *Animal itaque es, ô homo, imperio natum. Ecquid miseram hanc affectuum servis servitutem? Ecquid te dedis peccato in vile mancipium? Cur tuapte sponte mancipem te & captivum constituis Diaboli? Jussit te Deus creaturis principem locum tenere: & ecce tanti principatus dignitatem à te excutis & repellis.*

CAP.

CAP. I. ℣. 29.

9. POstquàm divina Bonitas hominem creavit, & animalia produxit, voluit ipsis etiam providere opportunum victum: re ipsa enim, *qui dat esse, dat consequentia ad esse.* Unde ipsis instruxit opiparam mensam è teneris & odoriferis herbis, ac diversicoloribus & delitiosis fructibus. *Ecce dedi vobis omnem herbam afferentem semen super terram, & universa ligna, quæ habent in semetipsis sementem generis sui, ut sint vobis in escam: & cunctis animantibus terræ. &c.* Gen. 1. v. 29. Hoc textu innuitur imprimis effectus supremæ misericordiæ, quæ illa cibi sorte providit necessitati, non verò delitiis viventium; dein etiam insinuatur frugalitas antiquorum Patrum, qui pascebantur herbis & fructibus, non verò carnibus; sicque vitam feliciter protrahebant usque ad octingentos & nongentos annos. Frugalitatem antiqui sæculi veneratus est Boëtius l. 2. de Consol. Metro 5.

Antiqui vescebantur herbis ac fructibus.

Felix nimiùm prior ætas,
Contenta fidelibus arvis,
Nec inerti perdita luxu
Facili quæ sera solebat
Iejunia solvere glande.

Idipsum de Antiquis, dixit Ovid. lib. 1. Metamor.

- - - - *Fraga legebant,*
Cornaq;, & in duris hærentia mora rubetis,
Et quæ deciderant patulâ Iovis arbore glandes.

Haud aliter Seneca in Hyppolyto.

Excussa sylvis poma compescunt famem,
Et fraga parvis vulsa dumetis cibos
Faciles ministrant.

Et paulò post;

- - - - *Hoc quidem reor*
Vixisse ritu, primo quos mistos Deis
Profudit ætas.

Ita de S. Hilarione Abbate testantur Sacri Annales: *Paucas ficus & succum herbarum ad victum adhibebat.* De S. Paulo primo Eremita; *In Eremi speluncam se contulit, ubi palma ei victum & vestitum præbebat. &c.*

CAP. I. ℣. 31.

10. OMnia creationis opera tandem hoc encomio clauduntur; *Viditque Deus cuncta quæ fecerat, & erant valde bona* Gen. 1. v. 31. Hæc dicendi forma iteratis vicibus adhibita est præcedentibus versibus. Vix enim Deus lucem creavit, & *vidit Deus lucem quòd esset bona.* n. 4. vix ex aquis traxit elementum terræ, & *vidit Deus quòd esset bonum.* n. 10. vix terram ornavit floribus & fructibus; & *vidit Deus quòd esset bonum.* n. 12. Vix cœlum distinxit luminosis planetarum ac stellarum pyropis; & *vidit Deus, quòd esset bonum* n. 18. vix aquas fœcundavit piscibus & aera volucribus; & *vidit Deus, quòd esset bonum.* n. 21. &c. Unde omnes creaturæ sunt insignitæ titulo bonitatis, quia Deus, creator optimus, nullisque invidiæ morsibus subjectus, larga manu in suas creaturas dispersit bonitatem ac perfectionem. Unde S. Gregorius Nazianzenus Orat. 42. *Quoniam autem bonitati minimè satis erat sui ipsius solùm contemplatione moveri, sed bonum diffundi ac propagari oportebat, ut plura essent, quæ beneficio afficerentur. Id enim summa bonitatis erat, primùm angelos ac cælestes spiritus cogitavit &c.* S. Ambrosius lib. de Noë & Arca. *Mundum propter bonitatem suam condidit, diluvium fuit nostrorum meritis delictorum.* Et Boëtius lib. 3. de Consol. Metr. 9.

Bonitas Dei creavit mundum.

Quem non externæ pepulerunt fingere causæ
Materiæ fluitantis opus, verum insita summi
Forma boni, livore carens.

Etiam Plato agnovit, mundum fuisse bonitatis divinæ partum. *Dicamus*, inquit in Timæo ad initium, *quam ob causam ille rerum auctor generationem & hoc universum constituit Bonus erat Bonus autem nulla unquam aliquâ de re invidiâ tangitur. Ergo cùm livor ab eo alienissimus esset, omnia sibi, quantum fieri poterant, simillima fieri voluit &c.* Quemadmodum ergò Deus tanquam summum bonum ac summa pulchritudo, creaturis communicavit bonitatem ac pulchritudinem sibique similes reddere curavit; ita homo cogitet, se factum ad imaginem Dei, ut suis proximis communicet illa bona ac commoda, quibus abundat; semper memor illius effati; *Bonum est sui ipsius diffusivum.*

CAP. II. ℣. 2.

TAmetsi mundus sit compactus ex partibus plurimùm inter se dissitis; videlicet ex cœlo & terra; ex rebus materialibus & spiritualibus; ex elementis, quæ constant qualitatibus admodùm inter se oppositis; Nihilominus à Mose vocatur unicum opus *Complevitque Deus die septimo opus suum, quod fecerat.* Gen. 2. v. 2. Idque ideò, quia omnes creaturæ mutuâ quadam concordia concurrunt ad formandam perfectam harmoniam, ita, ut simul collectæ toti universo tribuant exquisitam perfectionem. 11.

Concordia Elementorū.

Verbis Mosaicis consonat Seneca Epist. 95. *Omne hoc, quod vides, quo divina atque humana conclusa sunt, unum est: membra sumus corporis magni, natura nos cognatos edidit, cùm ex iisdem gigneret* Ex hac concordia discant homines, ut, tametsi nobilitate, divitiis, & temperamentis sint diversi, uniantur bonæ communicationis vinculo quia hoc modo ad omnem felicitatem promovebuntur. Lactantius l. 5. de Just. Dei c. 8. inhærens discursibus Ciceronis, scribit; *Sicut una eademque natura mundus omnibus partibus inter se cohæret ac nititur, sic omnes homines inter se natura confusi, pravitate dissentiunt, nec se intelligunt esse consanguineos & subjectos omnes sub unam eandem jus tutelam; quod si teneretur, Deorum profectò vitâ homines viverent* In hoc argumentum S. Gregorius Nyssenus Tract. I. in Psal. non sine acumine ac spiritu ait; *Si ergò solus hic mundus musica quædam consonantia est, cujus opifex & effector Deus: parvus verò mundus homo est, simulque similitudo & imitatio quædam ejus, qui mundum concinnavit, necesse est, & quod ratio in magno illo & spatioso mundo reperit, hoc ut par est, in parvo itidem conspiciatur; pars enim totius cognata est toti.*

Concordia hominibus proposita.

CAP. II. ℣. 5.

TAmetsi ex visceribus nihili jam essent extractæ omnes creaturæ; tametsi cœlum in gyros majestatis plenos esset circumducta, & undique scintillaret luminibus; tametsi elementa supremo ordine essent distributa; tametsi terra herbis & fructibus dives ac cooperta; nihilominus *homo non erat, qui operaretur terram.* Gen. 2. v. 5. necdum enim ibi adhuc erat ille homo, qui debebat supra terram operari, eamque replere viventibus, ac herili dominio gubernare, uti c. 1. v. 28. exprimitur; *Dominamini piscibus maris, & volatilibus cœli. & universis animantibus.* 12.

Homo dominus universi.

Hoc ipsum videri possit exactè descripsisse Ovidius 1 Metamor ubi, postquam elementa, è confuso chao extracta, descripsit; subjungit:

Sanctius his animal, mentisque capacius alta
Deerat adhuc; & quod dominari in cætera posset,
Natus homo est.

CAP. II. ℣. 7.

13\. HOmo, fastuosè elatus, ac superbè insolescens, suam originem non aliunde trahit, nisi ex fœtido terræ luto. Mose teste, *Formavit Dominus Deus hominem de limo terræ.* Gen. 2. ℣. 7. Job c. 10. ℣. 8. ait; *Manus tuæ fecerunt me, & plasmaverunt me totum in circuitu*; ubi subjungit; *Memento quæso, quòd sicut lutum feceris me, & in pulverem deduces me.* Et S. Paulus 1. Cor. 15. 47. *Primus homo de terra, terrenus.*

Homo desumptus ex terra.

Nequè solùm ex sacris litteris id desumitur, sed etiam ex profanis. De Prometheo credidêre Gentiles, quòd formaverit homines ex terra. De hoc Ovidius l. 1. Metam.

Sive recens tellus, seductaque nuper ab alto
Æthere cognati retinebat semina cœli,
Quam satus Iapeto mixtam fluvialibus undis
Finxit, in effigiem dominantûm cuncta Deorum.

Ubi ultimus versus directè correspondet sacro textui Gen. 1. 26. *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram.* Et n. 27. *Creavit Deus hominem ad imaginem suam: ad imaginem quippe Dei creavit illum.* Huic veritati subscripsit M. Tullius 2. de Nat. Deorum. *Deus homines humo excitatos, celsos, & erectos constituit* Et Plutarchus Quæst. Rom. 92. *Primi enim hominum è terra nati creduntur.* Audi proinde, quisquis es, mi homo; & dum terram calcas, memento illius versûs;

Terra teris terram: te terram terra tenebit.

CAP. 2. ℣. 7.

14\. POstquam primi corporis humani massa ad ultimam dispositionem perfectè deducta, & organis à bonitate divina ex terra instructa erat: Creator *inspiravit in faciem ejus spiraculum vitæ, & factus est homo in animam viventem.* Gen. 2. ℣. 7. Huic modo loquendi consentit oraculum Sapientiæ Divinæ c. 15. *Sapientia Filiis suis vitam inspirat.* Sicque anima, per modum spiraculi ac flatûs ab omnipotentia Dei in corpus humanum fusa, energiam vitalem secum portat.

Anima creata ex spiraculo Dei.

Ex hâc veritate suam de Prometheo fabulam mutuârunt Gentiles, quando de eo dixerunt, quòd ex luto formârit corpus humanum, & Minerva, Dea sapientiæ, spirando in corpus luteum, reddiderit illud vivum. Unde Lucianus Dial. 1. *Et spirans Minerva in lutum, opus illud reddidit animatum.* Anima ergò est spiritus vitæ, qui à Deo inspiratus, continuâ respiratione præservat corpus à destructione & morte. Plato in Cratylo. *Anima cùm in corpore est, causa ipsi est, ut vivat, respirandi vim ei præbens: simul autem ut respiratio desinit, corpus interit, & homo moritur.* Denique Galenus de utilitate respirandi cap. 1. ait: *Manifestum est enim, respirationem ad nullam particularem actionem; sed ad ipsam vitam pertinere.*

CAP. 2. ℣. 7.

15\. GRandis differentia fuit inter productionem animalium, & formationem hominis. Quando enim agitur de animalibus, reperimus scriptum Gen. 1. ℣. 20. *Producant aquæ reptile animæ viventis, & volatile super terram.* & n. 24. *Producat terra animam viventem in genere suo, jumenta, & reptilia & bestias terræ.* Ubi demonstratur, quòd illorum corpus ex substantia elementorum, & anima ex potentia materiæ sit desumpta. Dum autem de homine sermo est, declaratur ipsius anima creata à Deo, ac corpori infusa, ut illud vivificet. *Formavit Deus hominem de limo terræ, & inspiravit in faciem ejus spiraculum vitæ, & factus est homo in animam viventem.* Hanc veritatem unanimi calculo prædicant omnes Sancti Patres; S. Hieronymus Apolog. ad Pammach: S. Hilarius l. 10. de Trinit. S. Ambrosius lib. de Noe & Arca. S. Cyrillus lib. 1. in Joan. c. 9. S. Bernardus serm. 27. in Cant. Meus Concanonicus Innocentius III. Comm. in Psal. 50. & centeni alii.

Anima est à Deo creata.

Ipse etiam Aristoteles l. 2. de Generat. Animal. c. 3. cognovit & docuit, animam humanam fuisse corpori extrinsecùs infusam; *Restat igitur*, inquit, *ut mens sola extrinsecùs accedat, eaque sola divina sit.* Quia verò de ista materia alibi prolixius acturi sumus, hoc nunc sufficiat.

CAP. II. ℣. 7. &c.

QUamprimùm Moses formationem hominis descripserat; Gen. 2. ℣. 7. *Formavit igitur Deus hominem de limo terræ, & inspiravit in faciem ejus spiraculum vitæ*, mox depingit jucundissimam Paradisi amœnitatem. *Plantaverat autem Dominus Deus paradisum voluptatis à principio.* Et paulò post devenit ad astutiam serpentis Gen. 3. 1. *Sed & serpens erat callidior cunctis animantibus.* 16.

Et quia Plato in suo symposio introducit aliquas fabulas, quæ concernunt non tantùm delitias quorundam hortorum, sed etiam formationem hominis, intermiscendo etiam aliquid de serpente; idcircò Origenes lib. 4. contra Celsum affirmat, narrata illa fuisse desumpta ex Historia Genesis, cùm satis notum sit, quòd libros Mosis legerit, et ex parte vel transcripserit, vel imitatus sit Plato.

Paradisus terrestris, formatio hominis, & astutia serpentis in Platone.

CAP. 2. ℣. 8. &c.

MOses non solùm repræsentat stupendam terrestris paradisi amœnitatem, dicens Gen. 2. ℣. 8. *Plantaverat autem Dominus Deus paradisum voluptatis à principio.* Sed etiam describit ejusdem arbores, veluti nobilissimas aspectu, & fructibus ditissimas. *Produxitque Dominus Deus de humo omne lignum pulchrum visu, & ad vescendum suave.* n. 9. Insuper arbor vitæ, reparans humidum radicale, miram homini perennitatem contulisset. *Lignum etiam vitæ in medio paradisi.* 17.

Arbor vitæ.

Ad hujus imitationem finxêre Gentiles campos Elysios, hortos Hesperidum, Insulas fortunatas, Ambrosiam, nectar, & herbam nepenthes, quæ deserviebant cordibus humanis, omni felicitate replendis, & ab infirmitate ac morte præservandis. Jacobus Salianus To. 1. Annal. Anno Mundi 1. n. 50. appositè in rem præsentem; *Sicut paradisum primi illi Ethnici scriptores campis Elysiis, fortunatis Insulis, amœnis viretis, in quibus jucundissimè semper, ac beatissimè viveretur, non ineptè repræsentârunt; sic & vitalem hanc arborem, ejusque poma vivifica, ambrosia, nectare, nepenthe, Deorum immortalium potione & cibo expresserunt. &c.* Idipsum animadvertit Pierius l. 3. in Genes. quæst. 5. n. 79. & P. Cornelius à Lap. in Gen. 2. ℣. 9.

CAP.

CAP. II. ꝟ. 17.

18\. GRandis fuit calamitas Adami, qui delusus pulchritudine amœni ac colorati pomi, dum, his delitiis gavisurus, avidam manum ad illud extendit, acerbo mortis ictu se oppressum vidit, commemorans illas Dei minas Gen. 2. v. 17. *In quocunq; die comederis ex eo, morte morieris.*

Pomum causa mortis.

Kennethus, Rex Scotiæ, deductus est à Fenella in quoddam cubiculum, tapetibus coopertum, versus aliquam statuam, quæ manibus tenebat fœcundum pomum; ita affabrè dispositum, ut acutissimas sagittas contra eos evibraret, qui illud tangebant. Cùm ergò Rex dexteram inadvertenter ad fructum apprehendendum extenderet, mox jaculo transfixus, miserè vitam finiit. Tales omninò sunt mundanæ voluptates, lasciviæ, crapulæ & vindictæ, quæ quidem videntur esse amœnissima poma; illos tamen, qui ea carpunt, funestis ictibus ac mortis jaculo transfigunt; sicque occidunt animam, & nonnunquàm etiam corpus.

Voluptas producit calamitates.

CAP. II. ꝟ. 23.

19\. UT felicitas Adami compleretur fœcunditate prolis, sicque se in filiis cerneret æternum ac renovatum; Deus ex ipsius costa desumpsit uxorem, è cujus aspectu Adamus in has prorupit voces; Gen. 2. v. 23. *Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea: hæc vocabitur virago, quoniam de viro sumpta est. Quamobrem relinquet homo patrem suum & matrem, & adhærebit uxori suæ & erunt duo in carne una.* Proinde sponsi ita arcto matrimonii nodo colligati ac uniti sunt, ut tenax istud vinculum usque ad extremum vitæ duret, ac duo corpora unum solum esse videantur.

Maritati sunt unum quid.

Ab hoc sensu nihil recedunt Leges sæculares, dum Matrimonium Instit. de patr. potest. §. 1. & de præsumpt. c. illud in fi. definitur; *Viri & mulieris conjunctio, individuam vitæ consuetudinem continens.* *Et verè*, inquit Balduinus, *continebat individuam vitæ consuetudinem, & arctissimam societatem propter quam etiam liberi relinquerent domum & cohabitationem parentum, habituri cum conjugibus propriis suos quasi nidulos & suavissima domicilia perpetuæ consuetudinis.* Etiam Modestinus, tametsi Ethnicus, ff. de Ritu nupt. l. 1. ait; quòd matrimonium sit *conjunctio maris & fœminæ, consortium omnis vitæ &c.* Cornelius Tacitus de Mor. Germ. ita de fœminis germanis discurrit; *Accipiunt maritum quomodò unum corpus, unamque vitam, nec ulla cogitatio ultra.*

CAP. II. ꝟ. 25.

20\. TAmetsi corpora Adami & Evæ in Paradiso nullis fuerint vestibus cooperta, nec minimam tamen inde senserunt erubescentiam, uti testatur Sacer Chronologus Gen. 2. v. 25. *Erat autem uterq; nudus, & non erubescebant.* Et certè erubescere non poterant; cùm enim in statu innocentiæ nulla sit libido, aut sensuum inordinatio, etiam nulla poterat esse erubescentia, quæ originem suam trahit à concupiscentia & naturæ corruptæ vitio, uti discurrit S. Augustinus l. 2. de Genes. ad Litt. in princip.

Homo nudus in statu innocentiæ.

Plato in Politico opinatur, homines in ætate aurea, quam antiqui fingebant, omnes fuisse nudos; hanc verò ratiocinationem probabiliter ex Genesi desumpsit Plato, uti observat P. Cornelius à Lapide in hunc locum. Ad imitationem hujus nuditatis aliqui Hæretici, vocati Adamitæ, absque ulla verecundia incedebant nudi, nec recordabantur, quòd ipsemet Adamus post peccatum incesserit vestitus miseris ac crudis pellibus. Contra hos justè invehitur S. Epiphanius lib. 2. Hæres. 52.

Homines antiquitus nudi.

CAP. III. ꝟ. 5.

INter sublimiores Dei perfectiones recensetur scientia, dum infinitæ suæ sapientiæ perspicaciâ ac quasi unico oculi obtutu discernit res quasvis præteritas, præsentes, & futuras. Damascenus; *Pervigil Dei oculus simplici intuitu præterita, præsentia, futura præsentialiter cognoscit.* Unde sicuti homines stolidi ac obtusi ingenio, potius æstimantur animalia ac jumenta, quàm homines; ita vicissim, qui multùm scit ac intelligit, æstimatur supra homines ac res verè divina. Unde Dæmon, loquens Evæ, simul Divinitatem ac scientiam junxit. *Eritis sicut Dii, scientes bonum & malum.* In hunc locum P. Cornelius à Lapide; *Dei prima perfectio, homini appetibilis & imitabilis, est scientia.* 21.

Scientia est res divina.

Quintilianus lib. 1. Instit. *Sicut aves ad volatum, equi ad cursum, ad sævitiam feræ gignuntur, ita nobis propria est mentis agitatio atq; solertia: unde origo animi cœlestis creditur.* Tullius dicebat; *Nihil est, per quod magis Diis assimilemur, quàm per ipsum scire.* Et Horatius, de Deo loquens;

Unde nihil majus generatur ipso,
Nec viget quidquam simile aut secundum;
Proximos illi tamen occupavit
Pallas honores.

CAP. III. ꝟ. 6.

PErsuasa à serpente prima mater Eva, avidam manum extendit versus arborem vetitam, fructumque accepit ac gustavit. *Et tulit de fructu illius & comedit.* Gen. 3. v. 6. S. Irenæus, & cum ipso Theodoretus, Gennadius, Isidorus, & alii, citati à Cornelio à Lapide in Cant. 2. v. 13. *sensu primo*, opinantur, pomum prohibitum seu primum illum fructum, à parentibus nostris gustatum, fuisse ficum. His consentit Rabbi Salomon in schediasmatis P. Novarini lib. 9. n. 106. *Reliquas arbores Adamo velamentum pudoris negâsse: solam ficum, in qua ceciderit, præbuisse.* 22.

Ficus fructus peccati.

Ita Athenæus lib. 3. c. 3. existimat, ficum fuisse primum fructum, qui hominibus in cibum deserviebat. *Ficus viri amici, simplicis vitæ principium extitit; quod attestari videtur locus is, qui ab Atheniensibus sacra ficus vocatur: in quo primùm ficus inventa fuit: atque fructus hic dictus est hagetoria, quia primus ad victum mansuetum inventus est.*

Ficus primus cibus hominum.

CAP. III. ꝟ. 6.

REs planè admiranda est, quod unicum pomum sit causa lethalium ac gravissimorum in mundo malorum. Nihilominus illud à serpente oblatum est Evæ, & ab Eva Adamo; sicque, postquam *tulit de fructu illius & comedit: deditque viro suo, qui comedit.* Gen. 3. v. 6. totum universum replevit miseriis. 23.

Pomum causa mortis.

Similem eventum refert Joannes Zonaras Tom. 3. Annal. loquens de Theodosio Juniore Imperatore, qui dono accepit pomum insolitæ magnitudinis, illudque donavit Eudoxiæ Imperatrici. Hæc pomum rursus dono dedit Paulino, insignis litteraturæ viro, qui illud ad Imperato-

ratorem tulit. Cùm verò Theodosius astutè ex Eudoxia quæreret, quid egisset cum pomo sibi donato, respondit Imperatrix, se illud comedisse. Theodosius uxori perfidæ exprobrans mendacium, è vita Paulinum sustulit, totamque aulam Imperialem replevit amarissima confusione.

CAP. III. ℣. 7.

Adam & Eva velantur frondibus.

24. POst commissam culpam erubuêre Adamus & Eva ob propriam nuditatem, & ut pudorem suum nonnihil mitigarent, quem denudati ac spoliati coram Deo senserant, circa latera ac infra umbilicum circumligârunt quosdam arborum ramusculos ad velandas partes inhonestas. Gen. 3. v. 7. *Cumq; cognovissent se esse nudos, consuerunt folia ficus, & fecerunt sibi periZomata.*

Ulysses, è mari egrediens totus nudus, cùm deberet in præsentia quarundam puellarum comparere, arboris ramo cooperuit partes minus honestas. De hoc Homerus Odyss. 6. *Ex densa sylva ramum fregit.* Ita etiam populi Brasiliæ, Floridæ, Cafri, ac Indiarum, incedentes nudi, ad extremum ventris tenent aliquot cingula, contexta vel ex plumis volucrum, vel ex squammis piscium, vel ex capillis animalium &c. tanquam instrumenta modestiæ & pudicitiæ.

CAP. III. ℣. 8.

Adamus timet gressus Dei.

25. ADamus post commissam culpam ultra modum terrefactus est, quando audivit quemdam ambulantis Dei strepitum. Gen. 3. v. 8. *Cùm audissent vocem Domini Dei ambulantis in paradiso*; id est, fragorem foliorum sub pedibus divini Monarchæ. *Nam quasi ad vestigia Dei venientis à longè, & per arbores gradientis, arbores concutiebantur*; inquit Cornelius à Lapide, & S. Leontius apud Photium Cod. 272. ipsius Adami ore. *Vocem tuam audivi ambulantis, & abscondi me: & cur timerem satis erat vel pedum tuorum strepitus: tanti enim Judi.is omnia clamant membra.* Quòd si verò tantoperè terrere potuit Adamum solus offensi Dei gressus; quid non poterit aspectus, vox, & majestas ipsius, in extremo judicio contra reprobos horrendè fulminantis ac irati?

Ovidius l. 5. Metamor. introducit quemdam virum exterritum ab audito ambulantium quorundam strepitu.

— — Vidi procedere longam
Ante pedes umbram, nisi timor illa videbat,
Sed certè sonitúq; pedum terrebar.

CAP. III. ℣. 8.

Adamus reus se abscondit.

26. ADamus propriâ nuditate confusus, cum non auderet coram tantâ Dei majestate comparere, abscondit se sub densis frondibus, ac implicatis ramis cujusdam sylvæ. Gen. 3. v. 8. *Abscondit se Adam & uxor ejus à facie Dei in medio ligni paradisi*; *puta inter arbores densissimas paradisi*: uti interpretatur Cornelius à Lapide.

Ulysses ex verecundia se abscondit.

Ulysses post ferissimam maris tempestatem, tabulæ cujusdam beneficio, quam pietas Leucothoes subministraverat, se reduxit salvum ad portum Phæacum. Cùm vero ob nuditatem suam erubesceret, abscondit se in sylva sub arborum frondibus. *Huius miserta Leucothoë tabulam subjecit, cui innixus Ulysses in portum Phæacum adnatavit, nudusque inter frondes arborum se occultavit.* Ita Natalis Comes in sua Mythologia lib. 9. cap. 1.

CAP. III. ℣. 9.

Deus citat reum antequam illum damnet.

27. ADamus divini præcepti transgressor, debebat ab æterna Justitia puniri. Priusquam verò condemnaretur, Deus illum constituit, & ad tribunal suum citavit. *Vocavitque Dominus Deus Adam, & dixit ei, ubi es?* Id ipsum executus est cum homicida Caino, Gen. 4. v. 9. *Ubi est Abel frater tuus?* Et cum malo ministro Evangelico; *Quid hoc audio de te? redde rationem villicationis tuæ* Luc. 16. v. 2. Imò ad illud ipsum Dei tribunal, priusquam ferretur sententia, fuerunt vocati non tantùm Eva Gen. 3. v. 13. sed etiam serpens. n. 14. divinæ enim, humanæque leges reclamant, ut nullus absens judicetur; prout Zephirinus in c. Absens. 3. q. 9. & in hunc locum Felix c. 11. ait; *Absente adversario non audiatur accusator, nec sententia, absente alterâ parte, à Judice dicta, ullam obtineat firmitatem.*

Reus non debet condemnari inauditus.

Marcianus Jurisconsultus ff. de requir. Reis, l. 1. *Divi Severi & Antonini Magni rescriptum est, ne quis absens puniatur, & hoc jure utimur, ne absentes damnentur; neque enim inauditâ causâ quemquam damnari æquitatis ratio patitur.* l. Absentem. ff. de Pœn. l. Absentem. C. de Accusat. & Patrim. Unde Cicero justè invehitur contra Verrem Act. 4. quòd multos condemnaverit absentes & innocuos. Id quod etiam observari debet in causis civilibus. Unde Paulus l. de unoquoque. ff. de Re Judic. ait; *De unoquoq; negotio præsentibus omnibus, quos causa contingit, judicare oportet. Aliter enim judicatum tantùm inter præsentes tenet &c.*

Absentes damnari non debent.

CAP. III. ℣. 12.

28. ADamus, de uxore sua loquens, eam nec servam, nec subditam, sed sociam vocat. *Mulier, quam dedisti sociam.* Gen. 3. v. 12. Ad hoc propositum Innocentius III. de Sponsal. c. 2. dixit; *Jugales instar eorum esse, qui societatem interpositione fidei contrahunt.*

Muliér est socia mariti.

Plautus in Sticho scena 2. ait, mulierem esse mariti sui sociam; simulque fœminam Pinaciam in hæc verba differentem introducit.

— — Pudicitia est Pater
Eos magnificare, qui nos socias sumpserunt sibi.

Matrimonium est consortium.

Modestinus ff. de Ritu nupt. l. 1. ait: *Matrimonium est consortium omnis vitæ, diviniq; & humani juris communicatio.* Unde conjugati vocantur *consortes*, quod societatem inseparabilem tam in prosperis, quàm in adversis indicat. l. si dotem. §. si maritus ff. sol. matr. Ita etiam Lex C. de Crim. expil. hæred. l. 4. ait, quòd uxor *socia rei humanæ atq; divinæ domûs suscipitur.* Unde Theagena, uxor Agatodis Regis Siciliæ; cùm mors Agatodis immineret, & de ea in Ægyptum remittenda ageretur, respondit; *se non prospere tantùm, sed omnis fortunæ inisse societatem*; uti refert Justinus Historicus lib. 23. Videatur Aristoteles l. 8. Ethic. c. 10. & 1. Polit. c. 1.

CAP. III. ℣. 13.

29. IN transgressione primorum Parentum Adami & Evæ, non solùm ipsi receperunt commissæ culpæ supplicium; sed cùm etiam serpens convinceretur, quòd eos malo suo consilio ad peccatum deduxerit; *Serpens decepit me, & comedi.* Gen.

Punitur & qui peccat, & qui consulit.

Gen. 3. ℣. 13. pari modo etiam contra ipsum pronuntiata est pœna. Et ait Dominus ad serpentem; *quia fecisti hoc, maledictus es inter omnia animantia.* &c. n. 14. Ad hoc propositum acutè Lælius Mancinus lib. 1. Collat. cap. 12. n. 1. *Damnantur rei criminis, sed primus fertur draco consiliarius.*

Etiam leges decernunt, quòd supplicio subjectus esse debeat, qui instigator ad culpam fuit. Lex Julia, scripta contra adulteros, comprehendit tam illos, qui adulterium committunt, quàm qui illud persuadent. Ulpianus ff. de Adult. l. 12. *Hac verba legis*, inquit, *ne quis posthac stuprum vel adulterium facito sciens, dolo malo, & ad eum, qui suasit, & ad eum, qui stuprum vel adulterium intulit, pertinent.* Ita qui malum accusatorem instigat, cum illo puniri debet. l. 1 §. Incidit. ff. ad S C. Turpil. Et qui provocat alios ad inferendam qualemcumque injuriam, subjacet pœnis injuriæ. l. non solùm. §. si mandat. V. Attilicinus. ff. de Injur.

CAP. III. ℣. 16.

30. DEfinitiva est illa sententia Geneseos c. 3. n. 16. quòd mulier potestati viri subjecta esse debeat. *Sub viri potestate eris, & ipse dominabitur tui.* Adeoque socia viri in portandis familiæ oneribus, subdita ipsius esse debet in accipiendis mandatis, eique subjecta vivere. *Adeò hoc verum est*, inquit Rupertus Abbas, *ut secundùm leges Romanas, gentiles licet, non licuerit uxori condere testamentum sine viri authoritate; & quia sub viri erat manu, capite diminuta ducebatur.*

Uxor subdita marito.

Inter leges ac consuetudines Pictaviæ etiam hæc est; *Continuò quum vir & fœmina, sive nobiles, sive ignobiles, matrimonium simul inierunt in Pictavia, ex more illius gentis uxor est in potestate mariti.* Euripides in Danae apud Stobeum serm 71. & 75.

Mulier enim egressa paternam domum
Non ampliùs parentum est, sed mariti.

Quintilianus Declamat. 259. *Virgo pertinet ad patrem: tamen nupta pertinet ad maritum.* Aristot. l. 1. Polit. c. 8. *Vir quidem uxori præest, & filiis, tanquam liberis quidem ambobus, sed non eodem imperii modo: sed uxori quidem civiliter: filios autem regit: masculus enim, quam fœmina, principalior est.* Et Socrates apud Stobæum serm. 72. *Viros quidem oportet civitatis legibus obedire, uxores virorum moribus.* Unde Andreas Tiraquellus suas leges connubiales ab hac auspicatur; *Viri uxoribus imperanto; uxores viris obediunto.*

CAP. III. ℣. 17.

31. VEhementer fallitur, quisquis vitam suam inter commoda & delitias feliciter transfigere prætendit. Quicumque est filius Adami, condemnatus est ad labores & adversitates primi parentis, cui dictum fuit; Gen. 3. ℣. 17. *In laboribus comedes ex ea cunctis diebus vitæ tuæ.* Et v. 19. *In sudore vultus tui vesceris pane tuo.* Etiam Job protestatur c. 5. ℣. 7. *Homo nascitur ad laborem.* Et Ecclesiasticus c. 40. 1. *Jugum grave super filios Adam, à die exitûs de ventre matris eorum, usque in diem sepulturæ.*

Homo natus ad laborem.

Epicarmus, citatus à Xenophonte, hos ipsos conceptus exprimit.

Laboribus vendidit nobis omnia bona
Deus.

Virgilius 1. Georg. v. 21. loquens de Jove.

- - - - Pater ipse colendi
Haud facilem esse viam voluit; primusque per artem
Movit agros, curis acuens mortalia corda,
Nec torpere gravi passus sua regna veterno.

Et Horatius serm. 1.

- - - - Nil sine magno
Vita labore dedit mortalibus.

CAP. III. ℣. 19.

SI è terra originem traxerunt principia nostræ mortalitatis, in terram etiam tandem resolvi debent. Et tu, quisquis es laborabis continuo in hoc mundo; *donec revertaris in terram, de qua sumptus es.* Gen. 3. ℣. 19. *Memento quæso*, inquiebat Jobus, Deo loquens c. 10. v. 9. *quòd sicut lutum feceris me, & in pulverem reduces me.* David Psal. 103 ℣ 29. *Auferes spiritum eorum & deficient, & in pulverem suum revertentur.* Et Psal. 145. ℣. 4. *Exibit spiritus ejus, &* (corpus) *revertetur in terram suam.* 32.

Homo in terram revertitur.

Propertius lib. 2. de certo quodam defuncto cecinit;

- - Qui nunc jacet arida pulvis.

Quidam Galliæ Rex voluit suam tumbam hoc Epitaphio insigniri.

Risi, ploro. fui, non sum. Studui, requiesco.
Lusi, non ludo. cecini, nunc mutio. Pavi.
Corpus, alo vermes. Vigilavi, dormio. Dixi.
Salve, dico vale. Rapui, rapior. Superavi,
Vincor. Certavi, pace utor. Iure ego vixi,
Iure igitur morior. Non obsto, obstare nequirem.
Terra fui quondam; rursus sum terra. Nihil sum.
Terra caduca vale, vermes salvete, recumbo.

CAP. III. ℣. 19. &c.

QUamprimùm sententia miseriæ ac mortis contra protoparentem pronunciata fuit Gen. 3. ℣. 19. *In sudore vultûs tui vesceris pane tuo, donec revertaris in terram, de qua sumptus es. Quia pulvis es, & in pulverem reverteris.* Statim tam ille, quàm ipsius uxor à Deo provisi ac vestiti sunt crudis pellibus. *Fecit quoquè Dominus Deus Adæ & uxori ejus tunicas pelliceas, & induit eos.* num. 21. Et certè optimè convenerunt animalium mortuorum pelles cum primis nostris parentibus, ut ex eorum aspectu semper recordarentur propriæ caducitatis & mortalitatis. Origenes Hom. 6. in Levit. *Talibus oportebat indui peccatorem, quæ essent mortalitatis, quam pro peccato acceperat, & fragilitatis ejus, quæ ex carnis corruptione veniebat, judicium.* 33.

Homo recordetur se esse mortalem.

Alexander ab Alexandro Dierum Genialium lib. 3. c. 7. differens de variis moribus ac ritibus funebribus, ait; *Pellibus quoque vestiri Romanos, diebus luctûs.*

Pelles sunt vestes funebres.

CAP. III. n. 21.

PRima vestimenta, quæ mundus viderat, fuere pelles, à misericordia divina oblatæ Adamo & Evæ, ut tegerent suam nuditatem. Gen. 3. ℣. 21. *Fecit quoque Dominus Deus Adæ & uxori ejus tunicas pelliceas, & induit eos.* Simili modo vestitus comparuit Præcursor Baptista, de quo 34.

Pelles habitus antiquus.

S. Marcus 1. 6. *Et erat Joannes vestitus pilis cameli, & Zona pellicea circa lumbos ejus*; & prior illo Elias, dictus *vir pilosus: id est, vestitus* pellibus, *& zona pellicea accinctus renibus*. 4. Reg. 1. ℣. 8.

Antiqui Senatores Romani, si Propertio fides est, vestiebantur pellibus, & idcircò etiam cognominabantur Pelliti:

Curia prætexto, quæ nunc nitet alta Senatu,
Pellitos habuit rustica corda Patres.

Lucretius opinabatur, homines in prima ætate vixisse nudos; ubi tamen haud dubiè fallitur, cum longo tempore vestiti fuerint pellibus.

Necdum res igni sciebant tractare, neque uti
Pellibus, & spoliis corpus vestire ferarum.

Alexander ab Alexandro Dierum Genialium l. 5. c. 18. *Indi alii nudi agunt, nonnulli piscium, ferarum, aut avium pellibus amicti sunt. Mauri leonum, pardorum, & ursorum tergoribus, alii serpentum & piscium coriis velantur. Scythæ magna pars tergore vulpium & murium operti incedunt.* Verum de hâc eruditione rursùs agemus c. 1. in Marcum. n. 6.

CAP. III. n. 22.

35. Adamus illusus à Deo.

POstquàm Adamus ex transgressione divini præcepti lapsus est, & loco desiderii, ut fieret Deus, esset condemnatus ad pœnam & castigatus; Deus ironicè loquens, ita ei illusit. *Ecce Adam quasi unus ex nobis factus est, sciens bonum & malum. Unus ex nobis*, seu ut interpretatur S. Augustinus l. 2. de Genesi contra Manich. c. 22. *quasi & ipse Deus, quod pertinet ad insultationem.* Et Rupertus Abbas. *Adam quasi unus ex nobis factus est, ut jam non simus nos trinitas, sed quaternitas: quamquam non cùm Deo Deus, sed contra Deum affectaverit esse Deus.*

Simili illusione ac sarcasmo Hesiodus lib. 1. introducit Jovem ad irrisionem Promethei, qui reus erat subtracti è cœlo ignis.

Huic animo infensus, qui nubila colligit, inquit;
Proles Iapheti, multo technisque dolisque
Inter mortales unus doctissimus omnes,
Imposuisse mihi gaudes, ignemque tulisse,
Nempe ingens, atroxque malum & tibi, postque futuris
Queis ego pro rapto igne malum dabo, quo simul omnes
Gaudebunt, propriumq; malum fuisse libebit.
Sic fatus, risitque Parens hominumque Deûmque.

CAP. III. ℣. 23.

36. ADamus in delicti sui pœnam habuit exilium è paradiso. Quia *emisit eum Dominus Deus de paradiso voluptatis &c. Ejecitque Adam, & collocavit ante Paradisum &c.* Observatque S. Chrysostomus, quòd præcisè ideò fuerit condemnatus ad habitandum in vicinia Paradisi, ut ex aspectu delitiarum, quas perdidit, repleretur continuâ mortificatione, amaritudine, & dolore. *Ejecitque Dominus Deus Adam*, inquit Chrysostomus Hom. 18. in Gen. *& habitare fecit eum è regione horti delitiarum.* & subjungit; *Contra paradisum illum habitare faciebat, ut jugem dolorem haberet, quotidie cogitans, unde exciderit.*

Bona amissa torquent.

Quando C. Verres volebat occidere P. Gavium morte ac supplicio crucis, ordinavit, ut sententia capitalis daretur executioni in tali loco ac situ, ubi miser Gavius, qui se jactabat civem Romanum, conspicere poterat Italiam; sicque ex aspectu charæ patriæ subjaceret amaritudini novi & acutissimi tormenti. Tullius in verrem Orat. ultim. ante perorationem. *Italia conspectus ad eam rem ab isto delectus est, ut ille in dolore, cruciatuque moriens: perangusto freto divisa servitutis jura cognosceret.* Et paulò post adducit expressam sententiam Verris. *Spectet patriam: in conspectu legum, libertatisque moriatur.*

CAP. IV. ℣. 1.

PLurimæ considerationis digna sunt verba Evæ, quando sibi ipsi gratulabatur partum alicujus filii, quia existimabat, se in nato illo infante acquisivisse, & à Deo obtinuisse integram, alicujus fundi hæreditatem. Gen. 4. ℣. 1. *Possedi hominem per Deum*, in quem locum Oleaster. *Tanti Eva æstimavit hunc filium, ac si Dominus illi magnam dedisset possessionem. &c.* 37.

Filii sunt hæreditates.

Si itaque filii sunt hæreditates ac fundi, debent habere optimum magistrum, qui eos colat, eradicando ex ipsorum cordibus vitiosas radices, spargendo in eorum animis semina virtutum ac moralium doctrinarum, & circumdando illos sepe timoris Dei. Id quod tetigit Plutarchus de liber: educ: *Sicut in agrorum cultura bonam esse inprimis tellurem oportet, tum serendi per peritum agricolam, deinde bona semina. Eodem modo telluri filium, agricolæ præceptorem, seminibus studiorum institutiones ac præcepta conferes.* Huic metaphoræ insistens S. Chrysostomus Hom. 9. in Epist: 1. ad Timoth: reprehendit illos parentes, qui oculatissimi sunt in colendis fundis ac agris; toti verò negligentes & incurii in educatione liberorum. *Ut fundus sit optimus, cuncti molimur; eumque fideli viro magno cum studio tradimus: & agasonem, atque mulionem, procuratoremque, qui nobis magnâ benevolentiâ afficiatur, inquirimus: Cæterùm quod nobis charissimum omnium est, omninò negligimus, neque curamus, quo pacto filium nostrum fideli cuipiam viro permittamus, qui ipsius tueri ac servare pudicitiam possit Igitur nobis possessionum cura est potior, quàm eorum, quorum illa gratiâ comparantur?*

CAP. IV. ℣. 4.

TAmetsi duo fratres, Cainus & Abel, extrinsecus demonstrarent expressos pietatis & religionis sensus; cùm afferrent victimas ac oblationes ad honorem Dei supra altare; nihilominus Deo placuit solum sacrificium Abelis, abominando oblationes Caini. *Respexit Dominus ad Abel & ad munera ejus: Ad Cain autem, & ad munera illius non respexit.* Idque totum ideò, quia Deus magis habet complacentiam in puritate, sanctitate, & innocentia offerentis, quàm in quantitate munerum oblatorum. In hoc argumentum S. Cyprianus Tract. de Orat. Dom. *Non Caini & Abelis munera Deus, sed corda intuebatur, ut ille placeret in munere, qui placebat in corde. Abel pacificus & justus, dum Deo sacrificat innocenter, docuit & cæteros, quando ad altare munus offerant, sic venire cum Dei timore, cum simplici corde, cum lege justitiæ, cum concordia pace. &c.* 36.

Deus aspicit cor.

Cùm duo fratres, Julianus & Gallus, nepotes Constantii Imperatoris, accingerentur ad construendum templum, supra sepulchrum S. Martyris Mamantis; & inter se dividerent operam; pars fabricata à Gallo, principe reverà pio ac fideli felicissimis incrementis surgebat; altera

verò

Fabrica Juliani ruinosa.

verò extructa à Iuliano, impio & scelerato apostata, habente spurcam, contaminatamque animam, nullum unquam progressum habuit, cùm continuis terræ motibus concuteretur ac sterneretur. Sicque dum Deus complacebat in ædificio principis boni, abominabatur structuram vitiosi & indigni. S. Gregorius Nanzianzenus oratione 1. in Julianum.

CAP. IV. n. 5.

39. EXpressum Dei, malè cum Caino contenti, judicium fuit, quòd nec aspectu ipsum sit dignatus. *Ad Cain & munera ejus non respexit.* Gen. 4. ℣. 5. cùm notorium sit, quod recusemus in iis defigere oculos, qui cordi nostro sunt abominabiles & odiosi.

Oculi aversi ab iis, quos odimus.

Virgilius 1. Æneid: ut demonstraret, quòd Dea Pallas malè affecta esset Trojanis, ait, tametsi matronæ ei obtulissent munera, illam tamen nec unico aspectu ea dignatā esse. & versu 483.

Interea ad templum non æquæ Palladis ibant
Crinibus Iliades passis, peplumquo ferebant
Suppliciter tristes, & tunsæ pectora palmis.
Diva solo fixos oculos aversa tenebat.

Vbi P. Ludovicus la Cerda. *Est hic aversa, renuens, aspernans, indignansque ad preces fœminarum*; *cujus rei nota sunt oculi, quos enim nolumus intueri, in illos malè animati sumus.*

CAP. IV. ℣. 7.

40. QUemadmodum operatio virtuosa & meritoria solet comitari internam satisfactionem ac pacem; ita sinderesis, tortura, & afflictio, veluti implacabiles furiæ, mox infestant ac torquent delinquentem. Unde coram Caino protestatus est Deus; Gen. 4. ℣. 7. *Nonne si bene egeris, recipies? si autem malè, statim in foribus peccatum, id est, peccati supplicium, aderit?*

Vitiosi à conscientia torquentur.

Plutarchus de sera Numinis vindicta ait; *Quid impedit dicere eos, qui ad mortem in carcere inclusi tenentur, puniri, antequam cervices præcidantur? Nam ut primùm quis improbè egit, jam obstrictus pœnâ tenetur, fune super caput pendente. &c.*

CAP. IV. ℣. 7.

41. PEccati socius inseparabilis est dolor; & vix spargitur venænatum semen culpæ, mox resultat fructus acerbissimus pœnæ. *Sin autem malè,* inquit Deus ad Cainum Gen. 4. ℣. 7. *statim in foribus peccatum aderit*; seu ut ex autographo traducit Oleaster, *Peccatum tuum ad fores, ut canis accubabit.* Instar rabiosi molossi peccatum, vix in anima receptum, accingitur suis remorsibus ad eam lacerandam & dilaniandam. *Invidi, avari, & raptores*, inquiebat S. Joannes Chrysostomus, *bellum undequaque circumferentes & intus sedentes inimicos habentes, quocúmque recesserint, pugnam non possunt effugere.* De mala conscientia dicebat S. Bernardus l. de conscientia. *Ipsa est testis, ipsa judex, ipsa tortor, ipsa carcer, ipsa accusat, ipsa judicat, ipsa condemnat.* Apprimè Poëta;

Peccatum remordet & lacerat.

Conscientia remordet.

Noxa caput sequitur.

Horat: 3. Carm. ode 5.

Rarò antecedentem scelestum
Deseruit pede pœna claudo.

Pœna est reverà atrox,

Nocte dieque suum gestare in pectore testem.
Occultum quatiente animum tortore flagello.

Cornelius Tacitus lib. 6. Annal. de Tiborio, principe scelerato, testatur. *Non fortuna, non solitudines protegebant, quin tormenta pectoris, suasque ipse pœnas fateretur.* De Nerone, postquam occiderat matrem, ait Suetonius, *Neque tamen sceleris conscientiam, quamquam & militum, & senatus, populique gratulationibus confirmaretur, aut statim aut unquam postea ferre potuit, sæpè confessus, exagitari se materna specie, verberibus furiarum ac tædis ardentibus.*

Tiberius & Nero torquentur a mala conscientia.

CAP. IV. ℣. 7.

APpetitus vitiosus & importunitas concupiscentiæ possunt quidem humanam mentem sollicitare, ut ipsis peccaminosum consensum præbeant. Attamen liberum nostrum arbitrium habet in sua optione, ut spontaneè vel consentiat vel resistat. Voluntas enim humana tenet herile dominium non tantùm supra commotiones & actiones externas, sed etiam supra appetitum & passiones internas. Id quod testatur Deus Gen. 4. ℣. 7. *Sub te erit appetitus tuus, & tu dominaberis illius.* Unde etiam fervor libidinis, & impulsus iracundiæ ab animi nostri fortitudine & voluntatis resistentia domantur ac reprimuntur. *Magna vis est voluntatis*, inquit S. Chrysostomus serm. de Zachæo, *quæ nos efficit posse quod volumus, & non posse quod nolumus.* 42.

Voluntas humana vincit passiones.

Magnus ille Ethices Magister Seneca l. 2. de Ira. c. 12. ait; *Nihil est tam difficile & arduum, quod non mens humana vincat, & in familiaritatem perducat assidua meditatio: nullique sunt tam feri & sui juris affectus, ut non disciplinâ perdomentur: quodcumque sibi imperavit animus, obtinuit; quidam, ne unquam riderent, consecuti sunt: vino quidam, alii venere, quidam omni humore interdixêre corporibus.* Xenocrati non deerat fomes concupiscentiæ; & tamen, cùm haberet vicinam fœminæ impudicæ & importunæ picem, intactum conservavit pudicitiæ suæ candorem. Socrates naturâ suâ inclinabat ad steriles amores, & tamen animi sui virtute superavit abominandas illas suggestiones. S. Ignatius Loyola, temperamento suo facilis ad iram, tantâ diligentiâ illam refrænavit, ut in operando videretur ipsa mansuetudo.

CAP. IV. ℣. 7.

ANima humana suum dominium ac principatum exercet, dum recalcitrantes passiones subjicit rationi, reprimendo vitiosos appetitus, & adstringendo suos affectus, ut solummodò rebus honestis ac virtuosis sese applicent. Hoc innuitur Gen. 4. ℣. 7. *Sub te erit appetitus tuus, & tu dominaberis illius.* Seu ut septuaginta vertunt; *Tu principatum habebis ipsius.* 43.

Dominium verum est dominari passioni.

Proinde vera dominii majestas demonstratur, si dominemur nobis ipsis, & immoderatos appetitûs nostri impetus refrænemus. Unde Plinius ad Trajanum; *Ut felicitatis est, quantùm velis, posse; sic magnitudinis, velle, quantum possis.* Seneca l. 3. de Benef. c. 37. *Hoc est regnum, nolle regnare, cùm possis.* Et Julianus Imperator lib. de Regno dicebat; *Bonos reges non uti potentia suâ ad quævis.* Et rursus; *Non tantùm egere consilio, sed moderatione quoque in exequendis iis, quæ sunt constituta.*

CAP. IV. ℣. 8. &c.

PRimus sanguinarius traditor & fratricida, quem mundus vidit, erat Cainus. Hic enim execrabili 44.

furiâ contra justum & innocentem Abelem concitatus, eum vita privavit. Gen. 4. ỳ. 8. *Consurrexit Cain adversùs fratrem suum Abel, & interfecit eum.* Jacob etiam lethali odio infestatus à fratre suo Esau, qui illum occidere decrevit. *Venient dies luctus patris mei, & occidam Jacob fratrem meum.* Gen 27. ỳ. 41. In mortem casti Josephi conspirarunt invidi ipsius fratres, sese mutuò irritantes. *Venite occidamus eum. &c.* Gen. 37. ỳ. 20. Abimelechus commisit sanguineam stragem septuaginta fratrum, quos omnes in propria & paterna domo interfecit. Jud 9 ỳ. 5. Absalon è vita sustulit Amonem fratrem suum. 2. Reg. 13. Joramus Rex Judeæ, sex fratres nefariè occidit. 2. Paral. 21. ỳ. 4. &c.

Odia fraterna.

Odiis fraternis plena sunt profana volumina. Talia fuêre inter Atreum & Thiesten, Etheoclen & Polinicen, uti refert Statius in Thebaide. Item inter Amulium & Numitorem apud Livium lib. 1. Romulum & Remum uti inter alios cecinit Lucanus Pharsal. 1.

Fraterno primi maduerunt sanguine muri.

Denique Joannes Ravisius primo Tomo suæ officinæ format ac colligit integrum caput de fratricidis, quò Lectorem meum remitto.

CAP. IIII. ỳ. 8. &c.

45. POstquàm Cainus sceleratam manum extendit contra Abelem, eúmque occidit; fratris interfecti sanguis, in conspectu cœli stabiliter hærens, vindictam clamavit adversùs occisorem. Gen. 4. ỳ. 10. Cainus in delicti pœnam castigatus fuit exilio, suisque propriis furiis agitatus, semper timuit mortem, donec infeliciter perierit.

Cainus castigatus.

Eundem eventum spectavimus in persona Boleslai, qui, instar novi Caini, ex insidiis occidit fratrem suum Wenceslaum, Bohemiæ Regem; cujus sanguis supra parietes templi sparsus, in quo tanquam innocens victima trucidatus est, nunquam potuit à muris abstergi; quo plus enim ad eum abolendum laborabant, tantò magis apparebat recens ac purpureus; sicque in testimonium commissi homicidii videri poterat, quòd sanguis hujus novi Abelis vindictam è cœlo clamaverit. Boleslaus etiam, veluti alter Cainus, ab horridis spectris exterritus, & ab Ottone Imperatore in parricidii pœnam magno exercitu infestatus, ex infirmitate quadam ita consumebatur, ut & principatum & vitam amiserit; prout refert Æneas Sylvius in Historia Bohemica.

CAP. IIII. ỳ. 8. &c.

46. DUæ considerabiles actiones observantur in Caino; imprimis quòd crudeli ac sanguinaria manu fratrem è vita sustulerit. *Consurrexit Cain adversùs fratrem suum Abel & interfecit eum.* Gen. 4. ỳ. 8. Et quòd provida ac generosa manu ædificarit primam mundi civitatem. *Et ædificavit civitatem, vocavitque nomen ejus ex nomine filii sui Henoch.* Gen. 4. ỳ. 17.

Romulus similis Caino.

In Romulo deprehenduntur eædem operationes. Ille enim crudeliter occidit fratrem suum Remum; & etiam fundavit muros Romæ, quæ mille titulis dici potest prima civitas mundi. Hanc paritatem mihi subministravit P. Cornelius à Lapide in lib. sapientiæ, c. 10. n. 3. Sicut ergò Romulus Romæ conditor, Remum occidens fratricida fuit; sic & primus Adæ filius, & primus urbis Henoch in orbe conditor, perempto Abele, fratricida extitit.

CAP. IIII. ỳ. 22.

INter posteros Caini fuit Tubalcainus, *qui fuit malleator & faber in cuncto opere æris & ferri*; id est, non solum faber, qui cudebat ferrum, sed etiam primus, qui metallum elaborabat, purgabat, & excoquebat unde P. Pineda in c. 28. Job. n. 2. ait; *Pro omnibus metallis illud videtur observatione dignum, illorum inventionem tum eruendi, tum purgandi, & excoquendi antiquissimam esse, & qua nonnisi ad Tubalcaim referenda videatur.* 47.

Ferrum à quo inventum.

Tametsi hæc veritas sit certissima, uno tamen ore contradicitur à Gentilibus. Unde Herodotus lib. 2. Fabulog. inventionem ferri nescio cui Scythæ tribuendam ait. Et S. P. Clemens Alexandrinus lib. 1. Stromatum refert aliorum opinionem, qui dicebant; *Celmem & Dannaneum Idais dactilis ferrum primos invenisse in Cypro, alium autem Idaum ferri invenisse temperaturam. Vel (ut Hesiodus scribit) Scytham.*

CAP. IIII. ỳ. 26.

HOnori Enos, filii Seth, dignissimum encomium est formatum Gen. 4. ỳ. 26. quòd primus invocaverit nomen Dei. *Iste cœpit invocare nomen Domini.* Tametsi enim ante ipsum fuerit Deus invocatus ab Adamo, Abele, & Seth; ille tamen omni modo hanc laudem est promeritus, sive quia Deum invocavit instituendo ritus sacros & religiosas ceræmonias; sive quia suo exemplo attraxit alios ad talem invocationem; sive denique quia introduxit prima præludia vitæ monasticæ & regularis &c. 48.

Enos primus invocavit Deum & quomodò?

Similem applausum videtur Homerus Odyss. l. 1. formâsse ad honorem Ulyssis, ita de eo canens;

- - - - Semper sacra Deorum.
Ante alios fecit, cumulans altaria donis.

CAP. V. ỳ. 23.

QUando sacræ litteræ de vita Enoch agunt, attribuunt ei trecentos sexaginta quinque annos. Gen. 5. ỳ. 23. *Facti sunt omnes dies Henoch trecenti sexaginta quinque anni.* 49.

Vita longa.

Hæc ipsa annorum mensura tribuitur Nestori, de quo refert Ovidius lib. 12. Metam. quòd superatis ducentis annis, tertium vivat sæculum.

— — At si quem potuit spatiosa senectus
Spectatorem operum multorum reddere, vixi
Annos bis centum: nunc tertia vivitur ætas.

De eodem dixit Silius Italicus;

Ter denos decies emensus belliger annos.

De Sibilla Cumana cecinêre alii.

Tercentûm messes, tercentûm musta videret.

In Annalibus Brabantiæ scribitur, quòd Joannes de Temporibus; seu ut notat Paulus Æmilius *lib. 5. de Gest. Franc.* Joannes à Tampes; magnorum Natalium Eques, annis trecentis, sexaginta, & uno vixerit, de quo Joannes Guagninus lib. 6. Rerum Gallicarum ait; *Per illud ferè tempus Joannes de Temporibus morte absumptus est, quem pertinaci consensu Franci atque Germani scriptores, à Carolis Magni imperio ad hunc usque Ludovicum vixisse tradunt. Quod si à fide non abhorret, tercentûm ac sexa-*

sexaginta, & uno annis superstes in terris fuisse credendus est.

CAP. V. ℣. 24.

50. POstquam sanctus Enoch seriem trecentorum sexaginta quinque annorum vivendo absolverat, hominum oculis sublatus est, raptusque, & translatus ad Paradisum. *Ambulavitq; cum Deo, & non apparuit: quia tulit eum Deus.* Gen. 5. v. 24.

Enoch raptus.

Gentilitas etiam in his prærogativis suas non intermittit fabulas. Post mortem Romuli, sive dein à Senatu occisi, sive à fulmine percussi, cùm populus curiosè inquireret, quid cum ejus persona contigisset, inquit Plutarchus; *non permisisse Principes, de eo ut inquirerent curiosius; sed ut omnes colerent Romulum, jussisse, venerarenturq; ut ad superos raptum.* Plutarchus ipse in ejusdem Romuli vita scribit; *Aristeam in fullonis taberna vitam perhibent finiisse, corpusq; ejus, cùm Necessarii adessent ad id auferendum, ex conspectu raptum.* Ubi etiam tertiam subjungit fabulam; *Fama est, Alcmenæ quoq; corpus, cùm efferretur, ex oculis subductum.* Has tamen relationes ipsemet declarat indignas fide.

Raptus fabulosi.

CAP. VI. n. 3.

51. DEus, reflectens ad culpas & scelera hominum, resolvit eos non amplius ita diu supportare, quemadmodum fecerat à creatione mundi usq; ad Noë: sed definitivam hanc sententiam pronuntiavit; *Eruntq; dies illius centum viginti annorum* Gen. 6. v. 3. Tametsi verò SS. Hieronymus, Chrysostomus, & Augustinus illos centum viginti annos explicent pro mensura temporis, quod illius ævi hominibus sceleratis concessit Deus ad faciendam pœnitentiam de suis peccatis, ita ut illo finito, eos inevitabiliter esset destructurus diluvio, nisi egissent pœnitentiam: nihilominus Josephus Hebræus, Philo, Rupertus Abbas, & Abulensis existimant, humanæ vitæ ætatem, quæ antehàc extendebatur ad octingentos & nongentos annos, fuisse ibi limitatam ad centum & viginti annos.

Trebellius Pollio (in Claudio) refert, quòd doctissimi Mathematici tribuerint vitæ humanæ pro spatio longissimo centum & viginti annos. De hoc ipso spatio loquitur Tacitus Dialogo de Oratoribus, ubi adducit opinionem Afri; cui adstipulatur Josephus lib. 1. Antiquit. c. 7. Ita in ætate centum & quinque seu sex annorum mortuus est S. Antonius Abbas; & in ætate centum ac viginti annorum S. Simeon Episcopus & Martyr 18. Febr. Et S. Romvaldus Abbas 7. Febr. obière; uti etiam meus S. Aldobrandus 1. Maji in ætate ultra centum annos. &c.

CAP. VI. ℣. 4. &c.

52. VIx in c. 6. Geneseos. v. 4. proponuntur giganthes; homines statura sublimes & insoliti. *Giganthes autem erant super terram in diebus illis.* mox v. 5. recensentur eorum vitia, culpæ, ac scelera. *Videns autem Deus, quòd multa malitia hominum esset in terra, & cuncta cogitatio cordis intenta esset ad malum omni tempore:* Quam connexionem etiam attigit Baruch c. 3. v. 26. *Ibi fuerunt giganthes nominati illi, qui ab initio fuerunt, staturâ magnâ, scientes bellum.* Unde benè dicebat S. Cyrillus in Isa. 13. v. 3. *Mos est scriptura, giganthes vocare agrestes, & feroces, & robustos.*

Giganthes scelerati.

Similimodo Scriptores prophani observant vitia grandia & horribilia in staturis sublimibus & mensuram solitam excedentibus. Quando Ovidius repræsentat Cacum, giganthem corpore;

Giganthes vitiosi.

Dira viro facies; vires pro corpore: corpus
Grande: pater monstri Mulciber hujus erat.

Virgilius 8. Æneid subjungit, illum fuisse audacem, ferum, & prædatorem.

At furiis Caci mens effera, ne quid inausum.

De Caligula dicit Suetonius; *Statura fuit eminenti, corpore enormi*, tantæ autem crudelitatis in animo fuit, ut populo Romano optaverit unicum tantùm collum, quod unico ictu dissecare, omnesque simul occidere posset. Idem Suetonius de Vitellio scribit: *Enormi fuisse proceritate, facie rubidâ, plerumq; ex vinolentia.* unaque de illo testatur; *Cum pronus ad cujusque, & quâcumq; de causa, necem atq; supplicium esset, nobiles viros, condiscipulos & æquales suos vario genere fraudis occidit.* De Maximino Imperatore, *quem enormi corporis vastitate ac robore fuisse* affirmat Herodianus l. 7. etiam subjungit; *genere barbarum ac moribus, dedisse operam, ut imperium sibi sævitiâ constabiliret.*

CAP. VI. ℣. 7.

QUando agebatur de corrupto mundo in aquis diluvii submergendo, ut iis inundationibus lavarentur turpissimæ spurcities terrestres; disposuit tamen pietas ac misericordia Dei, ut in arca aliqui homines, & ex omnibus animalium speciebus certus numerus reservaretur, ad universum rursus replendum novis populis & animalibus. *Et ingressus* est Noë, inquit Genesis c. 7. v. 7. *& filii ejus; uxor ejus, & uxores filiorum ejus cum eo in arcam, propter aquas diluvii, de animantibus quoque mundis & immundis, & de volucribus, & ex omni, quod movetur super terram.* 54.

Noë cum arca reparat mundum.

S. Justinus Martyr Apologia 1. pro Christianis docet; quòd Gentiles desumpserint fabulam Deucalionis ex diluvio, tempore Noë facto. Et Lucianus in Dea Syria per modum fabulæ describit totum illud, quod cum omni veritate ex Genesi refertur. *Deucalion solus hominum relictus, in secundam videlicet generationem, prudentiæ simul & pietatis gratiâ. Servatus autem fuit hoc pacto: arcam quamdam magnam, quam ipse habebat, impositis in eam & liberis, & uxore suâ, conscendit: Ceterùm cùm ipse ingrederetur, venerunt eodem & apri, & equi, & leonum genera, & serpentes, aliaque quæcumque tellure pascuntur, bina ex unoquoque genere cuncta.*

CAP. VII. n. 11.

DUm Moses universale diluvium describit, duas causas proximas commemorat; videlicet aquas abyssi, quæ ex cavernis terræ in immensa copia scaturiebant, ut maria, lacus, & flumina ultra modum intumuerint, seseque ad occupandam totam terræ vastitatem effuderint, Et cataractas cœli ruptas, dum præcipiti impetu è nubibus decidebant, non minutæ pluviæ, sed ingentia flumina ac rapidi torrentes; qui prorumpebant ad submergendos ac sepeliendos supremos apices summorum montium. *Rupti sunt omnes fontes abyssi magnæ, & cataractæ cœli apertæ sunt: & facta est pluvia super terram quadraginta diebus & quadraginta noctibus*, Gen. c. 7. v. 11. De 55.

Diluvium causatum ab aquis abyssi & cœli.



his duâbus causis locutus est Philo l. 2. de Vita Mosis propè finem. *Siquidem maria tumentia, fluviiq; aucti, torrentes simul & perennes, civitates cunctas in campestribus regionibus sitas, inundârunt, subverteruntque. In editioribus autem locis habitatas, imbres continuati, non interdiu, non noctu intermissi, subruerunt funditus.*

Quòd si imprimis agamus de aquis, quæ ex subterraneis abyssis proruperunt; Ovidius 1. Metam. introducit Neptunum, qui ad eos conversus, ita loquitur;

— *Aperite domos, ac mole remotâ*
Fluminibus vestris totas immittite habenas.
*Jusserat; hi redeunt (*amnes*) ac fontibus ora relaxant,*
Et defrenato volvuntur in æquora cursu.
Ipse tridente suo terram percussit; at illa
Intremuit, motuq; vias patefecit aquarum.

Itaque

Expatiata ruunt per apertos flumina campos.

Ipse etiam Seneca l. 3. Nat. Quæst. c. 27. inter diluvii causas istam recenset; *Quod flumina tellus largius funderet, aperiretq; fontes novos.*

Si dein agamus de aquis, è cœlo per nubes præcipitatis, Ovidius 1. Metam. canit;

Pœna placet diversa; genus mortale sub undis
Perdere, & ex omni nimbos dimittere cœlo.
Fit fragor, & densi volvuntur ab æthere nimbi.
Sternuntur segetes, & deplorata colonis
Vota jacent.

Ab hoc proposito non recedunt sensa Virgilii 1. Georg. V. 322.

Immensum cœlo venit agmen aquarum,
Et fœdam glomerant tempestatem imbribus atris.
Collecta ex alto nubes; ruit arduus æther;
Et pluvia ingenti sata læta, boumq; labores
Diluit, implentur fossæ, & cava flumina crescunt
Cum sonitu, fervetq; fretis spirantibus æquor.

Videatur Seneca l. 3. Nat. Quæst. c. 28. qui cadentibus pluviis jungit incrementum maris, superbè intumescentis ac dominabundi.

CAP. VII. ℣. 19.

56. INgruente diluvio, sese dediderunt omnes mundi provinciæ. In tanta copia inundârunt aquæ, ut non solùm vastæ planities & superbæ civitates, sed ipsa etiam suprema montium fastigia absorberentur ac submergerentur. *Aquæ prævaluerunt nimis super terram, opertique sunt omnes montes excelsi sub universo cælo.* Gen. 7. v. 19. Ovid. 1. Metam.

Aquæ diluvii supra montes.

Si qua domus mansit, potuitque resistere tanto
Indejecta malo, culmen tamen altior hujus
Unda tegit, pressæque latent sub gurgite turres.
Jamq; mare, & tellus nullum discrimen habebant,
Omnia pontus erant, & deerant littora ponto.

CAP. VIII. ℣. 8.

POstquam sub finem diluvii corvus extra arcam dimissus est, ut videretur, an diminutæ essent aquæ; ille non amplius redivit. Unde ad hoc officium destinata est columba, quæ ad arcam reversa, demonstravit, aquas adhuc ex omni latere fluctuare. Quando autem alterâ vice non est reversa, evidens indicium dedit, aqueos illos terrores esse finitos. *Emisit quoq; columbam - ut videret, si jam cessassent aquæ super faciem terræ.* Gen. 8. v. 8. *Quæ cùm non invenisset ubi requiesceret pes ejus, reversa est ad eum in arcam.* n. 9. & n. 12. *Expectavitq; septem alios dies: & emisit columbam, quæ non est reversa ultra ad eum. - & aperiens noctu tectum arcæ, aspexit, viditque, quod exiccata esset superficies terræ.* 57.

Columba aperit statum aquæ.

Dum Plutarchus lib. de solertia animalium circa medium scribit; *Sane, qui fabulas narrant, ii columbam ajunt ex arca emissam, Deucalioni certum indicium detulisse tempestatis, cùm rursus ingrederetur; serenitatis, cum avolâsset.* Certò concludi debet, quòd Gentiles id descripserint ex Mosaicis Scripturis.

CAP. VIII. ℣. 20.

POst superata diluvia, deportatus est Noë ab arca, veluti à curru triumphali; & tandem pedem suum fixit supra terram: ubi ante omnia alia ædificavit altare, & oblatis certis animalium victimis ad honorem Dei, versùs cœlum evapo rare fecit jucundissimi odoris fragrantiam. *Ædificavit autem Noë altare Domino, & tollens de cunctis pecoribus & volucribus mundis, obtulit holocausta super altare. Odoratusq; est Dominus odorem suavitatis.* Gen. c. 8. v. 20. &c. 58.

Noe primò ædificat altare.

Quod de Noë affirmant sacræ Scripturæ, de Baccho canunt Poëtæ; inter quos Ovidius 3. Fast. cum expressâ allusione ad sacrificium Noë, uti observat Goropius Becanus lib. 4. Gallicorum.

Ante duos ortus aræ sine honore fuerunt,
Liber, & in gelidis herba reperta focis.
Te memorant Gange, totoq; oriente subacto,
Primitias magno seposuisse Jovi.
Cinnama tu primus, captivaq; thura dedisti,
Deq; triumphato viscera tosta bove.

CAP. VIII. n. 21.

QUando Noë supra altare obtulit victimas in holocaustum illius Dei, qui ipsum ab universali ruina liberavit; ait Moses, Deo supra modum placuisse illam odoris fragrantiam. *Odoratusq; est Dominus odorem suavitatis.* Ubi vult inferre, non quòd Deus, qui est totus spiritus, habeat nares ad odorandum; longè minus, quòd suffimenta ex combustis carnibus ac ossibus sint amabile objectum divinæ majestatis; sed quòd Deus holocaustum sui servi acceperit tanquam rem gratam, jucundam, & suavem, ac veluti tributum reverentiæ & gratitudinis, quod offerebat; longè verò magis pietatem, puritatem, & devotionem, quâ offerebat. Unde Theodoretus; *Excepit ipsius Noë promptitudinem animi, non quidem hoc nidore delectatus (nihil enim pejus olet, quàm ossa exusta) sed offerentis animum laudans.* Hâc dicendi formâ etiam usus est Apostolus Ephes. 5 v. 2. prædicans, quòd Filius Dei *tradidit semetipsum pro nobis oblationem & hostiam Deo in odorem suavitatis.* 59.

Odoratus quomodò tribuatur Deo.

Hoc

Hoc modo Plato & Lucianus in suis Dialogis introducunt Deos Gentilium, quasi odorarent victimas & sacrificia, demonstrarentque complacentiam in aromatica illa fragrantia & suavitate.

CAP. IX. ℣. 3.

60. INter alias remunerationes & gratias, quas Deus filiis ac posteris Noë post diluvium concessit, fuit etiam licentia comedendi carnes. *Omne quod movetur & vivit, erit vobis in cibum.* Gen. 9. v. 3. Si proinde post diluvium acceperint facultatem comedendi carnes, sequitur, eos ante illud debuisse vesci solis fructibus, herbis, & leguminibus. Hujus opinionis fuêre Tostatus, Lyranus, & S. Hieronymus lib. 1. contra Jovinianum. *Ante diluvium quidem nec fuit usus carnium, nec repudium uxorum, nec circumcisio, nec potus vini.*

Antiqui non comederunt carnes.

Huius sententiæ etiam fuêre Gentiles, inter quos Ovidius lib. 15. Metam. loquens de ætate & sæculo aureo, canit;

At vetus illa ætas non polluit ora cruore,
Tunc & aves tutæ, movêre per aëra pennas,
Et lepus impavidus mediis erravit in agris.

Xenocrates Philosophus affirmat, leges à Triptolemo datas Atheniensibus, continuisse solùm tria hæc capita; *Honorandos parentes; venerandos Deos; carnibus non vescendum.*

CAP. IX. ℣. 6.

61. QUando post diluvium renovatus est mundus, etiam leges renovabantur; Ex his una præcepit effusionem sanguinis, & mortem illius, qui alterius sanguinem fudisset, & mortem proximo suo attulisset. *Quicumque effuderit humanum sanguinem, fundetur sanguis illius.* Hanc legem ratam habuit Exodus 21. v. 14. *Si quis per industriam occiderit proximum suum, & per insidias: ab altari meo evelles eum, ut moriatur.* Matth. 26. v. 52. *Omnes qui acceperint gladium, gladio peribunt.* Apoc. 13. v. 10. *Qui in gladio occiderit, oportet eum gladio occidi.*

Homicidium punitur morte.

Ad hoc conformantur etiam humanæ Leges. Marcianus ff. ad L. Cornel. de fals. leg. 3. ait; Legis Corneliæ de sicariis & veneficis pœna insulæ deportatio est, & omnium bonorum ademptio, sed *solent hodie capite puniri &c.* Et Tribun. Instit. de Publ. Judic. §. 3. *Lex Cornelia de sicariis, quæ homicidas ultore ferro persequitur.* Cum his concordant Theodosius & Arcadius C. de Episcop. auth. l. 3. §. patiatur; ubi dicunt, *Patiatur tormenta veneficus, maleficus, adulter, violatorque monetæ, homicida, parricidaq; quod fecit, semper expectat.*

CAP. IX. ℣. 6.

62. DEus denuntiat mortis pœnam cuivis, qui crudeles manus commaculârit humano sanguine: idque ideò, quia hæc offensa directè tangit ipsummet Deum, cujus imago in quovis homine mirabiliter repræsentatur. *Quicumque effuderit humanum sanguinem, fundetur sanguis illius. Ad imaginem quippe Dei factus est homo.* Gen. 9. v. 6.

Homicida punitur morte.

Leges etiam Imperiales decernunt capitalem pœnam in eos, qui ausi fuerint, statuas & imagines proprii Principis offendere, ad hanc doctrinam reflectens Pererius l. 14. in Gen. Disp. 1. ad finem, ait; *Nonne publicam Regis, celebri positam loco statuam deturbans, & confringens, novissimo dignus supplicio censeretur? Et quod igitur per supplicium par esse potest eorum sceleri, qui non mutum & inanime, sed vivens atq; intelligens Dei simulachrum dissipare ac perdere non verentur?*

Pœna capitalis eorum, qui offendunt imagines Principum.

CAP. IX. ℣. 20.

NOë, finito diluvio, transiit à terroribus, ex aqua allatis, ad jucunditatem, quam vinum afferre solet. Unde terram coluit, vites plantavit, & ex uvis recepit dulcedinem vini. Gen. 9. v. 20. *Cœpitque Noë vir agricola exercere terram, & plantavit vineam. Bibensque vinum, inebriatus est. &c.* 63.

Noë plantat vineam.

Ad hoc reflectebant Gentiles, &, ut observat S. Justinus Martyr Apolog. 2. pro Christian. excogitârunt fabulam Bacchi, qui jactabatur inventor vitis & vini. *Veteres his prophetiis auditis, confinxerunt Bacchum, ex Jove natum, vites invenisse, vinum attribuendo ejus mysteriis &c.* Imò, ut scribit doctissimus Gaspar Sanctius in c. 1. Jonæ. v. 3. *Unus Noëticum fabularum argumentum præbuit: seu potius à Noë confingendarum fabularum occasiones sumpserunt scriptores Græci. Hinc accepêre Deucalionis diluvium: hinc Bacchi studium de plantanda vinea & exprimendo vino: hinc accepêre Janum bicipitem qui duo vidit secula, & propè dixerim, duos mundos* At inhærens sacro Textui, qui repræsentat Noe colentem terras, & colligentem vina, canit Tibullus lib. 1. Eleg. 1. ubi exactè in persona Osiridis, seu Bacchi exprimit omnes supradictas operationes.

Primus aratra manu solerti fecit Osiris
Et teneram ferro sollicitavit humum.
Primus inexpertæ commisit semina terræ.
Pomaq; non notis legit ab arboribus,
Hic docuit teneram palis adjungere vitem,
Hic viridem durâ cædere falce comam.
Illi jucundos primùm matura sapores
Expressa incultis uva dedit pedibus.

CAP. IX. ℣. 20.

ERat quidem Noë grandis Patriarcha, Princeps, & reparator mundi; nihilominus non dedignabatur exercere manus in tractando aratro, versandâ terrâ, & copioso sudore è fronte fundendo, ut campos ac vites irrigaret, fœcundaretque. Gen. 9. v. 20. *Cœpitque Noë vir agricola exercere terram, & plantavit vineam.* Hoc ipsum exercitium non sunt dedignati alii magnates, Sem, Japhet, Isaac, Jacob, Esau, Moses, Booz, Gedeon, & Elisæus, qui ab aratro secutus est vestigia Eliæ. Uti etiam multi summi Pontifices, fuêre filii agricolarum, quemadmodùm Sylverius, Adrianus, Sylvester &c. 64.

Principes agricolæ.

Cyrus, Persarum Rex, impendebatur agriculturæ, Antiqui illi Romani, Fabii, Lentuli, Pisones, Cicerones, Vitellii, Porcii, Servii, omnes cognomine rustici, comparârunt triumphales lauros. *Illi etiam prædivites*, inquit Valerius Maximus l. 4. c. 4. *qui ab aratro accersebantur, ut consules fierent, voluptatis causâ sterile atque æstuosissimum Pupiniæ solum versabant; delitiarumque ignari, vastissimas glebas plurimo cum sudore dissipabant.* Ita Romulus, Diocletianus, Justinus, Reges & Imperatores, complacentiam habuêre in colenda terra.

CAP. IX. ℣. 23.

POstquam Noë generosum vineæ suæ vinum biberat, inassuetus huic potui, & ipsius evaporatione oppressus, stertebat dormiens supra terram, 65.

terram, &, quia à se ipso alienus, corpus suum denudavit. Unde duo ipsius filii Sem & Japhet, pallio humeris suis imposito, retrorsum accesserunt. & paternam nuditatem cooperuerunt. *Sem & Japhet pallium imposuerunt humeris suis, & incedentes retrorsum, operuerunt verenda patris sui* Gen. 9. v. 23. Hoc modo instruimur, uti notat S. Gregorius Papa lib. 25. Moral. c. 22. quòd defectus ac imperfectiones, quæ nonnunquam in majoribus nostris comparent, debeamus discretâ sollicitudine, ac sollicita cura tegere. S. Ambrosius lib. de Noe & arca c. 31. ait; *Nudatum amictu patrem boni filii videre caverunt, ne paterna reverentia vel ipso minueretur aspectu.*

Noë coopertus à filiis.

Defectus majorum tegendi.

Zelus iste de aliorum defectibus tegendis triumphavit in animo Constantini Magni; qui laceravit ac combussit aliquot memorialia, quæ ipsi in Concilio Niceno porrigebantur, & quorundam Episcoporum ac Sacerdotum defectus continebant; subjungens, *si Episcopi alicujus stuprum videret, facinus id se suo paludamento obtecturum, ne flagitii ejus aspectus, eos qui ipsum cernerent, ullâ ex parte læderet*; uti refert Theodoretus lib. 1. Hist. S. Ambrosius loc. cit ait; *Romæ vetus fuisse usu dicitur ne filii cum parentibus, & maximè puberes, in-trarent lavacrum* idque ideò, ne perderetur reverentia, parentibus debita.

CAP. IX. ℣. 23.

66\. VInum, quod bibit Noë, ipsius caput replevit vaporibus & venas igne, sicque soporatum ac nudum in suo papilione prostravit. At duo filii Sem & Japhet, persuasi à propria modestia, & debita erga Patrem veneratione, ne partes verendas ipsius viderent, retrorsum accesserunt, & paternam nuditatem pallio cooperuerunt. *Pallium imposuerunt humeris suis & incedentes retrorsùm, operuerunt verenda patris sui, faciesq; eorum aversæ erant, & patris virilia non viderunt*, Gen. 9. v. 23.

Verenda parentum cooperta.

Cùm plurium annorum decursu ex elementorum inclementia omnes vestes Mariæ Ægyptiacæ essent laceratæ, & illa in deserto habitaret prorsùs nuda. Ut ergò posset Abbatis Zosimi, illuc adventantis, sacro colloquio cum decentia gaudere, rogavit illum, ut pallium ad cooperiendum ipsius corpus projiceret. Mox Zosimus *exuens se pallio, quo erat indutus, terga versus projecit ei* Paul. Diac. in vita &c. apud Surium 9 Apr.

CAP. IX. ℣. 25.

67\. VIx è somno expergefactus Patriarcha Noë, magisque Spiritu divino quam vino plenus, verbis suis non tantum fulminavit maledictiones, sed etiam prophetias formavit, prædicens Chananæis infamem ac depressam servitutem. Pœna hæc intimata fuit filio Chanaan: *Maledictus Chanaan, servus servorum erit fratribus suis.* Gen. 9 v. 25. id est, *servus infimus & vilissimus*, uti dicunt Sacri Interpretes.

Ista maledictio demonstrat, varias reperiri servorum species Quidam illorum participant aliquod dominium. alii verò sunt meri subditi ac mancipia Lælius Manc. l. 1 collat. c. 18. ait, apud Romanos fuisse servos ordinarios, qui in gubernatione domûs habebant locum particularem; alios autem fuisse servos inferiores, dictos vicarios, qui jurisdictioni ordinariorum servorum subjecti erant. Ad hanc differentiam alludens Horatius lib. 2. Sat. 7. canit;

Servorum varia genera.

Sive vicarius est, qui servo paret, uti mos
Vester ait, seu conservus tibi quid sum ego? nempe
Tu mihi qui imperitas alius servus miser.

Inter vicarios etiam aliqui vocabantur mediastini, qui erant omnium vilissimi. Unde Ulpianus de Injur. l. 1. §. Prætor. inquit; *Multùm interest, qualis servus sit, bonæ frugis, ordinarius, dispensator; an verò vulgaris, vel mediastinus &c.*

CAP. X. ℣. 8.

ATtenta consideratione dignus est modus, 68. quo procedit Moses, dum loquitur de Nemrod Primò describit ipsum potentem ac fortem; *Ipse cœpit esse potens in terra.* Gen. 10, 8 postea videtur in habitu venatoris, ubi totus robustus & infatigabilis currit per sylvas. *Et erat robustus venator coram Domino.* Denique sceptrum tenet in manibus, & in capite diadema, Rex formidabilis, seu ut rectius dicam, superbus tyrannus. *Fuit autem principium Regni ejus Babylon & Arach &c.* Sicque cœpit lacerare feras, & postea progressus est ad opprimendos homines; & sicut ab initio fuit venator, in fine extitit usurpator provinciarum & regnorum.

Venatio disponit ad tyrannidem.

Aristoteles recensuit latrocinium inter varias venationum species; quia à violentiis & persecutionibus erga belluas, facilis fit gressus ad easdem crudelitates erga homines. Hujus opinionis fuère Persæ, qui ultra modum exercitabantur in venationibus, cùm crederent, illas esse præludium, dispositionem, ac tyrocinium excellens, ad perpetranda grandia facta in bello. Unde Pater Cyri, ut scribit Xenophon l. 1. de Instit. Cyri, dicebat; *si quando bellum ingrueret, ut cùm necessitas tulerit, possitis hominem petere, decipere & circumvenire: non in hominibus exercemus vos, sed in bestiis, ne fortè amicis quoque incommodetis: & ut, cùm bellum inciderit, tunc aggrediendi, circumveniendi, cædendiq; hostem, audaciam pariter ac peritiam habeatis.* Plutarchus quærit, quo modo potuerint aliqui devenire ad occidendos homines? respondet, quòd imprimis occiderint animalia fera, quæ afferebant terrorem ac damnum; postea interfecerunt sylvestria ac fugitiva, tametsi nullam intulerint offensam; inde occiderunt agnos & oviculas, licet innocentes, & in propria domo natas ac educatas; donec tandem devenerint ad ipsos etiam homines occidendos Sicque vitium gradatim crescit; & principia, quæ apparent jocosa, desinunt in violentias.

Paulatim crescit vitium.

CAP. XI. ℣. 3.

QUando successores ac posteri Noë moliebantur ædificare turrim, quæ ad cœlum 69. porrigeretur; usi sunt vili ac luteo bitumine terræ. Lateres enim indurabant igni, eosq; conglutinarunt tenaci limo, & sic ædificarunt famosam illam Turrim Babylonicam. *Venite faciamus lateres, & coquamus eos igni. Habueruntq; lateres pro saxis, & bitumen pro cæmento.* Gen. 11. v. 3.

Ædificia facta ex terra.

Hunc ædificandi modum, observatum ab antiquis, innovavit Semiramis, quæ extruxit mœnia Babyloniæ ex lateribus & terra. Ovid. 4. Metam.

— — *Ubi dicitur altam*
Coctilibus muris cinxisse Semiramis urbem.

Juvenalis Sat. 10. de Alexandro, volente intrare Babyloniam, canit;

Cum tamen à figulis munitam intraverit urbem.

Justinus Historicus lib. 1. loquens de Semiramide. *Hæc Babyloniam condidit, murumq; urbis cocto latere circumdedit: arenâ, pice, bitumine interstrato, quæ materia in illis locis passim è terra exæstuat.*

CAP.

CAP. XI. ỷ. 4.

70. QUando posteri Nemrodi sese mutuò ad extruendam memorabilem fabricam animabant, dixerunt: *Venite, faciamus nobis civitatem, & turrim, cujus culmen pertingat ad cœlum* Gen. 11. v. 4. quasi dicerent; se non velle, ut ædificium illud propriè tangat cœlum, quia hoc esset vanum delirium & mera stultitia; sed, modo hyperbolico, à se intendi ac erigi aliquam turrim, insolitâ altitudine sublimem ac elevatam. Ita in Deuteronomio c. 1. n. 28. civitates Palæstinæ sunt dictæ, *urbes magnæ & ad cœlum usque munitæ.* David Psal. 106. n. 26. loquens de aquis maris, à tempestate agitatis ait; *Ascendunt usque ad cœlos, & descendunt usque ad abyssos.* Et Princeps Tyri Isa. 14. v. 13. aspirans ad grandia incrementa; *In cœlum conscendam.*

Ad cœlum pertingere est hyperbole.

Hunc loquendi modum, ut observat Martinus del Rio Tom. 1. adag. frequenter usurpârunt profani, inter quos Virgilius 4. Æneid. *Caput inter nubila condit.* Homerus;

Primum parva quidem assurgit, mox inde per arces
Firmavit caput æthereas.

Et Callimachus:

Tellurem pedibus, capite attingebat Olympum.

Denique Seneca:

Altum superbo vertice attingens polum.

CAP. XI. v. 4.

71. CUm posteri Giganthis Nemrod accingerentur ad extruendam insolitæ altitudinis turrim, ut vel subtraherentur diluviis, forsan terram iterum inundaturis; vel gloriosam famam ac clarum nomen sibi coram mundo compararent; Deus intervertit eorum voluntatem destruendo vanas machinas, eosque replendo confusione. Et sic dispersi sunt exules per varias terræ provincias. *Venite*, inquiebant, *faciamus nobis civitatem, & turrim, cujus culmen pertingat ad cœlum.* Gen. 11 v. 4. *Descendit autem Dominus & dixit: Venite, confundamus ibi linguam eorum. Atque ita divisit eos Dominus ex illo loco in universas terras.*

Fabri turris confusi.

Hæc Historia deservit Gentilibus ad comminiscendam fabulam de Giganthibus, dicebant enim, istos, ponendo montes supra montes, intendisse cœlum conscendere; postea tamen à Jove fuisse dejectos ac destructos. Ovid. Metam.

Affectâsse ferunt regnum cœleste Gigantes,
Altaque congestos struxisse ad sydera montes.
Tum Pater omnipotens misso perfregit Olympum
Fulmine, & excussit subjectum Pelion Ossæ.

Philo Hebræus lib. de Confusione linguarum illud clarè edisserit; *Hæc Historia de ædificatione turris usque ad cœlum, persimilis est fabulæ gigantum, quos Homerus narrat conatos esse tres maximos montes, Pelium, Ossam, & Olympum, alium super alium imponere, sperantes, hâc viâ se ascensuros in cœlum &c.* De hâc allusione etiam tractat Eusebius lib. 9. de Præparat. Evangel. c. 4. & Pererius l. 16. in Gen. Disp. 2.

CAP. XII. ỷ. 1.

72. ARduum ac grande negotium fuit propositum Abrahamo, quando ei dictum est, ut egrederetur è chara sua patria. *Egredere de terra tua, & de cognatione tua, & de domo patris tui.* Gen. 12. v. 1. Nimiùm vehemens est amor patriæ; & dulcedo, quam in se continet, instar tenacis glutinis, trahit hominum animos, erga ipsam attissimè affectos. *Cui non est magis dulce proprium tugurium, quàm palatia peregrina? & voluntaria casa, quàm digesta prætoria? Cui non est durum, illos conscios natalium parietes, dulcia illa limina, atque amabilem larem, quem & parentum memoria, & ipsius infantiæ rudimenta commendant, fugere? Inter hæc ergo tam blanda, tam dulcia, quæ omni fuerant difficultate relinquenda. Exi (ait) de terra tua &c.* S. Augustinus serm. 68. de Temp.

Amor patriæ grandis.

Hanc teneritudinem affectus erga patriam expressit Ovidius l. 1 de Pont. Eleg. 4.

Patria dulcis.

Nescio quâ natale solum dulcedine cunctos
Ducit, & immemores non sinit esse sui.

Helena, à Paride persuasa, ut è patria in terras exteras se committeret, respondit apud Ovidium;

Purpura namque mihi, pretiosaque texta dabuntur,
Congestoque auri pondere dives ero.
Da veniam fassæ, non sunt tua munera tanti,
Nescio quo tellus me tenet ista modo.

Homerus Odyss. 9.

— — *Nil dulcius suâ patriâ.*

Euripides apud Stobæum

Nullum est suavius solum, quàm quod nutriit.

CAP. XII. ỷ. 4.

VIx Abrahamo à Deo intimatum est, ut patriam suam relinqueret; mox tantâ promptitudine se commisit itineri, & exilium amplexus est, quantâ alii in solo patrio acceptarent desideratam quietem. *Egressus est itaque Abram sicut præceperat ei Dominus.* Gen. 12. v. 4. quasi bonus hic Patriarcha in suo corde voluisset sententiam Nazianzeni Orat. 28. *Nobis omnis terra, & nulla terra patria est.* In hoc argumentum apprimè facit discursus mei Hugonis Victorini lib. 3. Didasc. erudit. c. 20. *Magnum virtutis principium est, ut discat paulatim exercitatus animus hæc visibilia & transitoria primùm commutare, ut possit etiam postmodum derelinquere: Delicatus ille est adhuc, patria dulcis est fortis autem cui omne solum patria est: perfectus verò, cui totus mundus exilium est.* 73.

Patria relicta.

A patria abstractos sese jactabant Socrates & Diogenes, quorum uterque interrogatus, cujas esset; respondit, *Cosmopolita sum*; idest, civis & incola mundi. In hunc sensum discurrit Seneca lib. de Tranquill. c. 3. *Magno animo nos, non unius urbis mœnibus clausimus, sed in totius orbis commercium emisimus: patriamque nobis mundum professi sumus, ut liceret latiorem virtuti campum dare.*

CAP. XIII. v. 2.

QUando de Patriarcha Abrahamo, egrediente Ægypto, agitur, testantur sacræ Litteræ, Gen. 13. v. 2. *Erat autem dives valde in possessione auri & argenti.* hunc textum S. Hieronymus lib. 5. in Gen. ex textu Hebræo ita traducit; *Erat autem Abraham gravis valde.* ubi subjungit; *Ægypti enim pondere gravabatur, & licet videantur divitiæ esse pecoris, auri & argenti; Tamen si Ægyptiæ sunt, vero fastu graves sunt.* In hoc argumentum diceret S. Ambrosius l. 3. Hexam. cap. 12. *Nihil enim magis* 74.

Divitiæ sunt onus.

mentem onerat, quàm istius mundi sollicitudo, & cupiditas, vel pecunia.

Seneca hanc doctrinam pluribus locis approbat. Epist. 104 *spernenda opes*, inquit, *auctoramenta sunt servitutum. Aurum & argentum, & quidquid aliud felices domos onerat, relinquatur.* In consolat. ad Helviam c. 11. *Lapides, aurum, & argentum, & magni, levatique mensarum orbes, terrena sunt pondera, qua non potest amare sincerus animus.* Imò, ut refert Cornelius Tacitus lib. 14. Annal. cùm ante Neronem compareret Seneca, in hunc modum precabatur; *mihi subveniendum est, quemodò in militia, aut vià fessus adminiculum orarem; ita in hoc itinere vita, senex, & levissimis quoque curis impar, cùm opes meas ultra sustinere non possim, præsidium peto.* Supplicabat proinde Neroni, ut ei auferrentur illæ divitiæ, quas possidebat, cùm non haberet vires regendi onus adeò grave & enorme.

CAP. XIII. v. 8.

75. DUm pecora Abrahami & Lothi pacificè commorabantur in pascuis; eorum pastores inter se miscebant rixas, sui dominii amplian-di aviditate stimulati, periculo mortis sese commiserunt, dum læta pascua commutàrunt in campum belli ac vindictæ. Ita solet mundus, teste S. Ambrosio l. 1. de Abraham. c. 3. *sæculare vitium, ut divites terra non capiat, nihil enim satis est divitum cupiditati. Quantò quis ditior fuerit, tantò avidior ad possidendum est.* Unde Patriarchæ Abrahami prudentia suggessit imminenti malo remedium, proposuitque, ut ad concordiam ac pacem conservandam mutuò dividerentur provinciæ. *Dixit ergo Abram ad Lot: ne quæso sit jurgium inter me & te, & inter pastores meos, & pastores tuos: fratres enim sumus. Ecce universa terra coram te est: recede à me, obsecro: si ad sinistram ieris, ego dexteram tenebo: si tu dexteram elegeris, ego ad sinistram pergam.* Gen. 13. v. 8. &c.

Divisio tollit discordias.

Quando litigatur de bonis mobilibus vel immobilibus, efficacissimum ad eas lites truncandas remedium est divisio. Nam, ut Leges pronuntiant; *Nullum aptius remedium, quàm divisio* d §. Dulcissimis. d. l in re communi. Cruenta bella, post mortem Julii Cæsaris excitata, componebantur, mundo in tres partes diviso; ita ut Oriens cum Græcia cesserit M. Antonio; Africa Lepido; & Italia cum Occidente Octaviano. Ita etiam gravissimæ controversiæ, præterito sæculo inter Castilianos & Lusitanos circa recuperatas Indias natæ, fuerunt compositæ, dum Alexander VI. Pontifex Maximus nescio quâ imaginariâ lineâ cuivis nationi divisit possessionis suæ spatia ac confinia, uti refert Petrus Maffæus.

CAP. XIII. n. 9.

76. LItigiorum flammæ, inter pastores Abrahami & Lothi suscitatæ, quàmprimùm fuerunt compositæ à prudentia magni illius Patriarchæ. Ecce, inquiebat Abraham, mi chare nepos, terra est distributa in regionem ad dexteram & ad sinistram; hoc modo existimo, illam esse optimè divisam. Nunc tibi alterutram pro libitu elige; quam tu recusaveris, illa mihi plenam dabit satisfactionem. *Ecce universa terra coram te est.* Gen. 13. v. 9. *si ad sinistram ieris, ego dexteram tenebo: si tu dexteram elegeris, ego ad sinistram pergam.* Hoc modo fuêre sedati tumultus, & pax mutua iterum suaviter refloruit, dum Abraamus, natu major, provincias divisit; & Loth, natu minor, elegit id quod placuit. Digna Augustino consideratio est ista l. 16. de Civit. c. 20. *Hinc fortassis effecta est inter homines pacifica consuetudo, ut, quando terrenorum aliquid partiendum est, major dividat, minor eligat.*

In divisione major dividit, minor eligit.

Seneca l. 6. Controv. 3. legem nescio quam adducit; *Major frater dividat patrimonium, minor eligat.* Et paulò post repetit; *Lex jubet majorem dividere, minorem eligere.* Idipsum docent Canonistæ, & receptum est in Camera Imperiali. His que etiam adhæret Concilium Africanum de Paroch. c. 1. *Si Episcopus* inquit, *ex Donatistis ad Catholicam est unitatem conversus, equaliter inter se dividant eas, quæ sic inventa fuerint, ubi ambæ partes fuerint, ut alia loca ad illum, alia ad alium pertineant: ita ut ille dividat, qui amplius temporis in Episcopatu habet, & minor eligat.* Videatur Læl. Mancinus Coliat. l. 1. c. 20.

CAP. XIII. ℣. 10.

UT ad vivum exprimatur situs in summo gradu pulcher, amœnus, & delitiarum plenus; mox recurritur ad nomen Paradisi. Hoc ipso usus est Moses, ut sub oculos poneret amœnitatem regionis, irrigatæ à nobilissimis aquis Jordanis, ait; *Elevatis itaque Loth oculis vidit omnem circa regionem Jordanis, quæ universa irrigabatur, sicut Paradisus.* seu ut legit Hebræus; *sicut hortus Domini.* Gen. 13. v. 10. Ita Isaias, promittens Hierosolymis supremam felicitatem, dixit, quòd Deus squalida sua deserta commutârit in amœnos hortos, seu ut solemus dicere, paradisos. *Consolabitur Dominus Sion, & ponet solitudinem ejus quasi hortum Domini.* Isa. 51, v. 3. Ita Joël c. 2. 3. *Quasi hortus voluptatis terra coram eo.* id est, ut legunt septuaginta; *Quasi Paradisus voluptatis terra.* 77.

Paradisus denotat locum amœnissimum.

Nomen Paradisi etiam profanis est usitatum, quando loquuntur de loco aprico, fertili, & jucundo. Ælianus lib. 1. Var. c. 33 ait, Artaxerxi allatum esse pomum granatum insolitæ magnitudinis; *Rex magnitudinem ejus admirans, interrogavit: è quonam paradiso depromptum.* Nicetas Choniates lib. 1. in Andronico Commeno. *Latini*, inquit, *provincias nostras paradiso comparant. Ad hanc significationem reducuntur etiam rosetum Midæ, Daphne Antiochena.*

CAP. XIV. ℣. 14.

PRinceps haud dubiè grandis fuit Abraam, qui è propria familia, nescio quâ occasione, desumere potuit trecentos, octodecim servos, tractandis armis, generosisque factis peragendis idoneos. *Cùm audisset Abram, captum videlicet Loth fratrem suum, numeravit expeditos vernaculos suos trecentos decem & octo, & persecutus est usque Dan, & divisis sociis irruit super eos nocte, percussitque eos &c.* Gen. c. 14. v. 14. 78.

Antiquorum servi multi & fortes.

Ingentem servorum numerum etiam habuêre Gentiles, quibus uterentur tempore pacis & belli. Athenæus lib. 6. versùs finem ait; *Agatarchides Gnidius libro trigesimo octavo rerum Europæ scribit; ex Dardanis aliquem servos mille possedisse, quemdam etiam plures, ac eorum unumquemque pacis tempore agros colere; belli verò militia nomen dare, suosque illis duces esse dominos.* Appositè videlicet ad id, quod hic retulimus de Abrahamo. Tacitus quoque lib. 14. c. 13. ex numero servorum, quos Romani habebant colligit, eorum munus fuisse, ut in quovis casu arma capesserent. Unde Cassii ore dicit; *Quem numerus servorum tuebitur, cùm Pedanium secundum quadringenti non protexerint.*

CAP.

CAP. XIV. ℣. 14.

Pauci contra multos. Cùm Abrahamus fieret certior de captivitate sui nepotis Loth, mirâ celeritate *numeravit expeditos vernaculos suos trecentos decem & octo*, cum exiguo hoc manipulo aggressus est exercitum quinque Regum, & reducto in libertatem nepote obtinuit gloriosa ac opima spolia. Gen.14. v.14. &c. sicque unicum generosum pectus non timet immensum hostium numerum; & sæpius accidit, ut numerus grandis ab exiguo agmine superetur ac internecione deleatur.

Leonides Spartanorum Rex cum trecentis militibus aggressus est immensum exercitum Xerxis Regis; nec destitit prosequi sanguineam stragem donec exhaustus lassitudine, vitam finiverit.

CAP. XIV. ℣. 15.

80. Ut Abrahamus nepoti suo Loth succurreret, non solùm exhibuit insignem animi sui generositatem, dum cum trecentis & octodecim militibus aggressus est exercitum quinque coronatorum Regum; sed etiam præclaram demonstravit prudentiam, clam & inter umbras noctis eos colligendo. *Divisis sociis irruit super eos nocte: percussitque eos.* Gen. 14. v. 15. Jacobus Salianus Anno Mundi 2118. n. 15. de hoc facto ait; *Nocte irruit super eos, ut facilius inermes, semisomnes, quietos, & nihil minus, quàm de hoste & pugnâ cogitantes opprimeret, neque illi paucitatem hostium agnoscere possent.* Ita Gedeon, stipatus trecentis militibus, irruit in Madianitarum campos *incipientibus vigiliis noctis mediæ* Judic. 7. v.19. Darius noctu progrediebatur contra Balthasarem, eoque occiso, obtinuit Babyloniam, totumque floridissimum Regnum. Dan. 5. v.30. (Assultus nocturni.)

Græci contra Trojanos prævaluerunt, nocturno tempore eos invadendo de iis Virg. 2. Æneid.

Invadunt urbem, somno vinoq; sepultam.

Romani, ut scribit Athenæus l 5. noctis beneficio aggressi sunt Athenienses, eosq; ebrios & somno oppressos occiderunt. Et de C. Gracco Titus Livius lib. 23 n.35 *Vigiliâ fermè primâ tolli jussit signa, silentique profectus agmine, quum ad Hamas mediâ nocte pervenisset, castra campana, ut in pervigilio neglecta, simul omnibus portis invadit: alios somno stratos alios perpetrato sacro inermes redeuntes, obtruncat. &c.*

CAP. XIV. ℣. 18.

81. De Melchisedecho agens Moses, inquit Gen. 14 v.18. *Melchisedech Rex Salem, id est, Jerusalem*, uti communiter explicant Interpretes cum Irenæo, Eusebio Cæsariensi, Emisseno, Procopio, Abulensi, S. Isidoro & aliis. Consueverunt enim sacræ litteræ ut nominibus concisis & dimidiatis uterentur loco completorum & integrorum. Ita 1. Paralip. c.20. n.5 dicitur *Iemites*, loco *Bethleemites*. In libro Esther. c.2 v.5. de Mardochæo scribitur, quòd fuerit de stirpe *Jemini*, id est, *Benjamin*, ut explicatur cap. 11. v. 2. In Isaia c.21. n. 11. *Duma* ponitur pro *Idumaa*. Et in S. Matthæo c. 16. v 17. S. Petrus cognominatur *Bar-Jona*, id est, *Bar-Joanna*. Simili modo reperitur *Lazarus* loco *Eleazarus*, & ipsum Dei nomen tetragrammaton id est, quatuor litterarum, reducitur ad duas, ita ut loco *Iehova* retineatur *Jà*. (Nomina concisa.)

In lingua Græca moderni utuntur istis abbreviationibus; unde loco *chyrius* dicunt *Cyrus*, seu *Cyris* & *Cyr*. Latini loco *cælum*, dicunt interdum *cæl*, ut notat Justus Lipsius lib. 4. antiq. lect. c.5. *Divum domus altissimum cæl.* Et Nonnius observat, quòd olim dicebatur *famul* loco *famulus*; allegatque Ennium, qui scribit; *Famul optimus est*; utens etiam *difficul*, loco *difficulter*, & *debil* loco *debilis*. Thusci pro Dominico dicunt Bechus: pro Alexandro Sandrus, pro Clemente Mente, pro Philippo & Thoma, Pippus & Masus; abbreviantque etiam nomen Catharina in Tina, & Magdalena in Lena.

CAP. XIV. ℣. 18.

Melchisedechus erat Rex Hierosolymitanus, & simul magnus sacerdos; sicque in illo non sine majestate jungebantur dignitas regia & sacerdotalis. Gen. 14. v 18 *Melchisedech Rex Salem, proferens panem & vinum, erat sacerdos Dei altissimi*; de quo ipse etiam S. Paulus; Hebr. 7. v.1. *Melchisedech Rex Salem, sacerdos Dei summi.* Erat proinde Rex & Sacerdos, quia *antea qui Reges erant, & Pontifices erant*; inquit S. Isidorus l. 7. Etymol. c. 12. Lege libros Machabæorum, & invenies Jonatham, Simonem, Joannem &c. Principes sæculares, & simul summos sacerdotes. 82. (Regnum & sacerdotium junguntur.)

Quod attinet Gentiles; Ægyptii ex Philosophis eligebant sacerdotes, è sacerdotibus Regem, ut scribit Alexander ab Alexandro l. 2. c. 8. Apud Græcos dignitas sacerdotalis & regia uniebantur in una persona; prout Anius in Insula Delo gaudebat geminato hoc honore, quemadmodùm canit Virgilius 3. Æneid.

Rex Anius, Rex idem hominum, Phœbique sacerdos.

Apud Spartanos *Rex ducem & sacerdotem agebat*; ut scribit Xenophon de rebus Lacedæm. Quantùm ad Romanos, Rex Numa se ipsum declaravit sacerdotem, uti refert Dion. Halicarnassæus l. 2. Et Plutarchus in Numa. Galba, ut notat Suetonius, *triplex sacerdotium gessit*; & ordinario more *Romani Imperatores dicebantur Pontifices Maximi.* S. Isidorus l 7. Ethymol. c. 12.

CAP. XIV. ℣. 20.

Postquam Abraham è quatuor Regibus retulit gloriosam victoriam, eam à bonitate divina derivatam agnoscens, obtulit Melchisedecho, sacerdoti ac ministro divino, decimas è grandibus illis spoliis. *Et dedit decimas ex omnibus.* Gen. 14. v. 20. ad hoc propositum S. Ambrosius hic; *Qui vincit, non debet arrogare sibi victoriam, sed deferre Deo. Hoc Abraam docet, qui triumpho humilior factus est, non superbior: sacrificium denique obtulit, decimas dedit.* 83. (Decimæ de spoliis militaribus.)

Non defuêre Gentiles, qui stimulati religioso sensu, sese voto obligârunt ad offerendas in templis decimas de militaribus spoliis, easque etiam re ipsâ attulerunt. Ita fecit Posthumius post victoriam belli Latini; ita fecêre alii Romani quos recenset Dionysius Halicarnassæus lib. 6. Titus Livius, & Xenophon in Cyro lib. 5. *Hic etiam pecuniam de captivis collectam partiti, eamque, quam decimæ nomine aut Apollini, aut Ephesiæ Divæ voverant, consecrandum prætores acceperunt.* Idipsum in Agesilao; *Hostium ita fruitus agro est, ut duobus annis centum talenta, & amplius, Deo apud Delphos decimam dedicaret* Plutarch. deniq; in Quæst. Rom. ait; *Herculi complures divites facultatum suarum decimas solvebant.*

CAP. XIV. ℣. 21.

Rex Sodomæ à victore Abrahamo è spoliis recuperatis nihil prorsus acceptavit, nisi subditos quos hostis fecerat captivos belli, & Abraham postea redemit. *Da mihi animas*, seu, ut septuaginta interpretâtur, *homines, cætera tolle tibi.* In hunc 84.

locum P. Benedictus Fernandius ait; *Anima pro hominibus ponuntur*; usitato Hebræis modo loquendi. Quòd hoc verum sit, dicit Deus Gen. 9. v 5. *sanguinem animarum vestrarum*, id est hominum, *requiram*, Gen. 12. v. 5. *Tulitque Sarai uxorem suam &c. & animas, quas fecerant*; id est, filios Gen. 36. v. 6. *Tulit autem Esau uxores suas, & filios, & filias, & omnem animam domûs suæ*; omnes videlicet personas servos ancillas &c.

Anima significat hominem.

Simili phrasi loquuntur profani, qui animæ nomine intelligunt hominem. Unde Virgilius. 11. Æneid. v. 471.

Scilicet ut Turno contingat regia conjux,
Nos animæ viles, inhumata, infletaque turba

Et Lucanus l. 5.

Aut quæ nos viles animas in fata relinquens.

CAP. XIV. ℣. 21.

85. POstquam Abrahamus obtinuit victoriam à quatuor devictis Regibus; Rex Sodomæ obtulit victori in præmium omnia spolia, sibique reservavit captivos belli, & personas, in conflictu illo captas. *Da mihi animas, cætera tolle tibi.* Gen. 14. v. 21.

Vita æstimatur præ omnibus rebus.

Has omninò voces protulit miser quidam victus, qui Metamorph. l. 5. ad pedes victoris prostratus, rogavit;

--- Nihil, ô fortissime, præter
Hanc animam concede mihi, tua cætera sunto.

CAP. XIV. ℣. 22.

86. THeatrum eminentis virtutis fuit Patriarcha Abrahamus. Resplenduit in eo amor & charitas versus nepotem, quando cum propriæ mortis periculo procuravit ipsius libertatem ac vitam. Comparuit fortitudo animi, ac prudentia, dum heroicâ magnanimitate aggressus est exercitum quatuor Regum armatorum; & quidem nocturno tempore, ut victoriam redderet faciliorem. Ostendit suum pietatis sensum, & gratitudinem versùs Deum, offerendo Sacerdoti Melchisedech decimas de aquisitis spoliis: præ omnibus tamen in eo fuit insignis magnanimitas cordis, quâ recusavit omnia spolia, sibi à Rege Sodomæ in præmium oblata. *Levo manum meam ad Dominum Deum excelsum, possessorem cœli & terræ, quòd à filo subtegminis usque ad corrigiam caligæ, non accipiam ex omnibus, quæ tua sunt*, Gen. 14. v. 22. De hoc facto S. Ambrosius l. 1. de Abram. c. 3. *Quantum est illud, quòd de præda victoriæ nihil voluit contingere, nec oblatum sumere? Minuit enim fructum triumphi, mercedis susceptio, & beneficii arrodit gratiam. Plurimùm enim refert, utrùm pecunia, an gloria dimicaveris.* Talem à muneribus immunem animum habuit Samuel, qui in conspectu totius populi 1. Reg. 12. v. 3. dixit; *Loquimini de me coram Domino, & coram Christo ejus, utrùm bovem cujusquam tulerim, aut asinum, si de manu cujusquam munus accepi.* Munera etiam recusavit Elisæus, qui à Principe Naamano rogatus, ut acceptaret nescio quæ dona, *respondit. Vivit Dominus, ante quem sto, quia non accipiam. Cum vim faceret, penitus non acquievit.* 4. Reg. 5. v. 16. Eodem modo se exhibuit Daniel; cùm enim videret oblata sibi à Rege Balthasare superba dona, liberè ei dixit; *Munera tua sint tibi, & dona domûs tuæ alteri da.* Dan. 5 v. 27.

Dona recusata.

Magnanimes spernunt munera.

Adiint nunc inexplebiles avari, & erubescant, dum vident Patriarchas & Prophetas generoso animo recusare terrenos thesauros. Imò; *erubescant exemplo unius Fabricii*, inquit S. Petrus Damianus l. 2. Epist. 23. *quem dum Pyrrhus Epirotarum Rex, pauperem comperisset, sollicitare cœpit, quartamque Regni sui partem, si ad se confugeret, compromisit. Quod ille dedignatus abhorruit, & quovis gloriosior Rege, in sua paupertate permansit.* Erubescant, dum legunt Valerium Maximum l. 4 c. 3. ubi loquens de MV. Curio, scribit; *Cum ad eum magnum auri pondus Samnites publicè missum attulissent, benignis verbis invitatus, ut eo uti vellet, vultum risu solvit, protinusque inquit; Mucium Curium malle locupletibus imperare, quàm ipsum fieri locupletem.* Simulque Samnitibus remisit donum. De hoc etiam subjungit; *Idem cùm Italia Pyrrhum Regem exegisset, nihil omninò ex præda Regia, qua exercitum, urbemque ditaverat, attigit.* Haud aliter, quando Altamorus, factus captivus Godofredi, huic dicebat *Gierusal. Liberat. Cant. 20. st. 142.*

Mè l'oro del mio Regno, e mè le gemme
Ricompreran de la pietosa moglie;
Replica à lui Goffredo. Il ciel non diemme
Animo tal, che di tesor s'invoglie.
Ciò, che ti tien dal Inoiche maremme
Habbiti pure, e ciò che Persia accoglie:
Che de la vita altrui prezzo non cerco,
Guerreggio in Asia, e non vi cambio, ò merco.

CAP. V. ℣. 5.

Cùm Deus vellet Abrahamo revelare numerosam prolem, quam habere deberet, & inter quam ipse etiam Salvator noster numeraretur; *Eduxit eum foras, & ait illi. Suspice cœlum, & numera stellas, si potes. Et dixit ei: sic erit semen tuum.* Gen. 15. v. 5. Quòd si forsan quæratur, cur, recepturus propheticum lumen, fuerit extra suam domum vocatus; respondet Paulus Burgensis add. 2. *Quia oportebat eum super se, & extra se educi, nempe, ut ea, quæ supra se erant, liberius contemplaretur: ne esse enim est, ut de corporis ergastulo exeat, qui ad theatrum cœlestium arcanorum invitatur.* Similiter Philo lib. quis rerum divin. sit hæres. *Rectissimè dictum est: Eduxit eum foras, è carcere corporis, è cavernis sensuum, è fallacibus rationis sophismatibus, & insuper ex seipso.* Et lib. 2. Allegor. *si quæris Deum, anima, à te ipsa egressum illum quære: donec enim manes in mollibus corporeis, aut mentis opinationibus, non es apta ad quærendas res divinas.* Anima proinde, volens vacare rebus spiritualibus, debet abstrahi à corporalibus: tantò enim magis accommodatur mysteriis divinis, quò magis vivit separata à sensibus humanis. 87.

Separatio à rebus humanis disponit ad divinas.

Ipsi etiam profani fingebant se abstractos à sensibus, ut haberent opportunam dispositionem, intelligendi ac exprimendi vanas suas chymæras. Claudianus l. 1. de Raptu. Proserp. de seipso canit.

Iam furor humanos nostro de pectore sensus
Expulit, & totum spirant præcordia Phœbum.

Et Lucanus l. 5. loquens de Phœmonoë, jamjam oracula pronuntiaturâ;

-- -- -- Mentemque priorem
Expulit, atque hominem toto sibi pectore cedere
Iussit.

CAP.

CAP. XV. ℣. 5.

18. FRustra fatigatur, quisquis contendit numerare stellas firmamenti. Unde id, tanquam rem impossibilem, proposuit Deus Abrahamo; Gen. 5. v. 5. *Suspice cœlum, & numera stellas, si potes.* Etiam Hieremias protestatur, cap 33. v. 22. *Enumerari non possunt stellæ cœli.* Et Deus sibimet reservat illam scientiam, de quo David Psal. 146. v. 4. *Qui numerat multitudinem stellarum &c.* Innumerabiles sunt, quia non ab omnibus videntur omnes; & ut scribit S. Augustinus lib. 16. de Civit. c. 23. quò acutiorem quis habet visum, eò majorem numerum videt. Ultra has plurimæ deprehenduntur beneficio tubi optici, quæ videbantur omnibus absconditæ. Unde si Ptolomæus & Astrologi restringunt numerum stellarum ad 1022. loquuntur solùm de illustrioribus, notabilioribus, magisque distinctis & cognitis.

Stellæ sunt innumerabiles.

Seneca lib. 6. Quæst. Nat. cap. 16. ait; *Omnes hæ stellæ, quarum iniri non potest numerus.* Et Ludovicus Vives in l. 16. de Civit. c. 23. *In via lactea innumeram esse stellarum multitudinem, Aristoteles, & alii magni viri asserunt, quæ internosci nullo humano obtutu queant.*

CAP. XV. ℣. 8.

19. CÙm Abrahamus vehementer affligeretur, quòd omni prole destitutus esset: Deus illi promisit illustrem ac numerosam successionem, cùm autem Patriarcha rogaret benignum & authenticum promissi adeò rari testimonium: Deus suum pactum & familiarem gratiam stringere volens, eum invitavit ad occidendas quasdam victimas & sanguinem ad pedes altaris spargendum. *Domine Deus, unde scire possum, quòd possessurus sim eam (prolem)?* Gen. 15. v. 8. *Et respondens Dominus: sume, inquit, mihi vaccam triennem, & capram trimam, & arietem &c.* Ac proinde conspersio sanguinis erat ordinata ad pacta, fœdera, ac tractatus stabiliendos. Experimentum habemus in Exodo c. 24. ubi Moses populum ad observandas leges authenticè obligaturus, *sumptum sanguinem* (è victimis paulò ante occisis) *respersit in populum, & ait: Hic est sanguis fœderis, quod pepigit Dominus vobiscum &c.* Exod. 24. v. 8 Imò etiam in Salvatoris nostri operationibus, qui vinum transsubstantiando in sanguinem, dixit; *Hic calix novum testamentum est in meo sanguine*; id est, sanguis hujus calicis est authenticum testimonium novæ legis, meæ ultimæ voluntatis, & pacti, quo promitto vitam æternam omnibus, meam legem observaturis, uti interpretatur Corn. à Lap. in 1. Cor. 11. v. 25.

Fœdera fiebant conspersione sanguinis.

Fœdera, societates, & pacta etiam apud Gentiles stabiliebantur occisione victimarum, & conspersione sanguinis. T. Livius l. 1 agens de fœdere Romanorum cum Albanis, ait; *Positis fœderis legibus, ajebat Fecialis, populus Romanus, prior non deficiet: si prior defecerit, publico consilio, dolo malo, tu illo die, Jupiter, populum Romanum sic ferito, ut ego hunc porcum hodie feriam, tantoque magis ferito, quando magis potes, pollesque, & mox porcum saxo silice percussit.* Virgilius 8. Æneid. v. 640. de Romulo & Tatio canit;

Armati Iovis ante aram, paterasque tenentes
Stabant, & cæsâ jungebant fœdera porcâ.

Suetonius in Claud: cap. 75. *Cum Regibus fœdus in foro icit, porcâ cæsâ, ac veteri Fecialium precatione adhibitâ.*

CAP. XV. ℣. 9.

DEus ab Abrahamo petit oblationem quarundam victimarum, sibi summè placitarum. Præcisè tamen jubet Gen 15. v. 9. *Sume tibi vaccam triennem, & capram trimam, turturem quoque, & columbam.* Observandum hic est, quòd Deus magis delectetur animalibus fæmelis, quàm masculis, sibi oblatis. 90.

Victimæ fœmineæ

Id ipsum in profanis observârunt Eruditi: Unde Alexander ab Alexandro lib. 3. c. 12. ait; *Notatum fuit in omnibus sacris, fœminini generis victimas esse potiores.* ubi subjungit; *Itaque si per marem litari non poterat, fœmina succidanea dabatur, non econtra.* Ita etiam Virgilius 8. Æneid. v. 640. de Romulo & Tatio canit;

Armati Iovis ante aram, paterasq; tenentes
Stabant, & cæsâ jungebant fœdera porcâ.

Et Festus; *Porci effigies inter militaria signa locum quintum obtinebat, quia confecto bello, inter quos pax fieret, cæsâ porcâ fœdus firmari solebat.*

CAP. XV. ℣. 10.

STabiliebantur quidem fœdera occisione victimarum, & conspersione sanguinis; frequentius tamen id fiebat, victimis per medium dissectis, earumque partibus ita disjunctis, ut fœderatis daretur transitus per medium partium recisarum, ac sanguine conspersarum. Hoc ipsum infert Moses, loquens de animalibus ab Abrahamo occisis. *Divisit ea per medium, & utrasque partes contra se altrinsecus posuit.* Gen. 15. v. 10. In medio harum divisionum transiit Deus, sub specie lampadis accensæ. ibid. num. 17. Hic ritus expressè tangitur in Hieremia c. 34. v. 18. *Dabo viros, qui prævaricantur fœdus meum, & non observaverunt verba fœderis, quibus assensi sunt in conspectu meo, vitulum, quem conciderunt in duas partes, & transierunt inter divisiones ejus.* 91.

In fœderibus dividuntur victimæ per medium.

De Chaldæis Diodorus Tarsensis, citatus à Cornelio à Lap. hìc; ait, *Tutius habebatur jusjurandum, cum illud per animalium sectionem sanciunt, eandem prævaricatoribus imperantes.* Dites Cretensis lib. 2. de Bello Trojano, referens cæremoniam conciliati cum Achille Agamemnonis, scribit; *His actis Agamemnon afferri hostiam lictori jubet. Ac mox sublatam super terram, quum eam duo, quibus imperatum erat, suspensam tenerent, gladium vaginâ educit, eamque bifariam excisam hostiam in conspectu, ut diviserat, collocans, dein ferrum sanguine oblitum manu retinens, inter utramque sacri partem medius vadit.* Et rursus lib 5. *Quibus perfectis, Diomedes, atque Ulysses jurare occipiunt, permansuros se in eo, quod sibi cum Antenore convenisset, testesque in eam rem Iovem summum, terramque matrem, solem, lunam, atque oceanum fore. Dein excisis in duas partes hostiis, quæ ad eam rem admota erant, ita ut pars ad solem, residuum ad naves spectaret, per medium transeunt.*

CAP. XV. ℣. 11.

VIx Abrahamus oneraverat altaria victimis, aliis dissectis per medium, aliis necdum divisis; cum supra carnes illas, supra mensam Dei per modum cibi præparatas, advolaverint immundi & rapaces volucres, ut eas deprædarent. Unde justus Abrahamus vigilanti sollicitudine incumbebat ad eas abigendas. *Descenderunt volucres super cadavera, & abigebat eas Abraham.* Gen. 15. v. 11. Haud aliter nos vix offerimus Deo supra altare

Volucres immundæ super sacrificia. altare cordis nostra desideria & affectus, mox cogitationes ultra modum importunæ & immundæ tentant nostras oblationes contaminare: unde oportet omnem adhibere diligentiam, ut eas abigamus. S. Gregorius Papa 16. Moral. cap. 19. *Abraham, cùm ad occasum solis sacrificium offerret, insistentes aves perculit, quas studiosè, ne oblatum sacrificium raperent, abegit: Sic nos, cùm in ara cordis holocaustum Deo offerimus, ab immundis hoc volucribus custodiamus, ne maligni spiritus, & perversa cogitationes rapiant, quòd mens nostra offerre se Domino utiliter sperat.*

Cum historia Mosis convenit illa Virgilii de Ænea. lib. 3. Æn: vers: 231.

Instruimus mensas, arisque reponimus ignem,
Rursùm ex diverso cæli, cæcisque latebris
Turba sonans prædam pedibus circumvolet uncis.
Polluit ore dapes: sociis tunc arma capessant.

CAP. XVI. ℣. 2.

93. MAgna certè Domina fuit Sara, quam nulla afficiebat zelotypia: cùm enim se agnosceret sterilem, & Abrahamo optaret prolem; proposuit ei nuptias cum sua famula; & illa ipsa, veluti amabilissima pronuba, novam sponsam comitata est ad mariti thalamum. *Ecce conclusit me Dominus, ne parerem: ingredere ad ancillam meam, si fortè saltem ex illa suscipiam filios. Cumque ille acquiesceret depracanti, tulit Agar Ægyptiam ancillam suam, & dedit eam viro suo uxorem.* Gen. 16. ℣. 2. Simili modo Rachel, cùm videret se sterilem, dixit marito suo Jacob; *Habeo famulam Balam: ingredere ad illam, ut pariat super genua mea, & habeam ex illa filios. Deditque illi Balam in conjugium. &c.* Gen. 30. ℣. 3.

Mulier sine Zelotypia.

Reflexa hujus affectuosæ operationis nullibi melius reperies, quàm in Plutarcho, qui opusculo de virtutibus mulierum ait; *Stratonica, cùm esset sterilis, maritumque legitimos liberos, quos heredes regni relinqueret, desiderare sciret, persuasit ei, ut alia ex muliere prolem susciperet, sibique eam subderet. Dejotaro sententiam admirante, uxorisque arbitrio rem totam permittente: formosam ea ex captivis virginem, Electram nomine, adornavit, & Dejotaro copulavit: natosque ex ea liberos tanquam suos amanter ac magnificè educavit.* Videatur Balthasar Bonifacius Hist. Ludicr. l. 7. c. 46.

CAP. XVI.

94. SIve fuerit consuetudo veteris illius sæculi; sive privilegium dispensationis, à Deo singulariter concessæ: Abrahamus certè, cùm videret, Saram annis gravem, à qua felicitatem prolis sperare non posset, secundam uxorem accepit Agarem, eamque vocavit thori sui consortem. Ita prolixè scribitur Genes. cap. 16. Elcana quóque duas habuit uxores, Annam & Phenennam. 1. Reg. 1. Assur Bethleemita etiam duas habuit Halaam & Naaram. 1. Paral. 4. ℣. 5. Neque solùm bigamia, sed etiam poligamia, populo Hebræo absque deformitate permittebatur. Unde & Jacob habuit quatuor uxores, Liam, Rachelem, Balam, ac Zelpham. Et David habuit quatuordecim. De Roboamo scribitur 2. Paral. 11. ℣. 12. *Uxores decem & octo duxerat, concubinas autem sexaginta.*

Bigamia & poligamia veterum.

Bigamiam fuisse antiquis usitatam, Athenienses testantur, de quibus scribunt Laërtius & Athenæus, iis hunc fuisse morem. De Lacedæmoniis Pausanias in Laconicis; & de Romanis Suetonius in Claudio c. 7. & Tacitus lib. 12. Plures quàm duas duxerunt Garamanti, ut refert Strabo lib. 15. Ægyptii, ut scribit Diodorus lib. 2. c. 3. Persæ, ut notat Ammianus l. 23. Certus Solinus l. 2. c. 15. scribit; *Thraces uxorum numero se viri jactitant: & honoris loco ducunt multiplex conjugium.* Et Cicero in Verrem; Act. 4. *Reges Syriæ singuli plurimas habuêre uxores, & præter Reges alii etiam pro modo facultatum.*

CAP. XVII. ℣. 1.

VBi nos legimus, quòd Deus, gratias suas profusurus in Patriarcham Abrahamum, ei dixerit; *Ego Deus omnipotens*; Gen. 17. ℣. 1. Textus Hebræus legit; *El Saddai*, id est, *Ego Deus fortis & liberalis.* Et benè datur Deo nomen *Saddai*, quia est splendidus, liberalis, efficax, omnipotens: cujus providentia, sapientia, & bonitas cunctis creaturis tribuit esse, conservari, & vivere. De hoc S. Paulus Act. 17 ℣. 25. *Deus non est indigens aliquo, cùm ipse det omnibus vitam, & inspirationem, & omnia.* Et S Jacobus in sua Epistola. c. 1. ℣. 5. *Dat omnibus affluenter.* 95.

Deus liberalis & profusus.

Plato, ad hæc tria reflectens, videlicet ad inopiam, sufficientiam, & profusionem; *Solam effusionem bonitatis Deo tribuit: sicut enim crater aliquis, vino plenus, & superplenus effluit, & supereffluit; ita Deus, Deique bonitas.* Plurimùm accommodata est hæc similitudo, dummodò intelligatur, non de aliqua profusione naturali & necessaria, sed voluntaria & libera, qualem habet Deus; uti discurrit P. Cornelius à Lap. in hunc locum.

CAP. XVII. ℣. 10.

IN gratitudinis vicem ob prolem ex merâ gratia datam adstrinxit Deus Abrahamum Patriarcham cum omnibus posteris, ut circumciderentur; & in illa cicatrice non tantùm circumferrent signum, se esse posteros Abrahami, sed etiam typum servitutis contractæ cum Deo. *Circumcidetur ex vobis omne masculinum, & circumcidetis carnem præputii vestri, ut sit in signum fœderis inter me & vos.* Gen. 17. ℣. 10. &c. 96.

Idumæi, Ammonitæ, Sarraceni, & aliæ nationes Ægyptiæ, Æthiopes, Phenices, Arabes Homaritæ &c. receperunt circumcisionem, non ut sacramentum veteris legis; multo minus cum intentione profitendi legem Mosaicam, sed simpliciter ob nescio quam humanam consuetudinem. Et ut notat Josephus lib. 1. c. 12. Saraceni circumciduntur in ætate tredecim annorum, ad imitationem Ismaëlis, de quo scriptum est; Gen. 17. ℣. 25. *Ismaël filius tredecim annos impleverat tempore circumcisionis suæ.* Non obstante expresso Dei præcepto Gen. 17. ℣. 12. *Infans octo dierum circumcidetur &c.* In hoc argumentum videatur Lorinus in Acta cap. 7. ℣. 8.

Circumcisio à multis nationibus recepta.

CAP. XIIX. ℣. 1.

MAjestas divina sub specie trium Angelorum apparuit, ut visitaret & felicem redderet amicum suum Abrahamum, elegitque pro tempore opportuno summam æstivi solis meri- 97.

Apparitiones Dei in meridie.

meridiem. *Apparuit autem ei Dominus in convalle Mambre, sedenti in ostio tabernaculi in ipso fervore diei.* Gen. 18. ℣. 1.

Cyrene, Nympha aquarum, agens cum suo filio Aristeo, quo tempore introduceretur ad reperiendum Protheum, unum ex diis marinis; dicit apud Virgil. l. 4. Georg. v. 401. Id fieri debere in calore meridiei.

Ipse ego te medios cùm sol accenderit æstus,
Cùm sitiunt herbæ, & pecori jam gratior umbra est,
In secreta senis ducam.

In hunc locum scribit Servius; *Ferè enim Numina tunc videntur.* idque approbat authoritate Lucani;

— — *Medio cum Phœbus in axe est,*
Aut cælum nox atra tenet, tunc ipse sacerdos
Accessum dominumque timet deprehendere luci.

Et quoad Protheum, ipse etiam Homerus de ficto illo Deo canit;

Quando ergò sol medium cœlum ascenderit,
Tunc è mari emergit senex maritimus veridicus.

CAP. XIIX. ℣. 1.

98. Hospitalitas Abrahami. PLenus charitate Abrahamus, ad laborem destinabat horas ferventis meridiei, quas alii consecrabant quieti; Sicque cum fervore sui affectus provocabat fervorem solis; neque aliud refrigerium quærebat, nisi ut fatigatis & afflictis peregrinis afferret opportunum refrigerium. Unde insigni artificio habitabat ad limen suæ domûs, ut eos videre, obviam ire, invitare, & amplecti posset: & ut sacer Textus notat Gen. 18. ℣. 1. Sedebat *in ostio tabernaculi in ipso fervore diei.*

Homerus Iliad. 6. circa initium deprædicat hospitalitatem certi cujusdam Assili, qui habitans in Arispe, divesque facultatibus, singulari comitate omnes recipiebat & amplectebatur in sua domo, quam studiose extruxerat in media via, ut peregrinos tantò facilius recipere posset, ut interpretatur Eustachius. Similimodo lib. 4. Odysseæ celebratur Menelaus, ultra modum humanus in excipiendis hospitibus. Et in eâdem Odyssea lib. 24. describens Homerus Eumenum, qui receperat Ulyssen in sua villa; ita eum loquentem introducit;

Hospes non mihi fas est; neque si pauperior te veniat,
Hospitem contemnere, nam ab Iove sunt omnes
Hospitesque, mendicique.

CAP. XIIX. ℣. 23.

99. Hospitalitas exercita. P. Cornelius à Lapide, considerans Patriarcham Abrahamum, in limine domus suæ intentum ad expectandos peregrinos, (qui fatigati & viribus destituti, tempore illo ardenti quærunt hospitium) ut eos invitaret, ac restauraret; ait, quòd instar boni piscatoris *expandit sagenam suæ hospitalitatis.* Adeoque diligentiam Abrahami erat rete charitatis, contextum ex auro, ad capiendos peregrinos; habuitque Abrahamus tantundem voluptatis in amplectendis peregrinis, quantum alii in capiendis pretiosis piscibus.

Simile artificium celebrat Joannes Stephanus Menochius p. 1. Histor. c. 70. in civibus de Bertinoro, In publica platea hujus civitatis erant muro affixi quidam annuli ferrei, in commodum peregrinorum dispositi, ut iis suos equos alligare possent. Et quia opulentiores cives inter se distribuebant illos annulos, ita ut quivis suum annulum sciret; idcircò quando aliquis peregrinus ad aliquem eorum suum equum alligabat; Dominus annuli statim invitabat peregrinum, tametsi hactenus incognitum; eumque in sua domo excipiebat hospitio, ac ita familiariter tractabat, quasi longo tempore fuisset ipsius amicus. Videri possit, illos cives ad imitationem Abrahami, voluisse annulorum retibus, ac uncinorum hamis piscari peregrinos & advenas, ut iis benefacerent & auxilium porrigerent.

CAP. XIIX. ℣. 2.

IN hospitalitatis suæ operationibus admodùm felix erat Abrahamus; Cùm enim refocillare vellet homines, honoratus fuit præsentia Angelorum, qui numero tres repræsentabant vices ac personam Dei. *Apparuerunt ei tres viri stantes propè eum: quos cùm vidisset, cucurrit in occursum eorum de ostio tabernaculi, & adoravit in terram,* Gen. 18. ℣. 2. de hoc S. Ambrosius l. 1. de Abrah. c. 5. *Abraham dum peregrinantibus defert hospitium, Deum atque Angelos ejus suscipit hospitio.* Imò quasi id parùm fuisset; cum jam esset decrepitus, in præmium hospitalitatis concessa ei fuit proles. ibid. n. 1. 100. Hospitalitas Abrahami præmiatur prole.

Simili contextu Gentiles finxerunt fabulam Hyrei, quòd humanissimè receperit hospitio tres Deos, Jovem, Neptunum, & Mercurium, qui in habitu ignoto ingressi sunt ipsius domum, ita ut in tantæ hospitalitatis vicem ab iis obtinuerit filium, quem postea vocavit Orionem. Ovidius id refert l. 5. Fast. Higinus l. 3. & Natal. Comes in Mytologia lib. 8. c. 12.

CAP. XIIX. ℣. 4.

ABrahamus festiva celeritate ferebatur ad recipiendos ac invitandos peregrinos, eosque sollicitè in sua domo sustentavit; dum eis non tantum exhibuit odoriferum balneum, ad lavandos pedes; sed etiam opportunum cibum ad corpora recreanda ac confortanda. *Afferam pauxillum aquæ, ut laventur pedes vestri.* Gen. 18. v. 4. *Ponamque buccellam panis, & confortate cor vestrum.* 101. Hospites recreantur lavacris & cibis.

In hunc modum apud Homerum tractabantur hospites: quia recreabantur balneis, unctionibus & lotionibus pedum, uti legitur in Odyssea lib. 4. ℣. 48. & ℣. 20. Quamprimum advenerunt, invitabantur ad sumendum cibum ac potum, uti videri potest lib. 18. Iliad. vers. 383. & 408. & l. 24. Iliad. vers. 10.

CAP. XIIX. ℣. 7. &c.

ABrahamus, recipiens peregrinos in suam domum curam iis inserviendi non rejecit in suos subditos; sed ipsemet in propria persona *ad armentum cucurrit, & tulit inde vitulum tenerrimum.* Gen. 18. ℣. 7. Ipse *tulit butyrum, & lac, & vitulum, quem coxerat, & posuit coram eis.* n. 8. Ipse promptus ad servitium mensæ, sollicitus, ac reverens; *Stabat juxta eos.* ibid. Unde benè de illo S. Chrysost. Hom. 41. in Gen. *Vide liberalitatem Abrahæ, vitulum mactavit, & fermentavit farinam* 102. Abrahamus servit in persona propria.

nam: per se ipsum, & per uxorem hoc facit. Et S. Hieronymus Ep. 26. ad Pammach. *Ipse* (Abrahamus) *pedes lavit, ipse pinguem vitulum portavit humeris de armento, stetit ut servus peregrinis prandentibus, & Sara manibus coctos cibos jejunaturus apposuit.*

Achilles & Ulysses fuerunt heroës adeò præclari, ut de iis gloriari potuerit Musa Homeri. Nihilominus ultrò se demiserunt ad vilia ac manualia exercitia. Ælianus de Var. Hist. l. 7. c. 5. ait: *Achilles, quum esset tertius à Jove, ipse carnes dissecavit, legatis, qui ab Achivis venerant, cœnam summo studio paravit. Fatetur etiam Ulysses,* inquit ibidem Ælianus, *se & multa scire, & quæ sciat, manibus exequi.*

Non alius potior fuerit, mihi crede, minister,
Sive ignem succendi opus est, seu ligna secanda.

CAP. XVIII. ℣. 20. &c.

103\. Fœtor Sodomæ penetrabat supra stellas, & illorum peccata enormia spargebant strepitum supra cœlum, clamabantque contra sceleratos vindictam. Nihilominus Deus, postquam omnia vidit ac scivit, decernit ad terram descendere, & magis è vicino videre, quid rerum agatur, antequam sua supplicia fulminet. *Clamor Sodomorum & Gomorrhæ multiplicatus est.* Gen. 18. v. 28. *Descendam & videbo, utrùm clamorem, qui venit ad me, opere compleverint.* Philo de confusione linguarum. *Deus dicitur,* inquit, *ad visendum descendere, qui omnia, priusquam fiant, providet manifestissimè, ut doceamur, ne quis homo de absentibus, & futuris, & incertis putet se posse conjecturam facere, sed priùs maximè prospicere debet: visus enim certus potius, quam fallax auditus, testis adhibendus est.* Philippus Abbas de Silent. Cleric. cap. 98. *Vult æquus judex sceleratorum vitia sic punire, ut adversus eum nullus possit justâ querimoniâ vel mutire, ut antequam inveniatur illorum perditio definiri, eorum possit malitiam quasi præsentialiter experiri.*

Deus antequam judicet, vult videre.

Judex procedat lentè.

Ovidius lib. 1. Metamorph. introducit Jovem, ob scelera Lacaonis dolentem; dicendo, illa quidem sufficienter ad suas aures devenisse; nihilominus priusquam excessus illos puniat, velle se in terram descendere, ac notitiam magis accuratam capere.

Contigerat nostras infamia temporis aures,
Quam cupiens falsam summo delabor Olympo,
Et Deus humana lustro sub imagine terras.

Hinc discant Judices procedere lentè, & non præcipitare sententiam cum alterius præjudicio; sed delictum attentè considerare, priusquam hominem condemnent. Unde Imperatores Valent. & Gratianus C. de sent. ex peric. recit. l. 2. dicunt; *Hâc lege perpetuò credimus ordinandum, ut judices, quos cognoscendi & pronuntiandi necessitas tenet, non subitas, sed deliberatione habita post negotium sententias ponderatas sibi ante forment.* Et Eleutherius Papa 30. q. 5. c. ult. *Judicantem oportet cuncta rimari, & ordinem rerum plenâ inquisitione discutere.*

CAP. XVIII.

104\. Quasi divina patientia non potuisset diutius sufferre enormia Pentapolitarum scelera; postquam erupit in has justas querelas, Gen. 18. v. 20. *Clamor Sodomorum & Gomorrhæ multiplicatus est, & peccatum eorum aggravatum est nimis.* tandem severo quidem, sed tamen justissimo supplicio, *Dominus pluit super Sodomam & Gomorrham sulphur, & ignem à Domino de cœlo: & subvertit civitates has, &c.* Gen. 19. v. 24.

Peccatum nefandum punitur igne.

Contra nefandum hoc vitium tonat ac fulminat non tantùm Deus; sed etiam vociferantur ac fremunt terreni Principes. C. ad l. Jul. de Adult. l. 31. *Cùm vir nubit in fœminam viris porrecturam, quid cupiatur, ubi sexus perdit locum? ubi scelus est id, quod non proficit scire? ubi unus mutatur in alteram formam? ubi amor quæritur, nec videtur? Jubemus insurgere leges, armari jura gladio ultore, ut exquisitis pœnis subdantur infames, qui sunt, vel qui futuri sunt rei.* Ita Lajus Thebarum Rex, tametsi gentilis; *ignis supplicio in emasculatores, tanquam naturæ jura pervertentes, animadvertendum censuit;* ut scribit Plato apud Cœlium l. 15. c. 16.

CAP. XIX. ℣. 11.

Dum libidinoso furore excæcati Sodomitæ, irruerunt in peregrinos hospites Lothi; non tantùm perdiderunt oculos rationis, sed etiam corporis, ita ut portam domûs reperire non potuerint. De hoc eventu Gen. 19. v. 11. dicitur; *Eos qui foris erant, percusserunt cæcitate à minimo usq. ad maximum, ita ut ostium invenire non possent.* In hoc factum S. Ambrosius l. 1. de Abraham. cap. 6. *ostenditur,* ait, *quia cæca est omnis libido, & quod est ante se, non videt.* 105.

Libidinosi excæcati.

Simili flagello percussus est Algatus, Angliæ Regulus ut refert Polidorus lib. 4. Hist. Angl. Ille enim captus amore Fridesnidæ, virginis Oxoniensis, ac Ducis cujusdam filiæ, volebat eam cogere ad stuprum, ac fugientem magno impetu insequebatur. quæ tamen in fuga se recepit ad quoddam castellum; ubi vix *Regulo porta clauditur, & lumen oculorum eodem momento amittitur.* Sicque in ipso innovata est pœna Pentapolitarum, miraculosè excæcatorum.

CAP. XIX. ℣. 17.

Expressa prohibitio Dei, ne Loth, egressus civitatem, tametsi audiret tonitrua fulminum ac stridorem sulphurearum flammarum, contra civitatem illam jactarum, ullo modo retrò se verteret. Sive dein id prohibuerit Deus, ut Loth tantò attentius acceleraret fugam; sive ob majorem abominationem illorum impurorum hominum, quos homo justus nec uno oculi obtutu dignetur. Sive ob meram obedientiam divini præcepti, ac ob reverentiam supremi judicii. Ita Gen. 19. v. 17. ei insinuatum fuit; *Salva animam tuam: noli respicere post tergum.* 106.

Deus vetat respicere retrò.

Dæmon, divinitatis simia, in certis magicis functionibus similem statuit prohibitionem. Theocritus Idil. 31.

Mane autem cineres ancillarum una coactos
Omnes projiciat trans flumen, trans quoq. fines
Præruptam in rupem; corpus caveatque revertens
Ne retrò flectat.

Prior illo Homerus Odyss. lib. 5.

Porrò postquam manibus continges littus,
Rursus resolvens projice in nigrum pontum
Longè à continente, ipse autem seorsim
Aversus sis.

Com-

Compendio Virgilius Ecloga 8 v. 101.

Fer cineres Amarilli foras, rivoq; fluenti
Transq; caput jace: ne respexeris.

CAP. XIX. ỳ. 17.

107. UT Loth salvari posset, non solùm debebat egredi scelerata civitate, sed etiam omnibus locis confinibus. Unde accepit praeceptum; *Nec stes in omni circa regione.* Gen. 19. v. 17. securitas enim non solùm dependet à fuga mali, sed etiam à fuga omnis dispositionis & suggestionis ad malum. *Beatus vir,* inquiebat David Psal. 1. v. 1. *qui non abiit in consilio impiorum, & in via peccatorum non stetit.* Et Psalm. 118. n. 101. *Ab omni via mala prohibui pedes meos.*

Fugiantur suggestiones malorum.

Apprimè dixit Seneca Ep. 16. *Quantum possumus nos, à lubrico recedamus, in sicco quoq; parùm fortiter stamus.* Et S. Ambrosius. in haec verba commentatus; *Ab omni via mala &c. ait; itaque cùm fragilitas humana prona sit, ut labatur non ad unum affectibus malum, sed universum toto vestigio feratur in vitium, & currentem cuncta in praeceps suscipiat probra: docet quemadmodum vita istius lubricam declinans semitam, itineris hujus anfractus viantem implicare non possit.*

CAP. XIX. ỳ. 17. &c.

108. TAmetsi à justitia divina decretum esset incendium Sodomae; priusquàm tamen illud daretur executioni, Angeli, ministri Dei, inde eduxerunt sanctum Loth; de quo Gen. 19. v. 17. *Eduxeruntque eum, & posuerunt extra civitatem.* Idque non ideò, quasi Deus illum non potuisset in mediis incendiis praeservare; sed ut civitas per ipsius absentiam esset inevitabili ruinae exposita; quemadmodum ipsius praesentia, tanquam columna, eandem sustentavit. Ipsemet Loth precatus est Angelos, ut à grassante illo igne salvarent Segor, introitu suo parvulam illam civitatem fecit immunem, & incendio liberavit. Unde ei ab Angelo dictum fuit; Gen. 19. v. 21. *Etiam in hoc suscepi preces tuas, ut non subvertam urbem, pro qua locutus es. Festina & salvare tibi, quia non potero facere quidquam, donec ingrediaris illuc.* Sicuti ergò civitas periit, quando sanctus ille inde sublatus est; ita Segor, eodem servo Dei praesente, fuit praeservata.

Justi sustinent civitatem.

Fundatissima est sententia Platonis; *Cùm Deus civitati beneficium praestare vult, bonos viros ei producit, cùm verò civitati calamitatem immissurus est, aufert ab ea viros bonos.* jungitque pulchram hanc similitudinem; *Qui domum parat evertere, prius omnia sustentacula evertit.*

CAP. XIX. ỳ. 26.

109. UXor Lothi è civitate Sodomae, tanquam ex ardente ac fumigante inferno egressa dici potest. Cùm verò contra expressam Dei prohibitionem respiceret retrò, miserè perdidit vitam: *Respiciensq; uxor ejus post se, versa est in statuam salis.* Gen. 19. v. 26.

Retrò respicere nocet.

Orpheo concessum fuit, uxorem suam Euridicen ex inferno eripere, eâ tamen conditione, ut non respiceret retrò; & quia id non observavit, perdidit uxorem. Hoc factum ita refert Ovidius lib. 10. Metamor.

Hanc simul & legem Rodopejus accipit Orpheus
Ne flectat retrò sua lumina, donec avernas
Exierit valles: aut irrita dona futura.

Sed quid?

— — — avidusq; videndi
Flexit amans oculos, & protinus illa relapsa est.

Hanc fabulam prolixè etiam refert Virgilius l. 4. Georg. v. 485.

CAP. XIX. ỳ. 26.

UXor Lothi transgressa divinum praeceptum, mox recepit poenam, transformata in statuam salis. Gen. 19. v. 26. *Respiciensque uxor ejus post se, versa est in statuam salis.* 110.

Uxor facta est lapis.

Hanc ipsam metamorphosin repraesentârunt Gentiles in suis fabulis, quando finxerunt Nioben, quae superbo fastu provocaverat iram Dei, imprimis fuisse condemnatam, ut debuerit aspicere omnem suam numerosam prolem acerbè extinctam, & tandem ut etiam ipsa commutaretur in lapidem. De hoc Ovidius:

Diriguitq; malis, nullos movet aura capillos:
In vultu color est sine sanguine: lumina maestis
Stant immota genis: nihil est in imagine vivum.
Ipsa quoq; interius cùm duro lingua palato
Congelat, & venae desistunt posse moveri:
Nec flecti cervix, nec brachia reddere gestus,
Nec pes ire potest, intra quoque viscera saxum est.

Et magis nervosè lib. 1. de Ponto.

Felicem Nioben, quamvis tot funera vidit,
Quae posuit sensum saxea facta malis.

Et Callimachus in Hymno Apollinis;

Differt petra tuos pariter lachrymosa dolores
Humida quae quondam Phrygiis induruit oris:
Nunc quoq; marmor hiat triste, & lachrymabile quiddam.

CAP. XIX. ỳ. 27.

POstquam executioni data est totalis ruinae sententia contra nefandas civitates, & illi, qui antea inter flammas libidinis ardebant, postea in exterminii cineres redacti erant; Patriarcha tamen Abraham in sublimem situm ductus est, ut justi illius excidii esset attentus spectator, *Abraham autem consurgens manè,* uti refert Moses Gen. 19. v. 27. *intuitus est Sodomam & Gomorrham, & universam terram regionis illius: viditq; ascendentem favillam de terra &c.* 111.

Exterminium ostensum à longè.

Simili modo Ovidius l. 8. Metamor. refert, quòd Philaemon & Bautia è collis fastigio fuerint invitati ad videndam submersionem ac ruinam, quas Deus immiserat castigandis quibusdam sceleratis. unde versu 699. canit;

Tantùm abeunt summo, quantùm semel ire Sagitta
Missa potest: flexêre oculos, & mersa palude
Caetera prospiciunt, tantum sua tecta manere,
Dumq; ea mirantur, dum deflent fata suorum
Mersa vident &c.

CAP. XXI. ỳ. 9.

ÆTas juvenilis, inepta prorsus ad res graves ac serias, absque ullâ labe potest occupari 112.

rebus ludicris, quæ serviunt tum ad moderatum exercitium corporis, tum ad exercitandum ingenium. De his ludis puerilibus fit mentio Gen. 21. v. 9. *Cùm vidisset Sara filium Agar Ægyptiæ ludentem cum Isaac filio suo.* Et etiam in S. Matthæo cap. 11. v. 16. ubi Salvator Judæos comparat pueris, qui divisi in duas turbas, quarum una fingens cantum, & altera planctum, coæqualibus exprobrabant; sicque tali ludo hilares in publica platea circuibant.

Ludi pueriles.

Quòd si de ludis puerilibus agant Sacra Volumina, longè magis de iis tractabunt libri profani. Puerorum voluptas, inquit Horatius, est, fabricare domunculos, vel parvulos currus, quos equorum loco trahunt mures; ludere par impar; equitare in arundine longa. & alia similia;

Ædificare casas, plostello adjungere mures,
Ludere par impar, equitare in arundine longa.

Ausonius, scribens suo nepoti, protestatur, quòd à pueris non exigatur, ut semper immersi sint studiis, sed concedatur ipsis respiratio, ac certis temporibus ludicra recreatio.

Sunt etiam Musis sua ludicra mixta camœnis,
Otia sunt mellite nepos, nec semper acerbi
Exercet puerum vox imperiosa magistri.

Herodotus lib. 1. describit Cyrum, in ætate puerili occupatum ludis cum suis coætaneis. Et Baronius Tom. 3. Annal. Ann. 311. refert de S. Athanasio, quòd adhuc puer, ludens cum suis coætaneis ad littus maris, imitatus sit ritus Ecclesiasticos Episcoporum, & aliquos ex suis sociis baptizaverit, qui nec dum erant baptizati.

CAP. XXI. ℣. 10.

113. ISmaël, tametsi filius Abrahami; quia tamen natus ex secunda uxore ac ancillà, ejectus est paterna domo; cùm temerè ausus sit insidiari ac insultare legitimo hæredi, ut se ipsum intruderet in totale dominium hæreditatis ac bonorum. *Ejice ancillam hanc, & filium ejus*, inquiebat Sara Gen. 21. v. 10. *Non enim erit hæres & filius ancillæ cum filio meo Isaac.* De his insidiis & malo sup portandi modo locutus est S. Paulus Galat. 4. v. 29. *Is qui secundùm carnem natus fuerat, persequebatur eum, qui secundùm spiritum.* Haud aliter Abimelecchus tyrannicà violentià occidit septuaginta legitimos fratres, ut ipse illegitimus ac defectuosus gauderet omni facultate ac majestate. Judic. 9 v. 18.

Illegitimi persequuntur legitimos.

Perversus genius, quo illegitimi satagunt opprimere fratres legitimos, cognosci potest in persona Fraatis apud Justinum Historicum *l.* 42. in Jugurtha apud Sallustium *lib. Jugurth.* in Perseo apud Plutarchum *in Æmil.* in Manfredo apud Biondum *lib. 7. Decad. 2. &c.*

CAP. XXI. ℣. 14.

114. EGressa Agar cum filio suo Ismaële è domo Abrahami, accepit certa quædam alimenta, expressa Gen. 21 v. 14. *Surrexit itaq; Abraham manè, & tollens panem & utrem aquæ imposuit scapulæ ejus. &c.* qua loquendi forma demonstratur, jam olim usitatum fuisse, ut portarentur aquæ in pellibus, prout hodie portantur oleum & vinum. Unde ubi nos legimus Isa. 21. v. 14. *Occurrentes sitienti ferte aquam.* Paraphrastes Chaldæus transfert; *in occursum sitientis educite utrem aquarum.*

Aqua portatur in utribus.

De hoc more loquitur T. Livius l. 4. Decad. 5. *Sequi se utrarios ad mare jussit*; idque, ut *utres aquâ implerent*: Ita Philostratus l. 1. de vita Apollonii. c. 24. *Aquam præterea in commeatu parandam, atq; utribus non secus ac vinum deferri oportere audivi.* Et Suidas; *Pharusii, dum in Mauris eunt per sola, arentiaque loca, utres aquâ refertos subligant ventribus equorum.*

CAP. XXI. ℣. 16.

AGar, Patriarchæ Abrahami domo ejecta, cum filio suo Ismaële in tantam miseriam devenit, ut nec unicum haustum aquæ repererit, & miser filiolus sub egenæ matris conspectu jamjam erat mortis præda. Proinde mater in tantis angustiis in flebiles voces prorumpens, invocavit auxilium Dei. *Levavit vocem & flevit.* Gen. 21. v. 16. Et tamen Angelus ad opportunum succursum afferendum apparens, apertè protestatus est, quòd Deus exaudiverit voces, non quidem matris, sed Ismaëlis. *Exaudivit Deus vocem pueri*; ut significaretur; quòd ad obtinendas divinas gratias plus valeant labores & merita nostra propria, quàm aliorum, quos ad profectum nostrum substituimus. Unde sicuti preces Agaris, quas pro aliis fundebat, Deum non commovebant; ita preces Ismaëlis, qui pro se ipso orabat, omninò exaudiebantur. In hoc propositum Hieronymus Oleaster; *Flevit mater, & Dominus non quidem matrem, sed pueri vocem exaudisse dicitur, ut discamus — quòd plus nobis ad misericordiam valeant fletus nostri, quàm amicorum, & aliorum pro nobis.* 115.

Propriæ preces.

Antigonus, Macedoniæ Rex, interpellatus à milite quodam juvene & inexperto, ut ei daret mercedem ac stipendium militare, ex ipso quæsivit, quo modo promeritus fuisset hæc præmia ac stipendia; respondit juvenis, se petere gratias regias in præmium laborum, quos operose exhibuisset suus parens; Rex conclusit; *Ego, mi adolescens mercedem & munera dare propriæ, non paternæ virtutis causa dignis soleo.* Plutarch. in Apopht.

CAP. XXI. ℣. 17.

ISmaël in deserto sub oculis matris penè moriebatur præ siti; & licet mater, non verò filius, Deum supplici affectu rogâsset; nihilominus protestatur Angelus, quòd Deus non voces matris, sed solummodò filii exaudiverit. *Exaudivit Dominus vocem pueri de loco, in quo est.* Gen. 21. v. 17. Re ipsa enim apud Deum majoris efficacitatis est innocentia ac puritas juvenilis ad impetrandas gratias, tametsi lingua eas non petant; quàm duplicatæ preces Agaris, mulieris obstinatæ, superbæ, ac immorigeræ. Unde Lippomannus. *Exaudivit vocem pueri, cùm non puer flevisse vel clamasse, sed mater scribatur, quia clamabat ætas innocens.* Et Oleaster; *Flevit mater, & Dominus non quidem matris, sed pueri vocem audisse dicitur, ut discamus, quid valeant innocentium voces, & orationes apud Deum.* 116.

Meritum etiam tacens auditur.

Accumbente ad convivium Archelao, Rege Macedoniæ; aulicus quidam audax, meritis tamen exiguus rogavit à Rege donum crateris cujus-

jusdam aurei. At Rex, plus volens distribuere dona iis, qui habebant merita ad obtinendum, quàm qui habebant loquacitatem & audaciam ad petendum; mandavit pocillatori, ut craterem daret Euripidi, dicens ad eum, qui petiit; *Tu quidem ad petendum idoneus es, non ad accipiendum: ille autem ad accipiendum, etiam non petens.* Plutarch. lib. de vitioso pudore.

CAP. XXI. ℣. 33.

117. QUando Gen. 21. v. 33. dicitur; *Abraham plantavit nemus in Bersabee, & invocavit ibi nomen Domini Dei æterni.* Cajetanus expressè docet; *fuisse nemus illud tanquam templum, & oratorium tam Abrahæ, quàm aliis colentibus verum Deum.* Imò non tantùm integræ sylvæ, sed etiam certæ arbores fuerunt consecratæ Deo. Unde Josuæ 24. v. 26. scribitur, quòd hic Bellidux *tulit lapidem prægrandem, posuitq; eum subter quercum, quæ erat in sanctuario Domini*; ex quo apparet, quercum illam, fuisse consecratam Deo. Sacra ac religiosa etiam dici potest altera illa quercus, sub qua visus fuit à Gedeone Angelus, quia probabile est, sub illa fuisse altare, in qua offerebatur sacrificium; cùm scriptum sit; Judic. 6. v. 19. *Tulit omnia sub quercu, & obtulit ei: cui dixit Angelus; pone super petram illam &c.*

Sylvæ & arbores consecrantur Deo.

Dæmon quoque transtulit sacrilegia sua servitia ad sylvas & arbores, ubi gaudebat honorari & adorari. Plinius l. 12. c. 1. agens de arboribus, scribit; *Hæc fuêre numinum templa, priscoque ritu simplicia rura etiam nunc Deo præcellentem arborem dicant. Nec magis auro fulgentia, atque ebore simulacra, quam lucos, & in iis silentia ipsa adoramus. Arborum genera numinibus suis dicata, perpetuò servantur. &c.* Tacitus lib. 1. de Moribus Germanorum. *Lucos ac nemora consecrant, Deorumq; nominibus appellant secretum illud, quod sola reverentia vident.* Et Seneca Ep. 41. *Si tibi occurrit vetustis arboribus, & solitam altitudinem egressis, frequens lucus, & conspectum cæli densitate ramorum, aliorum alios protegentium, submovens illa proceritas sylvæ, & secretum loci, & admiratio umbræ in aperto tam densæ atque continuæ, fidem tibi numinis faciet.*

CAP. XXII. ℣. 1. &c.

118. EX mandato Divino accingitur Abrahamus ad consecrandum Isaacum; Hæc tamen innocens victima, jam stans supra altare, fuit morti subtracta, & ipsius loco oblatus aries; uti describitur Gen. 22. à num. 1. usque ad 14.

Isaac est subtractus morti.

Ex Oraculi dispositione Iphigenia, filia Agamemnonis, destinata est, ut in victimam offerretur Dianæ. Verùm jamjam imminente supra ipsius collum gladio; *Cùm jam immolanda esset, Dea ipsius miserta, cervam pro ea supposuit, virginem autem in Tauricam regionem transtulit.*

CAP. XXII. ℣. 9.

119. CUm Abrahamus sese disponeret, ut filium suum Isaacum Deo in holocaustum sacrificaret; priusquam illum ferro percuteret, vinculis eum constrinxit. *Cùmq; alligâsset Isaac filium suum, posuit eum in altare.* De hoc facto S. Zeno Episcopus & Martyr Veronensis; *Lætatus est pater, filio quoque gaudente, & cum gaudio unici pignoris alligat manus, quas ille vinciendas libentius offert.* Et S. Ambrosius; *Nectit filio manibus suis vincula pater. &c.*

Victimæ ligatæ.

Alexander ab Alexandro victimis jungit ligamina, lib. 4. c. 17. ita scribens. *In Scythia Marti sacrum fit, in quo victima primùs pedibus ligata, ad aram sistitur.* Ad hoc propositum non sine opportuna tropologia P. Cornelius à Lapide subjungit; *Sic Religiosi se per vota Deo alligant, & adstringunt, eiq; suum offerunt velle ac posse.*

Religiosi victimæ ligatæ.

CAP. XXII. ℣. 10.

ABrahamus, jussus filium suum dilectissimum Isaacum Deo in holocaustum offerre, 120.
obliviscitur se esse patrem, solumque recordatur, se esse servum Dei. Unde filium alligat, supra altare collocat, ferrum evaginat, & jamjam ictum vibrat. *Extenditq; manum, & arripuit gladium, ut immolaret filium suum.* Angelus autem impedivit effectum, gladiumque transtulit è collo filii in arietem. *Elevavit Abraham oculos suos, viditque post tergum arietem - quem assumens, obtulit holocaustum pro filio.* Gen. 22. v. 10. &c.

Victima mutata.

Olim jam consueverant Spartani offerre Diis sacrificii loco aliquam nobilissimæ stirpis Virginem. Et cùm sors tangeret Helenam, ut moreretur victima, jamjamque esset à Sacerdote occidenda; *Aquila devolans, sacrificii gladium abripuit, & ad armenta delatum, super juvencam demisit*; uti referunt Plutarchus & Pierius lib. 19. *Benignitas.*

CAP. XXII. ℣. 17.

QUando Abrahamo promissa fuit numero- 121.
sissima proles; dum dixit, ipsius posteros fore similes stellis cœli & arenæ maris; id est, fore numero innumerabiles. Gen. 22. v. 17. *Multiplicabo semen tuum sicut stellas cæli, & velut arenam, quæ est in littore maris.* Comparationem arenæ in memoriam revocavit Jacob Gen. 32. v. 12. *Tu locutus es, quòd benefaceres mihi, & dilatares semen meum sicut arenam maris*; est etiam usitata Hieremiæ c. 15. v. 8. *Multiplicatæ sunt mihi viduæ ejus super arenam maris.* Et Habacuco c. 1. v. 9. *Congregabit quasi arenam captivitatem.* Comparatio stellarum reperitur in Nahum c. 3. v. 16. *Plures fecisti negotiationes tuas, quam stellæ sint cæli.* Et in Deuteronomio c. 1. v. 10. *Dominus Deus vester multiplicavit vos, & estis hodie sicut stellæ cæli plurimi.*

Numerus infinitus repræsentatur in stellis & arena.

Hyperbolen arenæ ad significandum grandem numerum adhibuit Corippus lib. 3.

Quot cælum guttas mittit, quot littus arenas.

Et Seneca in Medæa:

Prius arenis numerus deerit.

Arenis & stellis simul usus est Catullus Hymen: Juliæ.

Ille pulveris Erythræi
Syderumque micantium
Subducat numerum.

Et Ovidius; lib. 1. Trist. Eleg. 4.

Tot mala sum passus, quot in æthere sidera lucent;
Parvaque quot siccus corpora pulvis habet.

CAP. XXII. ℣. 2.

TAndem Sara, uxor dilectissima Abrahami, 122.
clausit oculos in somno mortis. Ubi magnus ille Abraham, qui accingebatur ad filium suum

Planctus in exequiis. unicum propria manu immolandum, absque eo, ut vel unicam guttulam lachrymarum ex oculis funderet; nunc totus est profusus in lachrymas, suspiriis amarissimis prosequens uxoris mortem. *Mortua est* (Sara) *in civitate Arbea, quæ est Hebron, in terra Chanaan; venitque Abraham ut plangeret, & fleret eam.* Hoc tributum affectûs & doloris dedit Abraham suæ conjugi; prout postea dederunt David Jonathæ ac Sauli, mortuis in bello. 2. Reg. 1. v. 17. Et tota Judea Regi Josiæ defuncto. 2. Paral. 35. v. 24. Et discipuli primævæ Ecclesiæ occiso Protomartyri, qui *fecerunt planctum magnum super eum.* Act. 8. v. 2.

Quòd exequiis amicorum nostrorum debeatur planctus, persuadet Ecclesiasticus c. 38 n. 16. *Fili, in mortuum produc lachrymas, & quasi dira passus incipe plorare.* Illud ipsum est consilium Achillis apud Homerum, qui Mirmidonibus loquens, ait;

Adstantes Patrocli lachrymas in funus amici
Fundite, defunctis tales debentur honores.

Id quod etiam approbant Leges Imperiales; Ulpianus ff. de his qui not. infam. l. antepen. *Parentes & liberi utriusq; sexûs, nec non & cæteri agnati vel cognati, secundùm pietatis rationem & animi sui patientiam, prout quisq; voluerit, lugendi sunt. Qui autem eos non eluxit, non notatur infamiâ.*

CAP. XXIII. ℣. 8.

123. Cum mortua fuerit Sara in provinciis exteris: Abrahamus supplicavit Ephron, Principi de Hebron, ut ipsi concederet quandam speluncam, situatam in aliquo campo, ut ibi claudere posset cadaver defunctæ conjugis. *Intercedite pro me apud Ephron filium Seor: ut det mihi speluncam duplicem, quam habet in extrema parte agri sui.* Gen. 23. v. 8. habuitque benignum responsum n. 11. *Agrum trado tibi & speluncam, quæ in eo est — sepeli mortuum tuum.* Erat ergò antiquorum mos, ut defunctos sepelirent in campis, sylvis, & cryptis. Unde cùm ageretur de sepulchro Salvatoris Joan. 19 n 41. *Erat autem in loco, ubi crucifixus est hortus & in horto monumentum novum &c ibi ergò posuerunt Jesum.*

Sepulchra in campis.

Qualis locus fuerit antiquis destinatus pro sepulchro, dicit Joannes Pineda in c. 3 Job v. 15. n. 5. *Primum in campis, montibus, solitudinibus celebrabantur funera & condebantur cadavera. Deinde quodam quasi humanitatis sensu, in viis publicis erigi sepulchra cœperunt, ut facientibus iter, mortui imago quasi ex insidiis se offerret. Postea in proprio cujusque agro sepultura locus fuit.* Idipsum dixit Cicero; *In agris quisq; suis sepulchra & loculos, in quibus cineres suorum conderent, habuerunt.*

CAP. XXXII. ℣. 4. &c.

124. Illustre comitatis certamen repræsentatur capite 23. Geneseos inter Abrahamum & Ephron. Abrahamus rogavit spatium terræ ad sepeliendam defunctam Saram; & responsum accepit, ut in tumbis nobilissimis & sumptuosissimis pro libitu reponeret exanimem uxorem. n. 4. & 6. Abrahamus rogavit sibi parvulum campi spatium vendi, ut fungi posset illo officio; at totus campus ei liberalissimè oblatus est absque ullo pretio. num. 11. Denique rursus conveniunt ob pretium; at rursus innovantur exhibita humanitatis ac liberalitatis signa.

Simile magnanimitatis certamen reperio in Æliano l. 9. de Var. Hist. cap. 29. inter Alcibiadem & Socratem. Nam *Alcibiades ambitione quâdam munificus, complura, magnaq; munera Socrati dono dedit. Quum ergò Xantippe admiraretur donorum amplitudinem, & ea cuperet accipere, Socrates dixit: Quin & nos certemus liberalitate cum Alcibiade, & ea, quæ mittuntur ab ipso, non capiamus, ad declarandam animi magnitudinem.*

CAP. XXIV. ℣. 4.

Cum Abrahamus desideraret conservari in posteris, providit dilecto suo Isaaco sponsam; constituens procuratorem Eliezer, hominem fidelem, ac prudentia probatum; ut proficisceretur ad investigandam è terra ac familia unde oriundus erat Abraham, aliquam puellam, nobilitate ac moribus dignam tanto filio. Ego te adjuro, inquit, ut *ad terram, & cognationem meam proficiscaris, & inde accipias uxorem filio meo Isaac.* Gen. 24. v. 4. 125.

Nuptiæ per procuratorem.

Quòd nuptiæ possint tractari ac stabiliri per procuratorem, est doctrina sæpissimè in praxin deducta, ac definita à Legibus. Ulpianus ff. de Sponsal. l. ultim. *In sponsalibus constituendis parvi refert, per se, & coram, an per internuntium vel per epistolam, an per alium hoc factum est, & ferè plerumque conditiones interpositis personis expediuntur.* Estque omninò certum, quòd inter duos absentes possint fieri promissa. l. 4. ff. eod. c. veniens. qui Cler. vel vox. &c.

CAP. XXIV. ℣. 28. &c.

Sive consideremus Rebeccam, existentem adhuc in domo Batuelis, patris sui; illa post finitum colloquium cum Eliezero, homine extero, statim cucurrit ad cubiculum suæ matris, ut eam redderet certiorem, quidnam contigisset. *Cucurrit itaque puella, & nuntiavit in domum matris suæ omnia, quæ audierat* Gen. 24. v. 28. Sive consideremus eam jam conductam ad domum Abrahami, & factam sponsam Isaaci; etiam ibi recepta ac introducta fuit *in tabernaculum Saræ matris suæ* n. 67. Hæc testimonia clarè demonstrant, fœminas habuisse domicilia, ipsis solis propria, & separata à reliqua familia; idque ob majorem decentiam ac honestatem. Hunc morem multis scripturis corroborat P. Paulus Scherlogus Tom 2. in Cant. c. 1. vestig. 3. sect. 2. num. 24. ad quem remitto meum Lectorem. 126.

Fœminæ habitabant in separatis domiciliis.

Illud insuper demonstrant Vitruvius de Architectura l. 6. c. 10. Julius Pollux lib. 10. c. 28. Plutarchus in vita Themistoclis & Pelopidæ. Statius lib. 2. Achilleid. & alii, quos refert Scherlogus citatis locis.

CAP. XXIV. ℣. 51.

Quando Eliezer cum Batuele & Labano, patre ac fratre Rebeccæ stabilivit Isaaci & Rebeccæ sponsalia; nihil de lucro aut dote; sed illud solum audiebatur; *En Rebecca coram te est, tolle eam, & proficiscere, & sit uxor filii Domini tui.* Totum illud, quod in sponsis requirebant antiqui illi sapientes, erant talenta virtutum, non cumuli divitiarum; ad hoc propositum apprimè dicit S. Joannes Chrysost. Hom. 48. in Gen. *Ecce habes virginem: tolle eam, & proficiscere: vidisti, quomodò solebant olim filiis suis uxores ducere? quomodò magis animæ generositatem, quàm opum abundantiam inquirebant.* 127.

Dos sponsæ erat virtus.

Tales dotes in sponsis etiam requirebat Solon

Ion, qui, ut refert Plutarchus in ipsius vita; *Cateris conjugiis dotes detraxit, sponsamque prater tres stolas & supellectilem parvi pretii afferre quidquam vetuit. Neque enim meritorium aut venale volebat fœdus nuptiarum.* Egregiè Platus in Amphitruone.

Non ego illam mihi dotem duco esse, qua dos dicitur:
Sed pudicitiam, & pudorem, & sedatum cupidinem,
Deûm metum, parentum amorem, & cognatûm concordiam.

CAP. XXIV. ℣. 53.

118. QUamprimùm Eliezer defixit oculos in Rebeccam, mox concepit indubiam spem, contrahendi nuptias cum pulcherrima illa virgine & suo Domino Isaaco. Unde etiam, arrhæ loco, mox ei obtulit inaures & armillas aureas, tanquam pignus amoris. Gen. 24. v. 22. Quando postea ipsius pater ratum habuit promissum; statim iterum *prolatis vasis argenteis & aureis, ac vestibus, dedit ea Rebecca pro munere: fratribus quoque ejus, & matri dona obtulit.* n. 53. Proinde semper fuit consuetudo laudabilissima, quòd sponsus, in tesseram reverentiæ & amoris, debeat suæ sponsæ gratificari nobilibus donis.

Sponsus offerat dona sponsæ.

Iulius Capitolinus, loquens de donis, quæ Maximinus miserat Juniæ Fhidillæ, destinatæ suæ sponsæ; in vita illius Principis scribit, quòd ei miserit *Monolium de albis novem, reticulum de prasino undecim: dextrocherium cum costula de hyacinthis quatuor, prater vestes auratas, & omnes regias, cateraque insignia sponsaliorum.* Julianus orat. 1. de nuptiis Constantii ait; *Exquisitarum vestium ac donorum generis omnis, & monilium ac coronarum ab Imperatore missarum ingentem quemdam catalogum instituimus.* In hoc argumentum omitti non debet ingeniosum acumen S. Epiphanii, qui oratione de Laudibus Deiparæ scribit; *Virgo invenitur esse cœlestis sponsa; & mater, qua donorum ante nuptialium nomine Spiritum Sanctum accepit.*

CAP. XXIV. ℣. 61.

119. POstquam stabilita erant sponsalia Isaaci & Rebeccæ; ista è domo paterna valedixit, ut perduceretur ad domum mariti: id quod pro ipsius honestate ac decore factum est, sequente ac serviente certo domicellarum numero. *Igitur Rebecca, & puella illius, ascensis camelis, secuta sunt virum, qui festinans revertebatur ad Dominum suum.* Gen. 24. ℣. 61 Ipse etiam David, de sponsa in Palatium Regis Salomonis deducendâ, ait; *Adducentur Regi virgines post eam.* Psal. 44. ℣. 15. Et si aliquis quærat, cui officio destinata sit hæc fœminarum turba; respondet S. Clemens Alexandrinus Pædag. l. 3. c. 3. *Ornatores autem & ornatrices mulieribus ornandis deserviunt: ut ha quidem speculis: illa autem vittis; alia verò prasunt pectinibus &c.*

Sponsis nobilibus inserviunt domicellæ.

Ceteris filia ingenti fœminarum turba reperitur cincta, earumque servitiis stipata; unde abrepta, non potuit satis reprehendere inexplicabilem earum inadvertentiam, Claudiani ore l. 3. de raptu Proserp: exclamans;

Heu! ubi nunc est nata mihi? quò mille ministra?
Quo Cyane? volucres qua vis Sirenas abegit?
Haccine vestra fides? sic fas aliena tueri
Pignora?

Haud aliter Virgilius 1. Æneid. repræsentat Reginam Didonem versu 500.

Regina ad templum formâ pulcherrimâ Dido
Incessit, magnâ juvenum stipante catervâ.
Qualis in Eurota ripis, aut per juga Cynthi
Exercet Diana choros: quam mille secuta
Hinc, atque hinc glomerantur Oreades.

CAP. XXIV. ℣. 62.

Cùm sanctus Juvenis Isaacus totus propenderet ad res divinas: ut posset meditationi absque strepitu insistere, in sylva quadam ambulavit per vias solitarias. *Deambulabat Isaac per viam, qua ducit ad puteum.* Gen. 24. ℣. 62. *Et egressus fuerat ad meditandum in agro.* Procopius in hunc locum præclarè ait; *Iter illud conveniebat Isaaco, ut quod non multis frequentaretur hominibus, & ab omni strepitu esset segregatum, Et per illud incedens, & speculationi rerum divinarum incumbens, pervenit ad fontem.* 120.

Vita contemplativa amat solitudinem.

Quòd solitudo sit ad speculandum & contemplandum opportuna, etiam Gentiles satis habuêre perspectum. Plato secessit ab Athenis, & commorans inter densas sylvas, ibi aperuit Academiam, seque toto spiritu impendit ad Philosophiam. Cicero, remotus à fori strepitu, inter silentia villæ attendebat Philosophiæ. Hesiodus protestatur, se didicisse Poësin à Musis & quidem sub cavernis montis Heliconis, ubi morabatur pascendo gregem. Unde ait;

Carmina secessum scribentis, & otia quarunt.

Elias, Elisæus, Joannes Baptista, S. Hieronymus, S. Basilius, & S. Gregorius Nazianzenus, cum centenis aliis, habitabant in desertis, & excolebant summo studio proprium spiritum; cooperti enim umbris cavernarum, elevabantur liberi ad contemplandam sapientiam divinam, & gustanda lumina inextinguibilia paradisi.

CAP. XXIV. ℣. 64.

Nobilissimum ornamentum virginitatis æstimandæ est modestia. Illa virgo præ omnibus æstimabitur, quæ oculos ab omnibus continet, & se ab omnium conspectu occultat. Resplenduit hæc virtus in Rebecca, quæ proficiscens ad nuptias Isaaci, quamprimùm illum à longè vidit, *tollens citò pallium, operuit se.* Gen. 24. v. 64. cooperuitque se tanquam Virgo. Benè canit Prudentius l. 2. ad Symmach.

Sunt & virginibus pulcherrima pramia nostris
Et pudor, & sancto tectus velamine vultus.

Insuper etiam se cooperuit tanquam sponsa. Unde Tertullianus l. de veland: Virg: *Apud Ethnicos etiam velata ad virum ducuntur.* Proinde sponsæ comparebant velato capite: & proinde Rebecca, ut ait S. Ambrosius, relatus 30. q. 5. c. 8. ait; *Caput suum obnubere cœpit, docens verecundiam nuptiis praire debere. Inde & nuptia dicta,* quod

Velum ornamentum sponsæ.

quod pudoris gratia se puellæ obnuberent.

Plutarchus in Lacon: ait, hanc fuisse Spartanis consuetudinem; *ut virgines apertâ facie, & nupta velata procederent.* Latini nuptiarum tempore sponsas suas velabant flammeo. Unde Martialis l. 11. 79.

Flammea texuntur sponsæ; jam virgo parata est.

Lucanus lib. 2. de secundis nuptiis Marlæ cum Catone.

Lutea demissos velârunt flammea vultus.

Et Claudianus lib. 2. de Rapt: Proserpinæ;

- - - - et vultibus addunt
Flammea, sollicitum prævelatura pudorem.

CAP. XXV. ℣. 9.

132. Gravidus quidem annis, magis tamen meritis, vitam suam finiit optimus Patriarcha Abrahamus; unde lachrymabundis oculis *Sepelierunt eum Isaac & Ismaël filii sui in spelunca duplici, quæ sita est in agro Ephron &c. ibi sepultus est ipse, & Sara uxor ejus.* Gen 25 v.9. &c. Ita Abrahamus & Sara, quemadmodùm fuêre amabiles socii in thoro maritali; sic etiam in sepulchrali scrobe non fuêre separati; prout observat Abulensis in c. 23. Gen. *Semper Patriarcharum mos fuit, uxores suas apud se facere sepeliri.*

Maritus & uxor simul sepulti.

Consuetudo hæc frequens fuit apud Gentiles; Apulejus lib. 8. Metam: *Unitâ sepulturâ ibidem marito perpetuam conjugem dedêre.* Valerius Maximus l. 4. c. 6. de M. Plautio scribit, quod post mortem junctus fuerit defunctæ suæ conjugi Orestillæ. *Amici, sicut erat, togatum ac calceatum corpori conjugis junxerunt.* Et Ovidius l. 4. Metamor.

Ut quos certus amor, quos hora novissima junxit.
Componi tumulo non invideatis eodem.

CAP. XXV. ℣. 29.

133. Paucis contenta est natura humana, & optimum ciborum condimentum est fames. Hæc veritas comprobatur in domo Jacob & Esau; ubi ad instruendam mensam paratum fuit pulmentum lentis *Coxit autem Jacob pulmentum: ad quem cùm venisset Esau de agro lassus, ait: Da mihi de coctione hâc rufa.* Gen: 25 v.29. Mira proinde erat frugalitas illius sæculi, dum etiam opulentissimæ familiæ ita parcè vivebant.

Vita frugalis antiquorum.

Aulus Gellius, loquens de Tauro Philosopho l. 17. c. 8. ait; *Accipiebat nos Athenis cœna plerumque.* At qualis cœna? *ejus cœna fundus & fundamentum omne erat in olla una lentis Ægyptiæ, & cui urbitæ inibi minutim cæsa.* Hujus sententiæ etiam fuit Tacitus Imperator, solitus dicere; *Frugales mensulas, olusculis & leguminibus Pythagoricis instructas, multò gratiores esse, quàm Mylesiorum sumptuosa fastidia.* & addebat; *se lactucarum usu somnum mercari.* Sabellicus Ennead 7. lib. 7.

CAP. XXV. ℣. 29.

134. Esau famelicus convenit cum suo fratre Jacob ob vendendam primogenituram, eratque contentus, ut in vicem acciperet scutellam lentis. *Coxit autem Jacob pulmentum: ad quem cùm venisset Esau de agro lassus, ait; da mihi de coctione hâc rufa* Gen. 25. 29. *Cui dixit Jacob; vende mihi primogenita tua;* Id quod etiam statim sortitum est suum effectum; parùm æstimante Esau tam grande præjudicium. *Parvi pendens, quòd primogenita vendidisset.* n. 34.

Si verum est, quod illud pretium sit mensura proportionata rei, quod in re vendita ponitur; tunc illud nunquam erit dignum pretium, quod nimis vile est respectu rei emptæ. Unde lex declarat invalidam illam emptionem, quæ fit vili pretio. l. per diversas. C. mand: cap. ad nostram. De empt & vendit. Unde sequeretur, Esau non potuisse pro quatuor lentibus primogenituram, instar thesauri pretiosam. Nihilominus dici potest, quòd Esau illam simul vendiderit & donaverit. Decisio hæc est Ulpiani in l si quis. 38. ff. de contr. empt. *Si quis donationis causâ minoris vendat, venditio valet; toties enim dicimus in totum venditionem non valere, quoties universa venditio donationis causâ facta est; quoties verò viliore pretio res donationis causâ distrahitur, dubium non est, venditionem valere.*

Quomodo possit vili pretio vendi.

CAP. XXV. ℣. 33.

135. Privilegia primogenituræ erant ultra modum sublimia & grandia. Hæc enim dabat principatum & majoratum supra totam familiam; ad differentiam ab aliis fratribus, qui ex hæreditate paternâ solùm capiebant unam partem, primogenitus acceperat duas; Erat insuper sacerdos suæ familiæ, & in morte patris honorabatur peculiari benedictione; uti prolixius demonstrat Cornelius à Lapide hîc; & Jacobus Solianus Tom. 1. Anno mundi 2223. n 3. Nihilominus Esau vilissimo pretio quatuor lentium vendidit primogenituram, unáque renuntiavit benedictioni paternæ, hæreditati, sacerdotio, & Principatui. de quo Gen. 25. 33. *Esau vendidit primogenita. Et sic accepto pane, & lentis edulio, comedit, & bibit: & abiit: parvi pendens, quòd primogenita vendidisset.* Esau haud absimilis fuit Adamo, qui pro uno pomo vendidit Paradisum.

Primogenitura habet multa privilegia.

Vendere multum pro vili pretio.

Esau videri possit imitatus Lisimachus, qui, referente Plutarcho in Apopht. confligens cum Dramocheta in Thracia, admodùm afflictus est siti, quemadmodum Esau fame. Unde pro uno cyatho aquæ se ipsum ac totum exercitum vendidit inimico, at postquàm bibit, stultitiam suam agnoscens, exclamavit; *O Dii! quàm parva voluptatis causâ, me ipsum ex Rege servum effeci!* Idipsum evenit peccatoribus; qui pro una voluptatula momentanea vendunt Dæmoni animam, renuntiantque amicitiæ Dei, ac prætensioni, quam habebant ad cœlestē, æternamque hæreditatem.

CAP. XXVI. ℣. 8.

136. Non sine prægnanti ratione idioma Hebræum vocatur lingua sancta; quia nunquam subministrat verba obscæna, & ipsos etiam actus libidinis profert modestissimis verbis. Observatur id Gen. 26 v. 8. *Prospiciens Abimelech Rex Palæstinorum per fenestram, vidit eum* (Isaacum) *jocantem cum Rebecca uxore sua;* ubi ponit *jocantem* pro *coëuntem.* Et quòd hoc verum sit, ex eo liquet, quia Rex quamprimum *accersito eo ait; perspicuum est, quòd uxor tua sit.* Unde etiam Cajetanus in hunc locum subjungit; *Actus conjugalis significatur, prout testantur subjecta Abimelechi.*

Actus venereus vocatur jocus.

Quòd actus lascivi fuerint expressi per metaphoram jocandi, observant Eruditi, dum considerant consilium Sardanapali; *Tu hospes benè comede, & bibe, & lude:* per hoc *lude* intelligunt ope-

operationes brutales & impudicas. Ita olim meretrices vocabantur *Ludices*; & hoc forsan à *ludo libidinis, quem apertum habebant*, ut interpretatur Ludovicus Cerda Adversar: c. 141. n. 446. In hunc sensum Propertius. lib. 2.

Sin autem longo nox una, atque altera lusu
Consumpta est, non me crimina parva movent.

CAP. XXVI. ℣. 11.

137. Tangere significat actum impudicum. POstquàm innotuit Regi Abimelecho, quòd Rebecca esset uxor Isaaci; ut pro suis meritis ab omnibus honorarentur, publico edicto cavit; *Qui tetigerit hominis hujus uxorem, morte morietur.* Gen. 26. v. 11. ubi verbum *tetigerit* sumitur pro copula carnali & impudica, cùm ex se significet rem honestam & modestam.

Hoc loquendi modo ad significandas res impudicas etiam usi sunt profani. Horatius l. 1. Sat. 2.

Matronam nullam ego tango.

Plautus in Aulularia. Euclionis ore;

Quid tibi erga meam, me invito, tactio est?

Cui respondet Liconides;

Quia vini vitio, atque amoris feci.

Et paulò post Euclio;

Non mihi homines placent, qui quando
malè fecerunt, purgitant.
Tu illam sciebas, non tuam esse, non
attactam oportuit.

CAP. XXVI. ℣. 11.

138. Adulterium punitur morte. ABominabile ultra modum est delictum adulterii, quod obscurat familias, contaminat successiones, & aquisitis in domo filiis suppotitiis, defraudantur legitimi justa ac naturali sua possessione bonorum. Unde non absque ratione castigatur pœna mortis. *Qui tetigerit hominis hujus uxorem, morte morietur.* Gen. 26. v. 11. Ita contra Davidem adulterum strinxit Deus, justi rigoris sui gladium *Non recedet gladius de domo tua in sempiternum, eò quòd despexeris me, & tuleris uxorem Uriæ Hethæi, ut esset uxor tua &c.* 2. Reg. 12 v. 10. Etiam pœna lapidationis contra adulteros lata est Levit: 20. v. 10. Deuter. 22. v. 22. Daniel. 13. v. 41. Jo. 8. v. 5.

Leges Romanæ damnant adulteros capitali supplicio. Ita sancit Constantinus C. ad l. Juliam. De adult. l. quamvis. *Sacrilegos autem nuptiarum gladio puniri oportet.* l. Castitati C. eod. tit. l. transigere. C. de transact. §. 2. Instit. de Publ. Jud. Idipsum approbat Justinianus, sententiam capitalem pronuntians contra mares, convictos de adulterio. § Si quando. Auth. ut nulli judic. Et Angli germani, aliæque nationes sententiam illam exequuntur etiam in fœminis.

CAP. XXVI. ℣. 11.

139. VT demonstraret Rex Palæstinæ in Geraris, irremissibilem esse illam pœnam capitalem pronuntiatam contra omnes illos, qui inhonestè tractaverint Rebeccam; usus est emphatica hac formula; *Qui tetigerit hominis hujus uxorem, morte morietur.* Geminantur hæc verba in Exodo. c. 19. v. 12. *Omnis qui tetigerit montem, morte morietur.* Et in Levitico, *Si quis dederit de semine suo idolo Moloch, morte moriatur.* Et 1. Reg. 14. v. 44. *Morte morieris Jonatha.* Item 1. Reg. 14. v. 43. *Gustans gustavi paululum mellis.* in Psal: 131. v. 16. *Sancti ejus exultatione exultabunt.* In Ezech: 18. v. 9. *Vitâ vivet, ait Dominus.* S. Matth. c 2. v. 9. *Gavisi sunt gaudio magno valde.*

Reduplicatio verborum affert emphasin.

Hæc figura, teste P. Martino del Rio Tom. 1. Adag. fuit etiam nota & usitata Poëtis Græcis; unde Aristophanes apud Athenæum dixit; *Formâ formosam, magnitudine magnam, & arte artificem.*

CAP. XXVI. ℣. 12.

CUm Isaacus in Geraritarum provincia moraretur, ne vitam transigeret otiosam, locatam accepit terram, quam sollicitè aravit, coluit, & seminavit; idque successu adeo felici; ut pro uno lucratus sit centum. *Sevit autem Isaac in terra illa, & invenit in ipso anno centuplum, benedixitque ei Dominus.* Gen. 26. v. 12. Grandis hæc fertilitas fuit quidem beneficium specialissimum liberalitatis divinæ, simul tamen etiam fuit fructus industriæ, diligentiæ, ac laboris, quem bonus Patriarcha adhibuit. *Verissimum enim est; Deum Isaaco benedixisse, quia strenuè laborabat, colebatque agrum*, ut loquitur Corn. à. Lap. in hunc loc: 140.

Diligens agricola lucratur abundanter

Gratiosa est illa de C. Furio Cresino Historia. Iste ex parvulo agro collegit majorem quantitatem fructuum, ac alii invidi ipsius vicini ex amplissimis terris. Unde malitiosè fuit accusatus, *ceu fruges alienas pelliceret veneficiis.* Citatus à Sp. Albino, ac timens, ne condemnaretur; pro sua defensione *instrumentum rusticum omne in forum attulit, & adduxit filiam validam, ferramenta egregiè facta, graves ligones, vomeres ponderosos boves saturos.* Et postea dixit; *Veneficia mea, Quirites, hæc sunt: nec possum vobis, ostendere, aut in forum adducere lucubrationes meas, vigiliasque & sudores.* Unde; *Omnium sententiis absolutus est*: ut refert Plinius lib. 18. cap. 6. Proinde omninò verum est, quod subjungit idem Plinius; *Opera, non impensâ, cultura constat.* Abundantia fructuum, est filia laboris.

CAP. XXVI. ℣. 16.

REipsa omninò ita est; quòd vix appareat lumen mundanæ felicitatis, & eam jam à tergo insequatur umbra invidiæ. Isaacus, habitans in Geraris, civitate Philistæorum, quantùm acquisiverat facultatum & divitiarum, tantùm reperiebat odii ac malevolentiæ. Prout ipse etiam Rex, qui se antea ei totum addictum ostenderat, è terra sua ipsum proscripsit, timens ejus potentiam. *Recede à nobis, quoniam potentior nobis factus es valde.* Gen. 26. v. 16. 141.

Virtus patitur invidiam.

Ista est mundi politica, ut non fidat vicino potenti. Unde eum studet reprimere, & quantum potest, removere. Aristoteles l. 3. Polit. c. 3. refert, quòd, Jasone cum Argonautis in Colchidem ad aquirendum vellus aureum navigante; se ipsis junxerit Hercules, ut posset tantæ expeditionis esse particeps. Verum derelictus fuit à Jasone & Argonautis; *Non enim*, inquit Aristoteles, *unà cum aliis navem regere illum voluisse.* Idque ideò fecerunt, quia Hercules in trahendis remis se non poterat illis accommodare, sed excedens omnes in robore, remigavit tanta cum violentia, ut fracti sint remi, & fluctuante ad utrumque latus nave, periculum naufragii incurrerint. Ita cives Ephesini, haud absimiles Geraritis, Hermodorum ejecerunt civitate, quia aliis erat eminentior. Unde dixerunt, teste Cicerone

Cicerone 5. Tuscul: *Nemo de nobis unus excellat, sed si quis extiterit, alio in loco, & apud alios sit.*

CAP. XXVII. ℣. 15. &c.

141. IAcob, repræsentans personam Esau, ducitur ad patrem Isaacum, ad obtinendam benedictionem: & quidem illuc ducitur adornatus vestimentis particularibus; quia Rebecca *Vestibus Esau valde bonis* (quas *in arca inter odoramenta asservabat mater*, inquit Cornelius à Lapide) *induit eum* Gen. 27. v. 15 Unde propinquans Patri; mox, *ut sensit vestimentorum fragrantiam, benedicens illi, ait: Ecce odor filii mei sicut odor agri pleni &c.* Gen. 27. v. 27. Ex hac historia colligitur; quòd vestes antiquorum Hebræorum, maximè Magnatum, fuerint pretiosis unguentis, & exquisitissimis odoribus conditi: Unde Psalm. 44. v. 9. *Mirrha, & gutta, & casia à vestimentis tuis.* Et in Canticis c. 4. v. 11. *odor vestimentorum tuorum sicut odor thuris.*

Vestimenta odorifera.

Odorifera hæc suavitas etiam aliis nationibus erat usitata S. Clemens Alexandrinus l. 2. Pædag. c 8. exprobrans luxui gentilium, scribit; *Ab eis indies nova excogitantur ob inexplebilem voluptatis cupiditatem boni odoris, & quidem sua vestimenta & vestes stragulas, vestesque suas suffumigant & aspergunt.* Jacobus Diaconus in vita S. Pelagiæ meretricis cap. 2. *Qua tamen transiens per nos totum implevit aërem ex odore musci, vel cæterorum suavissimorum odoramentorum fragrantia.* Ita Nonnus lib. 42.

Ambrosiâ tua pulchritudo est superior: at hereo verò.

Nectare fragrante tua spirat tunica.

CAP. XXVII. ℣. 26.

143. OSculum est expressum charitatis, amoris, & affectûs indicium. Unde Isaacus, priusquàm benediceret filio; *Dixit ad eum: Accede ad me, & da mihi osculum fili mi. Accessit. & osculatus est eum.* Ita etiam Jacob dedit verecundum osculum suæ cognatæ Racheli. Gen. 29. v. 11. Laban suo nepoti Jacobo. Ibid: n. 13. Esau fratri Jacob. Gen. 33. v. 4. Aaron Mosi. Exod. 4. v. 27. Samuel Sauli. 1. Reg. 10. v. 1 &c.

Osculum est signum affectûs.

Centenis scriptoribus comprobatū est, quòd oscula sint inditia & pignora amicitiæ ac pacis. Plutarchus in vita Fabii Maximi dicit; quòd Minutius felix, cùm iterum esset conciliatus Fabio, & auxiliares copias militares ab eo accepisset; *Amplexus Fabium, & osculatus est: Idem erat cernere per totum exercitum: nam complexu sese mutuo, & osculo exceperunt.* Arianus in dissertationibus Epicteti cap. 19. *Tribunatum aliquis adeptus est, omnes obvii gratulantur, alius oculos, alius colla osculatur.* Martialis l. 7. Epigr: 94. ad Linum.

Bruma est, & riget horridus December,
Audes tu tamen osculo nivali
Omnes obvius hinc, & hinc tenere.

Et rursùs lib. 11. Epigram. 99. ad Bassum.

Effugere non est, Basse, basiatores
Instant, morantur, persequntur, occurrunt &c.

CAP. XXVII. ℣. 33.

144. ESau erat ordine naturæ primogenitus; excellentiâ tamen virtutis & meritorum debebatur honor primogenituræ Jacobo. Ita disposuit Deus: Ita approbavit ipsius Pater Isaacus, qui sua benedictione formavit, ut minor frater præponeretur majori. *Benedixitque ei, & erit benedictus,* Gen. 27. v. 33. Ita primogenito Ruben fuit antepositus Juda, vocatus expressè ad Regnum. Gen. 49. v. 10. Manassi natu majori præpositus est Ephraim, natu minor. Gen. 48. 19. Adoniæ primogenito antepositus est Salomon. 3. Reg. 1. &c.

Primogeniti postponuntur secundogenitis.

Etiam in profanis Historiis non desunt exempla, in quibus primogeniti depositi, & secundogeniti exaltati. Nunc duo solùm sufficient. Childericus Rex Galliæ à Zacharia, Pontifice maximo, fuit Regno amotus tanquam negligens & nullius frugis; in hujus locum substituit Pipinum, & quidem cum plausu & complacentia totius Galliæ. Ita Rex Hungariæ, habens votum, cum grandi exercitu proficiscendi in terram sanctam; postea oppressus lethali infirmitate, rejecit hoc negotium in filium suum Andream. Quia verò iste arma, quæ debebat ducere in Palæstinam, convertit adversus fratrem suum primogenitum, qui Regni possessionem jam habuerat: Innocentius III. Summus Pontifex ipsi in mandatis dedit, ut proficisceretur contra infideles, prout erat obligatus. *Ne*, ut protestatur Pontifex, *sionus tibi à Patre injunctum, & à te spon te susceptum, occasione quâlibet detrectaveris, paternâ te reddas successione indignum, & hereditatis emolumento priveris, cujus recusaveris onera supportare, sciturus ex tunc anathematis te vinculo subjacere, & jure, quod tibi, si dictus Rex sine prole decederet, in Regno Hungariæ competebat, ordine genituræ privandum & Regnum ipsum ad minorem fratrem tuum, appellatione postpositâ, devolvendum.* Ut reperitur c. licet universis. de Vot.

CAP. XXIIX. ℣. 11.

UT Jacob cederet iræ Esau, è paterna domo discessit, & peregrinando pervenit in Mesopotamiam. Sedè via fessus, & volens capere quietem, noctem totam miserè transegit somno, habens nudam terram pro lecto, & pro culcitra durum saxum. *Cumque venisset ad quemdam locum, & vellet in eo requiescere post solis occubitum, tulit de lapidibus, qui jacebant, & supponens capiti suo, dormivit in eodem loco,* Gen. 28. v. 11. De hoc S. Joannes Chrysostomus; *Vide pueri robur; qui lapidibus pro pulvinari utitur. Vide masculum spiritum: super pavimentum dormit.* 145.

Dormire in terra.

Duram ac miseram Jacobi quietem videntur imitati Philosophi Cynici, qui ut promtiores essent ad vigilandum, dormiebant supra herbas; Ulysses *duro lapide pro molli thoro utebatur*; ut observavit S. Clemens Alexandrinus l. 2 Pædag. c. 9. Et Æneas, de quo Virgilius 8. Æneid. v. 26.

Nox erat, & terras animalia fessa per omnes
Alituum, pecudumque genus sopor altus habebat.
Cum Pater (Æneas) in ripa gelidique sub ætheris axe
Procubuit, seramque dedit per membra quietem.

CAP. XXIIX. ℣. 12.

UNa ex præcipuis visionibus, quas habuêre antiqui Patres, fuit illa Jacobi, qua vidit scalam, quæ è terra usque ad cœlum protensa, repræ- 146.

Scalæ in visione.

repræsentabat angelos ascendentes ac descendentes per aureos illius gradus. *Viditque in somnis scalam, stantem super terram, & cacumen illius tangens cœlum: Angelos quoque Dei ascendentes & descendentes per eam.* Gen. 28. v. 12.

Similis visio contigit aliis servis Dei. De S. Romvaldo scribitur die 7. Febr. *Scalam à terra in cœlum pertingentem, in similitudinem Jacob Patriarchæ per quam homines in veste candida ascendebant & descendebant per visum conspexit;* ubi ipsi repræsentabantur sui Monachi Chamaldulenses. S. Antoninus, agens de morte S. Patriarchæ Dominici, scribit, quòd in horâ sui transitus; *Prior Brixiensis vidit hiatum in cœlo, per quem submittebantur duæ candidissimæ scalæ, unum tenebat B. Virgo, alteram Christus: Angeli verò ascendebant & descendebant; & in fine utriusque scalæ sedes posita erat,* supra quam sedens S. Dominicus, velutitriumphans, in cœlum portatus fuit. In vita SS. Perpetuæ & Felicitatis 7. Martii scribitur, quòd in carcere detentæ fuerint, & S. Perpetua in visione viderit scalam auream, quæ è terra in cœlum porrigebatur, cujus gradibus erant affixi acutissimi gladii. Ad pedem scalæ cernebat horribilem Draconem, qui conabatur impedire, ne quisquam conscenderet scalam. Postea verò vidit Satyrum (unum è quatuor sociis, qui simul cum illa pro sancta fide sustinuerunt Martyrium) qui grandi animo supra scalam illam saliebat, & cæteros ad eandem conscendendam hortabatur. Expergefacta è somno S. Perpetua, visionem suam narravit; omnesque Deo retulerunt summas gratias, quòd per hanc visionem dignatus sit, iis Martyrii gloriam revelare.

Scala est imago Martyrii.

CAP. XXVIII. v. 18.

147. EXpergefactus è felici somno Jacob, in quo habuit visionem cœli aperti, & scalæ, per quam scandebant angeli, eumque invitabant, ut ad Deum elevaretur: mox saxum illud, quod dormienti instar pulvinaris deserviit, in terram defixit, ut columnæ loco esset in perpetuam memoriam acceptarum gratiarum: insuper illud unxit oleo, ac veluti altare consecravit, ut deserviret honori divino. *Surgens Jacob manè, tulit lapidem, quem supposuerat capiti suo, & erexit in titulum, fundens oleum desuper.* Gen. 28. v. 18. Ad hoc exemplum ab Ecclesia Catholica unguntur templa & altaria oleo sacro, sicque dedicantur ac consecrantur,

Saxum unctum ad honorem Dei.

Ad hanc actionem reflectens S. Augustinus l. 16. de Civit. c. 8. ait; inde occasionem mutuâsse Dæmones, ut suos gentiles incitarent ad ungendos lapides, ac consecrandos in honorem Dei termini. Ad hunc morem alludens Apulejus lib. 1. Floridarum scribit; *Neque istius religiosam moram viatori objecerit, aut ara floribus redimita, aut spelunca frondibus inumbrata, aut quercus cornibus onerata, aut fagus pellibus coronata, vel enim colliculus sepimine consecratus, vel truncus velamine effigiatus, vel cespes libamine humigatus, vel lapis unguine delibutus.* De his saxis unctis & consecratis loquitur Minutius Felix; *In lapides effigiatos, & unctos & coronatos impingere.* Et Prudentius lib. 1. advers. Simmach.

Deus Terminus unde habuerit originem.

- - - Gustaverat inter
Vagitus de farre molę, saxa illita ceris
Viderat, unguentoq; lares humescere nigros;
Formatum fortunæ habitum cum divite cornu,

Sacratumq; domi lapidem consistere, parvus
Spectârat. Matremq; illic pallere rogantem.

CAP. XXVIII. ỳ. 20.

INter imminentia pericula & egestates itineris non aliunde subsidium petiit bonus Jacob, nisi à Deo. Et dum assistentiam Divinæ providentiæ implorabat, expresso voto se ipsum obligavit, quòd vellet gratitudinis tributa ac decimas pendere divinæ majestati, à qua protectus ac servatus fuisset. *Vovit etiam votum dicens; si fuerit Deus mecum, & custodierit me in via, per quam ego ambulo & dederit mihi panem ad vescendum, & vestimentum ad induendum, reversusque fuero prosperè ad domum patris mei: erit mihi Dominus in Deum, & lapis iste, quem erexi in titulum, vocabitur domus Dei: cunctorumque, quæ dederis mihi, decimas offeram tibi* Gen. 28. v. 20. Vota, cœpta à Jacobo, postea innovata sunt ab innumeris hominibus, quorum plenæ sunt scripturæ sacræ. 148.

Votũ pro salute propria.

Jacob votum suum obtulit pro salute propria; Gentiles verò illud obtulerunt pro salute Principis. *Post kalendas Januarias* (inquit Gajus) *die tertio pro salute Principis vota suscipiuntur.* Arcadius & Honorius l. 1 c. de oblat. Votor. l. 10. ajunt; *Quando votis communibus felix annus aperitur, in una libra auri & solidis obryzatis principibus offerendi devotionem animo libenti suscipimus.* Tacitus lib. 4. scribit, quod in ipsis calendis recepta sint vota; & quòd Tiberius ægrè tulerit, quando Pontifices in recipiendis votis populi pro salute Tiberii, commendârint Deo simul etiam filios Germanici. T. Livius l. 8. meminit, quòd aliquis se ipsum obtulerit in votum pro salute & victoria populi Romani.

Vota pro salute principis.

CAP. XXVIII. v. 20.

BOnus Jacob, è patria sua exul, & in regionibus exteris peregrinus ac solitarius, anxiè desideravit repetere terram patriam, confugitque ad vota Deo oblata, & toto corde rogavit, ut felicem reditum impetraret. *Votum vovit dicens; si reversus fuero prosperè ad domum patris mei erit mihi Dominus in Deum &c. & cunctorum, quæ dederis mihi, decimas offeram tibi.* Gen. 28. n. 20. &c. 149.

Vota pro reditu in patriam.

Jacobum imitata Gentilitas, consuevit vota emittere pro reditu in patriam. De hoc more loquitur Brissonius lib. 1. Formul. Ad hunc ritum alludit Virgilius Æneid. lib. 2. v. 17. ubi de Græcis, in obsidione Trojæ per decem integros annos fatigatis, canit;

Votum pro reditu simulant.

Ovidius l. 1. Amor. Eleg. 11.

Pro reditu victima vota cadet.

Tibullus lib. 3.

Ac si pro dulci reditu quæcunque voventur.

Et Suetonius in vita Caligulæ c. 14. *Cùm deinde paucos post dies in proximas Campaniæ Insulas trajecisset, vota pro reditu suscepta sunt.*

CAP. XXVIII. ỳ. 20.

VIderi possit, Jacobum parcâ manu cum divina Majestate egisse, quando promisit non quidem aurum aut gemmas; sed decimas fructuum aut armentorum. Nihilominus summam laudem est promeritus, quia potius consideratus est affectus offerentis, quàm res oblata; cùm ex parvuli doni obla- 150.

Votum de rebus exiguis.

oblatione plurimùm reluceat magnitudo pietatis.

Quòd hoc verùm sit, demonstrat Cicero lib. 1. de Divinit. ubi Attium Nevium magnis laudibus extollit, quòd in tanta paupertate fuerit constitutus, quòd vitam pascendis porcis sustentare debuerit, cùm autem fortè porcus unus fuisset amissus, voto se obstrinxit, quòd, si ille reperiretur, vellet Deo offerre pulcherrimam & maximam uvam, quam in tota vinea reperire posset; uti refert Joannes Lorinus in Acta Apost. Alexander ab Alexandro l. 3. c. 11. de L. Papirio scribit; quòd *adversùs Samnites dimicaturus, Victori Jovi pocillum mulsi pro re magna votum fecisse dicitur.*

CAP. XXVIII. ℣. 20.

151. MAgnam animi moderationem demonstravit Jacob, quando ad Deum, bonorum omnium inexhaustum fontem, conversus; nihil aliud rogavit, nisi purum panem & unicam vestem; quæ subsidia deservirent solùm ad sublevandam necessitatem non verò ad sensuum voluptatem aut luxum. *Si dederit mihi panem ad vescendum, & vestimentum ad induendum erit mihi Dominus in Deum &c.* Gen. 28. v. 20. Omninò mihi persuadeo, ab optimo hoc magistro instructum fuisse Salomonem, quando Deo supplicavit; *Mendicitatem & divitias ne dederis mihi: tribue tantùm victui meo necessaria.* Prov. 30. v. 8. Vestigia Jacobi secutus est Ecclesiasticus cap. 29. v. 28. *Initium vitæ hominis aqua, & panis, & vestimentum, & domus protegens turpitudinem.* In hac schola doctus fuisse videtur doctor gentium, quando dixit 1. Timoth. 6. v. 8. *Habentes autem alimenta & quibus tegamur, his contenti simus.* Juvenalis Sat. 14.

Animus paucis contentus.

- - Mensura tamen quæ
Sufficiat census, si quis me consulet, idem
In quantum sitis, atque fames, & frigora poscunt.

Et post illum Prudentius in Psycho.

Summa quies nil velle super, quæ postulat usus
Debitus, ut simplex alimonia, vestis & una
Infirmos tegat, ac recreet mediocriter artus.

CAP. XXVIII. ℣. 20.

152. IN precibus Jacobi deprehenditur, quòd ipsius votum non fuerit absolutum, sed conditionatum. *Si fuerit Deus mecum, & custodierit me in via, per quam ego ambulo, & dederit mihi panem ad vescendum &c.* Observatur insuper, quòd promiserit, se velle Deo gratificari non unà tantùm vice; sed decimis omnium suorum bonorum. *Cunctorum, quæ dederis mihi, decimas offeram tibi.*

Votum conditionatum.

Unde sive loquamur de voto conditionato, Livius lib. 10 n. 19. ita discurrit; *Dicitur Appius in medio pugnæ discrimine, ita ut inter prima signa manibus ad cælum sublatis conspiceretur ita precatus esse: Bellona, si hodie nobis victoriam duis, ast ego tibi templum voveo.* Ita Augustus apud Ovidium l. 5. Fast. Marti supplicavit, fecitque votum conditionatum, si ei assisteret ad vindicandam mortem Patris.

Si mihi bellandi pater est, Vestæque sacerdos
Auctor, & ulcisci numen utrumque paro:
Templa feres: & me victore vocaberis ultor.

Et Ovidius 1. Trist Eleg. 9. precans felix iter cuidam navi, concludit;

Hæc si contigerint, merita cadet agna Minervæ,

Sive loquamur de promissis Deo decimis bonorum; Camillus Dictator, aggressurus bellum, referente Livio lib. 5. invocavit Apollinem his verbis. *Tuo ductu Pythice Apollo, tuoque Numine instinctus, pergo ad delendam urbem Veios, tibique hinc decimam partem prædæ voveo.*

Decimæ in voto promissæ.

CAP. XXIX. ℣. 9.

RAchel, una ex pulcherrimis fœminis, quas unquam potuit aspicere oculus; tametsi opulenta parentibus, clarissima sanguine, nobilis & nubilis; dicitur tamen intenta pascendis gregibus. 153.
Tanta nimirum erat antiqui illius sæculi simplicitas ac pudicitia, ut nec sciret alterius honestati insidiari, nec sinistrè suspicari. *Ecce Rachel veniebat cum ovibus patris sui: nam gregem ipsa pascebat.* Gen. 29. v. 9. Mos hic continuabatur usque ad Salomonem, qui Cant. 1. v. 7. dicebat; *O pulcherrima inter mulieres, egredere, & abi post vestigia gregum, & pasce hædos tuos juxta tabernacula pastorum.* Unde S. Clemens Alexandrinus l. 4. Strom. ait, *Et puellæ regiæ pascebant oves apud Hebræos.* Et rursùs; *Jam ergo mulieres non minus, quàm masculi, & domum custodiunt, & venantur, & gregem pascunt.*

Virgines pascebant gregem.

De puellis Arabiæ testatur Philo Hebræus l. 1. de vita Mosis. *Arabes exercent pecuariam, pascuntque greges promiscuè viri, mulieres, Juvenes, virginesque, non plebeji solùm, sed & nobiles.* Varro de re Rustica cap. 10. inquit: *Itaque in saltibus licet videre juventutem, & eam ferè armatam: cum in fundis non modò pueri, sed etiam puellæ pascant: & sanè quia in fundis & mollis planitie virgines, non autem in saltibus & locis arduis.* Ad hanc fœmininam custodiam alludit Virgilius Eclog. 7 v. 14.

— Nec ego Alcippem, nec Phillida habebam
Depulsos à lacte domi, qua clauderet agnos.

CAP. XXIX. ℣. 11.

QUam primùm Jacob factus est obviam Racheli, sua obsequia ei detulit, removendo quoddam saxum à puteo, ut ipsius greges possent potari; & postea dando ei castum ac amicitiæ plenum osculum. *Et adaquato grege, osculatus est eam.* De hoc facto S. Augustinus q. 87. *Fuit hoc osculum amicitiæ, quo fratres & cognati abeuntes, aut redeuntes, invicem solent osculari, osculoque salutare, aut valedicere.* De pueris ac innocentibus his osculis idem S. Augustinus in Libello de anima cap. 6. ait; *Corporale osculum impressione labiorum certis & honestis horis conceditur; ut in reconciliatione, in pacis contestatione, communione cœnæ, amoris professione, ut inter sponsum & sponsam, cum advena & hospes suscipitur, & in Catholicæ unionis signo.* 154.

Osculum amicitiæ.

Hæc amicitiæ oscula variis nationibus fuerunt usitata. *Persarum mos erat,* inquit Alexander ab Alexandro l. 2. c. 19. *ut si pares essent osculo impartirent, quos honorabant. Cognatos tamen, reliquosque necessarios, ubi diutius abfuissent, aut longius essent abfuturi, se invicem osculari, frequens usus erat: quod à Romanis usurpatum invenimus, ut cognatis obviam facti frontem suavientur.* Ita tamen frequens apud Romanos invaluit hic mos mutuorum osculorum, ubique iterandorum, ut Tiberius Imperator hanc molestiam cum nausea tulerit, ac publico edicto statuerit, ne imposterum hoc more uterentur, sed prorsùs abstinerent. Suetonius c. 34. vitæ Tiberii.

Prohibitum a Tiberio.

CAP.

CAP. XXIX. ỷ. 14.

155. Labanus, suscipiens Jacobum, (qui ipsius patrociniose totum confiderat, cùm Jacobus esset filius Rebeccæ, sororis Labani; sicque Labani nepos ex sorore) consolatus est nepotem, eique promisit omnem assistentiam, dicendo; *Os meum es, & caro mea.* Gen. 24. v. 14. Simili phrasi Judas, loquens de fratre suo Josepho Gen. 37. v. 27. ait, *Frater enim, & caro nostra est.* Et Abimelecchus ad Sichemitas Judic. 9. v. 2. *Considerate, quod os vestrum, & caro vestra sim;* id est, vester concivis.

Parentes sunt noster sanguis.

Quòd parentes nostri vocentur sanguis ac viscera nostra, testantur etiam Authores profani. Amphytrion loquens nurui suæ Megæræ, apud Senec. Herc. Fur. Act. 2. Scen. 2. ita ratiocinatur;

O socia nostri sanguinis.

Eadem Megæra, videns, quòd Hercules proprios occidisset filios, in has voces prorupit.

Quo tendis amens? sanguinem fundis tuum.

Et Canaces apud Ovidium, de prole exposita loquentis verba erant;

Viscera montanis ferret edenda lupis.

CAP. XXIX. v. 22.

156. Postquàm Jacob septem annorum servitio sibi comparavit nuptias Rachelis; Labanus, pater ipsius, ingentem numerum amicorum convocavit ad sumptuosum convivium, celebravitque nuptias. *Vocatis multis amicorum turbis ad convivium, fecit nuptias.* Gen. 29. v. 22. Neque in Provincia Mesopotamiæ, ubi habitabat Labanus, sed in aliis etiam locis convivia jungebantur nuptiis. Ita observatur in nuptiis Samsonis Judic. 14. v. 10. Tobiæ & Saræ. Tob. 7. v. 17. & 8. v. 22. Idque etiam praxis Persarum obtinuit; eo enim die, quo Assuerus regium diadema imposuit capiti Estheris; *Jussit convivium praeparari permagnificum cunctis principibus & servis suis pro conjunctione & nuptiis Esther.* Esth. 2. v. 18. Hic mos approbatur Math 22. v. 2. *Simile factum est regnum cœlorum homini Regi, qui fecit nuptias filio suo.* Et paulò post; *Ecce prandium meum paravi &c.* Luc. 14. v. 8. & Joan 2. v. 1.

Convivia in nuptiis.

Quòd in nuptiis gentilium instituta fuerint convivia, meminère Plato l. 5. de Leg. Aristoteles l. 4. Ethic. Homerus l. 1. Iliad. & l. 4. Odyss. De hoc more etiam mentionem facit Apulejus l. 6. & Juvenalis Sat. 6. Hic verò duo solùm testimonia sufficiant. Athenæus lib. 5. ait; *Moribus & legibus scitum est, ut in nuptiis epulum fiat, tum nuptiales Deos ut veneremur, tum ut pro testimonio id fit* Et Ælianus lib. 8. de Var. Hist. c. 7 *Alexander quum Darium vicisset, nuptias & sibi, & amicis paravit. Erant autem qui uxores ducerent, nonaginta, totidemque thalami. Locus verò, in quo convivio recipiebantur & accumbebant, centum habebat lectos &c. Recepit etiam in convivium peculiares quosdam hospites suos, quos sibi è regione accumbere jussit. In aula verò convivia agitabant copiæ pedestres &c.*

CAP. XXIX. n. 27.

159. Labores pauperis Jacobi mercedem valde exiguam retulère, dum finitâ septem annorum gravissimâ servitute; quando volebat è sinu pulchræ Rachelis, juxta pactum cum patre initum, colligere fructum; reperit sibi sociatam in nuptiali thalamo turpem Liam. Cùm ergo ob fraudem adeò gravem vehementer conquereretur Jacob, promisit ei desideratam Rachelem, eâ tamen conditione, ut hebdomadam nuptiarum cum Lia compleret, simulque septem aliis annis serviret. *Imple hebdomadam dierum hujus copulæ: & hanc quoque dabo tibi pro opere, quo serviturus es mihi septem annis aliis.* Gen. 29. v 27. Ita Labanus, tametsi aliàs homo fraudulentus & injustus, voluit servare æqualitatem, ac filias pari modo tractare, ne una videretur esse magis æstimata aut vilipensa quàm altera. Lælius Mancinus lib. 1. Collat. c. 56. *Notare mibi debes pro utraque conjuge septennium conveniri, adeoque, parem propter nuptias donationem; ecquis igitur dubitet, parem quoque futuram fuisse dotem?*

Filiæ tractandæ pari modo.

Optimum, haud dubiè, consilium est, ut omnes filiæ, sublatâ omni partialitate, æqualiter dotentur ac æstimentur: Nihilominus præsuppositâ doctrinâ legum, debent observari ætas, conditio, familia, & natales. l. cum post §. gener. ff. de in dot. l. si filiæ ff. de Leg. 3. l. si cum ea C. de dat. prom. Dos saltem debet esse æqualis proportione geometricâ; ne pater se demonstret acceptatorem personarum. His addi potest, quòd Justinianus auth. de Nupt. § ult. exhortetur Patres, ut æqualiter tractent filios, è diversis uxoribus natos; tum quòd omnes æqualiter sint ipsorum filii; tum quia operari debent ut boni patres. Videatur Lælius Mancinus Collat. l. 1. cap. 56.

CAP. XXX. v. 1.

Rachel, invidens fœcunditati sororis suæ Liæ, importunè petiit à Jacobo, ut ipsam ex uxore efficeret matrem; secus enim se morituram præ mœrore. *Cernens autem Rachel, quòd infœcunda esset, invidit sorori suæ, & ait marito suo: Da mihi liberos alioquin moriar.* In hunc locum S. Joannes Chrysostomus Hom. 36. declarat has voces; *Verba insipientiæ plena; imò inconsideratam & muliebrem petitionem animæ, ab æmulatione impugnatæ.* Malo ac imprudenti consilio mori decrevit Rachel, si non haberet filios; posteà enim, cùm peperisset Benjaminum, animam expiravit. Unde acutè & ingeniosè ut solet, Emmanuel Thesaurus in Elogio Jacobi de illa ait; 158.

Desiderium habendi liberos.

Infelix igitur Rachel, ut prolem pariat
Vota concipit: felix, nisi litâsset
Nam animam simul, ac Benjaminum enixa,
Vitam amisit cùm dedit.
Disce quam nostra prodat cupiditas:
Perierat, nisi pareret, periit quia peperit.

Videmus proinde in Rachele, quod alicubi scripsit Plinius; *Natura aviditas, ut parere malit, quàm vivere.* Adhæc malè consideravit infelix fœmina, quòd potius divinâ misericordiâ, quàm humanâ operâ obtineantur filii. Unde Psaltes canit; Psal. 99. v. 3. *Ipse fecit nos, & non ipsi nos.* Quamobrem gratiosè solent dicere Hebræi, quòd Deus sibi reservet quatuor claves; videlicet clavem ad pluvias, pro libitu suo spargendas. Deut. 28. v. 12. clavem ad vitam seu generationem, prout apparet ex hoc loco Genesis & alibi. Clavem alimentorum ad pascendas creaturas. Psal. 144. v. 16. Et clavem sepulchrorum, ut ex iis revocet defunctos ad vitam in communi resurrectione. Ezech. 37. v. 12.

Filii sunt donum Dei.

Claves reservatæ Deo.

CAP. XXX. ỷ. 39. &c.

Postquàm Jacob cum socero suo Labano paciscebatur, ut omnes greges, qui nascerentur maculati, ac pluribus coloribus distincti, essent merces servitutis suæ, in canalibus, ubi greges pota- 159.

potabantur, collocavit aliquas virgas, partim decorticatas, & partim cortice inumbratas, unde oves, in calore generationis ad similitudinem illius objecti diversicoloris conceperunt agnos maculatos ac discolores. Ita scribitur Genesis cap. 30. v. 37. &c. Operatio hæc fuit merè naturalis, cùm enim vires phantasiæ in generatione sint vehementissimæ; fœtus conceptus recipit eandem prorsus qualitatem colorum, qui matri in actu conceptionis objiciuntur. S. Isidorus l. 12. Ethymol. c. 1. sub fin. ait; *Hoc ipsum in equarum grege fieri dicitur, ut generosos objiciant equos visibus concipientium, quo similes eorum concipere & creare possint. Nam & columbarum dilectores ponunt pulcherrimas columbas iisdem locis, quibus illæ versantur, quo videlicet rapiente visu, similes generent. Unde est, quòd quidam gravidas mulieres vetant intueri turpissimos animalium vultus, ut cynocephalos, & simias, ne visibus occurrentes, similes fœtus parere faciant.*

Phantasia habet grandes vires.

Vires hujus imaginationis optimè intelliguntur à Philosophis & Medicis. Plinius hàc de re loquitur lib. 7. c. 12. Et Galenus lib. de Theriac. ad Pison. affert exemplum cujusdam fœminæ, quæ maritum deformem habens, genuit pulcherrimum infantem, quia ob oculos suos posuit exquisitam picturam. *Visu opinor natura*, inquit ille, *imaginem transmittente.* S. Hieronymus in Tradit. Hebr. super hunc locum ait; *Scriptum reperitur in libro Hippocratis, fuisse fœminam quandam suspicione adulterii puniendam, quòd pulcherrimum infantem peperisset, utrique parenti, generique dissimilem: nisi memoratus medicus solvisset quæstionem, admonens, ut quærerent, si fortè talis pictura fuisset in ejus mulieris cubiculo: quâ inventâ mulier à supplicio & suspicione liberata est.* Sub hàc ipsa reflexione Torquatus Tassus in Genes Liber. Canto 12. stanza 21. & 22. describit Chlorindam filiam, pulchro candore donatam, tametsi matre nigrâ genitam; idque ob eam causam, quia mater in actu generationis erat defixa in certam sacram picturam, quæ insignem candorem præsetulit.

Filii pulchri ex parentibus deformibus.

CAP. XXXI. ℣. 15.

160. JUstissimè conquestæ sunt Lia & Rachel contra patrem suum Labanum, qui eas iniquissimè tractavit. *Nunquid habemus residui quidquam in facultatibus, & hæreditate domûs patris nostri? Nonne quasi alienas reputavit nos, & vendidit, comeditque pretium nostrum?* Gen 31. v 15. veluti dicerent; Vides, O Jacob, quòd Pater noster è suis facultatibus nec hilum nobis dederit, & quasi hæreditate exclusas ac extraneas tractârit, dum imprimis nos tibi dedit uxores sine dote; & postea pretium, quod quatuordecim annorum laboribus comparâsti, sibi reservavit. Unde subdolus iste homo potius nobiscum egit quasi mango equorum vel mercator, quàm veluti pater, collocando nos tanquam filias tali modo in matrimonium, ut videri potuissemus misera mancipia.

Filiæ tractatæ ut servæ.

Similes querelæ reperiuntur in Sophocle, quem refert Stobæus serm. 66. ubi introducit quandam fœminam ita loquentem;

Ubi ad pubertatem hilares pervenimus,
Pellimur foras, atque divendimur,
Procul à Diis patriis, & parentibus
Aliæ quidem peregrinis viris, aliæ barbaris.

CAP. XXXI. ℣. 17. &c.

QUando Rachel cum marito suo Jacobo fugit è domo Laban, simul furata est idola patris; & ne ita facilè reperiri possent abscondit ea sub stipulis. *Abscondit idola subter stramenta cameli.* Gen. cap. 31. à versu 17. usque ad 34. 161.

Idola abscondita.

In vita Iphigeniæ scribunt Gentilium fabulæ, quòd cum fratre suo Oreste fugerit ex aula Regis Toantis, unaque secum abstulerit simulachrum Dianæ, quod etiam *in lignorum fasce* abscondit, ne inveniretur.

CAP. XXXI. ℣. 23.

PLenus furore ac vindictâ Labanus, persecutus est fugientem è domo suâ Jacobum; statuitque illum onerare injuriis ac verberibus. At Deus suscipiens defensionem innocentis Jacobi, repressit furias Labani, jussitque expressè, ut ab offensa Jacobi abstineret. *Persecutus est eum diebus septem; & comprehendit eum in monte Galaad. Viditque in somnis dicentem sibi Deum. Cave, ne quidquam asperè loquaris contra Jacob.* Gen 31. v. 23. &c. Anastasius Imperator sub prætextu, nescio quo, in carceres conjecit Justinum & Justinianum, destinavitque, eos barbarum in modum privare vitâ; *Cumque in animo haberet eos occidere deterritum esse somno, quo ei vir terribilis apparens, minaciter prohibuit, ne quid mali eis faceret.* Zonaras Annal. p. 3. & Baronius Anno 518. 162.

Justi à Deo proteguntur.

CAP. XXXI. ℣. 40.

APprimè dixit, qui affectum amoris vocavit loricam inexpugnabilem. Sint sanè in summo gradu intensæ ac intollerabiles elementorum qualitates, certamen veri amantis non sentit ardores æstivos, quia à flamma longè calidiore occupatur. Longè minùs constringitur rigoribus hyemis, quia ab igne interno confortatur. Nox & dies, calor & gelu per septem continuos annos infestârunt Jacobum, ut dixerit; *Diu noctuque æstu urebar & gelu* Gen. 31. v. 40. sed ista omnia non curavit, quia longè vivacior erat amor erga Rachelem, quàm omnes hyemis ac æstatis rigores. 163.

Amor non curat calorem aut frigus.

Phædra amore capta, apud Senecam in Hippolit. Act. 2. similes affectus exprimit.

Non me per altas ire si jubeas nives,
Pigeat gelatis ingredi Pindi jugis:
Non si per ignes ire & infesta agmina
Cuncter paratis ensibus pectus dare.

Ovidius, loquens homini amanti, l. 2. de Arte, exactè exprimit sensus Jacobi;

Nec grave te tempus, sitiensque canicula tardet,
Nec via per jactas candida facta nives.
Non & hyems, longaque via, sævique dolores
Mollibus his castris, & labor omnis inest.
Sæpè feres imbrem cœlesti nube solutum,
Frigidus in nuda sæpè jacebis humo.

CAP. XXXI. ℣. 40.

JAcob superavit æstivos ardores ac frigoris rigores, quasi habuisset æreas aut adamantinas carnes. *Die noctuque æstu urebar & gelu.* Gen. 31. v. 40. Attamen heroicæ hujus tollerantiæ beneficio 164.

Consuetudo utilis.

cio insigniter assuevit superare fastidia diuturni itineris, & aquisivit robur ad sustinendam luctam cum Angelo, fuitque firmatus, ut heroico animo sufferret furibundi & armati fratris Esau persecutiones.

Quod humanus animus à voluntaria & assueta patientia firmetur & roboretur, observavit Cicero 2. quæst. Tuscul. *Consuetudini magna vis est, pernoctant venatores in nive, in montibus uri se patiuntur; inde pugiles cæstibus contusi, ne ingemiscunt quidem.*

CAP. XXXI. ℣. 54.

165. TAndem amaritudo mutui diffidii inter Jacobum & Labanum desiit in amicitiam ac pacem. Unde bonus Jacob, *immolatis victimis in monte, vocavit fratres suos, ut ederent panem.* Gen. 31. v. 54. Ita nimirum imprimis obtulit sacrificium, & postea apparavit convivium; ut religio haberet suum in victimis tributum, & urbanitas suam in convivio satisfactionem; dum primò suum jus tribuebatur Deo, cui per illas oblationes agebantur gratiæ; & postmodùm hominibus, quos recreabat cibis. Simili modo operatus est Patriarcha Joseph, qui fratribus suis non instruxit mensam, nisi post occisas victimas. *Præcepit dispensatori domûs suæ dicens; introduc viros domum, & instrue convivium.* Gen. 43. v. 16. Ita in Proverbiis de sapientia scribitur cap. 9. v. 2. *Immolavit victimas suas;* & postea *miscuit vinum, & proposuit mensam suam.*

Sacrificia & convivia.

Hunc morem, primò offerendi victimas, & postea instruendi mensam, etiam amplexi sunt Gentiles. Athenæus l. 5. c. 6 loquens de cœnis factis à Rege Persarum, ait; *Regi mille victima eodem die mactantur: inter quæ sunt equi, cameli, boves, asini, cervi, & plurimæ oves: multæ sunt & & aves &c. ex quibus moderatè singulis convivis apponitur.* Et cap. 11. ejusdem libri, loquens de Ariane, grandi Galatarum magnate, qui totum populum excepit convivio; inquit, *Postea sacrificia taurorum, suum, ovium, aliorum jumentorum singulis diebus multa persolvit &c ita ut non solùm ii Galatha, qui ex vicis civitatibusque convenerant, his vescerentur, verùm etiam omnes, qui accedebant externi.* Et cap. 20. *Civitas Tarentinorum singulis ferè mensibus boves sacrificat, conviviaque publica facit.*

CAP. XXXII. v. 25.

166. COactus est Jacob luctari cum Angelo, ictumque adeò validum accepit, ut emotum sit os coxendicis, &, offenso nervo, debuerit claudicare. *Tetigit nervum femoris ejus, & statim emarcuit.* Gen. 32. v. 25. unde *ipse claudicabat pede* n. 31.

Nervus miraculosè offensus.

Nauclerus ad Annum Domini 1011. refert, quòd Henrico Imperatori apparuerit Christus, indutus habitu Pontificali, veluti celebraturus Missam. Inserviebant ei SS. Laurentius & Vicentius sequentibus B. Virgine, Patriarchis, Apostolis, Martyribus &c. Angeli cantabant introitum &c. & finito Evangelio, unus ex Angelis librum, quem Christus osculatus est, attulit ad Mariam Virginem & alios omnes osculandum: *Demum innuit B. Virgo Angelo ut porrigeret librum etiam Henrico ad osculandum. & cùm præ nimio gaudio raptus, nesciret ad plenum intendere, Angelus ipsum in nervo tangens dixit; Hoc tibi erit signum dilectionis Dei propter tuam captitatem & justitiam: & exinde usque ad mortem claudicabat, ex quo eventu vocatus est Henricus claudus.*

CAP. XXXII. ℣. 26.

DUravit lucta inter Angelum & Jacobum per aliquod noctis spatium; at comparente ad illustrandum orientem aurorâ; Angelus discedere voluit, sive quòd non libenter se videndum præbuerit in corpore illo assumpto; sive quòd visio adeò nobilis non deberet manifestari servis Jacobi, qui paulò post adventuri essent. Unde rogavit; *Dimitte me, jam enim ascendit aurora.* Gen. 32. v. 26. Ut nimirum significaret, res divinas & spirituales debere servari secretas & reconditas, ne in facie mundi publicentur & manifestentur. 167.

Spiritus amant secretum.

Quod Moses refert de isto Angelo, Poëtæ dixerunt de spiritibus nocturnis, qui solent comparere inter tenebras, & illucescente aurorâ disparent. Virgilius Æneæ sistit apparentem Anchisen, eligitque tempus atræ noctis lib. 5. Æneid. v. 721.

Et nox atra polum bigis subvecta tenebat,
Visa dein cœlo facies delapsa parentis
Anchisæ.

At hi ad primos orientis radios aufugerunt;

Iamque vale; torquet medios nox humida cursus,
Et me sævus equis Oriens afflavit anhelis.
Dixerat, & tenues fugit, ceu fumus, in auras,

Claudianus id ipsum dixit de umbra Theodosii.

Dixit, & afflatus vicino sole refugit.

Hunc morem observatum habent omnes lemures, de quibus Propertius lib. 4. Eleg. 7. loquitur;

Lemures hostes lucis.

Nocte vagæ ferimur, nox clausas liberat umbras,
Errat & objectâ Cerberus ipse serâ.
Luce jubent leges Lethæa ad stagna reverti.

CAP. XXXIII. ℣. 10.

PLenus anxietatis ac formidinis Jacobus, præsentiam Esau expectabat; quando verò ipsum vidit totum suavem, clementem, & amabilem, gaudio perfusus est ita grandi, ut sibi videretur cernere Angelum Paradisi, ac vultum Dei. *Sic enim vidi faciem tuam, quasi viderim vultum Dei.* Gen. 33. v. 10. Communi opinione habetur ille Deo similis, qui repentè, & nemine sperante, affert felicitatem & auxilium. 168.

Benefactor similis Deo.

Hanc loquendi methodum observatam habent Eruditi. Ælianus de Var. Hist. lib. 1. c. 30. de quodam Regis Ptolomæi amico ait; *Accidit aliquando, ut cum Rege equitaret: cùm verò procul aliquos ad supplicium trahi videret; non ocsitanter in hæc verba Regem affatus est. sed, O Rex, inquit ad Ptolomæum; quandoquidem prosperâ quâdam fortuum istorum fortunâ equos conscendimus, age, si gratum est, calcaribus admotis & velociâ persequentes appareamus miseris, quasi Dioscures Salvatores, & advocati salutem ferentes.* Achilles apud Euripidem consolans mœstam Climnestram, eique insperatam Iphigeniæ liberationem promittens, dixit;

Sed esto secura: Deus ego illuxi tibi, maximus.

In hoc propositum Græci ad denotandum improvisum succursum, solebant proverbii loco dicere; *Deus est machina*, & etiam, *Homo homini Deus.*

CAP. XXXIII. ℣. 10.

169. UT genuinè exprimatur majestas ac pulchritudo vultûs cujusdam nobilis ac regii, non potest ad meliorem ideam recurri, quàm ad aspectum Angeli vel Dei. Hâc locutione usus est Jacob ad celebrandam clementiam & gratiam fratris sui Esau. *Vidi faciem tuam, quasi viderim vultum Dei.* Gen 33. v 10. Miphibosethus ad conciliandam gratiam Davidis, ait; *Tu autem Domine mi Rex, sicut Angelus Dei es.* 2. Reg. 19. v. 29. Esther loquens Assuero; *Vidi te Domine quasi Angelum Dei* Esth. 15. v 16. S. Lucas ad honorem S. Stephani; *Intuentes eum omnes, qui sedebant in concilio, viderunt faciem ejus, tanquam faciem Angeli.* Act. 6. v. 15.

Vultus Dei vel Angeli est hyperbole raræ pulchritudinis.

Hoc loquendi modo usus est Virgilius, 1. Æn. v. 592. de pulchritudine & majestate Æneæ, comparans illum Deo;

Restitit Æneas, claráque in luce refulsit
Os, humerosque Deo similis; namque ipsa decoram
Cæsariem nato genitrix, lumenque juventæ.
Purpuream, & lætos oculis afflârat honores.

Idipsum serviit Torquato Tasso, qui loquens de Goffredo, comparente ad sedandum tumultum militarem, in Gerus. Liber. cant. 8. stanz. 78. ita canit;

Hà la coraza indosso, è nobil veste
Riccamente l'adorna oltra il costume:
Nudo è le mani, e il volto ce di celeste
Maestà vi risplende un novo lume:
Scote l'aurato scettro, e sol con queste
Arme acquetar quegli impeti presume.
Tal si mostra à coloro, e tal raggiona:
Ne come d'huom mortal la voce suona.

Qui in hoc argumentum plura exempla desiderat, consulat Martinum del-Rio in Octavia Senecæ sub hæc verba;

-- *Membraque & vultus Deo*
Similes volanti.

CAP. XXXIV. ℣. 1.

170. PHidias, antiquus sculptor, non sine grandi mysterio sub pedibus veneris posuit testudinem, ut significaret, quòd puellæ, præsertim pulchræ, instar veneris, debeant esse testudini similes, ac semper domi se continere; quia curiosè progrediendo foras, incurrunt certa ac irreparabilia damna & pericula. Infelix Dina miserum toti mundo exemplum est dum paternâ domo egressa virgo intacta, rediit contaminata ac stupro corrupta. *Egressa est autem Dina filia Liæ, ut videret mulieres regionis illius. Quam cùm vidisset Sichem filius Hemor Hevæi, princeps terræ illius, adamavit eam: & rapuit, & dormivit cum illa, vi opprimens virginem.* Gen. 34. v. 1 &c.

Fœmina vaga perdit honorem.

Eadem calamitas, inquit Martialis L. 1. Epigr. 63. contigit Lævinæ, quæ, tametsi genio casta, aspera, & severa, cùm vagabunda peregrinaretur, prostituta est;

Casta nec antiquis cedens Lævina Sabinis
Et quamvis tetrico tristior ipsa viro.
Dum modo lucrino, modò se permittit Averno
Et dum Bajanis sæpè fovetur aquis;
Incidit in flammas, juvenemq; secuta relicto
Conjuge, Penelope venit, abit Helene.

CAP. XXXIV. ℣. 11. &c.

PRinceps Sichimitarum, captus pulchritudine Dinæ, statim obtulit omnes suos thesauros, ut eam acquireret sponsam; simulque ad patrem & fratres misit, ut pro libitu peterent, quidquid vellent, daturum se omnia promptissimè. *Quæcunque statueritis, dabo: augete dotem, & munera postulate, & libenter tribuam quod petieritis, tantùm date mihi puellam hanc uxorem.* Gen 34. v 11. &c. Erat proinde vetus consuetudo, ut mariti dotem darent uxoribus. Quòd hoc verum sit, expertus est Jacob quatuordecim annorum servitute pro duabus sponsis Liâ & Rachele. Gen. 29. Lia & Rachel, desponsatæ Jacobo, conqueruntur, quòd Pater eas vendiderit, & maritus duxerit *quasi alienas reputavit nos & vendidit.* Gen. 31. v. 14. Nathan, loquens de Uria, qui uxorem duxit; *Pauper nihil habebat omninò præter ovem unam parvulam* (id est, Bersabeam) *quam emerat. &c.* 2. Reg. 12. v. 3. Unde Oleaster in cap. 29. Gen. *Solebant illo tempore viri uxores pretio acquirere, quod & Saraceni hodie faciunt. &c.* 171.

Mariti dotant sponsas.

Plurimæ nationes idipsum solebant. De Indis Petrus Maffejus l. 6 Hist. *Ad nuptias dotem, non vir fœminæ, sed vir fœminæ defert.* De Chinensibus Nicolaus Tripantius l. 1. de Expedit. Christ. c. 7. *sponsa nullam secum dotem defert.* De Thracibus Herodotus lib. 5 *Emunt Thraces uxores à parentibus magno pretio.* De Germanis Cornelius Tacitus; *Dotem non uxor marito, sed uxori maritus affert.* Hæ ipsæ sunt querelæ fœminarum apud Sophoclem, citatum à Stobæo serm. 66.

Ubi ad pubertatem hilares pervenimus,
Pellimur foras, atque divendimur,
Alia quidem peregrinis viris, alia barbaris.

Unde S. Ambrosius lib. 1. de Virginit. has commiserationis voces emittit; *Quàm verò miserabilis illa conditio, quod tamquam mancipii forma venalis nupturа licitatur: & qui pretio vicerit, emat, &c.*

CAP. XXXIV. ℣. 25.

PRinceps ac populus Sichemitarum non ex mero lucro humano receperunt circumcisionem. Verùm modicus sanguinis, destillans ex cultelli incisione, fuit præludium ac pignus plurimi illius sanguinis, quem tertio post die, Israelitarum gladiis concisi profuderunt. Eo enim die erant impotentes ad defensionem, quia *die tertio gravissimus vulnerum dolor est.* Gen. 34. v. 25. 172.

Vulnera die tertio summum dolorem faciant.

Quod vulnerum dolor sit die tertia omnium acutissimus & dolentissimus, docet Hippocrates *lib. de Fracturis*; Et ipsa etiam ratio suadet; quia primo die sentitur divisio facta ab incisione ferri. Secundo ad vulneris locum confluit pituita, quæ est humor dulcis ac benignus; tertio verò affluit bilis, quæ cùm sit calida & acrimoniæ plena, efficit grandem dolorem; cui cùm accedat sanguis in parte læsa, fit inflammatio & accenditur febris: unde infirmus non potest non esse eo die afflictus ac doloribus affectus. Ita Franciscus Valesius in sacra Philosophia cap. 33.

CAP. XXXIV. ℣. 24.

MIserabile spectaculum repræsentatur in civitate Sichem, ubi Simon & Levi ingenti furore circumcurrunt, occidunt Principes, interficiunt cives, & sanguineam stragem omnium mascu- 173.

masculorum faciunt. Supervenêre dein reliqui fratres, & quod superesset è gladii vulneribus, onerârunt catenis, compedibus strinxerunt fœminas ac infantes, omnesque greges ac substantias deprædati sunt; idque totum in vindictam stupri, quod intulerunt sorori suæ Dinæ. *Arreptis duo filii Jacob, Simeon & Levi fratres Dinæ gladiis, ingressi sunt urbem confidenter: interfectisque omnibus masculis, Hemor & Sichem pariter necaverunt &c. quibus egressis, irruerunt super occisos cæteri filii Jacob: & depopulati sunt urbem in ultionem stupri &c.* Gen. 34. v.25. ita in pœnam libidinosi furoris tota ferè tribus Benjamin fuit trucidata. Judic. cap.19. & cap. 20. Ammon, ob stuprum cum Thamar commissum, fratris Absalonis manu acerbè interfectus fuit. &c.

Libido ruina provinciarum.

Simili successu celeberrima civitas Troja ob raptum Helenæ fuit desolata. Tarquinii ob injuriam Lucretiæ irrogatam, fuerunt depositi regiâ dignitate. Ob Cleopatram arserunt vastissima bellorum incendia inter Octavianum, & Marcum Antonium &c. Unde indignatione plenus ait Seneca in Hippolyto Actu. 2.

Dux malorum fœmina, & scelerum artifex
Obsedit animos; cujus incestæ stupris
Fumant tot urbes; bella tot gentes gerunt,
Et versa ab imo regna tot populos premunt.

CAP. XXXV. ℣. 5.

174. POst stragem peractam in Sichem, concepit Jacob justissimum timorem, ne Chananæi contra ipsum & filios assumerent arma, ut ulciscerentur desolationem, Sichemitis illatam. Unde egressus ex illis confiniis, omni modo timuit, ne cogeretur egredi vitâ; tametsi nemo fuerit, qui illum offenderet aut minaretur. Deus enim cordibus barbarorum incussit terrorem adeò validum, ut nullus fuerit, qui ausus fuisset, ipsi inferre molestiam. *Cumque profecti essent, terror Dei invasit omnes per circuitum civitates; & non sunt ausi persequi recedentes.* Gen. 35. v. 5. Ita Jacob, quia cum timore Dei vivebat, hanc recepit mercedem, ut ipse cum suis filiis à gentilibus timerentur & honorarentur. Similis terror, à Deo productus, reperitur in Exodo cap.23. n.27. *Terrorem meum mittam in præcursum tuum &c.* in Deuter. c.2. n.25. *Incipiam mittere terrorem atque formidinem tuam in populos, qui habitant sub omni cœlo.* Josue c. 2. v.9. *Novi, quòd dominus tradiderit vobis terram: etenim irruit in nos terror vester.* 2. Paralipp.cap.14. v.12. *Exterruit itaque dominus Æthiopes coram Asa & Juda: fugeruntque Æthiopes &c.*

Terror à Deo causatus.

Hunc terrorem, à Deo incussum, prosequitur Pindarus in Nemeis,

In divinis enim terroribus
Etiam filii Deorum fugiunt.

Terror panicus.

Et rursùs.

Timor virorum domitor
Adimit animi fortitudinem.

Hic improvisus terror, quem Gentiles Panicum vocant, pervasit exercitum M. Antonii, quando progrediebatur contra Parthos, ut scribit Plinius. Ille terror etiam perculit Gallos, quando sub signis Brenni, Belliducis sui, volebant deprædari Delphinatum. Eodem etiam comprehensus fuit exercitus Hannibalis, quando propinquavit mœniis Romæ expugnandæ, ut testatur Silius l.13. Punic. De his terroribus Panicis prolixè agit Joannes Thuilius supra Emblema 123. Alciati, quò Lectorem meum remitto.

CAP. XXXV. ℣. 18.

PRolesilla, ex qua Rachel speravit supremam felicitatem, attulit ei extremas miserias. 175.
Quando ad partum sui secundogeniti pervenit, dum filio dedit vitam, mater præcipitata est in mortem. Unde inter calamitosos amplexus dedit filio nomen *Benoni*, id est, filius doloris. In locum Jacob ei dedit nomen *Benjamini*, id est filius dexteræ, seu filius magnæ felicitatis & fortitudinis. *Egrediente autem animâ præ dolore, & imminente jam morte, vocavit nomen filii sui Benoni, id est, filius doloris mei: pater verò appellavit eum Benjamin, id est, filius dexteræ.* Gen 35. v. 18. *Filius verò dexteræ, hoc est, virtutis*, ut interpretatur S. Hieronymus. Et P. Cornelius à Lapide. *Filius dexteræ, hoc est, felix ac validus: dextera enim symbolum est roboris & felicitatis.*

Filii nati moriente in partu matre, sunt felices.

Quemadmodùm Jacob declaravit felicem, robustum, & vigorosum illum Benjaminum, qui sortitus est natales cum morte suæ matris; ita *Veterum opinio fuit*, inquit P. Cornelius à Lapide, *felices fore proles, quæ matre enectâ in lucem prodiissent.* Exempla cernimus in Scipione Africano, Julio Cæsare, & aliis, dotatis mirâ felicitate ac fortitudine, qui tamen matribus in partu morientibus nati sunt.

CAP. XXXVII. v.3.

TAmetsi legibus obligentur parentes ad amandos omnes suos filios; nihilominus nescio quâ majore vehementiâ Patres feruntur ad amandam illam prolem, quam genuit in senectute; forsan quia ultimus spei suæ fructus est. Id observavit Philo Hebræus lib. de Abraham. *Serò natos impotentius parentes amant, vel quia diu desideratos, vel quia naturâ effœtâ, nullam postea sperant prolem, vel quia maximè gaudent se in senectute robustos esse ad generandum.* Exemplo suo id probavit Jacob, de quo scribitur. Gen.37. v.3. *Israel autem diligebat Joseph super omnes filios, eò quòd in senectute genuisset eum.* Id est, ut ex textu Hebræo desumitur; *quia filius senectutis,* 175.

Patres plus amant filium natum in senectute.

Priamus, annis gravidus, præ cæteris omnibus filiis amavit Polidorum; idque ob duplicem causam, inquit Homerus l. 20. Iliad. v.409.

Et quod ei inter omnes minimus erat natu,
Et ei charissimus erat, pedibusque omnes vincebat.

Unde, teste Homero, Priamus non permisit, ut iste suus dilectissimus filius iret ad bellum, ne exponeretur periculo vitæ. Similiter Virgilius introducit Evandrum 8. Æneid. v.581. ita loquentem filio Pallanti;

Dum te, chare puer, mea sera & sola voluptas
Complexu teneo.

In hunc locum ait P. Cerda. *serus filius est, qui nascitur Patri in senectute.* ubi adjungit sententiam Interpretis Homeri; *Videntur plus diligi, qui gignuntur desperatâ jam ætate.*

CAP. XIIVII. ℣. 7.

QUando Joseph narravit sua duo somnia; in quorum uno manipuli spicarum inclinabantur versùs illum, quem ipse colligaverat; mox omnes fratres se cognoverunt figuratos tam in manipulis inferioribus, quàm in stellis; Patrem verò illorum repræsentatum in sole. *Putabam, nos ligare manipulos in agro: & quasi consurgere manipulum meum, & stare, vestrosque manipulos circumstantes adorare manipulum meum.* Gen. 37. v:7. *Respon-* 177.

Spicæ idea subditorum.

Responderunt fratres ejus: Nunquid Rex noster eris? Et n. 9. *Vidi per somnium quasi solem, & lunam, & stellas undecim adorare me. Quod cùm patri suo & fratribus retulisset; increpavit eum pater suus, & dixit; quid sibi vult hoc somnium, quod vidisti? num ego, & mater tua, & fratres tui adorabimus te super terram?*

Sol typus principis.

Spicæ symbolum subditorum.

In vita Æsopi reperitur, quòd metaphora spicarum denotet subditos ac aulicos, qui adorant Principem; & metaphora solis repræsentet dominum. Æsopus enim, veluti legatus principis, fuit admissus ad audientiam Nectenabi Regis Ægypti, qui sedebat in throno regio, cinctus coronâ in capite, & stipatus ingenti vasallorum numero. Hic ex Æsopo quærebat: *cui me assimilas, Æsope, & eos qui mecum sunt?* ad quod promptè respondit; *Te quidem soli verno; qui verò te circumstant, maturis aristis.*

CAP. XXXVII. ℣. 30.

178. Cùm Rubenus non reperiret Josephum in cisterna, nec sciret, ubi esset, ingenti dolore opprimebatur; & ut demonstraret, scindi sibi pectus, scidit vestimenta sua. *Reversusque Ruben ad cisternam, non invenit puerum, & scissis vestibus pergens ad fratres, ait &c.* Gen. 37. v. 30. Ipse etiam Jacob, cum videret vestes Josephi tinctas recenti sanguine, crederetque, illum à belluis dilaceratum; *scissis vestibus, indutus est cilicio.* n. 34. Proinde scissura vestium erat signum intolerabilis doloris quæ ob hanc causam in exequiis amicorum fieri solebat. Ita 2. Reg. 1. v. 11. *Apprehendens David vestimenta sua, scidit, omnesque viri, qui erant cum eo, & planxerunt &c. super Saul.* Idem David, 2. Reg. 3 v. 31. loquens Joabo & suis militibus; *scindite vestimenta vestra, & accingimini saccis, & plangite ante exequias Abner.* Similiter Jobus, auditâ repentinè morte omnium suorum filiorum, *scidit vestimenta sua.* Job. 1 v. 20.

Vestes scissæ in doloribus.

Hoc ritu pleni sunt Gentilium libri. Virgil. Æneid. 12. v. 609.

- - *It scissâ veste Latinus,*
Conjugis attonitus fatis, urbisque ruina.

Etiam Juvenalis Sat. 10.

- - *Vt primos edere planctus*
Cassandra inciperet, scissâque Polyxena pallâ.

Dionysius Halicarnassæus lib. 7. tractans de Coriolano, ad exilium damnato, ait; quòd ipsius mater ac uxor sciderint vestes. T. Livius l. 1. de afflictis Sabinis; *Crinibus passis, scissaque veste* Et Quintus Curtius lib. 3. *Ingens circa tam nobilium fœminarum turba constiterat, laceratis crinibus, abscissâque veste, pristini decoris immemores.*

CAP. XXXVII. ℣. 34.

179. Jacobus ob creditam mortem Josephi transfixus usque ad animam, copiosis lachrymis junxit seticulosa cilicia; ut demonstraret, quòd in Josepho perdiderit cordis sui delitias, nec aliud quidquam supersit, nisi lacerantes & pungentes spinæ. *Scissisque vestibus, indutus est cilicio.* Gen. 37. v. 34. Adeoque Jacob fuit primus, qui vestitus ciliciis, posteros omnes docuit, quo modo nos gerere, & quo habitu indui debeamus inter miserias corporis, aut afflictiones spiritûs. Et certè ipsius exemplum ita fuit efficax, ut postea ciliciis cooperti incesserint coronati Reges, Sacerdotes, Prophetæ, & milites; imò ipsa etiam sacra altaria tempore publicæ calamitatis vestiebantur ciliciis. Unde Judith. 4. v. 9. *Altare Domini operuerunt cilicio, & clamaverunt ad Dominum Deum.*

Cilicium usitatum in calamitatibus.

Non solùm Hebræi, sed etiam Persæ, tempore luctus induebantur ciliciis, lacerabant vestes, & frontem conspergebant cineribus, uti referunt Herodotus lib. 3 & 8. Et Q. Curtius lib. 5. Hunc habitum liberè portârunt non tantùm sancti Hilarion, Simeon Stylites, & alii desertorum incolæ; sed etiam S. Martinus qui mortuus est jacens in ciliciis. S. Carolus, qui in cilicio supremum exhalavit spiritum. S. Laurentius, Archiepiscopus Dublinensis, meus Concanonicus, qui *cilicio usque ad talos indutus, ter saltem in die seipsum flagellis acriter verberabat*: 14. Novemb. S. Thomas Archiepiscopus & Martyr Cantuariensis, Canonicus Regularis, circa cujus lumbos horribile cilitium post mortem fuit inventum.

Cilitium portatum à sanctis.

CAP. XXXVII. ℣. 34.

Quemadmodum parentes non possunt recipere majus gaudium, quàm si audiant aut videant filiorum felicitatem; ita interveniente ipsorum morte, ultra modum affliguntur, & doloribus torquentur. Jacobus sustinuit cumulum atrocissimarum calamitatum, nec tamen quidquam turbatus est. At de morte Josephi factus certior, habenas reliquit dolori, & totus in amarissimas lachrymas solutus est. *Indutus est cilitio lugens filium suum multo tempore.* Gen 37. v. 34. Hæc ipsa teneritudo amoris prævaluit etiam in generoso pectore Regis Davidis; qui agens de morte Absalonis, parricidæ quidem, ac perduellis proditoris, sed tamen filii, *Contristatus ascendit cœnaculum portæ, & flevit, & sic loquebatur vadens: Fili mi Absalon, Absalon fili mi quis mihi tribuat, ut ego moriar pro te?* 2. Reg. 18. v. 31. 180.

Filii mortui planguntur à patre.

Multi sunt patres apud Gentiles, qui planxerunt mortem suorum filiorum. Pericles ille, qui veluti ferreo pectore munitus, toto vitæ suæ decursu nec unicam ex oculis destillavit lachrymulam; ob mortem filii integra profudit flumina. De hoc Plutarchus in ipsius vita. *Cùm coronam ingereret mortuo filio, oppressus est; ubi aspexit eum, dolore: ut quod reliquâ in vita nunquam fecerat, erumperet in ejulatum, & magnam vim profunderet lachrymarum* Virgilius lib 11. Æneid. loquens de Evandro, plangente ob mortem filii Pallantis, canit;

At non Evandrum potis est vis ulla tenere,
Sed venit in medios feretro Pallanta reposto
Procumbit super, atque hæret, lachrymansque, gemensque,
Et via vix tandem voci laxata dolore est.

CAP. XXXVII. ℣. 34.

Fuêre ita profunda Jacobi vulnera, quæ ex credita Josephi morte acceperat, ut elapsi sint dies ac menses, quibus nec minimum admittere poterat levamen. *Unde scissis vestibus, indutus est cilitio, lugens filium suum multo tempore.* Gen. 37. v. 34. *scilicet viginti duobus annis*, ut ait Lyranus; vel certè *viginti tribus* ut observat Cornelius à Lapide in hunc locum. 181.

Mors charorum plangitur longo tempore.

In morte quorundam Magnatum reperiebantur sinceri amici, qui longo tempore conspersi cineribus, luctum suum testati sunt. Tametsi in morte Neronis in jubilos effundi debuisset Roma, attamen *non defuerunt*, ut scribit Sueto-

Suetonius in ipsius vita. cap. 57. *qui per longum tempus vernis æstivisque floribus tumulum ejus ornarunt.* Paulina uxor Senecæ, post hujus mortem aliquot annis vixit; at semper conservavit dolorem in corde, & pallorem in vultu, quem ex ipsius occisione contraxerat. Corn. Tacit. lib. 15. Annal. n. 9. *Laudabili in maritum memoriâ, & ore, ac membris in eum pallorem albentibus, ut ostentui esset &c.*

CAP. XXXVII. ℣. 35.

182. Amor, quo Jacob complexus est suum Josephum, ad summum gradum pertigit. Unde de ipsius morte factus certior; tametsi convenerint simul omnes undecim filii superstites, ut sua præsentia consolarentur afflictum patrem; nunquam tamen ullum admittebat doloris sui lenimen; imò protestabatur, tunc demum animam suam esse consolandam, quando separata à corpore, & ad limbum perducta, in sinu Abrahami recuperaverit visum sui chari Josephi. *Congregatis autem cunctis liberis ejus, ut lenirent dolorem patris, noluit consolationem accipere, sed ait: Descendam ad filium meum, lugens, in infernum.* Gen 37. v. 35.

Moribundi securi alterius vitæ.

Quemadmodum Jacobus post mortem speravit videre suum Josephum; ita non defuere Ethnici, qui post mortem confidebant vivere ac gaudere præsentia optimarum personarum. Cercidas, civis Megapolitanus in Arcadia, ad extremum vitæ deductus, dixit suis domesticis, se libenter mori; *sperare enim, se conventurum ex Philosophis Pythagoram, ex Historicis Hecatæum, ex musicis Olympum, ex Poëtis Homerum &c.* ut scribit Ælianus de Var: Hist: lib. 13. c. 20. Socrates, priusquàm biberet venenum, ad circumstantes conversus, dixit; *Quanti æstimatis colloqui in altera vita cum Orpheo, Musæo, Homero, Hesiodo? Quanta voluptate perfundar, cùm Palamedem, cùm Ajacem, cùm alios, judicio iniquorũ damnatos conveniam?*

CAP. XXXIIX. ℣. 9. &c.

183. Abominanda iniquitas exprobata fuit Onan filio Patriarchæ Judæ, qui suorum filiorum erat homicida, priusquàm nascerentur; spargendo videlicet semen malitiosè in terram, ut impediret conceptum. Unde coram oculis cœlestibus intolerabilis à Deo percussus fuit, &, uti dicunt Interpretes, à Dæmone Asmodæo, tanquam infami ac proportionato carnifice, suffocatus. De hoc S. Scriptura Gen. cap. 38. v. ait. *Introiens ad uxorem fratris sui, semen fundebat in terram, ne liberi fratris nomine nascerentur. Et idcircò percussit eum Dominus, quòd rem detestabilem faceret.* Delictum istud etiam in ipsius fratre Her, uti advertunt Eruditi punitum est Gen. 38. n. 7. Contra hanc deformitatem invehitur S. Paulus multis locis. Rom. 1. v. 24. Coloss. 3. v. 5. Ephes. 5. v. 3. 1. Cor. 6. v. 10. &c. Neque desunt doctissimi Canonistæ, qui opinantur, majorem partem damnatorum esse ab hac fœdissima spurcitie contaminatam.

Pollutio abominabilis.

Detestabile hoc vitium, reprehensum à SS Apostolis, & castigatum à Deo, habet suas exprobrationes apud ipsos etiam Gentiles. Inter alios Martialis, tametsi homo impurissimus, Epig. 42. canit;

Pontice, quod - - - Pellice levâ
Vteris, & Veneri servit amica manus.
Hoc nihil esse putas? scelus est, mihi crede, sed ingens,
Quantum vix animo concipis ipse tuo.

Et Paulo post;

Ipsam crede sibi naturam dicere rerum,
Istud, quod digitis, Pontice, perdis, homo est.

CAP. XXXIIX. ℣. 15.

Cum Judas vidisset quamdam fœminam in publica via, existimavit esse meretricem, maximè quòd vultum habuerit velo coopertum. Ita nimirum etiam prostituti pudoris fœminæ non sine rubore committunt peccatum fornicationis. *Quam cùm vidisset Judas, suspicatus est, esse meretricem: operuerat enim vultum suum, ne agnosceretur.* Gen. 38. v. 15. 184.

Meretrices velatæ.

Actus carnales secum trahunt confusionem adeò magnam, ut ipsæ etiam Thaides & Lyciscæ erubescant. Vnde Martialis inverecundissimam vocat Lesbiam, quòd in spurcis suis operationibus magis fuerit effrons, quàm petulantissimæ aliæ. Et lib. 1. Epigr. 35. canit;

Incustoditis, & apertis, Lesbia semper.
Liminibus peccas, nec tua furta tegis.
At meretrix abigit testem, veloque seraque?
Raraque si memini, fornice rima patet.
A Chione saltem, vel ab Helide disce pudorem.

Messalina, tametsi libidinis furore stimulata, intraverit lupanar, ut commisceretur cum plebejo quovis scurrâ; semper tamen tenuit vultum modesto velo cautè coopertum. De hac Juvenalis; Sat. 6.

Ausa palatino tegetem præferre cubili
Sumere nocturnos meretrix Augusta cucullos.
Linquebat comite ancilla non amplius una,
Et nigro flavum crinem abscondente galero.
Intravit calidum veteri centone lupanar. &c

CAP. XXXIIX. ℣. 18.

Thamar, cùm se fingeret publicam meretricem, & à Juda peteret, ut secum haberet commercium carnale; promissæ mercedis loco, expressè petiit annulum in pignus. *Ait Judas: quid tibi vis pro arrhabone dari? respondit; Annulum tuum.* Gen. 38. v. 18. 185.

Annulus datur in pignus.

Antiquus mos fuit, dare venditori annulum in pignus, donec justum pretium pro re empta afferretur. De hoc Plinius lib 33 c. 1 propè finem. *Celebratior quidem usus* (loquitur de annulo) *cum fœnore cœpisse debet: argumento est consuetudo vulgi, ad sponsiones etiamnum annulo exiliente, tracta ab eo tempore, quo nondum erat arrha velocior: ut planè affirmare possumus, nummos antè apud nos mox cœpisse annulos.* Ad hoc propositum facit quidam locus Ulpiani l. 5. §. Item si. ff. de Instit: act: ubi introducit quemdam venditorem olei, qui accepit annulum in pignus rei emptæ. Neque negari potest, quin annulus sit pignus & arrha sufficiens, quando communiter sponsus dat sponsæ suæ annulum, veluti pignus & arrham sui amoris ac fidelitatis.

CAP. XXXIIX. ℣. 18.

Cum Judas iret visitandi gregis causa, incidit in incognitæ formæ meretricem, cum qua habuit commercium carnale, eique mercedis loco promisit hœdum, animal lascivum libidinoso huic actui accommodatissimum. Cùm verò illa peteret pignus promissi hœdi; Judas mox ei dedit non solùm baculum, quem ibi ex vicina sylva ad manum habebat; sed etiam armillam & annulum. *Quid tibi vis pro arrhabone dari? respondit: Annulum tuum, & armillam, & baculum, quem manu tenes.* Gen. 38. Erat proinde illius temporis consuetudo, ut Personæ digniores portarent annulos & armil- 186.

Armillæ & annuli in usu antiquis.

& armillas. Mentio annulorum fit hìc in Gen. 41. v. 42. qui donati sunt Josepho à Rege Pharaone; & armillarum, quæ Regi Sauli abstulerunt, postquam occisus jacuit. 2. Reg. 1. 10.

Titus Livius lib. 1. refert, quòd Sabinenses nobiliores portarint armillas multi ponderis, & annulos pretiosis gemmis distinctos. Idipsum repetit Valerius Maximus l. 9. c. 6. *Erant autem his armillæ, & annuli magno ex pondere auri.* Quantùm ad armillas, ab earum pretio corrupta filia Sp. Tarpeï, Sabinis tradidit castellum Romanum; quæ dein à cumulo armillarum fuit oppressa ac extincta. Quantùm verò ad annulos, ita hi in usu erant apud Romanos, ut Hannibal post magnam cladem ipsis illatam, tulerit à defunctis tantam annulorum quantitatem, ut modium impleverit, ac Carthaginem ad Senatum miserit, Plin: 33. c. 1.

CAP. XXXIIX. ỷ. 24.

Adulterium punitum igne.

187. JUdas, tanquam caput, judex, ac Princeps familiæ & nationis Hebrææ, quæ illis temporibus habebat formam vagæ cujusdam Reipublicæ; cùm videret, Thamarem esse gravidam, & adulterio publico infamem, condemnavit illam ad mortem, jussitque comburi, veluti ream violatæ fidei ac promissi matrimonialis, quod spoponderat Selæ filio Judæ. *Fornicata est Thamar, nurus mea, & videtur uterus illius intumescere. Dixitque Judas: Producite eam, ut comburatur.* Gen 38. v. 24

Hæc flamma, adulterii vindex, habet suas reflexiones etiam in Historiis profanis. Lucianus in Apolog *Pro mercede conductis* refert. *Salathum, Crothoniensium Principem, legem tulisse, ut adulteri vivi cremarentur. Atque cùm ipse fratris uxorem deinde commaculasset, deprehensus, atque se excusans, dum causam diceret, quòd amore captus fecisset, voluntarius, & nihil reluctans in ignem magno animo insiluit.* Opilius Macrinus Imperator condemnavit adulteros, ut vivi comburerentur; teste Alexandro ab Alexandro lib. 4 c. 1. Populi Saxoniæ, cùm adhuc essent pagani, coëgerunt adulteram, ut se ipsam suspendio occideret; postea combussère cadaver, & supra rogum defunctæ, adulterum suspendio interfecerunt; uti notat Guil. Malmesbur lib. 1. cap. 64. de Anglis.

CAP. XXXIIX. ỷ. 25.

Annulus manifestat personas.

188. ANnulus ille, quem Judas pignoris loco dedit Thamari, quando cum ea commisit incestum, solùm deserviit ad propalandam propriam personam illius, qui erat reus culpæ, & simul ream damnabat ad capitale supplicium. Unde mulier conducenda ad supplicium; *Misit ad socerum suum, dicens de viro, cujus hæc sunt, concepi: cognosce, cujus sit annulus &c.* Gen 38. v. 25. Unde Judas, *agnitis muneribus, ait: justior me est. &c.*

Sicuti in hoc facto annulus manifestavit personam Judæ, ita Richardus, Rex Angliæ, cùm reverteretur è terra sancta, cognitus fuit ex apographo proprii sui annuli, & captus à Leopoldo Duce Austriæ, uti refert Æmilius lib. 6. de Gestis Francorum.

CAP. XXXIX. ỷ. 4.

189. JOsephus, Ægyptum ingressus, venditus fuit tanquam mancipium Putiphari, grandi ministro Regis, & supremo ipsius Belliduci. Tantam verò prudentiam, sedulitatem, ac virtutem exhibuit Josephus, ut factus sit Dominus non tantum totius domus, sed ut ita dicam ipsius etiam Domini. *Invenitque Joseph gratiam coram Domino suo, & ministrabat ei, à quo præpositus omnibus, gubernabat creditam sibi domum, & universa, quæ ei tradita fuerant.* Gen. 34. v. 4. Unde Josepho totum onus œconomiæ portante, Putiphar tali modo se confidebat ipsius gubernationi, ut nullas optimæ administrationis rationes exigeret, neque aliud cogitaret, nisi ut mensæ accumberet, & sagacitate ac virtute sui ministri in summa quiete gauderet. Quapropter subjungit Divinus Chronologus n. 6. *Nec quidquam aliud noverat* (Putiphar nempe, ut explicant Philo & S. Ambrosius) *nisi panem, quo vescebatur.*

Dominus nitiur, servo.

Quam Putiphar dedit Josepho authoritatem; Tibullus testatur se dedisse suæ Deliæ; cum enim ipsam constituisset absolutam Dominam totius domus, ait, se ipsum nihil egisse.

Illa regat cunctos: illi sint omnia curæ,
Et juvet in tota me nihil esse domo.

CAP. XXXIX. ỷ. 6.

IN Josephi vultu non solum relucebat perfectio lineamentorum & vivacitas colorum, quæ ipsum mirabili modo pulchrum reddebant; Sed etiam emicabat insigne quoddam nobilitatis lumen, quod ipsum demonstrabat in summo gradu venerabilem ac majestate plenum. Unde de ipso dicitur Gen. 39. v. 6. *Erat autem Joseph pulchrâ facie & decorus aspectu.* Et cap. 49. v. 22. *Filius accrescens Joseph, filius accrescens, & decorus aspectu.* Has ipsas prærogativas deprædicavit sponsa in suo Dilecto; Cant. 1. v. 15. *Ecce tu pulcher & dilecte mi, & decorus.* 190.

Nobilitas resplendet in vultu.

Quòd in vultu humano dignoscantur characteres ingenuitatis ac generositas natalium, docuère Euripides in Hecuba;

Inest in homine mira, & evidens nota,
E generosis satum esse.

Statius lib 1. Sylv. 1. loquens de Domitiano;

Nec veris majora putes: par forma, decorque.
Par honor.

Et Ovidius Fast: lib. 6.

Par animo quoq; forma sui, respondet in illa
Et genus, & facies, ingeniumque simul.

CAP. XXXIX. ỷ. 10.

TAmetsi ex geminatis ictibus sternantur arbores etiam robustissimæ; & frequenti guttarum casu excaventur marmora; Josephus tamen, quantumvis importunis sollicitationibus impudicæ Ægyptiæ fatigatis; insuper non tantum juvenili ætate, nimium quantum ad lasciviam inclinante; sed etiam opportunâ sceleris occasione, divitiarum promissarum copia, & persecutionum minis instigatus; nunquam tamen ad opus inhonestum persuaderi potuit. *Per singulos dies mulier molesta erat adolescenti, & ille recusabat stuprum.* Gen. 39. v. 10. 191.

Castitas insignis.

Similiimportunitate Fausta Imperatrix, uxor Constantini Magni, sollicitabat Crispum, filium Imperatoris, ut contaminaretur ipsius amplexibus. At pudicus ille juvenis, constanter resistens, innovavit in se ipso exemplum Patriarchæ Josephi. Seneca etiam describit Hippolytum, qui stultè à noverca Phædra ad incestuosi adulterii sordes sollicitatus, illam generosè repressit quem proinde à cognomine ipsius Tragædia ita loquentem introducit Act. 2.

Resistentia pudica.

Procul impudicos corpore à casto amove
Tactus; quid hoc est? etiam in amplexus ruit.
Stringatur ensis: merita supplicia exigat. &c.

Eandem

Eandem pudicitiam ac tenitentiam in filio Marciæ celebrat Seneca in consolat. ad Mariam; *Adolescens rarissima forma in tam magna mulierum turba viros corrumpentium nullius spei se prabuit, & cùm quarundam usque ad tentandum pervenisset improbitas, erubuit, quasi peccâsset, quod placuerat.*

CAP. XXXIX. ℣. 13.

192. JOsephus, ab Ægyptia invitatus & quasi coactus ad adulterium; reliquit in ipsius manibus vestem, impudicæ fœminæ tactu contaminatam, & fuga sibi consuluit. Unde scelerata, mutato in odium amore, retorsit propriam suam iniquitatem contra Josephum, eúmque accusavit, quasi ille ipsam ad opus inhonestum sollicitâsset, unaque in signum hujus monstravit vestem, Josepho usitatam. *Cumque vidisset mulier vestem in manibus suis, & se esse contemptam, vocavit ad se homines domus sua, & ait ad eos: En introduxit virum Hebraum, ut illuderet nobis: ingressus est ad me, ut coiret mecum: cùmque ego succlamâssem &c. fugit foras.* Gen. 39. v. 13. &c.

Adulteræ accusant innocentes.

Phædra apud Senecam in Trag. Hippol: importuno ardore invitat Hippolytum, ut secum peccaret. Hippolytus se defendit sumpto in manus gladio, quem resumere recusavit, cum illum ab impudica fœmina tactum cerneret.

- - - - - - *Et hic*
Contactus ensis deserat castum latus. Act. 2.

Phædra econtra in rabiem acta;

Nefanda juveni crimina insonti apparat:
Et instruitur omnis fraude fœmineâ dolus.

Unde maligna impostura illum accusat, quasi ipsam sollicitasset: producens illum ipsum gladium in testem contra pudicum innocentem.

Hic dicet ensis, quem tumultu territus,
Liquit stuprator, civium accursum timens.

Eodem modo egerunt aliæ fœminæ sceleratæ; accusando impudicitiæ illos castos, qui ipsis restiterunt. Ita Philonome egit contra Tennum filium Cigni. Anthea, uxor Preti, contra Bellerophontem; Hippolyta contra Pelæum; Hippodamia contra mirtillum; Fausta Imperatrix contra filium Crispum, qui tametsi pudicissimus ob malignas ipsius accusationes à Constantino suo Patre, tanquam adulter, fuit capite plexus. &c.

CAP. XL. ℣. 15.

193. POsitus in Ægypti carcere Josephus, Regio pincernæ prædixit liberationem ex suis angustiis; eumque rogavit, ut sui meminisset apud Regem Pharaonem, atque suam quoque liberationem obtineret; *quia furto sublatus sum de terra Hebraorum & hic innocens in lacum missus sum* Gen. 40. v. 15. ubi observandum est, quòd nullam mentionem faciat iniquæ crudelitatis suorum fratrum, qui ipsum vendiderunt; nec malignarum imposturarum, quibus uxor Putipharis ipsum ad carcerem conjecit; sed solummodò se protestatur innocentem.

Excusatio, sine alterius offensa.

Sancta Catharina Sensensis, infecta ab infami quadam vetula, quæ corporis, & magis animæ gangræna laborabat; cum exprobrantes sibi sorores suas Dominicanas audiret, quæ ipsam tanquam fœminam contaminatam tractabant; nihil aliud respondit, quàm *Verè Domina, & sorores meæ, ego gratiâ Iesu Christi virgo sum: idque sæpe repetens, nihil contra illam calumniatricem protulit.* Surius in vita 29. Aprilis.

CAP. XL. ℣. 19.

CUm in carcere detineretur Pistor Pharaonis Josephus interpretans certum ipsius somnium, malam ei mortem prædicit; nimirum, ipsius corpus ab infami trabe suspendendum, & à rapacibus volucribus lacerandum esse. *Suspendet te in cruce, & lacerabunt volucres carnes tuas.* Gen. 40. v. 19. Hæc Historia innuit morem Ægyptiorum, qui suspensorum corpora reliquerunt aperto cœlo, ut devorarentur ac consumerentur. 194.

Cadavera condemnatorum non sepulta.

Hunc morem etiam secuti sunt Romani, qui l. 1. 2. & 3. de Cadaver: punit l. obnoxios C. de Relig. & sumpt: funerum. ordinarunt. *Punitorum cadavera sepeliri non debere, nisi petantur, petita tamen facile concedi.* In hoc propositum facit dictum Theodori Cyrenæi, qui, cum audiret. Regem Lysimachum minari ipsi non solùm mortem, sed etiam crucem, liberè respondit; *Terribilis hac sit purpuratis tuis; mea quidem nihil interest, humine, an sublime putrescam.*

CAP. XLI. ℣. 42.

VNico momento Josephus ex imo miseriarum evectus est ad apicem felicitatis. Ille qui serviebat instar mancipii, & languebat tanquam adulter, indignus vitæ creditus ac obscuro detentus carcere; ille, inquam, è Regis manu accepit annulum, annumeratur publicè nobilibus ac intimis Regis, fitque capax summarum dignitatum Ægypti: *Tulitque annulum in manu sua* (Pharao) *& dedit eum in manu ejus.* Similem honorem Rex Assuerus contulit Aman, ut eum declararet æqualem sibi ipsi. Esth. 3. v. 10. *Tulit ergò Rex annulum, quo utebatur, de manu sua, & dedit eum Aman.* Et cap. 8. v. 2. *Tulitque Rex annulum, quem ab Aman recipi jusserat, & tradidit Mardochao.* Ita Rex Antiochus *vocavit Philippum, unum de amicis suis, & praposuit eum super universum regnum suum: & dedit ei diadema, & stolam suam, & annulum.* ut afferret ad Antiochum filium suum, tanquam signa regiæ dignitatis 1. Machab. 6. v. 15. 195.

Annulus signum honoris.

Quando mancipia Romanorũ, posita in libertate, receperunt annulum, declarati sunt capaces honorum ac magistratuum nobilitatis Romanæ, poteranque testari de suis bonis, ut observat Alexander ab Alexandro l. 2. c. 19 circa finem Illo ipso capite etiam scribit; *Apud Persas donari annulo à Rege, fœdus inexplicabile & summi amoris vinculum putabatur.* Etiam Agareni solebant distribuere annulos, tanquam characterem principatus, ut scripsit Constantinus Porphyrogenitus de Administ. Imper: c. 21. *Annulos de manibus oblatos. duobus senibus dederunt: quod signum est principatûs apud Agarenos.*

CAP. XLI. ℣. 42.

PHarao, declarans Josephum Viceregem Ægypti, non solùm ei dat annulum regium. qui servit ad firmanda cum supremâ authoritate decreta ac patentes litteras; sed etiam veste ex candidissimo bysso eum honorat, quæ optimè cum ipsius innocentia conveniens, illum declarat charissimum amicum Regis, & personam regio diademate dignam. Et quidem quod attinet excellentiam personæ, habitus canditus olim erat ornamentum præcipuorum Magnatum, uti S. Jacobus innuit cap. 2. v. 2. *Si introierit in conventum vestrorum vir aureum annulum habens in veste candida.* Quantùm verò ad habitum regium; ubi Acta Apostolorum c. 12. 21. referunt, quòd Herodes Agrippa, *vestitus veste regia sedit pro tribunali*; interpretatur Josephus Hebræus 19. Antiq. c. 7. *amictus veste totâ ex argento mirabili opere contexta.* 196.

Vestis candida est habitus honoris.

Veste candida in tesseram majestatis & honoris adornatus fuit Josephus. Veste etiam candida honoratum se jactat Martialis per manum Parthenii, supremi Præfecti Aulæ Domitiani Imperatoris: de qua lib. 8. Epigr. 28. canit;

Dic toga facundi gratum mihi munus amici
Esse velis cujus fama, decusque gregis?
Lilia tu vincis, nec adhuc delapsa ligustra?
Et Tiburtino monte quod albet ebur.
Spartanus tibi cedet olor, Paphiæque columbæ;
Cedet Erythræis eruta gemma vadis.
Sed licet hæc primis nivibus sint æmula dona,
Non sunt Parthenio candidiora suo.

CAP. XLI. ℣. 42.

197. OPtimo Josepho fuêre à Deo commutatæ ignominiæ in totidem glorias; & ad proportionem infamiæ ac calamitatum dati honores, felicitates ac mercedes. Præ omnibus autem, quia indignè stringebatur catenis ferreis, in donum recepit torquem aureum, tam in præmium excellentis sui meriti, quàm in ornamentum generosi pectoris. Gen. 41. 42. *Et collo torquem auream circumposuit.* Eandem mercedem Danieli obtulit Rex Balthasar, postquam legit, & singulari felicitate interpretatus est ænigmatica verba, in muro descripta. *Iubente Rege circumdata est torques aurea collo ejus.* Dan. 5. v. 29.

Pierius Valerianus lib. 41. docet; *Torquem auream solidæ virtutis premium esse.* T. Manlius, Eques Romanus, omnium primò tulit ornamentum torquis aurei è collo, quia illum spolii militaris loco abstulit cuidam Gallo, quem singulari conflictu vicerat. Romani suis militibus victoribus inter alia insignia & præmia militaria distribuebant torques; cum hac tamen differentia, inquit Alexander ab Alex: lib. 4. c. 18. ut *Auxiliares & externi aureis: Romani argenteis torquibus donarentur.* Lucius Sicinius Dentatus in præmium suarum gloriosarum actionum obtinuit octoginta tres torques; ut scribit Alexander hoc loco. Prosecuta est vetus Roma distributionem horum torquium eousque, donec C. Caligula sustulerit omnibus familiis privilegium sese vestiendi spoliis, ornamentis, & titulis, quos ipsorum majores acquisiverant. Unde *ademit Torquato torquem, Cincinnato crinem, C. Pompejo magni cognomen*; Ut ait Pierius citato loco.

CAP. XLI. ℣. 43.

198. INsigni prudentiâ judicavit Rex Pharao Josephum dignum, ut sederet sublimis in conspectu totius Ægypti, quia sapientia, prudentia, & aliis stupendis virtutibus omnes superabat. Voluit proinde, ut supra currum regium evectus compareret coram tota Provincia. *Fecitque eum ascendere super currum suum secundum.* Gen. 41. v. 43. ut Regis intimus, amicus, & prima post regem persona agnosceretur.

Currus regius.

Suidas refert, ab Imperatore Trajano fuisse summè æstimatum Dionem Pruseum Sophistam; unde non solùm voluit ipsum recipere inter suos familiares; sed etiam secum in curru triumphali Romam duxit. De Platone scribitur, quòd adhuc juvenis, à Rege Dionysio multis legatis rogatus sit, ut se conferret in Regnum Siciliæ. Unde Dionysius illum recepit in currum suum regium; & dum Philosophus ille ibi sedebat; Rex ei serviit aurigæ loco. Id quod elevato cuidam Syracusano ingenio sublimem occasionem dedit, ut ad hoc propositum uteretur Homeri versibus, paucis mutatis ita canens;

Faginus ingenti stridet sub pondere pressus
Axis, dum vehitur vir præstantissimus alter,
Terribilisque simul.

In hoc argumentum facit, quod ad honorem Honorii cecinit Plaudianus in 6. Consulatu;

Tam tibi magnorum mercem fortuna laborum
Persolvit Stilico, curru cum vectus eodem
Vrbe triumphantem Generum florente juventâ
Conspiceres.

CAP. XLI. v. 43.

CUm Josephus ex ordinatione Regis conscendisset regium currum; publicus præco illum præcedens, alta vocè omnibus mandavit; *ut coram eo omnes genu flecterent.* Gen. 41. v. 43. Et ut observant Interpretes, clamabat *Abrech*; quæ vox est imperativa, & tandundem valet, inquit Aquila, quantùm *flecte genu.* Cui interpretationi etiam adhæret nostra vulgata. Verum S. Hieronymus Tradit: in Genes: opinatur, quod *Abrech* significet *Pater tenet*; hoc enim titulo, qui tribuebatur Josepho, repræsentatur vera Principis proprietas, qui sit tener in commiseratione erga aliorum infirmitatem ac debilitatem. Et pater in provisione opportuni subsidii. 199.

Princeps sit Pater.

Proprium epithetum est principis, ut sit Pater. Quando omnes Senatores Romani erant cognominati *Patres conscripti*; Imperator communiter vocatus est *Pater patriæ.* In hunc sensum. Virgilius. lib. 9. Æn. vers. 449.

— — *Imperiumque Pater Romanus habebit.*

Ausonius, loquens de Theodosio;

Tu modò te jussisse Pater Romane memento.

Chrysantas apud Xenophontem lib. 3. Cyropæd: *Etiam aliàs sæpè, O viri animadverti, nihil interesse inter Principem bonum, & patrem bonum.* Unde Persæ, ut scribit Herodotus lib. 3. Dario dederunt nomen mercatoris & cauponis, quia semper erat intentus lucris. Cambisi nomen Domini quia semper aspero & supercilioso. Cyro nomen Patris, quia erga omnes dulci affectuoso, ac benigno.

CAP. XLI. ℣. 45.

SIcuti calamitates Josephi non poterant esse majores, ita ipsius exaltationes non poterant esse celsiores. Vilipensus fuit instar servi; nunc videmus illum honoratum ut Regem, cui acclamatur titulus Salvatoris mundi: *Et vocavit* (Pharao) *eum linguâ Ægyptiacâ Salvatorem mundi.* Gen. 41. v. 45. Et certè nomen Salvatoris apprimè convenit illi, qui mira providentia mundum liberavit angustiis miserrimæ famis. Sublime hoc Josephi epitheton fuit etiam attributum Othonieli Judic: 3. v. 9. *Et clamaverunt ad Dominum: qui suscitavit eis Salvatorem & liberavit eos, Othoniel, &c.* Similiter 4. Reg. 13. v. 5. loquendo sive de Elisæo, ut vult Cajetanus; sive de Joa, Rege Israelis, ut dicunt alii; *Dedit Dominus Salvatorem Israëli, & liberatus est de manu Regis Syriæ.* 200.

Salvator dictus benefactor.

Etiam Gentilitas consuevit Salvatoris titulo insignire illos, qui fuêre grandes Magnates, & notabilem beneficentiam attulêre provinciis. Tullius Act. 4 in Verrem, *Illum non solum Patronum*

num istius Insulæ, sed & Sotera inscriptum vide Syracusis. Hoc quantum est? ita magnum, ut latinè uno verbo exprimi non possit. Is est nimirum Soter, qui salutem dedit. T. Livius l. 34. de Flaminio scribit; *Nondum conventus dimissus erat, quum respiciunt præsidium ab Acrocorintho descendens protinus ad portam duci, atque abire. Quorum agmen imperatorem liberatoremque acclamantibus salutatis, dimissisque iis, eâdem, quâ venerat, viâ Elatiam rediit. Compendio* Heliodorus l. 2. Hist. Æthiop. *Salvatorem te mihi, & diis æqualem reputabo.*

CAP. XLI. ℣. 46.

201\. VIx Josephus denominatus est Vicerex Ægypti, & promotus ad regimen ac præfecturam celebris illius provinciæ; mox itineris labores in se suscepit, ut videret ac provideret omnibus. *Et circuit omnes regiones Ægypti.* Gen. 41. v. 46. Philo lib. de Joseph ait; *Obibat ejus regionis præfecturas, & oppida, omnibus novum magistratum officiosè & hilariter excipientibus, quos tum beneficiis, tum comitate devinciebat.*

Princeps bonus visitat subditos.

Sollicitudo, quam Moses in Josepho deprædicat, celebratur etiam à profanis scriptoribus in suis Principibus. Plinius *in Paneg. Trajani* ait: *O veri Principis, atque etiam Consulis reconciliare æmulas civitates, tumentesq; populos non imperio magis, quàm ratione compescere, intercedere iniquitatibus magistratuum, infectumque reddere, quidquid fieri non oportuerit. Postremò velocissimi sideris more, omnia invisere, omnia audire, & undequaq; invocatum, statim velut Numen adesse.* Tacitus lib. 3. Annal. de Germanico. *Provincias internis certaminibus, aut magistratuum injuriis fessas refovebat.* Et Dion Cassius de Adriano; *Civitates socias, atq; tributarias, & subditas mirificè juvit, multas earum invisit, & quas nullus antè se Imperatorum viderat, atq; omnibus aliquid opis & auxilii tulit.* Et rursus; *Hadrianus aliam ex alia provinciam percurrens, regiones & urbes perlustrabat. &c.*

CAP. XLI. ℣. 56.

202\. INter præstantissimas operationes, à Josepho in Ægypto factas, illa meretur primum locum, quod tempore necessitatis aluerit numerosas provincias, subministrando iis frumentum & alimenta. *Crescebat autem quotidie fames in omni terra: aperuitq; Joseph universa horrea.* Intuitu miræ hujus providentiæ dictus est Salvator mundi; sibique obstrinxit reverentiam & affectum omnium provinciarum, quibus tantoperè benefecit.

Joseph pascit Ægyptum, & sibi meretur reverentiam.

Historia Josephi Hebræi, providentis in Ægypto frumentum ad præservandum à fame Regnum; à gentilibus proponitur sub schemate fabulæ de Ape & Serape; dicuntque, illum fuisse Regem Argivorum, qui delatus in Ægyptum, populis illis maximum levamen tempore penuriæ attulit. Unde divinis honoribus ab iis affectus fuit; ipsiusque imaginem depinxerunt cum facie juvenili, portantem supra caput canistrum frumenti vel panis. Ita observant S. Clemens Alexandrinus & S. Augustinus l. 18. de Civit. cap. 4. & 5.

CAP. XLII. ℣. 15.

203\. JOsephus, ut cogeret suos fratres ad conducendum Benjaminum in Ægyptum, juravit per salutem ac vitam Pharaonis, se non permissurum illos inde egredi, nisi ad aulam perducerent fratrem minorem. *Per salutem Pharaonis non egrediemini hinc, donec veniat frater vester minimus.* Gen. 42. v. 15. Et rursus n. 16. *Per salutem Pharaonis exploratores estis.* Quemadmodùm Joseph juravit per salutem Pharaonis; ita Abner per animam Saulis, 1. Reg. 17. v. 55. Et David per vitam Jonathæ, 1. Reg. 23. v. 3.

Jurare per salutem & vitam alterius.

Eandem formulam observârunt Gentiles, jurando per vitam illorum, quos summè amârunt aut æstimârunt; uti observat Alexander ab Alexandro l. 5. c. 10. Patres nimirum per vitam filiorum, & subditi per vitam Principum ac Imperatorum. Ita Virgilius lib. 9. v. 300.

Per caput hoc juro, per quod pater antè solebat.

Et Ovidius lib. 3. de Pont. Eleg. 3.

Per matrem juro, Cæsareumq; caput.

Unde etiam in Legibus fit mentio hujus juramenti; *Per salutem Principis*; uti videtur l. si quis major. C. de Transact.

CAP. XLII. ℣. 21.

FRatres Josephi, constricti carceribus, minis, & exprobrationibus Josephi; *Locuti sunt ad invicem: meritò hæc patimur, quia peccavimus in fratrem nostrum &c. Idcircò venit super nos ista tribulatio.* Gen. 42. v. 21. Sic nimirum dum cumulabantur ac imminebant pœnæ, conscientia ipsis objecit, injurias, iniquè, tametsi ante viginti tres annos, Josepho illatas, contra ipsos clamare, ac has pœnas machinari. *Conscientia insurgit*, inquit S. Jo. Chrysostomus in hunc loc. *& quovis accusatore mentem gravius arrodit, monstrans absurditatem facti.* 204.

Conscientia remordet.

Plutarchus lib. de sera Numinis vindicta, refert de Apollodoro, quod in somno perdiderit quietem, sibique videretur à Scythis excoriatus vivus, & inde præcipitatus in bullientem ollam: quod insuper cor ei continuò acclamaverit! *Ego tibi horum sum causa.* De Tiberio Principe, enormibus sceleribus contaminato, ait Corn. Tacitus lib. 6. Annal. *Non fortuna, non solitudines protegebant; quin tormenta pectoris, suasq; ipse pœnas fateretur.*

CAP. XLIII. ℣. 11.

QUando fratres Josephi è terra Chanaan regressi sunt in Ægyptum, Jacob eos providit quibusdam muneribus, quæ servirent placando ac conciliando Viceregi, ad obtinendam ipsius gratiam. *Sumite de optimis terræ fructibus in vasis vestris, & deferte viro munera.* Gen. 43. v. 11. Hanc munerum oblationem interposuit longè prius ipsemet Jacob ad placandum Esau. Gen. 32. v. 20. Nescio quæ munera miserunt Israëlitæ ad Elgon Regem Moabitarum, ad conservandum bonum ipsius affectum. Judic. 3. v. 15. Muneribus usa est Abigail ad conciliandum iratum Davidem. 1. Reg. 25. v. 18. &c. 205.

Munera placant.

Samnites per Legatos miserunt ingentem vim auri in donum Mu. Curii, Belli ducis Romanorum, ut eum sibi devincirent. Val. Max. l. 4. c. 3. Æneas per expressum Legatum misit sua munera Regi Latino. Æneid. l. 7. v. 243.

Dat sibi præterea fortuna parva prioris
Munera &c.

Ismaël Rex Persiæ, auditis magnis progressibus, quos Alphonsus Albuquercius in Indiis Orien-

Orientalibus fecerat, & desiderans illum sibi benè addictum reddere, dono misit equos undique instructos armis, stragulis reticulatis, magnoque numero auri ac gemmarum; uti refert Joan. Petrus Maffejus Hist. Ind.

CAP. XLIII. ℣. 16.

206. JOsephus suo Præfecto domûs in mandatis dedit, ut occideret victimas, instrueret mensam, cibosque pro convivis suis fratribus in meridie præpararet. Unde credibile est, paulatim Hebræis ac Ægyptiis fuisse in more positum, ut comederent in meridie. *Introduc viros domum, & occide victimas, & instrue convivium: quoniam mecum sunt comesturi meridie.* Gen. 43. v. 16. Hæc consuetudo acceptata est in Dan. c. 14. v. 13. ubi senes illi libidinosi dicunt; *Quia hora prandii est*; & num. 15. adjungitur, *æstas quippe erat*; id est, hora caloris seu meridies. Libro 2. Reg. c. 11. v. 2. dicitur, quòd David surrexerit è lecto post meridiem, ubi quiescere solemus post prandium. Ita Joan. cap. 4. repræsentatur Christus, ex itinere fessus. *Hora erat quasi sexta*; n. 6. & 8. adjungitur, *Discipuli enim ejus abierant in civitatem ut cibos emerent*; id est, ut accingerentur ad prandium rectà sub meridie.

Prandium in meridie.

Quòd profanis usitatum fuerit prandere in meridie, testantur Cornelius Tacitus l. 14. Annal. c. 1. *Tradit Clavius, amore retinendæ Agrippinam potentiæ, eo usq; provectam; ut medio diei, cùm id temporis Nero per vinum & epulas incaluisset; offerret se sæpius temulento comptam, & incesto paratam.* Suetonius in Augusto cap 78 *Post cibum meridianum, ita ut vestitus, calceatusq; erat, retectis pedibus paulisper conquiescebat, opposita ad oculos manu.* Lampridius in Alexandro Severo: *Et cum dormiret post convivium horâ diei fere septimâ, unus &c.*

CAP. XLIII. ℣. 31.

207. MEthodus, quam cum convivis fratribus adhibuit Josephus, considerari debet. De illa scribit Moses Gen. 43. v. 31. *Ait, ponite panes: quibus appositis seorsim Joseph, & seorsim fratribus —sederunt coram eo, primogenitus juxta primogenita sua, & minimus juxta ætatem suam.* Prandebant itaque cum Vicerege; verùm ad mensam separatam, ut conservaretur decorum ac dignitas personæ.

Mensa subditorum est separata à mensa principis.

Hanc considerationem etiam habuère sagaces Romani, qui tametsi comederent cum personis nobilissimis, & cum ipsis etiam filiis; nunquam tamen ad ipsam Principis mensam, sed ad aliam separatam recipiebantur. Cornelius Tacitus; lib. 13. Annal. cap. 4 *Mos habebatur Principum liberos cum cæteris ejusdem ætatis nobilibus, sedentes vesci in aspectu propinquorum, propriâ & parciore mensa.*

Observari insuper debet forma accedendi mensam; quæ proponitur Gen. 43. v. 33. *Sederunt coram eo &c.* Sedebant itaque fratres Josephi, non accumbebant, ut aliàs mos erat. Hunc morem reperimus etiam 3. Reg. c. 13. v. 20. *Cumq; sederent ad mensam.* Prov. 23 v. 1. *Quando sederis, ut comedas cum Principe: diligenter attende* &c. Hierem. 16. v. 9. *Domum convivii non ingrediaris, ut sedeas cum eis. &c.*

Antiqui ad mensam sedebant.

Idipsum observatum est à profanis. Athenæus Dipnosoph. lib. 1. scribit; *Sedebant in cœnis Heroes, non accumbebant.* Tacitus, paulò antè relatus, lib. 13. Annal. c. 4. *Mos habebatur, Principum liberos cum cæteris ejusdem ætatis nobilibus sedentes vesci in aspectu propinquorum.* Virgilius 8. Æneid.

Hæc ubi dicta: dapes jubet, & sublata reponi
Pocula; gramineoq; viros locat ipse sedili.

Et Ovidius lib. 5. Fastorum.

Ante focos olim scamnis considere longis
Mos erat.

CAP. XLIV. ℣. 5.

JUlius Sirenius l. 9. de Fato c. 18. refert, quod Ægyptii & Assirii repleverint catinos & crateres aquis, sicque soliti sint certis particularibus verbis invocare dæmones, qui ex aquis sibilando dederunt ad interrogata responsum. Similiter etiam dæmon in aquis exprimebat imaginem illius hominis vel objecti, quod desiderabant videre. Hoc præsupposito; dum ministri Josephi loquuntur de Scypho ipsius, dicunt; *Scyphus, quem furati estis, ipse est in quo bibit Dominus meus, & in quo augurari solet.* Gen. 44. v. 5. Ubi hæc postrema verba non debent ita intelligi, quasi sanctissimus ille Patriarcha fuisset addictus Magiæ ac divinationibus; sed quòd juxta phrasin Hebraicam, ubi dicimus *augurari*, legatur *nachas*; quod propriè significat præsagire, divinare, conjicere, seu, ut Chaldæus traducit, *probare.* Unde Josephus, hunc syphum, plenum vino, suis hospitibus porrigens, investigabat, divinabat, & experiebatur, qualis esset ipsorum temperantia & prudentia; qualia etiam secreta in pectore volverent; probè gnarus, quòd *in vino veritas.* 208.

Hydromantia Gentilium.

Augurari idem ac conjicere.

Simile prorsus est illud, quod Æsopo accidit, uti in ejus vita circa finem habetur. Postquam cives Delphici ex odio erga pauperem innocentem statuerunt illum occidere; usi sunt his insidiis. *Auream phialam, ex eo, quod apud se erat sacello Apollinis accipientes, clam in Æsopi abscondederunt stratis. Cùm Æsopus verò ignoraret, quæ ab ipsis dolo facta fuerant, egressus ibat in Phocidem. At Delphi aggressi, & detinentes ipsum, percontabantur ut sacrilegum. Ille autem negante aliquid fecisse hujusmodi, illi stratis evolutis vi, auream invenerunt phialam, quam etiam acceptam omnibus civibus ostenderunt, non cum parvo tumultu. Igitur Æsopus, cognitis illorum insidiis, rogavit eos, ut solveretur. Hi autem non solùm non solverunt, sed ut sacrilegum in carcerem quoque injecerunt, morte ejus suffragiis decretâ.*

CAP. XLV. ℣. 15. &c.

STupenda fuit charitas & teneritudo Josephi; qui vitæ insidias à fratribus passus, & ab iis venditus genti barbaræ, non solùm non vindicat, dissimulat, & condonat; sed insuper amabilissimè ipsos amplectitur, mirâ teneritudine inter amplexus fundit lachrymas, eosque magnis feudis ac partibus Regni Ægyptii locupletat. *Osculatusq; est Joseph omnes fratres suos, & ploravit super singulos* Gen. 45. v. 15. Et postea dixit; *Tollite inde patrem vestrum, & cognationem, & venite ad me: & ego dabo vobis omnia bona Ægypti.* n. 18. &c. 210.

Joseph amplectitur inimicos.

Octavianus Imperator, insidias vitæ passus à L. Cinna; & certior factus ab uno complice, quo loco, tempore & modo determinatum fuisset gravissimum scelus; jussit illum ad custodiam trahi; Et dum decrevit illum damnare ad mortem; persuasus ab uxore sua Livia, ad exhiben-

hibendam in eo casu summam clementiam, fecit illum ad se accersiri, eique dixit; *Vitam tibi, Cinna, iterum do, prius hosti, nunc insidiatori ac parricidæ. Ex hodierno die inter nos amicitia incipiat. Contendamus, utrùm ego meliore fide vitam tibi dederim, an tu debeas.* Ita refert Seneca l. 1. de Clementia c. 9. ubi subjungit; *Post hæc detulit ultrò consulatum, questus, quod non auderet petere. Amicissimum, fidelissimumque habuit, hæres solus fuit illi.*

CAP. XLV. ℣. 26.

211. JAcob à suis filiis factus certior, quòd suus filius Josephus non tantùm viveret, sed insuper in Ægypto ad supremum dignitatis apicem esset elevatus; ita hoc nuntio fuit stupefactus, ut ex se ipso abreptus, non sciret, quomodò ipsis posset adhibere fidem. *Nuntiaverunt ei dicentes; Joseph filius tuus vivit: & ipse dominatur in omni terra Ægypti. Quo audito Jacob, quasi de gravi somno evigilans, tamen non credebat eis.* Gen. 45. v. 26. &c. Remansit, interprete P. Cornelio à Lapide *attonitus, & stupens, ut nec loqui, nec rem tantam intelligere aut concipere posset.* Idipsum accidit sanctis Apostolis, qui Christum ad vitam resurgentem intuiti, *non credebant, & mirabantur præ gaudio.* Luc. cap. 24. vers. 41.

Gaudium grande absorbet mentem.

Simili affectu obrutus fuit victrix exercitus Romanorum, qui sub Belliduce Scipione expugnavit Carthaginem, & putavit, se non posse credere expeditionem adeò grandem. De hoc successu Appianus de Bello Punic: versus finem refert, quòd unus alterum iteratis vicibus interrogarit; *Num certò constaret dirutam Carthaginem.*

CAP. XLVI. ℣. 4.

212. ITineri versus Ægyptum accincto Jacobo, Deus apparuit, eumque ad iter illud animavit, promittens multam prosperitatem; & inter alias etiam hanc, quòd Josephus esset futurus præsens ipsius morti, ac clausurus paternos oculos. *Joseph quoq; ponet manus suas super oculos tuos.* Gen. 46. v. 4. Ita consueverant Hebræi, ut moriturorum oculi clauderentur manibus charissimorum & intimorum amicorum.

Oculi moribundorum clauduntur à charissimis.

Quòd illud ipsum consueverint Græci & Romani, affirmant centeni Authores. Mater Euriali occisi hanc calamitatem de se ipsa conqueritur apud Virgil. 9. Æneid.

— — *Nec te tua funera mater*
Produxi, pressive oculos, aut vulnera lavi.

Penelope ad Ulyssen Ovidii calamo scribens, precatur Deos, ut Thelemacus, ipsorum filius possit ambobus genitoribus claudere oculos.

Dii, precor, hoc jubeant, ut euntibus ordine fatis,
Ille meos oculos comprimat, ille tuos.

Etiam Statius lib. 5. Sylv: in Epicædio Priscillæ.

Hærentemque animam non tristis in ora mariti
Transtulit, & charâ pressit sua lumina dextrâ.

CAP. XLVI. ℣. 5.

213. POstquam Jacob certum suum sacrificium finiit, & à Deo ad prosequendum iter versus Ægyptum confortatus fuit; Ipsius filii, certiores facti de paterna resolutione, tametsi adulti, uxorati, fœcundi prolibus, & capita nobilis ac numerosæ familiæ, patrem suum supra propria brachia portarunt, & ex papilione, in quo morabatur, tulerunt ad currus, à Rege Ægypti transmissos. *Tuleruntq; eum filii,* inquit Sacer Textus Gen. 46. v. 5. *in plaustris, quæ miserat Pharao ad portandum senem.* In hunc locum Benedictus Fernandez n. 18 ait: *Brachiis, humerisque sublatum, aut vehiculo aut equo imponunt.* Et paulò infrà. *Confectum senio patrem curant, fovent, portant brachiis, attollunt in humeros.*

Filii obsequiosi erga patrem.

Cum pietate horum Patriarcharum certavit Ferdinandus II. Imperator, qui, tametsi coronatus Monarcha, & Dominus nobilissimarum provinciarum, regiæque Principi conjunctus; *dato brachio ascensuram matrem attollebat in rhedam, descensuram excipiebat, & deponebat. Ex equo desiliens præstò erat, ut currum illi aperiret, iteramque, per gradus suo innitentem brachio sustentabat, & deducebat.* Ita refert Guilielmus Lamormainus de Virtut. Ferd. c. 10.

CAP. XLVI. ℣. 30.

JAcob ex viso suo Josepho plenissimus solatii, 214.
promptum se obtulit ad mortem cum gaudio suscipiendam. *Dixitq; pater ad Joseph; jam lætus moriar, quia vidi faciem tuam.* Gen. 46. v. 30. Quemadmodùm insperata lætitia in hoc Patriarcha excitavit promptitudinem ad moriendum, ita alios penitùs extinxit ut expirarent. Multa in hanc rem exempla colligit Aulus Gellius lib. 3. cap. 15. è quibus duo gratiosa desumere sufficiet. *Diagoras,* inquit, *habuit tres filios, eosque omnes vidit vincere, coronariq; eodem Olympiæ die: & quum ibi tres adolescentes amplexi, coronis suis in caput patris positis suaviarentur; quumq; populus gratulabundus flores undiq; in eum jaceret: ibi in stadio, inspectante populo, in osculis, atq; in manibus suorum animam efflavit.* Ita nescio quæ fœmina Romana, cùm videret filium sanum ac robustum, quem antea occisum & in Cannensi prælio mortuum credebat ac plangebat; *copia atq; turba, & quasi ruinâ incidentis inopinati gaudii oppressa, exanimataque est.*

Grande gaudium causat mortem.

CAP. XLVII. ℣. 3.

FRatres Josephi, præsente Rege Pharaone, 215.
absque dissimulatione ulla, candidè confessi sunt humilem suum statum; *Pastores ovium sumus servi tui, & nos, & patres nostri.* Gen. 47. v. 3. Hoc ipsum est documentum Ecclesiastici cap. 41. v. 21. quòd non debeamus erubescere in cognoscendis nostris consanguineis, humili conditione natis. *Erubescite ab aversione vultûs cognati.*

Non erubescere ob viles natales.

Thomas Villanovanus, Archiepiscopus Valentinus, qui primo die Novembris, Anno 1658. quo hæc scribo, ab Alexandro VII. Summo Pontifice in numerum sanctorum fuit recensitus, plenus gaudio excepit parentes, quando ad eum visitandum è villa in civitatem veniebant. Unde, præsentibus Episcopis Dertucensi & Segobricensi, blanditus est suo avunculo, rustico tam habitu quàm natalibus; iisque illum monstravit non sine grandi lætitia, dixitque; Iste est noster avunculus, frater matris nostræ. &c. Agatocles è paupere figulo elevatus in Regem Siciliæ, semper inter vasa argentea & aurea retinuit testacea ad suam mensam, ut haberet me-

memoriam suorum natalium. In hoc propositum cecinit Ausonius:

Fama est, fictilibus canâsse Agatoclea Regem,
Atq; abacum Samno sæpè onerâsse luto.
Fercula gemmatis cum poneret horrida vasis,
Et misceret opes, pauperiemque simul.
Quærenti causam, respondit: Rex ego qui sum
Sicaniæ, figulo sum genitore satus.
Fortunam reverenter habe, quicumque repente
Dives ab exili progrediêre loco.

Doctissimus Commentator Sacræ Scripturæ Cornelius à Lapide in lib. 1. Paralip. ad cap. 12. v. 32. de se ipso scribit; *Ego filius agricolæ sum.* quod etiam multi alii fecêre.

CAP. XLVII. ℣. 19.

216. PAtriarchæ Josephi tempore fames ita arctè constrinxit Ægyptios, ut ad comparandum frumentum vendidissent non solùm suas domos ac bona, sed tandem seipsos, ut pretio venditæ propriæ suæ libertatis, providerent necessitati ventris, qui diuturno tempore jejunus, altùm rugiebat; *Cur moriemur te vidente?* inquiebant ad Proregem Gen. 47. v. 19. *Et nos & terra nostra tui erimus: eme nos in servitutem regiam, & præbe semina &c.*

Fames cogit ad vendenda omnia.

Saturius, à Plauto in Comœdia Persa introductus, Toxillo servo suo loquitur;

Me quoq; etiam vendas licet, dum saturum vendas.

Idem Plautus in Men. advertit, panem & vinum esse catenas, quæ servos in domo arctè continent, & ad obsequia Dominorum compellunt.

Quem tu asservare rectè, ne aufugiat, vales,
Esca atq; potione vinciri debet.

CAP. XLVII. ℣. 26.

217. ÆGyptii inter angustias famis ad comparandum panem vendiderunt Regi omnia sua bona, exceptis terris sacerdotum, quæ omnes remanserunt in ipsorum dominio & jurisdictione. *Præter terram sacerdotum, quæ à Rege tradita fuerat eis.* Gen. 47. v. 22. Postquam populi à Rege receperunt terras, cum perpetua obligatione, quotannis ærario Regio persolvendi quintam partem omnium fructuum; semper excepti fuêre sacerdotes, & ab hoc onere exempti: *Ex eo tempore usq; in præsentem diem in universa terra Ægypti Regibus quinta pars solvitur, & factum est quasi in legem, absq; terra sacerdotali, quæ libera ab hac conditione fuit.* Gen. cap. 47. v. 26. Imò non solùm nulla à sacerdotibus exigebantur tributa; sed ipsimet pendebantur. *Statuta cibaria ex horreis publicis præbebantur, & idcircò non sunt compulsi vendere possessiones suas.* Gen. ibid. De hâc immunitate non solùm loquuntur scripturæ sacræ, sed etiam profanæ, ut Herodotus in Euterpe, & Diodorus lib. 2.

Exemptio sacerdotum.

Aristoteles lib. 8. Ethic. hanc immunitatem sacerdotalem infert, scribens: *Fieri inter antiquos Gentiles sacrificia, & dari primitias.* Sic nimirum sacrificia referebantur ad Deos; primitiæ frumenti ac fructuum, quæ non sunt res sacrificabiles, spectabant ad alimenta sacerdotum; qui loco solvendarum contributionum, eas à civitatibus & populis grandi numero & quantitate exigebant. Tostat, in c. 18. Deut. quæst. 1.

CAP. XLVII. ℣. 29.

AD postremum afflictæ vitæ suæ terminum deductus Patriarcha Jacob, integro affectu precatus est filium suum Joseph, ne ipsius corpus defunctum sepeliretur in Regno Ægypti, sed transferretur in Chanaan, ut ibi simul cum suis proavis Abrahamo & Isaaco frueretur ultima quiete. *Si inveni gratiam in conspectu tuo,* inquiebat Gen. 47. v. 29. *facies mihi misericordiam & veritatem, ut non sepelias me in Ægypto: sed dormiam cum Patribus meis.* 218.

Filii desiderant sepeliri cum patribus.

D. Joannes de Austria, supremus Bellidux Philippi II. Regis Hispaniarum in Flandria & Burgundia, mortuus est in Flandria Anno 1578. cùm verò ad extremum deduceretur, Regem fratrem suum tria enixè rogavit. *Austriacus morti proximus, tria supremis precibus oratum ab se Regem voluit: ut cadaver suum condi juberet apud Caroli Imperatoris ossa* (qui fuit ipsius pater:) *ut matrem, fratremq; ejusdem uteri, in fidem patrociniumq; reciperet: ut aulicos, spe diu sustentatos, aliqua remunerationis ope, quam sibi ipse rependere nequiverat, sublevaret.* Ita refert P. Famianus Strada de Bello Belgico lib. 10.

CAP. XLVIII. ℣. 21. &c.

QUemadmodùm Jacob præ omnibus filiis æstimabat suum Josephum, ejusque singularia merita, ita præ omnibus voluit illum cumulare hæreditate. Unde quia charior erat omnibus, dedit ei possidendam terram Sichem, quam imprimis justo pretio, & postea armis comparavit, eique carò constitit. *Et ait ad Joseph, filium suum: En ego morior:* Gen. 48. v. 21. &c. *Do tibi partem unam extra fratres tuos, quam tuli de manu Amorrhæi in gladio & arcu meo.* 219.

Hæreditas particularis relicta.

Apud peritos legum civilium reperiuntur multa exempla particularium hæreditatum & legatorum, quæ expressè sunt relictæ personis extra alios hæredes. Modestinus ff. de Leg. 1. Leg. Titia §. 1. *Octaviana Stratonica, dulcissima filia mea, salutem. Volo eam à se ipsa recipere villam Gazam, cum impositionibus suis omnibus. Octaviano Alexandro, dulcissimo filio meo, salutem. Præcipuam volo eum à se ipso accipere synthesin sterilium villarum cum impositionibus suis.* Ita Paulus ff. de Leg. 3. l. 92. *Si mihi Seia & Nigidia, filiæ meæ, hæredes erunt, tum Maria è medio sumito, percipito, sibi habeto fundos meos illum & illum* Et Scævola ff. de Instr. vel Instr. leg. l. prædia §. liberto. *Pamphile liberte percipito, tibiq; habeto fundum meum Titianum, & agellum semproniamum &c.*

CAP. XLVIII. ℣. 22.

JAcob, committens Josepho possessionem ac dominium regionis Sichem, dixit; *Do tibi partem unam extra fratres tuos, quam tuli de manu Amorrhæi in gladio & arcu meo.* ubi utitur metaphora gladii & arcus, ut significet, quòd terram illam acquisiverit propriis viribus, industria, & laboribus; non verò hæreditate, dono, aut aliis modis. 220.

Acquirere armis in manu, significat acquirere proprio valore.

modis. Hæc loquendi forma usitata est in Josuæ cap. 24. n. 12. *Ejeci eos de locis suis, duos Reges Amorrhæorum, non in gladio, nec in arcu tuo.* lib. 4. Reg. c. 6. v. 22. *Non percuties: neq; enim cepisti eos gladio & arcu tuo.* Judith c. 5. v. 16. *Ubicumque ingressi sunt sine arcu & sagitta, & absq; scuto & gladio. Deus eorum pugnavit pro eis, & vicit.* Et alibi sæpè.

Hæc phrasis, *in gladio & arcu*, à Gentilibus permutata fuit in istam, *meo Marte*; ad inferendum rem peractam nostro labore ac diligentia. Tullius lib. 3. de Offic. *Hanc igitur partem relictam explebimus nullis adminiculis, sed, ut dicitur, Marte nostro.* Et 2. Philipp. *Rex enim ipse sua sponte, nullis Commentariis Cæsaris, simul atq; audivit ejus interitum, suo Marte res suas recuperavit.*

CAP. XLVIII. ℣. 22.

221. PRæclari sagittarii encomium denegari non potest Jacobo, qui scivit, arcu & sagittis acquirere feuda ac Principatus. De his loquitur Moses, ipsius ore dicens Josepho; *Do tibi partem unam extra fratres tuos, quam tuli de manu Amorrhæi in gladio & arcu meo.* Gen. c. 48. v. 22. Simile elogium formatur in honorem Jonathæ 2. Reg. c. 22. *Sagitta Jonathæ nunquam rediit retrorsum.* Et de aliis personis in sacris litteris.

Sagittarii præclari.

Omnes Libri Profanorum commemorant arcum & sagittas Apollinis, Dianæ, Cupidinis &c. Seneca in Hercul. Oet. de sagittis Alcidis ait;

— — Munus Alcidæ cape.
Has hydra sensit: his jacent stymphalides,
Et quidquid aliud eminus vici malum:
Victure felix, has enim nunquam irritas
Mittes in hostes.

Virgilius lib. 1. Æneam suum deprædicat tanquam insignem sagittarium;

Constitit hic, arcumque manu, celeresque sagittas
Concipit.

Claudianus od. 1. ad Honorium Imperatorem, ita illum celebrat;

Princeps corusco sidere pulchrior,
Parthis sagittas tendere certior.

Suetonius de Imperatore Domitiano cap. 19. *Armorum nullo: sagittarum, vel præcipuo studio tenebatur, centenas varii generis feras, in Albano secessu conficientem spectavere plerique, nonnunquam in pueri procul stantis, præbentiq; pro scopo dispansam dexteræ manus palmam, sagittas tanta arte direxit, ut omnes per intervalla digitorum, innocuè evaderent.*

CAP. XLVIII. ℣. 22.

222. QUando Jacob dicit, se acquisivisse armis & sagittis campum, vicinum civitati Sichem; *Do tibi partem unam extra fratres tuos, quam tuli de manu Amorrhæi in gladio & arcu meo.* S. Hieronymus interpretatur, quòd, *in gladio & arcu*, idem significet. *ac in fortitudine, puta in pecunia, quam multo & labore, & sudore acquisivi.* Hæc interpretatio accipit fundamentum aliquod, si observetur, quòd vox Hebræa *Kesser*, quæ fuit traducta *in arcum*; si scribatur per *thet*, significet *nummum.*

Arcus significat nummum.

Neque desunt eruditæ observationes ad hoc propositum. Nam si verum sit, quod scribit Alexander ab Alexandro l. 4. c. 15. *Persicus nummus sagittarium incussum habuit, qui Darius etiam dictus.* Dictio *Sagittarius*, etiam idem dicit ac *Nummus* juxta morem Persarum. Unde quando Agesilaus accepit triginta mille monetas, impressas hoc signo, ut cum exercitu egrederetur Persia; gratiosè dixit; *Se ex Asia pulsum triginta millibus sagittariorum*

CAP. XLIX. ℣. 1.

JAcobus, morti vicinus, prædicit suis filiis considerabiles successus, eventuros ipsis post multos annos. *Congregamini, ut annuntiem, quæ ventura sunt vobis in diebus novissimis.* Gen. 49. v. 1. In his prædictionibus loquebatur sanctus Patriarcha, insistens divinis revelationibus; quamvis non desint, qui affirmant, multos moribundos habere certum spiritum & facultatem vaticinandi ac prædicendi res futuras. Unde S. Gregorius Magnus lib. 4. Dial. c. 26. ait; *Ipsa aliquando animarum vis, subtilitate suâ aliquid prævidet: aliquando autem exitura de corpore anima, per revelationem ventura cognoscunt. &c.* 223.

Moribundi prædicunt multas res.

Ejusdem opinionis fuère multi antiqui. Xenophon l. 9 Cyropediæ facit, quòd Cyrus, vicinus morti, dicat; animam humanam, quando est separanda à corpore, prædicere res futuras. Plato in Apologia introducit Socratem ita loquentem. *In illud tempus incidi, quo homines solent maximè ventura prædicere, cum jam morituri sunt.* Et M. Tullius lib. 1. de Divinat: *Divinare autem morientes, etiam illo exemplo confirmat Possidonius, quo affert Rhodium quemdam morientem sex æquales nominâsse, & dixisse, qui primus eorum, qui secundus, qui deinceps moriturus esset.* De hac materia vide P. Menochium Tom. 1. Histor. cap. 22.

CAP. XLIX. ℣. 12.

INsignis pulchritudo Patriarchæ Judæ celebratur ab ipsius patre Jacobo in hæc omninò verba; *Pulchriores sunt oculi ejus vino.* Quasi diceret, illum habere oculos fulgurantes, luminosos, spirituosos, & ardentes; quæ sunt prærogativæ propriæ vini. 224.

Oculi comparantur vino.

Hæc metaphora etiam aliis scriptoribus usitata est. Isaacus porphyrogenitus in libro, cui titulus est, *De formis, & vultus lineamentis Heroum, tam Græcorum, quàm Trojanorum, qui contra & pro Troja decertârunt*; describit formam Achillis, aitque, quòd fuerit *flavus, speciosus, colore vineo, oculis acer.* Nonnus repræsentans pulchritudinem Dionysii, seu Bachi; ait, *Oculos vineos habens.* Supradictus Isaacus, loquens de Helena, postquam descripserat totam ipsius pulchritudinem, membra candida, capillos flavos, cincinnos oblongos, &c. subjungit; *Oculis vineo colore vestitis.* Has, aliasque eruditiones colligit Andreas Pintus Ramirez in suo spicilegio. Cap. 5:

CAP. XLIX. ℣. 12.

JAcob non reperit formam magis propriam ad exprimendam pulchritudinem dentium filii sui Judæ, quam candorem lactis. Unde de illo ait. *Et dentes ejus lacte candidiores.* Gen. 49. vers. 12. 225.

Quòd candor sit insignis prærogativa dentium, testantur centeni scriptores. Lucianus in Dialogo, cui titulus *imagines*; ita discurrit. *Veruntamen tenuiter ridendo, O Philostrate, dentes ostendebat: Dii boni! quàm albos, quàm mediocres, quàm aptè inter se constitutos? sicubi segmentum, aut monile*

Candor est proprium epitheton dentium.

monile vidisti pulcherrimum, nitidissimis & æquali magnitudine pollentibus margaritis confectum, tam concinnâ, decentiq; serie erant nati. Sidonius Apollin. lib. 1. Ep. 11. Si casu dentium series ordinata promineat, *niveum protinus repræsentat colorem.* Trebellius loquens de Zenobia. *Tantus candor in dentibus, ut margaritas eam plerique putarent habere, non dentes.* Similiter Angelus Politianus. *Quid margaritas dentium prœcandidorum proloquar?* Et Ovidius in Epistola ad Leandrum tribuit dentibus pulchræ puellæ candorem niveum.

Rumpere dum niveo vincula dente volet.

CAP. XLIX. ℣. 14.

226. REflectens Jacob ad applicationes geniales filii sui Isachar, ac ipsius posterorum; laudat illum tam ob robustam fortitudinem, quàm ob voluntatem applicatam, ad labores agriculturæ, in quibus reperiebat suavissimam quietem, abstrahens se à quibusvis aliis molestiis mercaturæ & belli. *Issachar asinus fortis, accubans inter terminos, vidit requiem quòd esset bona, & terram, quòd optima: & supposuit humerum suum ad portandum.* Gen cap. 49. v. 14.

Agricultura vita quieta.

Quòd in agricultura reperiatur vera quies, ac certa species beatitudinis, testatur Horatius;

Beatus ille, qui procul negotiis,
Vt prisca gens mortalium
Paterna rura bobus exercet suis
Solutus omni fœnore.

Aristophanes protestabatur; *Dum pacis amans intueor agrum, odi civitatem.* Joannes Stobæus. *Aurea res solitudo. Urbs theatrum infelicitatis.* Ipse etiam Cicero *in Catone majore* de agricultura ait; *Mea quidem sententiâ haud scio, an ulla beatior vita esse possit: neq; solùm officio, quod hominum generi universo cultura agrorum est salutaris, sed oblectatione etiam, quam dixi, & saturitate, copiaque rerum omnium, quæ ad victum hominum, & cultum etiam Deorum pertinent. &c.*

CAP. XLIX. ℣. 22.

227. TAm singularis ac stupendæ pulchritudinis fuit Patriarcha Josephus, ut nobilissimæ puellæ, stimulatæ extremâ curiositate currerent ad fenestras ac plateas, illius aspiciendi & admirandi causa. *Filius accrescens Joseph, filius accrescens & decorus aspectu. Filiæ discurrerunt super murum.* Gen 49. v. 22. Idest; *Super muros domorum & urbium, ut viderent te, O Joseph, tam formosum juvenem,* uti interpretatur Cornelius à Lapide.

Pulchritudo attrahit oculos aliorum.

Similem attrahendi vim habuit Stilico, omnium oculos in sui aspectum rapiens. De huc Claudianus lib. 3. de laud. Stilic.

Nonne vides, & plebe vias, & tecta latere
Matribus?

Loquens de Honorio 6. Honor. Consul. versus finem;

— — *Vndare videres*
Ima viris, altas effulgere matribus ædes.

Et Sidonius Apollinaris lib. 3. Epist. 3. ad Editium. *Non potest, unquam civicis pectoribus elabi, quem te quantumq; nuper omnis ætas, ordo, sexus de semirutis murorum aggeribus conspicabatur.*

CAP. XLIX. ℣. 27.

PAtriarchæ Benjamino & ipsius tribui attributus est titulus Lupi rapacis; & hinc mox subjunguntur audacia & bellicosa ipsius facta. *Benjamin lupus rapax, manè comedet prædam, & vespere dividet spolia.* Gen. 49. v. 27. 228.

Opera proportionata titulo,

T. Livius lib. 1. num. 4. postquam descripsit Romulum & Remum, nutritos à lupa, cum cujus lacte quasi suxisse videbantur lupinam ferociam & rapacitatem; ait: *Ita geniti: ita educati, quum primùm adolevit ætas, nec in stabulis, nec ad pecora segnes, venando peragrare circa saltus, hinc robore corporibus, animisque sumpto, tam non feras tantùm subsistere, sed in latrones præda onustos impetum facere, pastoribusq; rapta dividere,* Quæ sanè sunt omninò actiones, in sacris litteris de Benjamino celebratæ.

& educationi.

CAP. L. ℣. 1.

MOrtuo sanctissimo Jacobo, Josephus ipsius filius dolore transfixus ac languens, cecidit super faciem defuncti progenitoris, abluens illum profusissimis lachrymis, & iterata, ac amabilissima oscula ei figens. *Ruit super faciem patris, flens, & deosculans eum.* Gen. 50. v. 1. 229.

Lachrymæ & oscula in morte charorum.

Hæ erant genuinæ demonstrationes amoris & doloris, factæ à Gentilibus in morte suorum amicorum, profundendo videlicet lachrymas, & dare oscula. Tibullus lib. 1. Eleg.

Flebis, & arsuro positum me Delia lecto,
Tristibus & lachrymis, oscula mixta dabis.

Propertius lib. 2. Eleg. ad Cynthiam primò ait;

Osculaq; in gelidis pones suprema labellis.

Et paulò post;

Tu tamen amisso nonnunquam flebis amico.

Ovidius 6. Metam. loquens de Niobe, afflicta ob mortem filii;

Corporibus gelidis incumbit, & ordine nullo
Oscula dispensat natos suprema per omnes.

Suetonius in Othone cap. 12. *Multi præsentium militum, cum plurimo fletu, manus ac pedes jacenti exosculati. &c.* Tassus denique in Gerus. Liber. Cant. 12. Stanz. 96. exprimens commiserationem Tancredi ad sepulchrum suæ charæ Chlorinde, ait;

Giunto à la tomba, oue al suo spirto vivo
Dolorosa prigione il Ciel prescrisse,
Pallido, freddo, muto, e quasi privo
Di movimento al marmo gli occhi affisse,
Al fin sgorgando un lagrimoso rivo,
In un languido cohimè, proruppe, e disse;
O sasso amato, & honorato tanto,
Che dentro hai le mie fiamme, e fuori il pianto,
Non di morte sei tù, mà di vivaci
Ceneri albergo c ou' è riposto Amore.
E ben sent' io da te l' usate faci,
Men dolia sì; mà non men calde al core
Deh prendi i miei sospiri, e questi baci
Prendi. ch' io bagno di doglioso humore,
E dagli tù, poi ch' io non posso, almeno
A l' amate reliquie, c' hai nel seno.

CAP.

CAP. L. ℣. 2.

130. SUmptuosè ac magnificè fuit à Josepho honoratum defuncti parentis corpus; jussit enim, ut exquisitis aromatibus, videlicet balsamo, aloë, myrrha, & similibus studiosè condiretur; sicque præservaretur à putredine, ac semper conservaret amœnum odorem. *Præcepitq; servis suis medicis, ut aromatibus condirent patrem.* Gen. 50. v. 2.

Cadavera condiuntur aromatibus.

Antiquissimus populi Ægyptii mos quoad condienda cadavera, etiam receptus fuit non solùm à Judæis, sed etiam ab Arabibus, Æthiopibus, & aliis nationibus. Hujus ritûs non solùm mentionem facit Moses citato loco; sed etiam Plutarchus in Symposio; Plinius lib. 11. cap. 37. Pomponius Mela lib. 1. cap. 9. Et Cicero 1. Tuscul. Præ omnibus autem Herodotus l. 2. loquens de cura mortuorum, Ægyptiis usitatâ; ait, *sunt certi ad hoc ipsum constituti, qui cùm ad ipsos cadaver deportatum est, diligentissimè condiunt corpus. &c.* Et Diodorus Siculus lib. 2. cap. 5. adjungit; *Curatores cadaveris vocari salitores.*

CAP. L. ℣. 7.

131. EXecutus est Josephus ordinationem Jacobi, transferendo ipsius cadaver ex Ægypto in provinciam Chanaan; Pompa harum exequiarum ita fuit grandis ac numerosa, ut Josephum comitati sint primarii senatores ac ministri aulæ Regiæ, Nobiles digniores Regni, omnes fratres Josephi, & immensa copia peditum ac equitum. *Quo ascendente, ierant cum eo omnes senes domûs Pharaonis, cunctique majores natu terræ Ægypti. &c.* Gen. c. 50. v. 7. &c.

Exequiæ cum grandi pompa.

Mortua paupere Virgine S. Clara, summus Pontifex Innocentius III. ut scribit Fulgosius lib. 8. de dictis, factisque mirabilibus cap. 16. *Cum toto urbis illius populo, totâq; aulâ, ubi mortua corpus erat, profectus, canentibus tubicinibus, intrà urbem, non ut mortuam, sed in triumphantis speciem eam detulit.*

Mortuo Serenissimo D. Jonne d' Austria, supremo Regis Catholici Belliduce in Flandria Anno 1578. ipsius cadaver ex tentoriis Burgensibus usque ad civitatem Namurcensem inter equites & pedites ordine collocatos, fuit deportatum à Colonellis & Centurionibus; ita ut nationes Hispanicæ, Germanæ, & Belgicæ in obsequiis ei exhibendis certarent; quemadmodùm prolixè refert P. Famianus Strada lib. 10. Belli Belgici.

CAP. L. ℣. 21.

132. MOrtuo Jacobo, omnes fratres Josephi ingenti timore perculsi, sunt, cùm crederent, se justas ac graves pœnas daturum Josepho ob injurias & oppressiones, ei olim illatas. Proinde simul ad ipsius pedes provoluti, flexis genibus rogârunt veniam ac clementiam; Et licet ipsorum insidiis esset traditus & instar mancipii venditus, eos tamen animavit ac consolatus est in hæc verba; *Nolite timere, ego pascam vos, & parvulos vestros; consolatusque est eos, & blandè ac leniter est locutus.* Gen. 50. v. 21.

Clementia grandis erga inimicos.

Egit proinde Josephus, prout grandem Principem decet; utens benevolentia, suavitate, ac clementia etiam versus illos, à quibus offendebatur. Hujus genii fuit Alexander Severus Imperator, qui à matre & uxore, quòd nimium esset benignus, in hæc verba reprehensus; *Molliorem tibi, magisq; contemptibilem fecisti Imperii dignitatem*; respondit, *sed securiorem & diuturniorem.* Rudolphus Imperator Austriacus, ex severo factus benignus, nonnunquam dicebat; *Severum & immitem fuisse me aliquando pœnituit: lenem & placabilem, nunquam.* Ludovicus XII. ad Galliæ regnum evectus, & persuasus, ut Fisco traderet omnia bona cujusdam Magnatis Aurelianensis, qui tunc temporis erat gravissimus inimicus Ludovici, cùm, adhuc Dux Aurelianensis, diffideret à Carolo VIII. respondit, Regem Galliæ non facere vindictas Ducis Aurelianensis. Conquerentibus Aulicis Alphonsi Regis Aragoniæ, quòd nimirùm esset clemens; *Quid ergò vultis ursos & leones regnare? Hominum clementia, belluarum feritas propria est. Malo multos meâ clementia servare, quàm paucos meâ severitate perdere.*

Clementia inter dotes Principis.

CAP. L. ℣. 24.

IMminente morte, seriò apud suos fratres instititit ac ordinavit Patriarcha Josephus, ut ex Ægypto discessuri (prout etiam re ipsa discesserunt, quando Deus volebat iis tradere possessionem Palæstinæ,) secum transferrent ipsius ossa exanimata, eaquè cum Protoparentibus suis Abrahamo, Isaaco, & Jacobo in una tumba reponerent. *Cumque adjurâsset eos, atq; dixisset: Deus visitabit vos: asportate ossa mea vobiscum de loco isto: mortuus est.* Gen. c. 50. v. 24. Id quod exactè præstiterunt Israelitæ, uti scriptum est Exod. c. 13. v. 19. & Josue c. 24. v. 32. Fuerunt hæc desideria Josephi prorsus conformia parenti Jacobo, qui jussit sibi dari sepulchrum, non in terra Ægypti, sed Chanaan, ubi jacebant progenitores, ut habetur Genesis cap. 47. v. 29. 133.

Sepultura patrum procurata à filiis.

Joannes Kirchmannus lib. 3. de Funeribus Romanorum, cap. 13. refert, quemdam, in Hispania mortuum, ordinâsse, ut suo sepulchro ista apponeretur inscriptio. *Vos filii in parentem pientissimi, in mortuum pii magis, paternos cineres ex Hispania exportate, communique sepulchro condite, quo avitis cineribus commixti, sacro gaudeant anniversario parentari.* In hoc argumentum vide, quæ suprà diximus ad cap. 47. Gen. n. 29.

LUMINA REFLEXA EX EXODO.

CAP. I. ℣. 7.

234. Um Ægyptum ingrederentur filii Jacob, non fuêre plures septuaginta hominibus, ut dicitur Gen. cap. 46. v. 27. *Omnes animæ domûs Jacob, quæ ingressæ sunt Ægyptum, fuêre septuaginta.* id quod repetitur Exodi cap. 1. v. 3. Et tamen post revolutionem ducentorum ac quindecim annorum, ascendit eorum numerus ad sexcenta millia virorum ultra filios & alios innumerabiles, unde occasionem dedêre Regno Ægypti, ut timerentur. *Filii Israël creverunt, & quasi germinantes multiplicati sunt: ac roborati nimis, impleverunt terram.* Exod. 1. v. 7. Certè Pharao timore plenus, dicebat; *Ecce populus filiorum Israël multus, & fortior nobis est. Venite, sapienter opprimamus eum, ne fortè multiplicetur, & si ingruerit contra nos bellum, addatur inimicis nostris. &c.* num. 9.

Multiplicatio hominum.

Hæc multiplicatio Israëlitarum potuit esse opus merè naturale. Nam Diodorus Siculus l. 3. c. 2. affirmat, Ninum, qui regnavit ducentis quinquaginta annis post diluvium, conduxisse contra Battrianos unum millionem & septingenta millia peditum, cum ducentis millibus equitum; qui tamen numerus à sola propagatione trium filiorum Noe ortus est. Unde etiam hoc modo potuit grandis illa multitudo à duodecim Patriarchis intra spatium annorum 215 naturaliter generari. Adhæc traditio Hebræorum est, quòd illorum fœminæ uno partu genuerint duos, tres, & quatuor infantes; neque id est improbabile, cùm Aristoteles l. 7. Hist. animal. cap. 4. scribat; *Cùm animalia quædam singulos pariant, alia plures: genus humanum in ancipiti est: nam ut plurimum mulieres singula singulos pariunt. Verùm sæpè, & locis plerisque geminos etiam edunt, ut in Ægypto fieri certum: pariunt enim in Ægypto, & tres, & quatuor, idq; locis nonnullis sæpè fit. Sed cùm plurimum quinque nascuntur, & quadam quatuor partibus viginti edidit, qui nos singulis partibus enixa, &c.*

CAP. I. ℣. 8.

235. Beneficia adeò grandia contulit Josephus Regno ac Regi Ægypti, ut nunquam debuissent in posterorum memoria oblitterari. Ille enim sua providentia omnes illos populos subtraxit fami ac morti; ille ærarium Regis in perpetuum locupletavit quinta parte omnium fructuum terræ; & tamen, quod mirum est, memoria tantorum beneficiorum ita evanuit ac extincta est, ut diceretur; *Surrexit Rex novus super Ægyptum, qui ignorabat Joseph.* Exod. 1. v. 8. Adeoque verissimum est, quod dixit Thomas Morus, clarissimum Angliæ lumen; *Benè ac laudabiliter facta. pro merito compensare mundus hic nec ingratus jolet, nec gratus potest.* Usus etiam est altera illa sententia, quod mundus scribat beneficia in pulvere, injurias in marmore.

Beneficia citò oblitterantur.

Eas nunc, & beneficia confer in Magnates ac Principes. Quantò magis tu eris sollicitus, ut eis servias; tantò illi erunt magis immemores, ut rependant. Verissimum est dictum Pindari; *Celeriter non visum, & vetus beneficium oblivioni, & quasi somno traditur.* Unde benè dicebat ille Comicus;

Si quid benè facias, levior pluma est gratia.

CAP. I. ℣. 16.

Ob Regni zelotypiam Pharao è Rege commutatus in tyrannum; tanquam reos condemnavit innocentes, voluitque capitali pœnæ subjectos, qui inhabiles erant ad committendam ullam culpam, tulit enim sententiam, ut infantes recens nati submergerentur in flumine. *Si masculus fuerit, interficite eum.* Exod. c. 1. v. 16. & rursus v. 22. *Quidquid masculini sexus natum fuerit, in flumen projicite.* Politicam hanc sceleratam etiam tenuit Herodes, qui mille pauperes infantulos occidit; ut inhumana hac crudelitate stabiliret sibi regnum, quod magis astutia, quàm ratione acquisivit. 236.

Innocentes occisi ob zelotypiam Regni.

Similes crudelitates non desunt in Historiis Græcorum & Romanorum. Astiages omnes artes impendit, ut parvulum suum nepotem Cyrum successione Regni privaret, eumque tandem in infantia trucidavit. Xenophon, Herodotus, & alii, inter quos Justinus Historicus lib. 1. referunt, quòd Amulius evidenti periculo mortis exposuit duos suos nepotes Romulum & Remum, ut narrat Justinus lib. 43. seu, ut Titus Livius lib. 1. scribit, ordinavit, ut in Tiberi submergerentur, ne eos in Regni successione haberet æmulos. *Pueros in profluentem aquam mergi jubet.* Ut prætercam multas alias antiquorum & modernorum Historias.

CAP. II. ℣. 3.

Mater Mosis omnem possibilem diligentiam adhibuit, ut pulcherrimò suo infanti conservaret vitam. At cùm post trium mensium revolutionem videret, impossibile esse, ut diutius absconderetur, reposuit eum in fiscellam scirpeam, & cauta manu intra juncos & herbas ad Nili ripam collocavit, ne inde facilè ab undis raperetur, sicque veluti in cistula conclusus, à submersione securus esset. *Cumque jam celare non posset, sumpsit fiscellam scirpeam - posuitque intus infantulum, & exposuit eam in carecto ripa fluminis.* Exod. 2. v. 3. 237.

Moses salvatus inter undas.

Ovidius Epist: Canacis ad Macareum, simile artificium describit, salvando cuidam infanti adhibitum.

Fron-

Frondibus infantem, ramisque albentis olivæ,
Et levibus vittis sedula celat anus.

Statius Lib. 2. Thebaid. de quodam infante canit;

Non tibi digna puer generis cunabula tanti
Gramineos dedit herba toros, & vimine querno
Texta domus, clausa arbutei sub cortice libri
Membra tepent.

Nutritius Chlorindæ in Gerus. Liber. Cant. 12. Stanz. 29.

Io piangendo ti presi, e in breve cesta
Fuor ti portai trà fiori, e frondi ascosa.

CAP. II. ℣. 3. &c.

238. Moses manu matris supra aquas reponitur, sustentatus ab exigua fiscella. Verùm pro salute populi Hebræi ex aquis trahitur & salvatur. *Sumpsit fiscellam scirpeam; posuitque intus infantulum, & posuit eam in carecto ripa fluminis.* Quem postea Regis filia ex aquis trahi jussit. *Quem illa adoptavit in locum filii, vocavitque nomen ejus Moyses, dicens; quia de aqua tuli eum.* Exod. 2. v. 3. &. 10.

Moses salvatur ex flumine.

Cùm hac Mosis historia prorsus convenit illa Pelagii, antiqui Hispaniarum Regis, observatu planè dignissima & admiranda. Legitur autem apud Honcalam in Epinicio, seu panegyrico Caroli V. Imperatoris in hæc verba. *Imprimis igitur infans Pelagius intra fiscellam inclusus, & in Tago flumine expositus, non minori miraculo divinitus est servatus, quàm olim in fluvio Nilo Moyses: disposuerat enim divina providentia, ità per Hispanum Hispanos, id est, Christianos, à Saracenorum sæva tyrannide eripere; sicut olim per Hebræum filios Israël ab Ægyptiorum gravi servitute liberavit.*

CAP. II. ℣. 10.

239. Filia Regis Pharaonis ultra modum capta fuit ab insigni pulchritudine & singulari gratia, quæ relucebat ex infantulo Mose: Unde illum sibi adoptare voluit in filium, atque pro tali declaravit in toto Regno. *Quem illa adoptavit in locum filii.* Exod. 2. v. 10. Ita Jacob adoptavit filios Josephi, Ephraimum & Manassen; ut in Genesi refertur cap. 48. v. 5. *Duo ergò filii tui, qui nati sunt tibi in terra Ægypti, antequam huc venirem ad te, mei erunt: Ephraim, & Manasses, sicut Ruben & Simeon reputabuntur mihi.* Ita de pulchra Esthere scriptum est; *Mortuisque patre ejus ac matre, Mardochæus sibi eam adoptavit in filiam.* Esth. 2. v. 7. Etiam S. Joannes factus est filius adoptivus Mariæ Virginis, quando Salvator *dixit discipulo: Ecce mater tua.* Jo. 19. v. 27.

Adoptivi filii.

Filiorum adoptiones fuêre frequentes Romanis. Julius Cæsar adoptavit Brutum, à quo postea fuit occisus. Adoptavit etiam Octavianum, qui ei in Imperio successit. Nerva Imperator adoptavit Trajanum, ut scribunt Marius Victor & Dion Cassius. Adrianus adoptavit Elium Verum; & Diocletianus Constantium ac Maximianum, ut Spartianus testatur.

CAP. III. v. 1.

240. Ars pastoritia non est vilis aut contemnenda, ut aliqui credunt; sed ab ipsis etiam nobilibus exercita, ac talis, quæ sæpius gradum ad regios thronos præbuit. Moses vitam suam auspicatus est à pascendis ovibus. *Moyses autem pascebat oves Ietbro soceri sui.* Exod 3. v. 1. In hac arte operans, factus est pastor hominum, & Princeps innumerabilis populi. Considera, obsecro, inquit S. Cyprianus Serm: de Nat: *Vti ab initio hujusmodi officium autboritatem obtinuit. Abel Pastor. Pastores Abraham, Isaac, & Iacob, viri Deo familiares. Pastores Patriarcha duodecim: Pastor ipse Moyses, qui in eremi recessu, dum sequitur pecudes, in rubo conspicit Deum &c.* Ita Davidem Deus à cura ovium transtulit ad gubernandum exercitum & coronam. Unde S. Ambrosius lib. 1. Epist. 4. *Abraham, & postea Moyses, & David, pastores fuerunt; regalem quamdam in hoc munere disciplinam induentes.*

Pastores promoti ad Principatus.

Et certè tanta similitudo intercedit inter pastores & Principes, inquit Philo lib. de Agricultura; & tanta est hujus artis nobilitas ac dignitas: *Tanta curæ pastoralis honestas creditur & utilitas, ut Poëtarum gens Reges soleat vocare pastores populi.* Idem lib. 1. de Vita Mosis; de grandi hoc Legislatore ita loquitur; *Præfuit Regibus, ad Principatum se preparans. Nam pastoralis ars ad Regnum est præludium.* Ad hoc propositum M. Varro lib. 2. de re Rustica. c. 1. dicebat; *De antiquis illustrissimus quisque pastor erat.* Id ipsum comprobant exempla non tantum in Sacris Litteris; sed in Viriato, à cura armentorum ad principatum exercituum elevato. In Justino, qui pueritiam transegit pascendis porcis, in ætate virili evectus ad coronam Imperii. Et in sexcentis aliis. Unde Ovidius 1. Fast:

Iura dabat populis, posito modo Prætor aratro.
Pascebat que suas ipse Senator oves.

CAP. III. ℣. 2.

Insolitum ac rarissimum spectaculum sese conspiciendum obtulit Mosi in rubo illo, undique inflammato, & ignibus circumdato. Ardebat; hic ignis, & non ardebat; ostentabat lucidas flammas, quæ nullum exercebant voracitatem; & videri poterat, quasi ignis ille vel veneratus sit ramos hujus arboris, fueritque contentus, quòd illos reverentiæ aut jocandi gratia potuerit lambere ac osculari; vel commutata natura voluerit arbori illi præbere vigorosa alimenta. *Et videbat, quòd rubus arderet, & non combureretur.* Exod. 3. v. 2. 241.

Rubus ardens & non ardens.

Quod inter naturæ opera reperiantur tales ignes, jam olim scripsit Aristoteles de Admir. cap. 35. dicens; *in Pythecusis ferventem & calidum ignem mirum in modum reperiri, non tamen comburere.* Et rursus cap. 123. *In Apollonia, quæ proxima est Aritania regioni, ignis est, qui perpetuò ardeat -- circa quod nascitur herba densa, & quod maximè videri posset admirabile, arbores prægrandes non distant ab igne per majus, quàm quatuor ulnarum spatium.* Et Plinius lib. 2. c. 106. *Similiter in Megalopolitanorum agro, tametsi internus sit ille jucundus ignis, frondemque densi supra se nemoris non adurens, & juxta gelidum fontem semper ardens.* De his mirabilibus plura recenset Simon Majolus Dierum Canicularium cap. 1. Colloq. 22.

CAP. III. ℣. 5.

Moses, volens sollicita celeritate accedere illuc, ubi Deus sub ignis specie se conspiciendum præbebat, mox expressè jussus est, prius exuere calceos. *Solve calceamentum de pedibus tuis.* Exod. 3. v. 5. ut disceret, quòd servi Dei cum omni possibili reverentia, veneratione, & respectu 242.

Pedes excalceati in ingressu ad loca sacra.

 intrare

intrare debeant loca sacra. Illud ipsum præceptum etiam accepit Josue, uti in ipsius libro scribitur cap. 5. vers. 15.

Videri possit, ex hac scriptura didicisse Gentiles ingressum in templum Apollinis excalceatis pedibus. Æthiopes & Saraceni nunquam intrant sua templa, nisi relictis ad fores calceis. De Berenice, sorore Regis Agrippæ, affirmat Josephus lib. 2. de Bello. cap. 15. quod conducta Hierosolymas ad exsolvendum aliquod votum, executa illud sit nudatis prius pedibus. Istud fuit dogma Pythagoræ; *Nudis pedibus sacrifica.* Iste etiam fuit mos tam Spartanorum, quam Armenorum ac Syrorum, aliorumque populorum.

CAP. III. v. 8.

243. Lac & mel denotant grandem abundantiam.

UT stupenda Palæstinæ fertilitas ad vivum describatur, recurritur ad frequentem scripturæ sacræ hyperbolen, diciturque, terram illam fluere lacte & melle. *Educam te de terra illa* (id est, de Ægypto) *in terram bonam & spatiosam, in terram quæ fluit lacte & melle.* Repetitur hæc metaphora Levitici cap. 20. v. 24. Num. c. 13. v. 26. cap. 14. v. 8. &c. diciturque talis ob abundantiam pascuorum & armentorum; item ob copiam florum & apum.

Hâc phrasi usus est Euripides in Bacch:

Fluit tellus lacte,
Fluit vino, fluit apum
Nectare.

Horatius lib. 2. Carm. Ode. 19.

Fas pervicaces est mihi Thyadas
Vinique fontem, lactis & uberes
Cantare rivos, atque truncis
Lapsa cavis iterare mella.

Tibullus lib. 1 Eleg. 3.

Ipsæ mella dabant quercus, ultroque ferebant
Obvia securis ubera lactis oves.

Ovidius lib. 1. Metamor:

Flumina jam lactis, jam flumina nectaris ibant,
Flavaque de viridi stillabant ilice mella.

CAP. III. ℣. 10.

244. Ministri Dei contra iniquos.

MOses electus legatus & minister Dei, in Ægyptum mittitur, ut se opponeret tyrannidi Pharaonis, ac reprimeret audacem ipsius duritiem, populumque captivum restitueret libertati. *Veni, & mittam te ad Pharaonem, ut educas populum &c.* Exod. 3. v. 10. Simili modo Abias fuit legatus contra Jeroboamum; Elias contra Ocoziam; Isaias contra Manassen; Machabæi contra Antiochum; Apostoli contra tyrannos Gentilium &c.

Haud aliter contra Arrium Deus destinavit S. Athanasium; contra Pelagianos S. Augustinum; contra Nestorianos S. Cyrillum; contra Iconomachos S. Joannem Damascenum; contra Albigenses S. Dominicum; contra Lutherum & Calvinum, Joannem Fischerum, Robertum Bellarminum, Thomam Stapletonum. &c.

CAP. III. ℣. 14.

245. *Est* & *sum* nomina propria Dei.

MOses instanter supplicavit Deo, ut ipsi proprium suum nomen manifestaret, quatenus cum illo posset authoritatem tribuere suæ legationi, quam Israelitis debebat loco Dei exponere. Unde hoc responsum tulit; *Ego sum, qui sum.* Exod. 3. 14 subjunxitque Deus; *Sic dices filiis Israel: qui est, misit me ad vos.* Ergò ista monosyllaba; *Sum*; & altera illa; *Est*; significant, Deum esse æternum, immutabilem, sine principio & fine. Et sicuti creaturis, habentibus esse transitorium, convenit *Erat* & *Erit*; ita divinæ perfectioni, utpote semper stabili, convenit *Sum* & *Est*. S. Augustinus, reflectens ad illud Psalmi 101. *Tu autem Domine in æternum permanes.* Conc. 2. ait; *Æternitas est Dei substantia, quæ nihil habet mutabile. Ibi nihil est præteritum, quasi non jam sit; nihil est futurum, quasi nondum sit: quia non est ibi nisi Est.*

Hanc Theologiam è scholis Hebræorum didicerunt Gentiles. Thales Milesius, interrogatus; qualis res sit Deus; respondit; *Quod semper est, neque principium habens, neque finem.* Parmenius videtur eò respexisse, quando dixit; *Omnia esse unum ens immobile.* In frontispicio Templi, consecrati ad honorem Apollinis Delphici, ut scribit Plutarchus, citatus ab Eusebio lib. 11. Præparat. Evangel. cap. 7. legitur aureis characteribus efformata hæc vox, ES quæ serviebat ad exprimendam naturam divinam. Unde Plato in Thimæo docuit, quod *Esse* sit proprium Dei; & quod reliquæ res omnes, quæ nascuntur & mutantur, potius habeant non esse, quam esse. — Esse est proprium Dei.

CAP. III. ℣. 14.

246. Deus noscitur non tantùm per esse, sed etiam per gratias diffusas.

PAradoxum videtur, quod Deus interrogatus à Mose, ut diceret nomen suum; non solum responderit, *Ego sum qui sum.* Exod. c. 3. v. 14. *Sic dices filiis Israel: qui est, misit me ad vos* Sed insuper subjunxerit num. 15. *Hæc dices filiis Israel: Dominus Deus Patrum vestrorum, Deus Abraham, Deus Jacob misit me ad vos.* Quod si primum responsum; *Ego sum qui sum*; exactissimè repræsentavit majestatem, immensitatem, & æternitatem Dei; ut S. Hilarius lib. 1. de Trinit. ait; *Admiratus sum planè, tam absolutam de Deo significationem, quæ naturæ divinæ incomprehensibilem cognitionem aptissimo ad intelligentiam humanam sermone loqueretur. Non enim aliud magis proprium Deo, quam esse intelligitur, quia id ipsum, quod est, neque desinentis est aliquando, neque cæpti, sed id quod cum incorrupta beatitudinis potestate perpetuum est, non potuit aut poterit aliquando non esse.* Cur opus fuit adjungere; *Ego sum Deus Abraham, & Deus Isaac & Deus Iacob?* Verùm ideò id fecit Deus, ut significaret, se non solùm esse magnum excellentia suæ intrinsecæ magnitudinis, sed etiam profusione gratiarum & beneficiorum, quæ in servos suos dispergebat. Unde S. Rupertus; *Ad unam percontationem duo reddidit -- quorum alterum (id est; ego sum qui sum) natura est; alterum vero gratia vel dignationis; id est, Deus Abraham &c* S. Augustinus in Catena Lypomanni introducit Deum, in hæc verba loquentem Mosi; *Quoniam dixi: Ego sum qui sum -- intellexisti quid est esse: & desperasti te capere; erige spem. Ego sum Deus Abraham, Deus Isaac, & Deus Jacob; sic sum quod sum, sic sum ipsum esse, sic sum cum ipso esse, ut nolim hominibus deesse.* Hoc modo dedit pro effigie suæ divinitatis, beneficentiam & facilitatem profundendi gratias & favores in suos subditos & creaturas.

Synesius Orat: de Regno, persuasurus Arcadio Imperatori, ut imitaretur Deum in actibus beneficentiæ; ait, quod natura divina non tantùm se cognoscendam præbeat in eo, quod in se ipsa est; quantum in utilitate & commodo erga alios *Nullum enim nomen inventum est, quod Dei naturam assequeretur, sed cum ab ea exprimenda homines aberrarent, per ea quæ ab illo fiebant, ipsum attingere conati sunt* Unde concludit; *Regem igitur si appelles ab his, quorum rex est non à propria persona, naturã illius apprehendere conaberis*

CAP.

CAP. IV. ℣. 17.

247. QUando Moses à Deo promotus fuit ad operanda rara & insolita prodigia; simul ab eo accepit mirabilem virgam, quæ instrumenti loco serviret ad grandia illa miracula perpetranda. *Virgam hanc sume in manu tua, in qua facturus es signa.* Exod. 4. v. 17.

Virga instrumentum miraculorum.

S. Patritius Episcopus, Canonicus Regularis, elevatus à Deo thaumaturgus ac Moses sui sæculi, ut imperaret elementis, morti, ac inferno, recepit per manus aliquorum Eremitarum Hiberniæ aliquem baculum, quem Christus ipsis attulit, jussitque, ut eum Patritio traderent, qui eo uteretur ad deprimendos & attollendos montes, ad coërcendum cursum fluminum, & cicurandam ferociam belluarum &c. prout in ipsius vita prolixè refert D. Celsus Falconi, Bononiensis, Canonicus Regularis.

CAP. IV. ℣. 25.

248. SEphora, uxor Mosis, ad filios suos circumcidendos usa est lapide acutissimo & radente. *Tulit illicò Sephora acutissimam petram, & circumcidit præputium filii sui.* Exod. 4. v. 25. Ita Josue c. 5. v. 2. Deus grandi illi Belliduci in mandatis dedit; *Fac tibi cultros lapideos, & circumcide secundo filios Israël.* Utebantur ergo cultellis lapideis, non ferreis, cum enim in confinibus Arabiæ petrosæ versarentur, habebant opportunam copiam acutorum lapidum ad ceræmoniam illam peragendam.

Circumcisio facta cum cultello saxeo.

Gentiles quoque, cùm assumerent circumcisionem seu recisionem genitalium, non utebantur ferro, sed cultello lapideo. Arnobius de Aty. *Rapit Atys testulam, quam instingator ipse gestitabat insania: furiarum, & ipse jam plenus per bacchatus projicit se tandem, & sub pini arbore genitalia sibi desecat. &c.* Id quod cecinit Catullus Carm: de Berecynt: & Athi.

Devolvit ipse acuto sibi pondera silice.

Ita Martialis;

Abscissa est est quare sam tâ tibi mentula testa.

Juvenalis Sat: 6.

Mollia quò ruptâ secuit genitalia testâ.

Lucilius;

Hanc ubi vult malè habere pro scelere ejus,
Testam sumit homo samiam, sibique illico telo
Præcidit caulem, testesq; unà amputat ambos.

Utebantur ergò tegula samia, quia ipsius incisio affert salutem; ut docet Plinius lib. 35. c. 12. *Samia testa matris Deûm sacerdotes, qui Galli vocantur, virilitatem amputant, nec aliter perniciem.*

CAP. V. ℣. 21.

249. CUm viderent Israelitæ, Pharaonem ex verbis Mosis & Aaronis semper magis exacerbari & in furias agi; sibi mutuò conquerebantur; exprobrabantque, quòd cum sua legatione dedissent Regi occasionem, ut crudelior fieret contra pauperes innocentes; sicque certo modo nudum gladium in ipsius manus tradidissent. *Præbuistis ei gladium, ut occideret nos.* Exod. cap. 5. v. 21.

Dare gladium, est dare occasionem ad malum.

Martinus del-Rio Tomo 1. Adag. reperit in his verbis formam quandam proverbiorum, qua significatur occasio mali, alteri subministrata. Additque exemplum Plauti in Comædia, *Trinummus*, ubi loquitur de aliquo, qui Juveni cuidam amasio subministrabat pecunias; aitque; *Dedistine ei hoc pacto gladium, quo se occideret?* Eadem Metaphora placuit S. Petro Damiano lib. 1. Ep. 21. *Sic nummi proferuntur è loculis, tanquam gladii vibrentur è theca.*

CAP. VII. ℣. 11. &c.

AD confundendum Mosen vocavit Pharao magos, qui comparuerunt, unaque secum tulerunt virgas, suis incantationibus Diabolicis adhiberi solitas. *Vocavit autem Pharao sapientes & maleficos; projeceruntque singuli virgas suas. &c.* 250.

Virgæ usitatæ ad magiam.

Quod magi & veneficæ soleant in suis incantationibus adhibere virgas, observarunt Profani; Virgilius 7. Æneid loquens de Pico, qui à muliere Circe, notissima saga, fuit commutatus in volucrem, canit v. 187.

Ipse Quirinali lituo, parvaque sedebat
Succinctus trabeâ, lævaque ancile gerebat
Picus equûm domitor: quem capta cupidine conjux
Aurea percussum virga, versumque venenis
Fecit avem Circe.

De hac transmutatione etiam Ovidius canit;

Ter juvenem baculo tetigit, tria carmina dixit.

Ita Torquatus Tassus in Gerus. Liber. Cant: 13. Stanz: 6. describens Magum Ismenum, incantandæ sylvæ intentum; demonstrat instructum virga: Et solutus ac nudus pede; in circulo conclusus

Mormorò potentissimè parole.
Girò tre volte al oriente il volto.
Tre volte à i regni, occe dechina il sole;
Et trè scosse la verga &c.

CAP. VII. v. 12.

CUm videret Pharao virgam Aaronis raro miraculo conversam in serpentem; vocavit magos & incantatores, ut arte Diabolica certarent cum miraculis, virtute divina factis. Successitque mox eventus, & virgæ magorum commutatæ sunt in serpentes. at virga Aaronis sub serpentis specie devoravit omnes alias. *Projeceruntque singuli virgas suas, quæ versæ sunt in Dracones: sed devoravit virga Aaron virgas eorum.* Exod 7. v. 12. 251.

Serpens devorat alios serpentes.

Cum hac historia plurimum convenit illa S. Epiphanii lib. 2. Hæres. 22. *Hæc à veteribus Historia prodita est. Cum plures aliquando aspides in unum fictile vas conjecta, & in fundamentis angulorum quatuor cujusque idolorum templi in Ægypto deposita essent; ex iis aspidibus quæ fortior erat, in alias invasisse, easque devorasse. Quæ cum sola remansisset, & quo se aleret, haberet nihil, in se ipsam retorta, & à cauda paulatim arrodens parte se aliqua tenus corporis depasta est: adeo ut non amplius integra, sed dimidia sui parte mutilata permanserit. &c. Hactenus S. Epiphanius.*

CAP. VII. ℣. 19.

QUia Pharao perstitit surdus ad divina mandata, initium datum est pœnis. Proinde jubetur Aaron manu extendere virgam *super aquas Ægypti, & super fluvios eorum* Exod 7. v. 19. ubi non unum solum, sed multa flumina nominantur. id quod etiam advertit David Psal. 77 v. 44. *Et convertit in sanguinem flumina eorum, & imbres eorum, ne biberent.* Et tamen Ægyptus non à multis fluminibus, sed ab uno Nilo inundabatur. Eodem loco Exodi 7. v. 20. non de multis fluminibus, sed de unico tantum agitur; *Et elevans virgam, percussit aquam fluminis.* Et vers: 21. *Pisces, qui erant in flumine, mortui sunt.* Sed respondetur; tametsi fluvius Nilus fuerit 252.

Nilus est unicus & multiplex.

fuerit unicus; quia tamen in multos rivos & ramos discurrebat, idcirco nomen multorum fluminum accepit. Ad hoc propositum mirè deservit textus Ezechielis cap. 29. v. 3. *Ecce ego ad te, Pharao Rex Ægypti, draco magne, qui cubas in medio fluminum tuorum, & dicis; Meus est fluvius.*

Scripturis Sacris conveniunt Profanæ. Plinius lib. 5. c. 10. ait, Nilum fluere in mare per undecim ostia, & per alia, quatuor minora; ita tamen, ut magis principalia & celebriora sint septem. Strabo lib. 17. ita refert; *Duo itaque sunt Nili ostia; alterum Pelusiacum, alterum Canopicum, & Hieracleonticum: inter quæ alia quinque ostia sunt mentione digna; alia verò tenuiora per multa.* Virgilius l. 4. Georg. canit;

Nam qua Pellæi gens fortunata Canopi
Accolit effuso stagnantem flumine Nilum,
Et circumpictis vehitur sua rura phaselis,
Et viridem Ægyptum nigrâ fœcundat arenâ,
Et diversa ruens septem discurrit in ora.

Succinctè Ovidius lib. 1. Metam.

Sic ubi deseruit madidos septemfluus agros
Nilus &c.

CAP. VII. ℣. 20.

Aquæ mutatæ in sanguinem.

253. HOrridum spectaculum fuit repræsentatum Pharaoni, & ipsius populo, quando aquæ Nili, unicæ Ægypti deliciæ, fuerunt simul omnes commutatæ in sanguinem. *Et elevans virgam, percussit aquam fluminis coram Pharaone & servis ejus: quæ versa est in sanguinem.* Hoc ipsum repetit David Psal. 77. v. 44. *Et convertit in sanguinem flumina eorum.*

Hæc prodigia, facta tempore Mosis & Aaronis, sæpius visa sunt innovata. Martinus à Baumgarten in suo Itinerario lib. 1. cap. 18. *Vidimus insuper ibi,* loquitur de Ægypto, *lacum quemdam ingentem, Nilo contiguum, qui singulis annis fertur rubescere instar cruoris, quod fortè fit in memoriam plagæ illius Ægyptiæ, quâ aquæ omnes in sanguinem versæ memorantur.* Valerius Maximus lib. 1. cap. 6. de Prodigiis ait; *In Sicilia scuta duo sanguinem sudâsse, etiam metentibus cruentas spicas in corbem decidisse, Cerites aquas sanguine mixtas fluxisse.* Petrus Albinus in suo Chronico Misnensi ait, in terra Lumizio esse fontem, à flumine Albi duobus milliaribus distantem, qui imminente bello, currit tinctus sanguine. Sabellicus Enneade 9. lib. 1. *Fons sanguinis Genuæ ubertim fluxit. Portendit id prodigium fœdam calamitatem, quæ brevi post secuta est,* Sigebertus in Chronico Anno Christi 462. ait, quod propè Tholosam Galliæ, *medio toto die sanguis largissimo fluxit rivo, quod Gothi pro portento suæ perditionis acceperunt.*

CAP. VII. ℣. 21.

Pisces occisi in pœnam hominum.

254. Physici affirmant, pisces carere sanguine. At tempore Mosis habuere pisces Nili tantam sanguinis copiam, ut inundante toto flumine, fuerint suffocati & occisi. *Et pisces, qui erant in flumine, mortui sunt.* Ita nimirum pisces, pro hominibus creati, in pœnam peccatorum hominum fuere exanimati & extincti.

Platina in vita Victoris III. Summi Pontificis refert, quòd inter alia signa iræ divinæ, quæ iis temporibus apparuere, non tantum pisces fluminum, sed etiam maris magna parte perierint. S. Bernardus in vita S. Malachiæ, Canonici Regularis, ita refert; *Et Insula maris in Hibernia ab olim fœcundissima piscium, & mare ibi piscosum valde. Peccatis, ut creditur, habitantium adempta copia solita; quæ multos habebat filios, infirmata est, & à tanta funditus sui commoditate emarcuit. Dolentibus accolis, & jacturam gravem populis ægrè ferentibus, revelatum est cuidam mulieri, precibus Malachiæ posse afferri remedium.* Prout etiam secutum est, quemadmodum ibi subjungit S. Bernardus.

CAP. VIII. ℣. 3.

ULtra modum horrida fuit illa pœna ranarum 255.
in Ægypto; multiplicatæ enim infinito numero, certatim coaxando non solum obturabant ac surdas efficiebant aures civitatis, sed insuper occupabant plateas, domos, palatia, cœnacula, lectos, mensas, ollas, ac cibos; sicque abominabilem ac intolerabilem pestem repræsentabant. *Et ebulliet fluvius ranas: quæ ascendent, & ingredientur domum tuam & cubiculum lectuli tui, & super stratum tuum, & in domos servorum tuorum, & in populum tuum, & in furnos tuos, & in reliquias ciborum tuorum. &c.* Exod. c. 8. v. 3.

Ranæ castigant Ægyptum.

Ranæ serviebant Deo ad castigandam Ægyptum; sicque Deus ex luto desumpsit flagellum, ut puniret lutum, hominem videlicet, ex luto factum. Alia tamen vice etiam serviebant ut instrumenta justitiæ æternæ. *M. Varro author est,* inquit Plinius lib. 8. c. 29 *à cuniculis suffossum in Hispania oppidum, à Talpis in Thessalia: ab ranis civitatem in Gallia pulsam; ab locustis in Africa.* Paulus Orosius lib. 3. cap. 23. de Cassandro, postea Macedoniæ Rege, scribit; *Cùm Apolloniam rediret, incidit in Abderitas: qui propter intoleranda multitudinis ranas & mures, relicto patrio solo, & antiquis habitaculis emigrantes, novas sedes, pretenta interim pace requirebant,* Ælianus lib. 17. de Animal. cap. 41. *Autoriata Indi, plurimis ranis inchoatis & imperfectis de cœlo lapsis, in alium locum demigrare coacti sunt.*

CAP. VIII. ℣. 14.

IMperante Mose, tanta ranarum copia reple- 256.
vit Ægyptum, ut Pharao tam duræ obsidionis impatiens, rogaverit Mosen, ut flagellum istud auferret. Unde Deus obsecundans precibus servi sui, occidit omnes ranas; quæ ab Ægyptiis in vastissimos cumulos congestæ, ibique putrefactæ, intolerabilem fœtorem in tota provinci[a e]xcitarunt. *Congregaverunt eas in immensos aggeres, & computruit terra.* Exod c. 8. v. 14. Id ipsum contigit ab excessiva multitudine muscarum, de quibus ibid. num. 24. *Venit musca gravissima in domos Pharaonis, & servorum ejus, & in omnem terram Ægypti: corruptaque est terra ab hujuscemodi muscis.*

Ranæ. Muscæ.

Anno 1542. Similes corruptiones ac fœtores producti sunt à locustis; Unde Surius; *Innumera ingentium locustarum turba Italiam citeriorem, & in Germania Silesiam, Misniamque multâ clade affecit. Itaque extinctæ, intolerabili fœtore aërem corruperunt, ut etiam corvi, cornices, accipitres, aliæque aves, cadaveribus alioqui inhiantes, ferre nequiverint.*

Locustæ

CAP. VIII. ℣. 17.

ILla ipsa terra, quam Ægyptii acceperunt in- 257.
strumenti loco ad torquendos Israëlitas *in luto & late-*

& lateribus; servit armamentarii loco, ex quo ira divina tulit infinitas turmas sciniphum; quæ mordacissimis aculeis cruciabant in Ægypto homines & jumenta. *Percussitque pulverem terra, & facti sunt sciniphes in hominibus & in jumentis: omnis pulvis terra versus est in sciniphes per totam terram Ægypti*, Exod. c. 8 v. 17. Erant animalcula ista species quædam culicum; & Albertus Magnus l. 16. de Animalibus docet; *Ciniphes corpore esse vermes, capite autem & alis esse muscas, habere in ore aculeum, quo pungunt, & fugunt, palustribus nasci locis &c.*

Ciniphes infestant Ægyptum.

Ægyptus ab his animalibus acerrimè infestabatur. At S. Jacobus Nisibita miraculosè congregans ingentem illorum multitudinem contra Saporem Persarum Regem, qui dura obsidione stringebat civitatem Nisibitarum; iisque homines, equos, & elephantes molestissimè pungens, coëgit Regem, ut obsidionem solveret & aufugeret. Ælianus de animalibus lib. 17. cap. 40. scribit. *Indica regio est circa Estamenum fluvium, ubi Rhisophagi habitant. Illic oriente Sirio culices quidam terribiles, magna vi occupato aëre, subito superventu civitatem quandam infestârunt. Circa lacum etiam Arbatan (qui & ipse Indiæ est propè fluvium jam dictum) feros istos culices abundare ajunt, ubi locus desertus & est, & appellatur.*

CAP. VIII. ℣. 24.

158. QUartum supplicium, à Deo supra Ægyptios sparsum, fuêre muscæ; de quibus Exod. c. 8. v. 24. *Et venit musca gravissima in domos Pharaonis & servorum ejus. Gravissima, id est, plurima*, ut interpretatur P. Cornelius à Lapide, cùm stylus Hebræorum sit, ut sumant vocem *gravis* pro *multus* & *copiosus*. Quòd hoc verum sit, patet ex Ps. 34. 18. *In populo gravi*, id est, frequente & numeroso *laudabo te*. Nah. 3. v. 3. *Vox multitudinis interfecta & gravis ruina*; id est, *multa stragis*. Et ubi lib. 1. Machab. c. 1. v. 18. dicitur; *Intravit Antiochus Ægyptum in multitudine gravi.* Gaspar Sanctius declarat; *copiosum comparavit exercitum.*

Gravis significat multus.

Eodem significato utuntur etiam Latini. Unde Varro scribens; *Ubi graves pascantur & alantur pavonum greges.* per illud *graves*, vult dicere *multi*: Sallusthius lib. 3. *Cœpit per omnem provinciam grave pretium frugibus esse*; id est, grande. multum, & numerosum.

CAP. VIII. v. 24.

159. ÆGyptiis gravissimam molestiam attulit supplicium muscarum, quæ naturâ suâ maximum homini tædium ac importunitatem facessunt. De his ait sacer Textus; *Venit musca gravissima* Exod. 8. v. 24. *id est, molestissima & nocentissima, tam hominibus, quàm jumentis*; ut interpretatur P. Cornelius à Lapide. Molestia ista eousque excrevit, ut tota terra Ægypti fuerit infecta & corrupta. *Corruptaque est terra ab hujusmodi muscis*; jungit sacer Textus.

Muscæ.

Simili calamitati subjacuêre Elei; qui ob eam venerati sunt Deum Myoden seu Myiagrum, id est, Jovem muscarium, seu muscarum Deum, ut liberarentur à peste, quam attulerunt muscæ. Plinius lib. 10. c. 28. id refert; & etiam Ælianus lib. 11. c. 28. *Muscarum multitudo*, inquit, *Megarenses sedibus pepulit.* Simon Maiolus Tom. 1. Dierum Canicularium. Colloq. 5. ait; Quando Carolus Rex Siciliæ, & Philippus Rex Galliæ, tempore Petri Arragonum Regis, expugnârunt in Hispania civitatem Gerundam, & milites vellent aliquam hostilitatem ac violentiam inferre sepulchro S. Narcissi; progressa est inde tanta grandium muscarum multitudo, ut exercitus, impotens ad resistendum, coactus fuerit fugam capessere, & à suis martialibus ausis desistere.

CAP. IX. ℣. 23.

OMnia elementa militabant contra Ægyptum; Cælum tamen præ omnibus in horribiles grandines solutum, replevit ipsius campos & vineas; gregesque & armenta gravissimis terroribus concussit. *Dominus dedit tonitrua & grandinem.* Exod. c. 9. v. 23. *Et grando & ignis mista pariter ferebantur; tantaque fuit magnitudinis, quanta ante nunquam apparuit in universa terra Ægypti &c.* 160.

Grando conquassat Ægyptum.

Etiam aliis vicibus subjecta fuit terra his suppliciis. Ludovicus Clavitellus narrat, quòd Anno 1514. 5. Augusti ceciderit Cremonæ grando, magnitudinem ovi gallinacei æquans. Et quòd in terra Bononiensi Anno 1537. deciderit commixta sanguine horrenda grando, cujus aliquot frusta habuerunt pondus viginti octo librarum. Bonfinius lib. 10. Decad. 1. scribit, quod tempore Paschalis I. ita invaluerit terribilis grando in Gallia ut magnum numerum hominum & animalium occiderit; cùm frusta hujus grandinis fuerint longa duodecim pedibus. Alias Historicas relationes videre licet apud Simonem Maiolum Tom. 1. Dierum Canicularium. colloq. 1. quas ibi habet plurimas & curiosas.

CAP. X. ℣. 15.

QUemadmodùm semper in pejus ruebat iniquitas Pharaonis, ita etiam pejora semper imminebant supplicia. Damna gravissima attulit grando, quæ commixta igni obruit Ægyptum, at paucula illa germina terræ ac arbores, quæ à tempestate fuerant superstites, in prædam à Deo assignatæ sunt locustis; *qua operuerunt universam superficiem terra, vastantes omnia &c.* Exod. 10. v. 15. Unde voracitate ac morsibus locustarum *devorata est herba terra, & quidquid pomorum in arboribus fuit, qua grando dimiserat: nihilque omninò virens relictum est in lignis, & in herbis terra, & in cuncta Ægypto.*

Locustæ.

Gravissimis locustarum damnis subjacuêre etiam Italia, & terra Constantinopolitana, tempore Comneni Alexii Imperatoris, ut in ejus vita refert Zonaras. Germania quoque, Silesia, & Misnia Anno 1542. non sine grandi damno iis infestatæ fuerunt, ut narrat Surius. Obruerunt etiam Poloniam A. 1541. ut notat idem Author; Africam ita violenter aggressæ sunt, ut integræ civitates fuerint à locustis depopulatæ, ut testatur Plin. l. 8. c. 29. De prodigiis locustarum plurima colligit Sim. Maiolus dier. Canic. Tom. 1. Coll. 5.

CAP. X. ℣. 18.

QUemadmodùm malitia & pervicacia Pharaonis in humeros Ægypti accumulavit flagella; ita duritas & sanctitas Mosis promptum tantis malis attulit auxilium. Cùm videret Barbarus ille, quod pinguis illa provincia fuerit à locustis commutata in desertũ, & devoratis omnibus herbis, totam planitiem terræ ad imaginem inferni reduxerint; instantissimè supplicavit Mosi, ut ipsum tantis malis liberaret. *Egressusque Moyses de conspectu Pharaonis, oravit Dominum* Exod. 10. v. 18. fueruntque ipsius preces ita efficaces, ut mox, afflante unico vento, omnes illæ devoratrices turmæ fuerint submersæ in mari. *Et non remansit ne una quidem in cunctis finibus Ægypti.* 161.

Oratio Mosis salvat Ægyptum.

Locustis infestabatur totum territorium

Novariense, quod S. Bernardus Confessor & Canonicus Regularis suâ devotione à tam gravi flagello liberavit; de quo 15. Junii in officio Canonicorum Regularium scribitur; *Novariensium agrum cum multitudo maxima locustarum invadens, fata vastaret, indicto jejunio trium dierum, cum oratione & eleemosynis prædia & homines liberavit.* Similia, prodigia operati sunt alii servi Dei; uti videri potest apud Simonem Majolum Dier. Canicul. Tom. 1. Colloq. 5.

CAP. X. ℣. 22.

263. INter alias miserias, quæ obruerunt Ægyptum, horribiles fuêre tenebræ, quibus per tres integros dies opprimebatur. *Facta sunt tenebræ horribiles in universa terra Ægypti tribus diebus.* Exod. 10. v. 22. Ita nimirum illi, qui persequebantur filios lucis, privati sunt luce, & qui Israelitas stringebant in carcere, constricti sunt carceribus tenebrarum. Unde Sap. cap. 18. v. 4. *Digni quidem illi carere luce, & pati carcerem tenebrarum, qui inclusos custodiebant filios tuos, per quos incipiebat incorruptum legis lumen sæculo dari.* Dabantur ipsis trium dierum tenebræ veluti præludium tenebrarum infernalium, ac æternarum. Unde rursus Sap. c. 17. v. 20 *Illis supposita erat gravis nox, imago tenebrarum, quæ superventura illis erat.*

Tenebræ opprimunt Ægyptum.

Cum hac caligine noctis Ægyptiæ similitudinem habent tenebræ populorum Cymmeriorum, de quibus Homerus lib. 11. Odyss. fabulatur.

Sunt hi Cymmerii populiq; urbesq; viriq;,
Nubibus assidua & semper caligine tecti,
Quos nunquam radiis oriens, mediusque, cadensque
Phœbus adire potest, miseris mortalibus usq;
Nox est, & gelidas funesta supervolat alis.

Procopius l. 2. de Bello Gothico, de Insula Thule, viciná polo arctico, scribit; quod in æstatis fine habeat quidem quadraginta continuos dies, ubi nunquam perdit aspectum solis; attamen versùs finem hyemis per *dies quadraginta nunquam sol ullâ parte conspicitur.* Finnamarchia habet dies æstivos continuis quinque mensibus, ut scribit Olaus lib. 1. c. 2 postea tamen in hyeme continuam quinque mensium noctem. Etiam in Laponia per tres fermè menses hyemis durat nox continua; uti etiam in Botnia, & aliis regionibus septemtrionalibus. Card. Baronius Tom. 9. An. 7+6. Annal allegans Theophanem & Zonaram Tom. 3. Annal. refert, quòd sol fuerit absconditus per septemdecim continuos dies, fueritque tempus illud plenum nocte & horrore.

CAP. XI. ℣. 5.

264. QUando agitur de primogenito Pharaonis, mox subjungitur, illum in solio Regio collocandum, ac coronæ successorem fore. *A primogenito Pharaonis, qui sedet in solio ejus.* Exod. 11. v. 5. Ita enim consuetudo tulit, ut primogenitus succedat in possessione Principatus & Regni. 2. Paral. 21. v. 3 dicitur, quòd Josaphat, Rex Judeæ, *Regnum tradidit Joram, eò quòd esset primogenitus.* Et 4. Reg. c. 3. n. 27. scribitur de Rege Idumæorum; *Filium suum primogenitum, qui regnaturus erat pro eo, obtulit holocaustum.*

Primogenitus succedit in corona.

Quod primogeniti directè habeant successionem Regni, demonstrant Andreas Tiraquellus de Jure primog in præfat. à num. 19. &c. Azorius Tom. 2. Instit. mor. lib. 11. c. 2. Unde Artabazenes natu major filius Darii apud Herodotum lib. 7. prætendebat declarari in Regem Persiæ, *quòd apud universos homines institutum sit, ut maximus natu liberorum obtineat principatum.* Id ipsum commemorat Justinus lib. 2. *Artabazenes maximus natu ætatis privilegio regnum sibi vindicabat, quòd jus & ordo nascendi, & natura ipsa gentibus dedit.* Idem inviolabili lege observatum fuit apud Athenienses, Macedones, Messenios, Epirotas & Spartanos, uti videri potest apud Pausaniam lib. 1. Observatur etiam apud Hispanos, Gallos, Scotos, Anglos, Cimbros, Gothos, Vandalos, ut docet Procopius lib. 1. de Bello Persico; & apud alias nationes.

CAP. XI. ℣. 5.

PRimogenitis Regum insigne privilegium concessum erat, ut simul cum Patre in regio throno sederent, sive ut cum ipso simul regnarent; sive ut securam possessionem succedendi in Regno sumerent. Unde Exod. 11 v. 5. de primogenito Pharaonis dicitur; *A primogenito Pharaonis, qui sedet in solio ejus.* 265.

Primogenitus sedet in solio patris.

Hoc privilegio gaudebat Honorius, in tenellâ adhuc ætate receptus à Theodosio, suo Patre, in socium Imperialis throni. Unde ad ipsum conversus Claudianus de 6 Consul. Honorii canit;

Teq; rudem vitæ, quamvis diademate necdũ
Cingebare comas: socium sumebat honorum,
Purpureo fotum gremio: parvumq; triumphis
Induit; & magnis docuit præludere fastis.
Te linguis variæ gentes, missiq; rogatum
Fœdera, Persarũ proceres cum patre sedentem
Hâc quondam videre domo: positoq; tiaram
Submisêre genu &c.

CAP. XI. v. 5.

QUando agitur de vilissima & miserabili conditione pauperum ancillarum, tribuitur ei servitium versandi molendinum ad frumentum pro humano victu conterendum. Exod. 11. v. 5. *Morietur omne primogenitum à primogenito Pharaonis usque ad primogenitum ancillæ, quæ est ad molam.* Ministerium hoc vile ac laboriosum est, solitum imponi fœminis infimæ conditionis; uti etiam infert textus Evangelicus S. Matthæi c. 24. v. 41. *Erunt duæ molentes in mola, una assumetur, & una relinquetur.* 266.

Servi gyrant molas

Ad hunc morem alludebat S. Clemens Alexandrinus lib. 3 Pædag. cap. 10 persuadens matribus familias, ut nonnunquam manus admoveant hisce molendinis, tam ob proprium exercitium, quàm ad consolandas & adjuvandas ancillas, quæ in misero ac grandi illo labore sunt occupatæ. *Ipsas per se uxores oportet ex penu afferre ea, quibus opus habemus: & neque ad pistrinum, neque ad molendinum accedere turpe est: sed neque in coquendo obsonio versari, modò id gratum sit marito, mulieri domus custodi & auxiliatrici dedecus est.* De his molendinis versatilibus mentionem facit Homerus lib. 7. Odissea; dicens, Alcinoum, Regem Phæacum, habuisse in sua familia quinquaginta ancillas, quarum aliquæ destinatæ erant molendo frumento;

Quinquaginta illi ancillæ erant in domo,
Quarum aliquæ molunt pomacei coloris frumentum.

Et lib. 9. Odiss. ait; in domo Ulyssis fuisse duodecim ancillas, ad molam destinatas.

CAP. XII. ℣. 23.

CÙm ageretur de occidendis omnibus primogenitis Ægypti, disposuit Deus, ut Angelus 267.

gelus exterminator tulerit mortem in solas domos Ægyptiorum, Hebræis prorsus illæsis ac liberis, quorum domus videbantur intinctæ & aspersæ sanguine Agni. *Transibit Dominus percutiens Ægyptios: cumque viderit sanguinem in superliminari, & in utroque poste, transcendet ostium domûs, & non finet percussorem ingredi domos vestras, & lædere.* Exod. cap. 12. v. 23.

Angelus extermi-nator.

Similis transitus Angeli percutientis factus est Romæ, tempore Summi Pontificis Agatonis, Anno Domini 680. Paulus Diaconus lib. 6. de Gest. Longobard. c. 5. scribit; illo anno multis apparuisse Angelum unum bonum, & alterum malum, qui nocturno tempore circuibant civitatem; & quot vicibus Angelus malus, ex mandato Angeli boni, hastâ, quam tenebat in manu, percutiebat portam cujusvis domûs, tot homines in domo ac die moriebantur. Ab hoc flagello fuit Roma liberata, quando in Ecclesia S. Petri ad vincula erectum est altare S. Sebastiani, prout Deus dignatus est revelare.

CAP. XIII. v. 2.

268. OMninò persuadet ratio, quòd, si omnia bona à Deo proveniant, ad ipsum cum affectu gratitudinis referri debeant. Id quod ipsemet Deus apertè exigit; nam ut declaret, omnes primogenitos masculos, tam hominum, quàm jumentorum, esse suos; ait, *sanctifica mihi omne primogenitum, quod aperit vulvam in filiis Israël, tam de hominibus, quàm de jumentis.* Hoc præceptum repetitur in Exodo cap. 34. v. 19. Numer. cap. 8. v. 16. Levit. c. 27. v. 6. in S. Luca c. 2. v. 23. &c.

Videri possit, Homerum penetrâsse hoc beneplacitum divinum; Nam lib. 23. Iliadis describit Apollinem, qui desiderabat, sibi sacrificari agnos primogenitos. Et lib. 4. ejusdem Iliadis fingit, Minervam, Deum sapientiæ, suggessisse Pindaro, ut voto promittat, se Apollini oblaturum centum agnos primogenitos; si fabulosus ille Deus ipsum faceret desiderii sui compotem. In hoc argumentum prolixus est Andreas Tiraquellus Præfat. de Jure primogen. num. 68.

CAP. XIII. ℣. 21.

269. VT populus Hebræus inter solitudines deserti sine errore securè progrederetur; Deus sub specie Angeli eos præcessit, ac ducis loco servivit. *Dominus autem præcedebat eos ad ostendendam viam per diem in columna nubis &c.*

Angelus servit ut dux.

Non tantùm populus Hebræus, sed etiam Christianus magni æstimari debet ob honorem adeò grandem sibi exhibitum. Anno Domini 1144. cum exercitus Christianorum ab insidiis hostium arctè constringeretur, obsidionem Bostri, metropolis Arabiæ, solvere coactus fuit. At viarum ignarus, cùm non sciret, quâ parte fugam ad declinandos barbaros, capesseret; nec etiam haberet, qui viam monstrâsset; ecce! ante eos comparuit quidam eques, albo equo insidens, coopertus armis, & purpureum vexillum manu tenens, qui, instar Angeli Dei, imprimis eos conduxit pro refrigerio ad certas aquas, hactenus incognitas postquam ibi paulisper quieverunt, eos salvos comitatus est Hierosolymas; quo facto, disparuit. Ita scribit Gulielmus Tirius lib. 16. Belli sacri cap. 12. & ex ipso Cardinalis Baronius Anno Christi 1144.

CAP. XIII. ℣. 21.

ANgelus, vices Dei gerens, ac gloriosus Paradisi minister, Israelitis serviit, eosque præcessit instar famuli. Interdiu enim cum columna candidæ nubis eos ducebat. Noctu verò columnam igneam, veluti vastam lucernam, ad dissipandas tenebras, ante eos portabat. *Dominus autem præcedebat eos ad ostendendam viam per diem in columna nubis, & per noctem in columna ignis, ut dux esset itineris &c.* De hoc facto Psaltes Psal. 77. v. 14. ait, *Et deduxit eos in nube diei, & totâ nocte in illuminatione ignis.* Psalm 104. v. 39. *Expandit nubem in protectionem eorum, & ignem, ut luceret eis per noctem &c.* 270.

Angelus portat lumen.

Historia S. Clementis Alexandrini, inhærentis traditionibus Gentilium, 1. Strom, cap. 13. maximam habet similitudinem cum columna Israelitarum. Refert ergò, *Thrasybulo, qui exules ex Phyla reducebat, & latere volebat, ducem factam columnam: cumque nec luceret luna, & hybernum cœlum esset, atque caliginosum visum ignem præcedere qui cum illos citra ullam deduxisset offensionem, defecit &c.* Porrò qui desiderat videre grandem Principem, portantem in manu faculam ante servos Dei; veluti Angelus eam portavit ante Mosen & Israelitas; contempletur majestatem Caroli V. Imperatoris, qui nocturno tempore ante Legatum Pontificium visus fuit portare facem accensam. Ad illius honorem ab ingenioso calamo P. D. Gregorii Bulzii, nobilis Cygni è Congregatione Sommascena, fuit scriptum sequens Epigr.

Cedere secretâ cum vult Legatus ab aula,
Nulla gerit rutilam dextera serva facem.
Nulla gerit, nam servus abest: sed maximus Heros
Fert famulatrici lumina prensa manu.
Prævius it Cæsar: sequitur Legatus euntem:
Prævius at vigil cum face Cæsar abit.
Obstupuit vir ponè sequens; sed perge, vir, inquit,
Perge Heros, solus luce præire potes.

CAP. XIV. ℣. 16.

PHarao, certior factus de fuga Hebræorum ex Ægypto, decrevit, eos cum tota exercitûs sui potentia insequi. Unde collegit omnes suos armatos, cum quibus non tantùm sexcentos currus falcatos, armis benè instructos; sed etiam alios, quotquot in suo Rego, conquirere potuit, contra Hebræos produxit. *Junxit ergo currum, & omnem populum suum assumpsit secum. Tulitque sexcentos currus electos, & quidquid in Ægypto curruum fuit &c.* Exod. 14. v. 16. Hi sunt primi currus falcati qui reperiuntur in exercitibus usurpati; Erant undique è lateribus armati acutissimis falcibus, faciebantque horrendam ac sanguineam hominum, animalium, & frumenti messem. Portârunt insuper turmas militum, qui veloci impetu irruebant in hostem. His curribus etiam usi sunt Jabinus Rex Chananæorum, de quo Jud. 4. v. 3. scribitur, quòd *nongentos habebat falcatos currus.* Philistæi, de quibus 1 Reg. 13. v. 5. *Philisthiim congregati sunt ad præliandum contra Israël, triginta millia curruum. & sex millia equitum.* Salom. de quo 3. Reg. 10. v. 26. *Congregavitque Salomon currus & equites, & facti sunt ei mille quadringenti currus, & duodecim millia equitum &c.* 271.

Currus falcati.

Hi currus à Gentilibus pro libitu usurpati sunt; affirmatque Alexander ab Alexandro lib. 6. Dier. cap. 21. *Assyrii, Syri, Arabes,* atque

atque Asiatici ferè omnes frequentius ne curru praliabantur sicut & Britanni. Et quantùm ad populos Syriæ, probatur ex 2. Reg. 10. v. 18. ubi scribitur; *Occidit David de Syris septingentos currus.* De Arabibus id ipsum testatur Diodorus lib. 6. c. 1. De Asiaticis Xenophon l. 6. Pædiæ. De Britannis Diodorus lib. 6. c. 8. & Pomponius Mela l. 3. c 6. De Ægyptiis & populis nigris Strabo lib. 17. De Africanis Herodotus lib. 7. & de Persis Q. Curtius lib. 4. ut multos alios taceam.

CAP. XIV. ỽ. 21. &c.

272. STupendum reverà miraculum Mosis fuit, quando unico contactu suæ virgæ divisit aquas maris Erythræi, & per eas amplissimam viam stravit. Undæ enim ex utroque latere instar duorum fortissimorum mœnium sustentabantur, & fundus, aspirante vento exsiccatus, transitum præbuit adeò liberum, ut tres hominum milliones intra spatium dimidiæ noctis fuerint per illum deducti ac salvati. *Cumque extendisset Moses manum super mare, abstulit illud Dominus flante vento vehementi, & urente totâ nocte, & vertit in siccum, divisaque est aqua. Et ingressi sunt filii Israël per medium sicci maris erat enim aqua quasi murus à dexterâ eorum & lævâ* Exod. c 14. v. 21 &c.

Mare apertum Hebræis.

Nulla est res tam sacra, quam Gentilitas non satagat contaminare. Unde ausa est Alexandro Magno tribuere hanc Mosis gloriam, dum ait, mare Pamphilicum aperuisse huic Regi & ipsius exercitui in proprio sinu securam viam, ut ad evertendum Persarum Imperium potuerit eam transire. Ita refert Curtius lib. 5. & Josephus l. 2. Antiquit his omninò verbis; *Alexandri ductu Macedonibus Pamphylicum mare cessit, & aliam viam non habentibus illac iter aperuit. Cùm Deus ejus opera ad destruendum Imperium Persarum uti decrevisset.* Hanc relationem non fine justa indignatione commemorat Petrus Crinitus lib. 17 de honesta disciplina cap. 13. illiusque etiam meminit Pererius c. 4. Exod. Disp. 4.

CAP. XV. ỽ. 10.

273. ILlæ ipsæ aquæ, quæ Israëlitis erant instrumenta patrocinii ac salutis, Ægyptiis fuêre occasio interitûs ac mortis. Nam, *Submersi sunt quasi plumbum in aquis vehementibus.* Exod. c. 15. v 10. Ubi observandum est, quod epitheton *vehementibus* in præsenti potius significet copiam & superabundantiam, quàm impetum. Unde Abulensis; *In aquis vehementibus id est, aquis multis & magnis.* Hæc ipsa explicandi forma locum habet in v. 10. cap. 51. Isaiæ, ubi vulgata legunt; *Nunquid tu siccâsti mare, aquam abyssi vehementis?* Septuaginta vertunt; *aquam abyssi multam.* Vatablus, *aquas abyssi immensas*; & Forerius; *aquas abyssi ingentis.*

Vehemens pro multus.

Etiam Latini solent verbum *vehemens* sumere pro *magnus & copiosus* Columella; l. 3. c. 1. *Terra densa dabit vehementem vitem multâque materiâ frondentem*; id est, vitem grandem, abundantem, & multùm protensam, ut ibi observavit Turnebus lib. 10. Advers. cap. 3. & rursus Columella lib. 4. c. 10. *Unde etiam materia vehementissima reperiuntur*; id est, valde grandes & vigorosæ. In hunc sensum cecinit etiam Horatius lib. 2. Epist. 2.

Vehemens & liquidus, puroque simillimus amni.

CAP. XV. ỽ. 16.

UT Moses securos redderet suos Israëlitas, desideravit, ut Ægyptii, ipsorum hostes, obruti timore & stupore, fierent immobiles veluti saxa. *Irruat super eos formido & pavor.* Exod. c. 15. v. 16. *fiant immobiles quasi lapis.* Cum hac scriptura convenit textus 1 Reg. c. 25. v. 37. ubi de impio Nabal dicitur; *Et emortuum est cor ejus intrinsecus, & factus est quasi lapis.* 274

Timor facit homines ut lapides.

Eodem conceptu utuntur Profani, ut advertit Martinus del-Rio in hunc locum Adagio 82. ubi producit Pacuvium, qui ait

- - - Me
Terit fames, pavore fama concutit,
Lapis cor, cura & ærumna corpus conficit,

Ariadna in quadam sua Epistola apud Ovidium de se ipsa timidâ & terrefactâ loquitur;

Aut mare prospiciens, in saxo frigida sedi,
Quamque lapis sedes, tam lapis ipsa fui.

In hoc argumentum gratiosa est fabula illius, qui naturâ suâ timidus, auditâ famâ Herculis, abscondit se in quâdam crypta, ut eum posset videre. At dum Herculem prætereuntem aspexit; *immodico metu exanimatus est, ac protinus diriguit, in saxum versus, quod adhuc visitur specie viri velut è specu prospicientis.* Ita Author Adagiorum. Tit. *Timidior prospiciente.*

CAP. XV. ỽ. 20.

POstquàm Ægyptii jacuêre submersi in mari Erythræo; Maria soror Mosis cum aliis virginibus & Matronis Hebræis, solvebatur in festiva tripudia, pulsabat sonora tympana, movebat linguas & voces in sacros cantus; sicque omnipotenti Deo reddebat lætos applausus ac immortales gratias. Exod. 15. v. 20 *Sumpsit ergo Maria Prophetissa soror Aaron, tympanum in manu sua; egressæque sunt omnes mulieres post eam cum tympanis & choris, quibus præcinebat, dicens; Cantemus Domino &c.* In hunc locum P. Cornelius à Lapide ait; *cum piis ad numeros tympani tripudiis,* 275.

Cantus & saltus ad honorem Dei.

Et Cantica, & saltus fuerunt approbati à Sapientissimis Græciæ, videlicet Orpheo & Musæo, *qui ut honestissimum quiddam sanxisse traduntur, cum rhytmo initiari & saltatione*; inquit Cælius Rodiginius lib. 5. c. 3. additque, illud per modum ritûs & ceræmoniæ religiosæ ac sacræ receptum fuisse. *In Delo certè sacrum obibant nullum absque saltatione & musicâ; prodibant autem puerorum chori, tibiis ac cytharâ præcinentibus, è quibus selecti peritissimus quisque saltabant.* Ad hunc morem allusit Virgil. 4. Æneid.

- - Delon maternam invisit Apollo,
Instauratque choros, mixtique altaria circùm,
Cretesque, Dryopesque fremunt, pictique Agathyrsi.

Hesiodus in Theogonia grandem hanc laudem attribuit Musis; *quòd circa fontem nigrum mollicu-lis saltant pedibus, in ara paterna tripudiantes ambitu.* Qui plures eruditiones desiderat, consulat Cælium Rodiginium cit. loc. mihi nunc sufficiat, delibâsse has paucas.

CAP. XVI. v. 21.

MAnna, mirabilis cibus, Israëlitis è penario cœli sub initium diei dispensatus, in tanta 275.
abun-

abundantia decidit, ut tota in circuitu terra fuerit cooperta. Sicuti autem cibus iste resistebat ardori ignis, ita ad unum solis radium liquefactus & consummatus est; tum, ne jacens in terra ab Israëlitis in progressu diei calcaretur; tum quia divina illa beneficentia solis illis dispensabatur, qui ortum solis ad illud colligendum

Manna liquefactũ sub sole. praeveniebant. *Colligebant autem mane singuli, quantum sufficere poterat ad vescendum: cumque incaluisset sol, liquefiebat.* Exod. c. 16. v. 21. De illo in libro Sapientiae c. 16. v. 27. dicitur; *Quod enim ab igne non poterat exterminari, statim ab exiguo radio solis calefactum tabescebat.*

Cum hoc manna Hebraeorum aliquam similitudinem habet manna, quod in mensibus Junio & Julio depluit in Polonia, & instar roris supra frondes herbarum detinetur. Istud manna colligitur in cribro, ubi excussum, tunsum, & aqua permixtum, instar pulmenti comeditur. Debet autem colligi ante ortum solis, quia ad illius calorem aperitur cortex, cui manna inclusum est, & ad terram decidens perditur. Adeoque manna Polonicum ob duas causas differt ab Hebraeo primò quia illud, non verò istud, inclusum est cortici seu folliculo. Secundò quia illud sub calore solis cadit in terram, suoque cortice egreditur; istud verò totum liquefiebat ac consummabatur. Cornelius à Lapide hoc loco. Cum manna Hebraeorum etiam convenit certus liquor, qui habet suavitatem mellis, & teste, Curtio lib. 6. ac Caelio Rodiginio lib. 21. cap. 3. reperiri solet in Hircania supra folia cujusdam arboris, quercui non absimilis; de quo referunt; *nisi solis ortum incolae occuparent, vel modico tempore succum extingui solitum.*

CAP. XVI. ℣. 23.

177. TAmetsi à tempore creati mundi fuerit dies Sabbathi Deo sanctificatus, ut insinuaretur, homines debere illo die desistere ab operationi-

Sabbathũ & festa sanctificata. bus materialibus; Gen. 2. v. 3. Nihilominus Moses voluit expressè illius meminisse. Exod. 16 v. 23. *Requies Sabbathi sanctificata est Domino.* Et clarius Exod. cap. 20. v. 10. *Septimo die Sabbathum Domini Dei tui est: non facies omne opus in eo tu, & filius tuus, & filia tua, servus tuus, & ancilla tua, jumentum tuum, & advena &c.*

Cum hoc praecepto, ni fallor, plurimùm convenit Musa Catulli apud Roam t. 1. l. 2. cap. 15.

Luce sacrâ requiescat humus, requiescat arator,
Et grave suspenso vomere cesset opus.
Solvite vincla jugis: nunc ad praesepia debent
Plena coronato stare boves capite.
Omnia sint operata Deo: non audeat ulla
Lanificam pensis imposuisse manum.

CAP. XVI. ℣. 32.

178. MIraculum & beneficium mannae, factum in favorem Israëlitarum, quo per quadraginta annos in deserto alebantur fuit ita grande

Manna conservatum pro gratitudine. ac prodigiosum, ut Deus voluerit illius memoriam apud omnes posteros conservari. Unde jussit, ut certa ipsius quantitas ac mensura cum omni decentia & reverentia custodiretur. *Imple gomor ex eo, & custodiatur in futuras retrò generationes.* Exod. c. 16. v. 32. &c.

Quemadmodùm Israëlitae conservârunt manna in vase ex mandato Mosis, imò ipsius Dei; ita etiam cives Atrebatenses in Artesiae Metropoli, ex mero gratitudinis, devotionis, & pietatis Christianae fecerunt; cùm enim in civitate illa prodigiosè pluisset manna, illud asservârunt, & adhuc asservant, fidelibusque religiosè monstrant. Unde natus est ille Rhytmus;

Atrebati manna, Roma pluit unctio sacra,
Jerusalem sanguis, haec sunt tria dona salutis.

CAP. XVII. ℣. 10.

QUando Amalecitae ingenti rabie ac furore dimicabant contra Hebraeos; Moses cum 179.
Sacerdote Aaron & Hur ascendit verticem montis, ac orationi vacabat; neque destitit à devotis precibus, donec sui retulerint gloriosam vi- Moses orando juvat pugnantes.
ctoriam. *Moyses & Aaron, & Hur ascenderunt super verticem collis. Cumque levaret Moyses manus, vincebat Israël &c.* Exod. 17. v. 10.

Dum Gentiles immani crudelitate persequebantur populos ac cives Caesareae; S. Gregorius Thaumaturgus, eorum Episcopus, simul cum Diacono conscendit declivem montem, ac orationi se totum ardentissimè commisit. Et licèt hostis ipsos sequeretur, putavit tamen, se supra illum montem non duos homines, sed duos lapides videre. Fuit etiam ita efficax ipsius oratio, ut suis obtinuerit coronam ac triumphum. Ita testatur S. Gregorius Nyssenus in ipsius vita, ubi hoc modo discurrit; *Sicut Moyses, cum procul abesset ab acie Amalecitarum per orationem popularibus vires contra hostes injecit: ita ille* (id est, Thaumaturgus) *quasi animi oculis intueretur ea, quae fiebant, divinum auxilium pro eis, qui nomine fidei decertabant, invocabat.* Prolixius postea subjungit fructum illius orationis.

CAP. XVII. v. 13.

JOsue cum suis Israëlitis generosè contra exer- 180.
citum Amalecitarum pugnans, obtinuit insi- Victoria à Deo
gnem victoriam; de quâ Exodi c. 17. v. 13. *Fugavitque Josue Amalec & populum ejus in ore gladii.* Et tamen Moses, Princeps populi Hebraei, laudem illius victoriae non attribuit fortitudini pugnantium, sed virtuti divinae; Unde erigens altare, veluti trophaeum divinae beneficentiae, coram mundo protestatur ac declarat, quòd Dominus exercituum ipsis adstiterit & auxilium tulerit. *Aedificavitque Moyses Altare, & vocavit nomen ejus, Dominus exaltatio mea.*

Josephus Hebraeus ait; *Moysen hanc aram Deo victori posuisse, uti Romani ponebant Jovi victori.* Hoc pietatis sensu multi Principes professi sunt, victorias suis armis obtentas, fuisse merum Dei donum. Theodosius in ludis Circensibus existens, accepit nuntium, quòd exercitus Tyranni Joannis fuerit à suis militibus superatus & intercioni datus; mox conversus ad populum exclamavit; *Agite, & ludicro hoc omisso, in aedem precatoriam eamus, & carmina gratiarum auctori victoriae Deo concinamus.* Nicephor. L. 14. c. 7. Alphonsus Rex Arragoniae, quando cum exercitu contra Florentinos progrediebatur, ad filium suum Ferdinandum conversus, dixit; *Noli, O fili, tantùm tua, aut commilitonum audaciae tribuere, ut putes, absque Dei auxilio victoriam ullam haberi posse. Victoria enim non hominum disciplinis aut industriâ paratur, sed Dei Optimi Maximi benignitate & arbitrio.* Carolus

lus V. obtentâ nescio quâ nobilissimâ victoriâ, alta voce dixit; *Veni, vidi, Deus vicit.*

CAP. XVIII. ℣. 17.

281. Cùm videret Jetro, socer Mosis, quòd iste solus portaret pondus totius populi; dum sibi soli totam authoritatem judiciariam reservans, inutiliter excessivis laboribus destruebatur, & malè poterat tantæ multitudini satisfacere. Unde illum correxit, & his omninò verbis allocutus est; *Non bonam rem facis: stulto labore consumeris & tu & populus iste, qui tecum est: ultra vires tuas est negotium, solus illud non poteris sustinere.* Exod. c.18. v.17. &c. ergo sapienter suasit Mosi, ut eligeret bonos ministros, qui ipsum adjuvarent portando munus adeò grande. *Provide autem de omni plebe viros potentes & timentes Deum &c & constitue ex eis tribunos, & centuriones, & quinquagenarios, & decanos, qui judicent populum omni tempore.* n. 21. In hoc argumentum Philo lib. de creatione Principis; *Unus enim non sufficit, quantumvis alacer, fortisque corpore simul, atque animo in tanta mole negotiorum, ac multitudine cottidie aliis affluentibus super alia: proinde assumendi sunt optimates selecti spectata prudentia, fortitudinis, justitia &c. nam hujusmodi viri maximè idonei sunt ad sublevandum ope suâ bonum honestumque Principem.*

Principes debet uti bonis ministris.

Quòd Princeps non debeat omnia solus peragere, sed ad regimen assumere bonos ministros, documentum est sexcentorum scriptorum. Vellejus Paterculus, protestabatur; *Magnos & eminentes viros, magnis adjutoribus ad gubernandam fortunam suam usos esse.* Atalaricus Rex apud Cassiodorum lib. 8. Epist. 9. ait; *Solatium curarum frequenter sibi adhibens maturi Reges, & hinc meliores æstimantur, si soli omnia non præsumunt.* Sinesius Orat. de Regno; *Deum quidem sibi sufficere, & antiquam eam esse naturam, quæ supra id omne, quod subditum est, assurgit. Homini verò multis, atque ejusdem conditionis hominibus imperanti, ad cujuslibet rei animadversionem propriam naturam satis superque non esse.* Unde egregiè subjungit; *Hunc igitur naturæ defectum supplens* (Princeps) *amicos in ejusdem naturæ communionem adsciscit, vim quodammodo suam multiplicans: ita enim fiet, ut & omnium oculis videat, & omnium auribus audiat, omniumque animis in unum consentientibus consilium capiat.*

CAP. XVIII. v. 19.

282. Considerans Jetro gravissimum onus Mosis, dum solus populum Hebræum gubernabat, optimi parentis affectu illum correxit, ac consilium dedit; *Audi verba mea; atque consilia & erit Deus tecum.* Exod. c.18. v.19. Ita nimirum Deus disposuit, ut Moses, tametsi homo sapientissimus, acceptaret alterius consilium; prout etiam acceptavit ab aliquo nationis alienæ, & religione gentilis. Proinde homines, donati prudentia & judicio, libenter præbeant aures suis inferioribus, à quibus sæpissime suggerunt sanctissima consilia. *Nemo enim est bonus Doctor, qui non est docilis; quia & ille melius docet, qui quotidie crescit, & proficit discendo meliora*; inquiebat S. Cyprianus ad Pompejum in fine.

Consilium inferiorũ salutare.

Euripides in hoc argumentum benè dixit;

Princeps sapiens sapientum commercio.

Et quidam alius.

Sæpè etenim est olitor verba opportuna locutus.

Plato reprehensus, quòd aures præberet obvio cuivis; exprobranti sibi; *Tunc qui Doctor es, simul es discipulus? & quamdiu disces?* respondit; *Tamdiu, donec me sapientiorem fieri non pœnitebit.*

Discere semper.

CAP. XVIII. ℣. 21.

283. Jetro, Socer Mosis, loquens de veris qualitatibus, perfecto Judici propriis, suo genero dixit; *Provide de omni plebe viros potentes, & timentes Deum.* *Potentes*, id est, *viros virtutis*; ut declarat textus Hebræus; nimirum homines cordatos, homines spirituosos, seu, interprete Cornelio à Lapide; *Valentes animo, strenuos & magnanimos, qui magnorum & magnatum vultum non timeant, & personas in judicio accipiant, & judicium pervertant, sed unum timeant Deum &c.* Adeoque bonus Judex habeat ingentem timorem Dei, & nihil prorsus timeat faciem magnatum. In hoc propositum Ecclesiasticus; cap. 7. v. 6. *Noli quærere fieri judex, nisi valeas virtute irrumpere iniquitates.*

Judex habeat animum liberum.

Epictetus, docens Judicem, qualis esse debeat, ait; *Uti nec anser clangore, nec ovis balatu terretur; ita nec stolida magnitudinis vox perterrefaciat.* Trajanus Imperator in constituendis & creandis Judicibus ac Magistratibus, dum solito more iis gladium justitiæ tradebat; dixit: *Illo pro me quamdiu æqua mandavero, sin iniqua, contra me utere.* Fridericus III. Imperator, interrogatus, quales ex omnibus ministris essent ipsi charissimi? respondit, illi, qui plus Deum, quàm me timent.

CAP. XVIII. ℣. 21.

284. Jetro, socer Mosis, inter attributa perfecti Judicis recensuit etiam veritatem, id est, justitiam & æquitatem, veritatis nomine intellectas. *Provide de omni plebe viros potentes, & timentes Deum, in quibus sit veritas.* Exod. 18. v. 21. Proinde in Judicibus dominetur veritas, ut omnes tractent erecto animo, neminem decipiant aut seducant, exequantur id, quod legibus statutum est, faciantque, quod Principi promiserunt se facturos. Hanc prærogativam in judice divino celebrat S. Paulus Rom. c. 3. v. 4. *Est autem Deus verax.*

Veritas propria judicum.

Inter præcipua documenta, quæ Basilius Imperator dedit Leoni, suo filio; etiam istud fuit; *Maximè pendito veracem te esse in sermone, & veraces homines in familiaritatem admittere ita enim firmus & constans in omnibus factis ac dictis æstimaveris, & veram, ac non suspectam tuorum erga te benevolentiam sustinebis.* De hoc argumento videatur infra cap. 28. Exodi v. 30.

CAP. XVIII. ℣. 21.

285. Inter proprios characteres judicis principalissimus est, ut non sit avarus ac cupidus munerum. Inter alios illum retulit Jetro ad Mosen; *Provide de omni plebe viros potentes, & timentes Deum, in quibus sit veritas, & qui oderint avaritiam.* Optima hæc perfectio deprædicatur in Samuele, qui judicis munere quadraginta annis perfunctus, liberè in conspectu totius populi dicere potuit; *si de manu cujusquam munus accepi, loquimini, & contemnam illud hodie, restituamque vobis.* 1. Reg. 12 v. 3. Similiter S. Paulus; *Argentum, & aurum, aut vestem nullius concupivi, sicut ipsi scitis.* Act. 10 v. 33.

Judex non interessatus.

Hanc doctrinam probè calluit Plato, solitus dicere; Principes non posse habere excellentiora bo-

ra bona, quàm ministros à cupiditate munerum alienos. *Principibus nullum præstantius prædiorum genus esse, quàm eorum familiaritates, qui cauponari nescirent.* Eam etiam scivit Alcamenes Spartanus, qui interrogatus, cur recusâsset munera, sibi à Messeniis transmissa; respondit, *Quia si accepissem, cum legibus pacem habere non potuissem.* Unde Thebani (ut scribit Plutarchus lib. de Iside & Osiride, & ex ipso transcripsit Johannes Stobæus serm. 44.) formabant judices sine manibus, & Principem sine oculis, ut ille non acciperet munera; & iste non moveretur affectu. *Thebis imagines conspiciuntur judicum manibus carentes: at summi Judicis imago connivet oculis: eò quòd Justitia nec muneribus capi, nec hominum vultu flecti debeat.* In hoc argumentum Andreas Alciatus formavit hoc Epigramma. Embl. 1.5.

Effigies manibus truncæ ante altaria dudum
Hic resident, quarum lumine capta prior.
Cur sine sunt manibus? capiant ne xenia, nec se
Pollicitis flecti, muneribusque sinant.
Cæcus at est Princeps: quod solis auribus, absque
Affectu, constans jussa Senatus agit.

Compendio ipsemet Justinianus Legislator lib. 1. Codicis Tit. de mandatis Principum, ait; *Oportet igitur te purè suscipientem hoc administrationis genus, proculab omnibus mundas servare Deo; nobisque, & Legi manus nullum lucrum contingere &c.*

CAP. XIX. ℣. 9.

286. UT Israelitæ absque ulla tergiversatione acceptarent Mosen tanquam suum Legislatorem, & leges reciperent tanquam rem non humanam, sed divinam, Deus decrevit, servo suo fidem facere, loquendo ei ex nubibus in præsentia Hebræorum, qui circum montem erant congregati: *Jam nunc veniam ad te in caligine nubis, ut audiat me populus loquentem ad te, & credat tibi in perpetuum.* Exod. cap 19. v. 9.

Mosi fides concilia-tur per colloquiū Dei.

Quam Moses reverà accepit à Deo gratiam; Gentiles finxère etiam sibi à Diis attributam; nam Legislatores Seleucus, Zoroaster, Minos, & etiam Mahometus, ut sibi fidem & authoritatem conciliarent apud populum, persuaserunt suis subditis, se familiariter conversari cum numinibus, & sibi ab iis leges dictatas. Lycurgus Legislator Spartanorum, Delphos profectus, dixit, ab Oraculo esse approbatas suas Leges, tanquam utilissimas Reipublicæ. Numa secundus Romanorum Rex & Legislator, finxit se familiarem Deæ Ægeriæ. Pythagoras sæpius ad se vocabat quandam aquilam, ab ipso cicuratam, ut simplicibus persuaderet, sua dogmata è cœlo descendisse &c.

CAP. XIX. ℣. 10.

287. UT Israelitæ summâ decentiâ præpararentur ad propinquandum Deo, qui singulari benevolentiâ se ipsis audiendum præbere, ac Legem dare voluit; jussit, ut omni diligentiâ curent se purificari lavando tam membra corporis, quàm vestimenta; ut eos incitaret, ad interiorem animi munditiem tanto magis procurandam. *Vade ad populum, & sanctifica illos hodie, & cras, laventque vestimenta sua, & sint parati in diem tertium &c.* Exod. cap. 19 v. 10.

Puritas exigitur ad propin-quandum Deo.

Hæc lavacra, quæ præordinata fuerant ad propinquandum Deo; etiam à Gentilitate fuerant approbata pro dispositione propinquandi ac placendi Diis. Ovid. lib. 4. Fastorum.

His Dea placanda est, hæc tu conversus ad aras
Dic quater, & vivo perlue rore manus.

Æneas apud Virgilium lib. 2. protestabatur, se non posse contingere res sacras, nisi lotis prius manibus, quas stragibus Græcorum, à se occisorum, contaminâsset.

Tu Genitor cape sacra manu, patriosque Penates
Me bello, è tanto digressum, ac cæde recenti
Attrectare nefas, donec me flumine vivo
Abluero.

Quod attinet munditiem vestium; etiam hæc in servitio divino requirebatur. Ita Tibullus, loquens de quodam sacrificio lib. 1. Eleg. 10. ait;

Hunc purâ cum veste sequar.

Idem lib. 2. Eleg. 2. persuadet puritatem tam vestium, quàm manuum;

Casta placent superis, purâ cum veste venite,
Et manibus puris sumite fontis aquam.

Et Virgilius lib. 12. Æneid.

- - - *Puràque in veste Sacerdos.*

CAP. XX. v. 1.

QUando agitur de suprema Lege coram mundo publicandâ; fit expressa protestatio, quòd lex illa fuerit distinctè ac clarè ordinata ab ipsius Dei ore. *Locutusque est Dominus cunctos sermones hos: Ego sum Dominus Deus tuus &c non habebis Deos alienos, coram me. Non facies tibi sculptile &c.* 288.

Moses habuit legem à Deo.

Sicuti Moses reverà accepit Legem ab illo Angelo, qui repræsentabat Deum; ita reliqui Legislatores finxerunt, se leges suas recepisse è cœlo à Diis. Trismegistus finxit, se suas leges, quas Ægyptiis dabat, habuisse à Mercurio. Carondas cum Carthaginensibus à Saturno; Draco cum Atheniensibus à Minerva; Minos cum Cretensibus ab Apolline; Plato cum Magnesiis & Siculis à Jove. Mahometus cum asseclis ab Archangelo Gabriele. Verùm de hoc argumento dixi paulò antea. Exodi. c. 19. v. 9.

CAP. XX. ℣. 3.

INter leges, populo Hebræo datas, omnibus præponitur veneratio Dei, post quam subjunguntur reverentia erga parentes, qui primùm locum post Deum obtinent. *Non habebis Deos alienos coram me. Non facies tibi sculptile &c. Non assumes nomen Domini Dei tui in vanum. Memento, ut diem Sabbathi sanctifices.* Exod. c. 20. v. 3. &c. postea num. 12. *Honora patrem tuum & matrem tuam &c.* id quod repetitur in Deut. c. 5. v. 7. & 16. 289.

Parentes post Deum venerandi.

Eodem modo egisse videtur Æneas, de quo Virgilius l. 5 Æn v. 747.

Et Jovis imperium, & chari præcepta parentis
Edocet.

Clarius Solon, qui vix dixerat; *Deos honora*; mox subjungit, Parentes reverere. Etiam Menander refert certam quandam legem antiquam quæ obligat filios, ut parentibus suis exhibeant honores quasi divinos; *Lex jubet, parentibus honores, divinis æquales præstare.* Hierocles, celebris Græcus, dicebat; quòd filii debeant paternam domum venerari quasi templum; ubi cum tanta pietate & reverentia vivant, ac si essent Sacerdotes; honorentque & quasi adorent proprios parentes. *Filios existimare debere, se in domo patria, veluti fano quodam æditues, & sacerdotes ab ipsa natura creatos,*

tos, & consecratos esse, ut parentum cultui operam darent. Vide, si lubet, Joannem Stobæum serm. 79. qui in hoc argumentum primas sententias congessit.

CAP. XX. ℣. 3.

290. Quia soli Deo vivo & vero debetur omnis veneratio, honor, & gloria; idcircò expressè prohibetur cultus idolorum, tanquam Deorum fictorum & vanorum, imò detestabilium monstrorum inferni. Unde Exod. c. 20. v. 3. &c. *Non habebis Deos alienos coram me. Non facies tibi sculptile &c. Non adorabis ea, neque coles. &c.* Præceptum hoc innovatur Deut. c. 5. v. 7. &c. Lev. c. 26. v. 1. Jos. 24. v. 14. & Psal. 80. v. 10. *Non erit in te Deus recens, neque adorabis Deum alienum.*

Idola abominanda.

Similem impressionem habuère Gentiles, qui extremam aversionem monstrârunt contra exterarum nationum Deos, ritus, & sacrificia. Unde famosa est lex Romuli: *Deos patrios colunto, externas fabulas aut superstitiones non admiscento.* Similiter Tullius l. 2. de Leg. *Separatim nemo habessit Deos, neve novos, sed ne advenas, nisi publicè adscitos, privatim colunto.* Eundem genium habuit Tiberius, de quo Suetonius num 36. *Externas ceremonias, Ægyptios, Judaicosque ritus compescuit: coactis, qui superstitione eâ tenebantur, religiosas vestes cum instrumento omni comburere &c.*

CAP. XX. ℣. 4.

291. Cùm Judæi ultra modum inclinarent ad idololatriam, & in eo sæculo viverent quod adorationibus brutorum animalium prorsus erat immmersum & contaminatum; idcircò Deus expressè prohibuit, ne formarent simulachra Solis, Lunæ, quadrupedum, volatilium, aut piscium. *Non facies tibi sculptile, neque omnem similitudinem, quæ est in cœlo desuper, & quæ in terra deorsùm, nec eorum quæ sunt in aquis.* Exod. c. 20. v. 4. Præceptum hoc repetitur Deut. c. 4. v. 16. c. 5. v. 8. Lev. c. 26. v. 1. & alibi. Hæc lex non prohibuit Judæis qualemcunque imaginem sculptam aut pictam; sed simpliciter illas, quæ repræsentarent aliquod idolum, & serviret adorationi. Ita docet S. Thomas 3. p. q. 25 art. 3. ad 1. *Non prohiberi illo precepto facere quamcunque sculpturam vel similitudinem, sed facere adorandam.* Id quod longè antea advertit Tertullianus l. 2. Advers. Marcion. cap. 22. ubi ait; *Imagines, habentes diversas causas ab idololatria, ob quam similitudo prohibetur, non videri similitudinum prohibitarum legi refragari.* Ad hanc Judæorum observantiam allusit Corn. Tacitus lib. 5. Hist. quando scripsit; *Ægyptii pleraque animalia, effigiesq; compositas venerantur. Judæi mente sola, unumque numen intelligunt: profanos qui Deûm imagines mortalibus materiis in species hominum effingant. Igitur nulla simulachra urbibus suis, nedum templis sunt.*

Simulachra & imagines prohibentur.

Ab hâc Israelitarum Religione didicerunt Romani, ut multis annis abstinerent à simulachrorum veneratione; uti docet S. Clemens Alexandrinus lib. 1. Strom. *Numa Rex Romanorum erat quidem Pythagoræus; ex iis autem, quæ Moyses tradidit, adjutus, prohibuit Romanis, ne homini aut animali similem Dei facerent imaginem. Cùm itaque centum & septuaginta primis annis templa ædificarent, nullam imaginem, nec effictam, nec depictam fecère.*

CAP. XX. ℣. 5.

292. Ut pervicacia cordis humani, nimiùm quantùm ad offendendum Deum inclinati, retineretur à peccatis & iniquitatibus; minatur Deus, se castigaturum non solùm delinquentes, sed etiam eorum filios ac successores. *Ego sum Dominus Deus tuus fortis, zelotes, visitans iniquitatem patrum in filios, in tertiam & quartam generationem.* Exod. 20. v. 5. id quod repetitur Deut. c. 5. v. 9. Ita ob peccata Pentapolitanorum, etiam infantes in cunis fuère à flammis sulphureis devorati. Gen. 19. ob peccata Heli & suorum filiorum, damnati sunt eorum posteri ad mendicitatem & mortem repentinam. 1. Reg. 2. ob adulterium, à Davide commissum, ipsius infans privatur vitâ. ob culpam quamdam Ezechiæ damnati sunt ipsius posteri, ut Eunuchorum loco servirent in Babylonia. 4. Reg. 20.

Filii puniuntur ob peccata parentum.

Hunc stilum observant leges sæculares in pluribus casibus; si pater per sua delicta offenderit majestatem Principis, etiam innocentes filii subjacent pœnæ. Ita l. ult ff. ad l. Juliam majest. l. ex Judiciorum. ff. de accus. d. l. quisquis cum 2. seq. §. interdum. Instit. de Hæred. quæ ab intest. Id quod etiam in aliis delictis observatur, ut scribit Læl. Mancinus Collatorum l. 1. c. 74. n. 7.

CAP. XX. ℣. 12.

Non solùm arcanus naturæ instinctus, sed etiam lex expressa Dei obligat filios, ut exhibeant omnem reverentiam suis parentibus; promittens huic reverentiæ præmii loco vitam diuturnam. *Honora patrem tuum, & matrem tuam, ut sis longævus super terram.* Exod. 20. v. 12. quod repetitur Deut. c. 5. v. 16. Eccles. c. 3. v. 9 Matth. c. 15. v. 4. Ephes. c. 6. v. 2. & alibi. S. Ambros. benè dixit, *Primus gradus pietatis est iste, ut quos authores tibi voluit esse Deus, honores obsequiis, abstineas contumeliis.* 293.

Parentes honorentur.

Plato lib. 4. de leg ait; *In verbis per totam vitam parentes venerari maximè decet, levium enim, volatiliumque verborum gravissima imminet pœna.* Et quia Deus longam vitam pomittit honorantibus suos parentes; tacitè minatur brevem vitam iis, qui suos parentes malè tractant. Opportunè Plato lib. de leg. *Quod si ita exactè servaverint* (ut eos honorent) *digna à Diis præmia referemus, plurimùm bona cum spe viventes.* A contrario infert Homer. in Iliad. ubi de Hippotoo ita loquitur; *Nec nutricationis vicem reddidit parentibus, & ideò brevis illi contigit vita.* De hac materia vide supra Exod. c. 20. v. 3.

CAP. XX. v. 24.

Cùm Deus Israelitas invitaret ad exercitium pietatis & religionis; id est, ad offerendas victimas & sacrificia; & ut illud possent absque ulla difficultate exequi, jussit, altare, ad hos effectus destinatum, confici ex terra id quod facillimum factu est. *Altare de terra facietis mihi, & offeretis super eo holocausta & pacifica vestra, oves vestras &c.* Exod. c. 20. v. 24. Si Prudentio fides est, hunc morem etiam Christiani in primæva Ecclesia observârunt; ait enim, altaria SS. Petri & Pauli fuisse cespites herbarum ac terræ. 294.

Altare factum ex terra.

Scit Tyberina palus, quæ flumine labitur propinquo
Binis dicatum cespitem trophæis.

Tametsi Romani in supremo apice suæ majestatis habuerint altaria ex pretiosis materiis sumptuosè formata, Olim tamen in sua origine struxerunt altaria ex herbis & terra. ita testatur Tertullianus in Apologet: *Etsi à Numa concepta religio est, nondum tamen aut simulachris, aut templis res divina apud Romanos constabat, & nulla Capitolia cælo certantia, sed temeraria de cespite altaria* Horatius sæpè sub cespitis nomine repræsentat altaria. Ita lib. Carmin. Od. 19.

His

Hic vivum mihi cespitem, hic
Verbenas pueri ponite, thuraque.

Et rursùs lib. 3. Carm. ode. 8.

Quid velint flores, & acerra thuris
Plena, moraris, positusque carbo in
Cespite vivo.

CAP. XXI. ℣. 4.

Filii ancillæ sunt servi.

195. QUando sermo est de mancipiis, comparatis à populo Hebræo, hæc de iis lex sancitur, ut, duxerint uxorem & habuerint filios; tam uxor, quàm filii sint servi sui proprii domini. *Si dominus dederit illi uxorem, & pepererit filios & filias; mulier & liberi ejus erunt domini sui.* Exod. cap 21. v. 4. In hunc locum P. Cornelius à Lapide; *Uxor manebit serva hero, à quo uxor data fuerat servo: Consequenter hero manebunt & proles ejus; partus enim sequitur ventrem, uti habet axioma Juristarum.* Ad hoc propositum acutè S. Isidorus quærit, quales filii sint liberi; & 32. q. 4. cap. ult. respondet; *Liberi dicti, qui ex libero sunt matrimonio orti. Nam filii ex libero & ancilla, servilis conditionis sunt, semper enim qui nascitur, deteriorem partem sumit.*

Quod hac in parte determinant Leges sacræ, accepeant etiam Leges profanæ. Philippus Imperator C. de rei vend. lib. 7. *Partum ancillæ, matris sequi conditionem, nec statum patris in hac specie considerari, explorati juris est.* Et Constant: C. de Liber. can. l. ultim. *Placuit eos, qui nascuntur, matrum conditionibus uti, quarum mox visceribus exponuntur.*

CAP. XXI. ℣. 6.

Aures servis perforatæ.

196. QUoad illos servos, qui voluntarie se offerebant ad obsequia alicujus domini, jussit divina Lex, ut ipsorum aures perforarentur acuto stilo. *Perforabitque aurem ejus subulâ: & erit ei servus in sæculum* Exod. 21. v. 6. Idque vel ideò, ut meminissent, quòd aures, eo modo signatæ, semper debeant esse consecratæ ad mandata domini; sive ut essent obligati ad audiendas ac supportandas à domino injurias ac maledicentias, quæ non minus transfigunt animam, quam stilus ille perforat aurem.

Ritus pungendi, signandi, ac stigmata imprimendi servis, fuit communiter à Gentilibus usurpatus. Valerius Maximus lib. 6. c. 8. num. 7. ait de quodam servo; *Servus inexpiabili litterarum nota per summam oris contumeliam inustus.* Tullius 2. Offic. *Thracem compunctum notis threyciis.* Et si vera esset consideratio Petri Gregorii Syntag. 35. num. 32. quòd servo Hebræorum perforatæ sint aures, ut tanquam servus agnosceretur; multùm ad hoc propositum faceret resolutio Arcadii l. 3. C. de Fabric. lib. 11. *Stigmata, hoc est nota publica Fabricensium brachiis ad imitationem tyronum infligantur, ut hoc modo saltem possint latitantes agnosci.* Et Ulpianus; de serv. fugit. l. 1. §. ult. *Tamdiu autem custodiantur, quamdiu ad præfectum vigilum, vel ad præsidem ducantur, eorumque nomina. & nota &c. ad Magistratus deferantur, ut facilius cognosci, & percipi fugitivi possint.*

CAP. XXI. ℣. 13. & 14.

197. NOnnunquam accidit, ut proximus occidatur absque culpa vel peccato occisoris; & ne in tali casu consanguinei in calore iracundiæ prorumpant in vindictam; Deus providit opportuna asyla, in quibus innocui homicidæ essent ab aliorum violentiis securi. Unde Moses, postquam formaverat hanc Legem; *Qui percusserit hominem, volens occidere, morte moriatur.* subjungit; *Qui autem non est insidiatus, sed Deus illum tradidit in manus ejus; constituam tibi locum, in quem fugere debeat.* Exod. 21. v. 13. hic textus prolixè explicatur Deut: cap. 19. num. 2. &c.

Asylum reorum

Antiquissimus apud profanos fuit usus asylorum. Tale asylum habuere posteri Herculis in Athenis; de quo Statius 12. Theb:

Fama est Herculeos sedem fundâsse nepotes,
Et sacrâsse loco commune animantibus ægris
Confugium.

Cadmus, ædificans Thebas, fabricatus est asylum, ad quod confugientes tam liberi quàm servi, essent ab omni pœna immunes. Romulus illud collocavit in quadam sylva inter Capitolium & suum Palatium. &c. Hist. Ludicr. Balthas. Bonifacii. l. 3. c. 43.

Asylum negatur facinorosis.

Sacra templa, & altaria serviunt instar refugiorum ac immunitatum iis, qui ab inimica potentia sunt offensi ac provocati; non verò aliis, qui studio & temerè committunt delicta; hi enim tali immunitate prorsus sunt indigni. Unde protestatur divina Lex; Exod. 21. v. 14. *Si quis per industriam occiderit proximum suum, & per insidias; ab altari meo avelles illum ut moriatur.*

Huic conformiter statuit Justinianus Imperator, L in fundo. ff. de rei vendicat: Et Novel. 17. de Mandatis Princip: § neque autem. *Neque homicidis, neque adulteris, neque virginum raptoribus sacra ara prosint; sed etiam inde extrahantur. & supplicium eis inferatur. Non enim templorum cautela nocentibus, sed innoxiis datur à lege, nec erit possibile utrumque tueri præsidio locorum, & lædentem, & læsum.*

CAP. XXI. v. 15.

QUemadmodùm Deus promisit diuturnam 198.
vitam iis, qui honorant suos parentes; ita è contrario damnat pœnâ mortis omnes illos, qui ausi fuerint temerarias & sceleratas manus iis inferre. *Qui percusserit patrem suum, aut matrem, morte moriatur.* Exod. c. 21. v. 15. Idque intelligitur, interprete Cornelio à Lapide; *etiam non lethaliter, ob atrocem impietatem in parentem, morte moriatur.* Hanc sententiam ratam habet cap. 20. Levit. v. 9. *Qui maledixerit patri suo, aut matri, morte moriatur.* Et Proverb: c. 20. v. 20. *Qui maledicit patri suo, & matri, extinguetur lucerna ejus in mediis tenebris.*

Pœna capitalis in eos, qui percutiunt parentes.

Etiam Leges sæculares sententiam capitalem decernunt contra parricidas; Modestin: ff. ad l. Pomp: de Parricid. l. 9. ait; *Pœna parricidii, more Majorum, hæc instituta est, ut parricida virgis sanguineis verberatus, deinde culeo insuatur, cum cane, gallo gallinaceo, & vipera, simia, deinde in mare profundum culeus jactatur. Hoc ita, si mare proximum sit; alioquin bestiis objicitur secundum D. Hadriani constitutionem.* Et Constantinus C. de his qui parent: vel liber: occid. l. 1. *Si quis in parentis, aut filii, aut filiæ, aut omninò adfectionis ejus, quæ nuncupatione parricidii continetur, fata præparaverit, sive clam, sive palam id enisus fuerit, pœnâ parricidii puniatur, & neque gladio, neque ignibus, neque ulli alii solemni pompa subjugetur, sed insutus culeo cum cane & gallo gallinaceo, & vipera, & simia, & inter eas ferales angustias comprehensus, serpentiū contu-*

contuberniis misceatur; & ut regionis qualitas tulerit, vel in vicinum mare, vel in amnem projiciatur, ut omni elementorum usu vivus carere incipiat, & ei cœlum superstiti, terra mortuo auferatur.

CAP. XXI. ℣. 16.

298. NOn est venatio detestabilior, quàm si quis astutiæ suæ retibus prædatur homines, eos furando & abstrahendo à suis liberis; vel cogendo ut fiant fugitivi; vel aliis vendendo tanquam mancipia. Hos Juristæ vocant *Plagiarios*, eosque mortis sententia condemnat Moses; Exod. 21. v. 16. *Qui furatus fuerit hominem, & vendiderit eum, convictus noxa, morte moriatur.* Et in Deut: c. 24. v. 7. *Si deprehensus fuerit homo sollicitans fratrem suum de filiis Israël, & vendito eo acceperit pretium, interficiatur.*

Plagiarii occiduntur.

Etiam Leges sæculares decreverunt, his sceleratis certam mulctam pecuniariam; & postea ad metalla damnarunt; & tandem devenerunt ad sententiam capitalem. Diocletianus & Maximianus C. eod. l. 7. *Quoniam servos à plagiariis alienari ex urbe significas, atque ita interdum ingenuos homines, eorum scelere asportari solere perscribis: horum tibi delictorum licentia majore severitate occurrendum esse decernimus. Ac propterea, si quem in hujusmodi facinore deprehendis, capite eum plectere non dubitabis.*

CAP. XXI. ℣. 18.

299. QUia in populo frequentes solent excitari rixæ, quæ cholericos commovent ad percutiendum & vulnerandum proximum; idcircò, ut hæ injuriæ reprimerentur, decernit Lex; quòd percutiens teneatur resarcire expensas, quas occisus in medicos, medicamenta, & damna emergentia fecerit. *Si rixati fuerint viri, & percusserit alter proximum suum lapide vel pugno -- qui percusserit, operas ejus & impensas in medicos restituat.* Exod. c. 21. v. 18.

Percussor tenetur ad damna.

Cajus, celeberrimus Jurisperitus ff. de his qui dejec: vel effud. l. ult. resolvit omninò conformiter ad legem Mosaicam; *Cùm liberi hominis corpus ex eo quod dejectum, effusumve quid erit, læsum fuerit, judex computat mercedes medicis præstitas, cæteraque impendia, quæ in curatione facta sunt, præterea operas, quibus caruit, aut cariturus est ob id, quod inutilis factus est.*

CAP. XXI. ℣. 20.

300. INtolerabilis coram oculis Dei & hominum est illa crudelitas, quam interdum exercent Domini erga pauperes servos; nihil considerando, quòd sint homines, in hoc æquales Dominis, qui eos tractant instar canum, impiè percutiunt, & ex Dominis mutati in carnifices, violenter occidunt. Contra hos decreta est sententia; Exod. 21. v. 20. *Qui percusserit servum suum; vel ancillam virgâ, & mortui fuerint in manibus ejus, criminis reus erit*, id est, *reus homicidii*, ut explicat P. Cornelius à Lapide, *ac consequenter pœna mortis.*

Homicida punitur morte.

Decretis Mosaicis respondent profana. Marcianus ff. ad l. Corn: de Sicar: l. 1. §. 1. *Qui hominem occiderit, punitur, non habita differentia cujus conditionis hominem interemerit.* Justinianus Instit: de his, qui sui vel alien: Jur. sunt. §. *Hoc tempore nullis hominibus, qui sub imperio nostro sunt, licet sine causâ, legibus cognitâ, in servos suos supra modum sævire, nam ex constitutione D. Antonini, qui sine causa servum suum occiderit, non minus puniri jubetur, quam si alienum servum occiderit.*

CAP. XXI. ℣. 23.

NOn est frenum magis potens ad cohibendam aliquorum vitiosam libertatem ac licentiam, quàm si malefactores ad ea ipsa damna ac mala condemnentur, quæ proximo suo intulerunt. Unde Deus disposuit pœnam talionis, descriptam Exodi cap. 21. v. 23. ubi loquens de homicida, ait; *Reddet animam pro anima, oculum pro oculo, dentem pro dente, manum pro manu, pedem pro pede, adustionem pro adustione, vulnus pro vulnere, livorem pro livore.* Eadem Lex repetitur Levit: c. 24. v. 19. *Qui irrogaverit maculam cuilibet civium suorum: sicut fecit, sic fiet ei: fracturam pro fractura: oculum pro oculo, dentem pro dente restituet.* Ita Deut: c. 19. v. 21. Matth. c. 5. 38. &c. quæ Lex, ut ait S. Augustinus l. 22. cont. Faust: c. 25. *Vindictæ & furoris non fomes sed limes est justus.* Nam, ut observat Tertullianus l. 2. cont. Marc. c. 18. *Licentia retributionis, prohibitio erat provocationis.* Hæc tamen Lex intelligi debet cum respectu ad conditionem personarum; cùm clarum sit, quod princeps percutiens subditum, aut Dominus servum, non debeat, vi hujus legis, repercuti. 301.

Pœna talionis.

Aristoteles l. 5. Ethicorum affert decisionem Rhadamanti; *si qua quis fecit injustè, eadem & patiatur.* quam Balduinus ad l. 12. Tabul. 6. his versibus comprehendit;

Si quod quisque facit, idem patiatur & ipse,
Id justum fiet denique judicium.

Inter Leges duodecim Tabularum, uti refert Aulus Gellius lib: 20. c. 1. etiam erat ista; *Si membrum rupit, ni cum eo pacit, talio esto.* Unde canit Hesiodus;

Lex recta est, cùm quis patitur, quod fecerit ipse.

Ita à Legibus sæcularibus damnantur calumniatores ad pœnam delicti, quod iniquè & falsè contra alios sparserunt. l. ult. §. 1. c. de accusat. l. ult. C. de Calumniat. Id quod à Sacris Canonibus approbatur, dum Damasus 2. q. 3. c. 2. ait; *Calumniator, si in accusatione defecerit, talionem recipiat.* Et Hadrianus 2. q. 3. c. 3. *Qui non probaverit quod objecit, pœnam, quam intulerit, ipse patiatur.*

CAP. XXI. ℣. 33.

OPtima ratio persuadet, ut reparetur damnum ab eo, qui illud intulit. Unde Lex decernit Exod. cap. 21 v. 33. *Si quis aperuerit cisternam, & foderit & non operuerit eam, cecideritque bos aut asinus in eam, reddet dominus cisternæ pretium jumentorum.* Hæc cum multis aliis, sunt descriptæ ex Exodo, & translatæ in jus Canonicum, ut apparet ex c. 5. Decretal. lib. 36. de Injuriis & damno dato; cum sint admodum conformes æquitati & rationi naturali. 302.

Damnum resarciat, qui fecit.

Huic simillima est illa Lex Juristarum. Paul. ff. ad l. Aquil. l. 28 *Qui foveas ursorum, cervorumque capiendorum causâ faciunt, si in itineribus fecerunt, eoque aliquid decidit, factumque deterius est, Lege Aquilia obligati sunt. At si in aliis locis, ubi fieri solent, fecerunt, non tenentur.*

CAP. XXII. ℣. 1.

AD cohibendam humanam aviditatem in alterius bona, graves pœnæ à Legibus statutæ sunt in delinquentes. Qui furatur bovem, condemnatus est ad solvendos quinque; qui furatur ovem, ad solvendas quatuor. *Si quæ fura-* 303.

Fur punitur. *furatus fuerit bovem aut ovem, & occiderit vel vendiderit: quinque boves pro uno bove restituet, & quatuor oves pro una ove.* Ad hanc legem respexit David, quando Nathani dixit: *Ovem reddet in quadruplum.* 2. Reg. 12. v. 6. Dum enim quinque boves pro uno solvi jubentur, habitus fuit respectus ad compensanda majora damna, quæ alteri inferuntur; quia bos servit agriculturæ, non autem ovis.

Qui alterius gregem vel armenta damno afficit, à legibus civilibus damnatur ad solvenda interdum quatuor, & interdum duo pro uno. Ita statutum est Instit. De oblig. ex del. § pœna. Ubi simul etiam ista conformitas cum lege divina reperitur, quòd mitius puniatur damnum illatum porcæ vel capræ, quàm majoribus armentis. d. l. 1. § 1. & 2.

CAP. XXII. ỷ. 2. &c.

304. Cum defensio sit *Juris naturæ*, idcirco disponit lex, quòd si quis nocturno tempore occiderit furem, qui portæ aut muros vim intulit ad expilandam domum nullam pœnam sentiat: Fur occisus noctu. quòd si verò illum occiderit interdiu, occisor fit reus mortis. *Si effringens fur domum, sive effodiens fuerit inventus & accepto vulnere mortuus fuerit; percussor non erit reus sanguinis. Quod si orto sole hoc fecerit, homicidium perpetravit, & ipse morietur.* Exod. c. 22. v. 2. &c.

Paucis mutatis resolvitur hæc materia à lege Decemvirali. *Si nox furtum faxit, etiam aliquis occisit, jure cæsus esto interdiu, si se telo defendit, jure cæsus esto.* Ad hoc conformiter Cajus ad l. Aquil. l. Itaque. § 1. *Lex duodecim tabularum furem noctu deprehensum occidere permittit, ut tamen id ipsum cum clamore testificetur. Interdiu autem deprehensum ita permittit occidere, si is se telo defendat, ut tamen æquè cum clamore testificetur.* Aliam limitationem in hoc casu addit Ulpianus ff. ad l. Cornel. de Sicar. l. 9. *Furem nocturnum si quis occiderit, ita demum impunè feret si parcere ei sine periculo suo non potuit.*

CAP. XXII. ỷ. 4.

305. Si fur convictus fuerit, & apud illum reperiatur corpus delicti, videlicet bos, jumentum, vel Furtum punitur. ovis, quam furatus est, condemnatur à lege divina in pœnam ad solvendum duplum. *Si inventum fuerit apud eum quod furatus est, vivens sive bos sive asinus sive ovis: duplum restituet.* Exod. c. 22. v. 4.

Cum statuto Mosaico convenit civile Imprimis in Lege duodecim tabularum scribitur; *Si aderit furto, quod nec manifestum erit, duplione luito.* Et quia hæc lex tangit conditionem furti non manifesti; Justinianus Instit. cod. §. pœna, ita decernit; *Pœna manifesti furti quadrupli est, tam ex servi, quàm ex liberi persona, non manifesti dupli.* Imperatores Diocletianus & Maximianus C. de furt. l. de his; ajunt; *Non ignorat, in quadruplum furti manifesti, nec manifesti verò dupli actionem furti constituta condemnationem formari.*

CAP. XXII. ỷ. 5.

306. Tyrannidem sapit illorum temeritas, qui suas proprias facultates aucturi, alienas malitiosè usurpant; mittuntque jumenta & oves subdolè ad devastandas vicinorum vineas, ut ibi acquirant pascuum & alimenta. Hi à legibus damnantur ad restitutionem in integrum, & ad damnum Qui damnum infert compenset. resarciendum, quod intulerunt. *Si læserit quispiam agrum vel vineam, & dimiserit jumentum suum, ut depascatur aliena: quidquid optimum habuerit in agro suo, vel in vinea, pro damni æstimatione restituet.*

De hoc argumento scribitur in lege Decemvirali; *Si in alieno pecus paverit actio esto* l. quamvis alienum ff. ad l. Aquil: l. qui servandarum. §. ult ff. de Præscript. verb l. 2. & 3. C. de Past. l. 1. Et si ratio suadet, ut resarciatur damnum, à jumento factum contra voluntatem sui domini; longè magis resarciri debebit, quando quadrupes malitiosè in alterius fundum pellitur? Diocletianus C. ad l. ult. *Dei* inquit, *quæ per injuriam depasta contendis, ex sententia legis Aquiliæ agere minimè prohiberis.*

CAP. XXII. ỷ. 6.

Admodùm gravis est calamitas illius, qui labore manuum, & vultus sui sudore coluit agros, ut inde referret fructum; postea verò ex incurii vicini vitio, qui ignem accendit in fascibus stramineis, videt suas messes à prædatricibus flammis consumi. Ille, qui improvidè tulit ignem in alterius damnum, tenetur proximo resarcire damnum. Exodi Lex est c. 22. v. 6. *Si egressus ignis invenerit spinas, & comprehenderit acervos frugum, sive stantes segetes in agris, reddet damnum, qui ignem succenderit.* 307. Incendiarius punitur

Prætereamus nunc pœnas, à Summis Pontificibus in legibus Canonicis contra incendiarios statutas; & pro præsenti sufficiat authoritas celebris Jurisconsulti Pauli de. §. in hâc; ubi scribit; *Si quis in stipulam suam vel spinam, comburendæ ejus causa ignem immiserit, & ulterius evagatus & progressus ignis, alienam segetem vel vineam læserit, requiramus, num imperitiâ ejus, aut negligentiâ id accidit; nam si die ventoso id fecit, culpæ reus est. Nam qui occasionem præstat, damnum fecisse videtur. In eodem crimine est qui non observavit, ne ignis longius procederet. Et, si omnia, quæ oportuit, observavit, vel subita vis venti longius ignem produxit, caret culpâ.*

CAP. XXII. ỷ. 20.

Gravissimum crimen, quod anima sacrilega committere potest, illud est, quando verò Deo aufertur honor, & ad venerandos dæmones convertitur. Proinde in pœnam tantæ impietatis est decreta mors. Exod. 22 v. 20 *Qui immolat Diis occidetur, præterquam Domino soli.* 308. Idololatria punitur morte.

Eadem pœna à Principibus sæcularibus statuta est in eos, qui adoraverint execranda simulachra, & qui fuerint ministri tantæ iniquitatis. Inter alios Valentinus, Marcianus l. penult: ita decernunt; *Nemo venerandi, adorandique animo delubra, quæ olim jam clausa sunt, reseret. Absit à sæculo nostro, infandis execrandisque simulachris honorem pristinum reddi, redemiri sertis templorum impios postes, profanos aris accendi ignes victimas cædi, pateris vina libari, & religionis loco existimari sacrilegium. Si quis autem contra hanc Serenitatis nostræ sanctionem & contra interdicta sanctissimarum veterum constitutionum sacrificia exercere tentaverit, apud publicum Judicem reus tanti facinoris legitimè accusetur, & convictus proscriptionem omnium bonorum suorum, & ultimum supplicium subeat. Conscii etiam criminis, ac ministri sacrificiorum eandem pœnam &c.*

CAP. XXII. ỷ. 26.

Gravissimam molestiam affert paupertas, aliorumq; commiseratione ac solatio dignus est, quisquis hoc morbo corripitur. Unde statuit 309.

Deus, ut si tibi pauper debeat pecunias, discretè, humaniter, patienter cum illo agas, dando ei tempus commodum ad solutionem; neque violenter aut indiscretè ab illo extorqueas. *Si pecuniam mutuam dederis populo meo pauperi, qui habitat tecum, non urgebis eum quasi exactor.* Exod. c. 22. v. 25

Leges Decemvirales minimùm triginta dies assignant debitoribus. *Æris confessi, rebusque judicatis, triginta dies justi sunto, post deinde manus injectio esto.* Constantinus l. 2. C. de exact: tribut: lib 10. mandat; *Nemo carcerem, plumbatorumque verbera, aut pondera, aliaque ab insolentia judicum reperta supplicia in debitorum solutionibus, vel à perversis, vel ab iratis judicibus expavescat. Carcer pœnalium, carcer hominum noxiorum est. &c.*

CAP. XXII. ℣. 26.

310. QUando necessitas coëgerit pauperem, ut pignoris loco dederit vestem aut operimentum, quo indiget contra rigores nocturni frigoris; Lex charitatis persuadeat creditori, ut miserum illud pignus ei ante occasum solis restituat, ut vitam suam miserabilem servare, ac se tueri possit. *Si pignus à proximo tuo acceperis vestimentum* (*operimentum* legit textus Hebræus) *ante solis occasum reddes ei. Ipsum enim est solum quo operitur indumentum carnis ejus. &c.* Exod. c. 22. v. 26.

Operimentum non servetur in pignus

Idipsum docuit doctissimus Ulpianus ff. de Pignor. l. 6. *obligatione generali rerum, quas quis habuit, habiturusque sit, ea non continebuntur, quæ verisimile est, quemquam specialiter obligaturum non fuisse, ut puta supellex, item vestis relinquenda est debitori &c.* Ita Paulus 5 Sent 7. §. 14. *Omnibus bonis, quæ habet, quæque habiturus est, obligatis, nec concubina, nec filius naturalis, nec alumnus, nec ea, quæ in usu quotidiano habet* (qualia utique sunt vestimenta & operimenta) *obligantur &c.*

CAP. XXII. ℣. 28.

311. ADeò desiderat Deus, reverentiam & venerationem exhiberi judicibus, tanquam suis ministris, & subdelegatis in hac terra; ut eos declaret Deos, humana carne coopertos. Unde de iis loquens, jubet Exodi c. 22. v. 28 *Diis non detrahes*, id est, ut ex Hebræo *Elohim* desumitur, *Judices non vilipendes.* Illud ipsum Epitheton dedit judicibus in hoc cap. 22. n. 8. *Dominus domus applicabitur ad Deos.* Et n. 9. *Ad Deos utriusque causa perveniet &c*

Judices sunt Dii.

Idem titulus Deorum & Divorum à Romanis assignatus fuit ad honorandos Principes; qui cognominati sunt; *Divus Octavianus*; *Divus Adrianus*, *Divus Antonius &c.* At Vegetius plurimum confert ad nostrum propositum; *Imperatori*, inquit l. 2. c. 5. *cum Augusti nomen accepit, tanquam præsenti, & corporali Deo fidelis est præstanda devotio, & impendendus pervigil famulatus. Deo enim vel privatus vel militans servit. &c.*

CAP. XXIII. ℣. 1.

312. QUando jubet Deus, ut fugiantur fœdera & amicitia cum sceleratis, hac loquendi forma usus est. *Non jungens manum tuam, ut pro impio dicas falsum testimonium.* Exod. 23. v. 1. id est, uti traducunt septuaginta; *Non consenties cum injusto*, et multo melius Græcus; *Non dispones pactum*; seu ut explicat Pineda in Job c. 9. v. 21. *Non coëant in fœdera dexteræ.* Ad hoc propositum P. Cornelius à Lapide hic, *Non confœderaberis, non associabis te ei.* Sicque alluditur ad ritum in confœderationibus usitatum, ubi unus alteri jungit manum; ad hunc morem reflectit Hieremias Thren: cap. 5. v. 6. *Ægypto dedimus manum, & Assyriis, ut saturaremur pane.*

Date manum pro fœdere.

Quòd Gentiles datis manibus stabiliverint fœdera, omnes Authores consentiunt. Justinus lib. 11. in fine loquens de Dario rege moribundo, scribit; *Unicum pignus fidei regiæ dexteram se ferendam Alexandro dare. Postbac porrecta manu, expiravit.* Statius in 1. Theb:

Iam pariter coëant animorum in pignora dextræ.

Interpres Aristophanis ait; *Mos fuit dextras invicem dare, fidei, & fœderibus formandis.* Et Tullius Phil. 1 exaggerans contra M Antonium; *Dexteræ, quæ fidei testes esse solebant, perfidiâ sunt, & scelere violatæ.*

CAP. XXIII. ℣. 1.

ACtio hominis Christiani indignissima est, in judicio deponere falsum, ut placeat scelerato cuidam amico. Unde Deus expressa commonitione conatur servos suos ab hac iniquitate retrahere; jubetque Exodi c. 23. v. 1. *Non junges manum tuam, ut pro impio dicas falsum testimonium*; id est; *Non confœderaberis, non associabis te ei, ut sis testis iniquitatis & calumniæ*; ut interpretatur Cornelius à Lapide in hunc loc: 313.

Mentiri in judicio.

Quod Deus suos Israelitas docuit hac lege scripta, id barbaris insinuatum est lumine naturæ. Pericles, ab amico rogatus, ut in judicio juraret falsum, respondit teste Plutarcho in Lacon: *Amicum se usque ad aram esse.* Phocion rogatus ab Antipatro, ut aliquid repugnans veritati diceret, respondit; *Non potes, Antipater, Phocionem habere amicum & adulatorem.*

CAP. XXIII. v. 3.

TEnerrimo quidem affectu debemus misereri pauperis, eumque prompte consolari & auxiliis sublevare; ipsius tamen iniquitatem protegere non oportet, quando coram Judice convictus est reus cujusdam sceleris. Id quod innuere voluit Sacer Textus Exodi cap. 23. v. 3. *Pauperis quoque non misereberis in judicio.* In hunc locum P. Cornelius à Lapide ait; *Non proteges pauperem ex præpostera erga eum misericordia in causa injusta, vel cum ipse revera reus est criminis.* 314.

Injustitia non protegatur.

Defectuosa & vitiosa hæc misericordia damnatur etiam à Seneca lib. 2. de Clement: cap. 4. *Ad rem pertinet quærere hoc loco, quid sit misericordia? Plerique enim ut virtutem eam laudant, & bonum hominem vocant misericordem. Hæc autem vitium animi est. Et paulo post; vitare debemus, ne per speciem severitatis in crudelitatem, neve per speciem clementiæ in misericordiam incidamus.* Et cap. 5. *Ergo quemadmodum Religio Deos colit, superstitio violat; ita clementiam, mansuetudinemque omnes boni præstabunt misericordiam autem vitabunt. Est enim vitium pusilli animi, ad speciem alienorum malorum succidentis. Itaque pessimo cuique familiarissima est. Anus & mulierculæ sunt, quæ lachrymis nocentissimorum moventur, quæ si liceret, carcerem effringerent.*

CAP. XXIII. ℣. 8.

NOn est pestilentior lues ad justitiam corrumpendam, quàm munera. Ista obfuscant judici visum, elinguem faciunt caussidico linguam, stupefaciunt Magistratui manus, & in suis operatio- 315.

Munera corrumpunt judices.

operationibus claudicantem, ad præcipitium iniquitatis deducunt. Unde Deus populo suo dilecto ait; *Nec accipias munera, quæ etiam excæcant prudentes, & subvertunt verba justorum.* Exod. cap. 23. v. 8.

Imperatores Gratianus, Valent. & Theodosius C. ad L. Jul. repet. l. 3. Ministros Justitiæ vehementer hortantur; *Omnes cognitores & judices à pecuniis atq; patrimoniis manus abstineant, neq; alienum jurgium putent quam prædam.* Justinianus in Authent: de Mandat: Principum, cùm ministris tribunalium exhiberet solemne juramentum, inquiebat; *Oportet te purè sumentem administrationem, & sine omni suffragio præ omnibus aliis mundas servare Deo, nobisque, & legi manus, & nullum contingere lucrum, neque majus, neq; minus.* Ad hoc propositum Pericles instruit suum collegam Sophoclem, quòd oculi & manus judicis debeant æqualiter ab omni vitio abstinere.

Quòd insuper munera secum afferant corruptelam, docuit Poëta hoc versu:

— — *Vincta est etiam sapientia lucro.*

Et P. Cornelius à Lapide ad hoc propositum affert gratiosum ænigma:

Mutnegra cum murva faciunt rectissima curva.

Qui versus, si legatur ordine retrogrado, vox *mutnegra* significat argentum, & *murva* aurum.

CAP. XXIII. ℣. 9.

316. PRæcepit Deus Israëlitis, ut abstineant ab offendendis pauperibus peregrinis; tum ut commiserеantur ipsorum conditioni, quia in alienis locis constituti, semper pleni sunt timore, verecundia, suspicione, & mœrore; tum ut reminiscantur, quòd etiam ipsi fuerint in terra Ægypti ac in deserto peregrini; cùm non sit potentius medium ad commiserationem alienæ calamitatis, quàm si recordemur nostrarum miseriarum. *Peregrino molestus non eris, scitis enim advenarum animas: quia & ipsi peregrini fuistis in terra Ægypti.* Exod. c. 23. v. 9.

Peregrinorum misereri.

Regina Dido à Virgilio repræsentatur invitans Trojanos in suam regiam; eò quòd & ipsa sustinuisset similes miserias, quibus nunc onerati essent. Proinde ipsorum miserta, dicebat;

Quare agite, ò tectis juvenes succedite nostris!
Me quoque per multos similis fortuna labores
Jactatam, hâc demum voluit consistere terrâ.
Non ignara mali miseris succurrere disco.

Haud aliter Sophocles in Antigono; *audiam; malorum ipsa sciens.*

CAP. XXIII. ℣. 13.

317. SIcuti Deus jurat per se ipsum; *Per memetipsum juravi, dicit Dominus.* Ita homo jurat per majorem se. *Homines enim per majorem sui jurant.* Hebr. 6. v. 16. Unde ille ipse Deus, prohibens sacrificare Diis Gentilium. Exod. 22. v. 20. nullo modo permittit, ut juremus in iis, aut per eos; cùm idem sit, jurare per Deos, quàm illos æstimare, servire, timere & adhærere; utpote quòd illos invocemus in testimonium nostrarum operationum. Hæc omnia simul sumpta exponuntur in Deuteronomio cap. 6. v. 13. *Dominum Deum tuum timebis, & illi soli servies, ac per nomen illius jurabis.* Cùm ergo perspectum sit, quòd servi Dei nihil prorsus commercii habeant cum falsis Diis; idcircò jubet Deus, ut nullo modo juremus in ipsorum nomine. *Per nomen externorum Deorum non jurabitis, & neq; audietur ex ore vestro.* Exod. 23. v. 13.

Juramentum per Deos est prohibitum.

Etiam Gentiles abominati sunt juramenta, exterarum nationum nominibus facta; illaque declaraverunt invalida & nulla. Ulpianus ff. de Jurejur. l. non erit §. 3. *Sed si quis illicitum jusjurandum detulerit, scilicet, improbatæ publicè religionis: videamus, an pro eo habeatur, atq; si juratum non esset, quod magis existimo dicendum.*

CAP. XXIII. ℣. 15.

UT Deo, tanquam supremo Domino, sua tribuatur gratitudo, ac justum tributum pendatur; simulque etiam ministris ipsius opportunè provisum sit; jubet lex, ne quisquam Deum veneretur in tabernaculo vel templo, qui non afferat aliquod munus seu oblationem. *Non apparebis in conspectu meo vacuus* Exod. 23. v. 15. innovatum est hoc præceptum Exod. cap. 34. num. 20. 318.

Munera ferantur ad templum.

Quod Deus jusserat suos fideles; prætendebant Gentiles à suis subditis, quos ad se venturos obligabant, ut manus afferrent onustas muneribus. *Lege apud Persas sancitum est,* inquit Cælius Rhodiginius l. 13. c. 16. *Servatum quoq; pertinacissimè ut quandocumq; in Persas pergat Rex: pro facultate unusquisq; cum muneribus, quæ donaria dici valent, aut adventitia salutatum eat.* Unde Ælianus de Var. Hist. lib. 1. c. 32. de certo quodam paupere rustico refert, quòd Artaxerxi, Memnoni cognomine, obviàm venerit; & cum ei ex legis constitutione deberet afferre munus, aliud non habuit, nisi aquam in patera, suis manibus foris ex vicino flumine haustam. Seneca Epist. 17. ait; *Reges Parthos non potest quisquam salutare sine munere.*

CAP. XXIII. ℣. 19.

NOn solùm primogeniti erant reservati ac consecrati Deo; sed etiam primitiæ fructuum, quos vel terra producebat; vel in arboribus maturescebant. *Primitias frugum terræ tuæ deferes in domum Domini Dei tui.* Exod. c. 23. v. 19. Repetitur hoc præceptum Exod. 34. v. 22. & 26. Levit. 23. v. 10. c. 25. v. 5. & n. 11. Deut. c. 18. v. 14. & c. 26. v. 10. 2. Esd. c. 10. v. 39. Prov. c. 3. v. 9. & alibi. 319.

Primitiæ debitæ Deo.

Hunc morem etiam observârunt Gentiles, qui falsis Diis offerebant primitias fructuum. Capenates, teste Livio lib. 6. ad lucum Deæ Feroniæ tulerunt primitias fructuum. Græci, referente Pausania, illas dabant Apollini. Plinius, deprædicans pietatem Romanorum lib. 18. c. 2. ait: *Non degustabant novas fruges aut vina, antequam sacerdotes primitias libâssent.* Ovidius l. 2. Fast. de Romanis canit;

Farra tamen veteres jaciebant, farra metebant,
Primitias Cereri farra resecta dabant.

Et lib. 10. Metam. de hoc ipso ritu;

Festa piæ Cereris celebrabant annua matres,
Illa quibus nivea velata corpora veste
Primitias frugum dant.

Qui plura de hac eruditione desiderat, consulat Tiraquellium Præfat. de jure primog. n. 69. ubi illam prolixè tractat.

CAP. XXIII. ℣. 28.

310. NOnnunquam fortiores & magis bellicosæ nationes vincuntur & ad internecionem delentur à parvulis & vilissimis animalculis; sive ut magis resplendeat potentia Dei; sive ut magis confundatur audacia hominum. Tametsi populi Chananæi seu Palæstinæ fuerint statura gigantes, & formidandæ fortitudinis; Deus tamen, immissis crabronibus & vespis, illos omnes coëgit ad fugam & confusionem. *Cunctorum inimicorum tuorum coram te terga vertam*; inquiebat Deus ad populum Hebræum Exod. c. 23. v. 27. *emittens crabrones prius, qui fugabant Hevæum & Chananeum, & Hethæum, antequam introeas.* Idipsum refertur in libro Josuæ c. ult. v. 12. Et Sapient. c. 12. v. 8. *Misisti antecessores exercitus tui vespas, ut illos* (Chananæos) *paulatim exterminarent.*

Crabrones & vespæ exterminant populos.

Idipsum scribitur accidisse aliis nationibus. *Phaselitas vespæ fugârunt*, inquit Ælianus de Hist. Animal. l. 11. c. 28. De Sapore Persarum Rege scribit Theodoretus lib. 2. cap. 30. quòd ad solvendam obsidionem civitatis Nisibis, aliâs cognominatæ Antiochiæ Mygdoniæ, coactus fuerit ob molestiam crabronum, vesparum, & culicum, qui equos & elephantes infestabant; tametsi civitatem jam septuaginta dierum spatio cum ingenti exercitu oppugnâsset. Ita Anno 1637. exercitus Gallorum, infestans Lombardiam, tantas molestias à vespis & tabanis perpessus fuit, ut, cùm ipsis resistere non posset, debuerit è confiniis Mediolanensibus cedere, ubi aliquot septimanis morabatur.

CAP. XXV. ℣. 10.

311. CUm ageretur de conficienda arca testamenti, quæ servire deberet instar currûs aut throni, è quo Deus audiret, exaudiret, consolaretur, & beneficiis afficeret populum Israëliticum; expressè mandabatur, ut compingatur ex lignis, quæ vocantur Setim. Exodi cap. 25. v. 10. *Arcam de lignis Setim compingite.* Erant autem hæc ligna non ex Cedro, ut credebant aliqui Rabbini; sed habebant similitudinem spinæ albæ, ut ait S. Hieronymus in cap. 41. Isaiæ. Præ omnibus autem, ut advertunt septuaginta, erat lignum incorruptibile, & imputrescibile; ut per eam ligni incorruptibilitatem repræsentaretur indeficiens æternitas Dei, qui in arca adorabatur.

Arca ex lignis imputribilibus.

Eadem consideratione videntur usi Gentiles; cùm enim statuas & colossos falsorum Deorum elaborare ac erigere vellent, solebant cedros & cupressos, tanquam ligna imputribilia, eligere; de quibus Plinius lib. 13. cap. 5. *Simulachra Deorum ex Cedro factitârunt.*

CAP. XXV. ℣. 40.

312. DEtinuit Deus Mosen in fastigio montis per quadraginta dierum spatium, ubi viva voce & quadam visibili ideâ ei repræsentavit formam candelabri, tabernaculi, mensæ, & aliorum complurium utensilium, quæ elaborari & applicari debebant ad servitutem & obsequium ipsius Dei; Unde postea ei dixit; *Inspice, & fac secundùm exemplar, quod tibi in monte monstratum est.* Exod. 25. v. 40. ubi textus Hebraicus exprimit; *Fac secundùm exemplar eorum &c.*

Ideæ utensilium sacrorum.

S. P. Justinus Martyr Orat. parænet. ad Gentes, paulò ante finem, opinatur, quòd Plato, sicuti ex libris Mosis multa descripsit, suisque Dialogis inseruit; ita etiam ex hoc loco Exodi desumpserit opinionem de Ideis, quas prolixè & copiosè in suis libris tractat.

Ideæ Platonis.

CAP. XXVII. ℣. 21.

IN tabernaculo Dei semper debebat ardere lucerna; ut infinitum lumen cum splendore 313.
artificialis luminis honoraretur. Unde scriptum est Exodi c. 27. v. 21. *Ardeat lucerna semper in tabernaculo testimonii.* Semper etiam supra altare debebat ardere ignis, ut nunquam deesset devotis occasio ad offerendas victimas & holocausta summo Deo. *Ignis in altari meo semper ardebit.* Levit. cap. 6. v. 12.

Lucerna ardens in templo.

Alexander ab Alexandro lib. 5. cap. 12. refert multas nationes, quæ solebant in templis idolorum nutrire æternos ignes. In provinciis Athenarum erat templum, *in quo virgines assiduè degere, & lychnum inextincti luminis, ac Palladium existere mulierum opinio fuit.* In ipsa civitate Athenarum reperiebatur ad honorem Minervæ lucerna accensa, quæ tantum infusi olei continebat, ut sufficeret per integrum annum. Romæ Numa Pompilius instituit Virgines Vestales, quarum officium erat, conservare in templo Deæ Vestæ ignem, quem vocabant æternum. Alias eruditiones affert idem Author, quas hic prætereo.

CAP. XXVIII. ℣. 21.

SUmmus sacerdos Hebræus ante pectus gere- 314.
bat pretiosum cymelium, distinctum duodecim insignibus gemmis, quarum singulæ incisum habebant nomen alicujus tribus. De his gemmis scribitur Exodi c. 28. v. 21. *Habebuntque nomina filiorum Israël: duodecim nominibus cælabuntur singuli lapides nominibus singulorum per duodecim tribus.* Ad hanc scripturam reflectens Hieronymus Pradus in cap. 1. Ezechielis, opinatur, illa duodecim nomina fuisse scripta & expressa, non quidem litteris, sed imaginibus ac signis, quæ denotabant tribus; fuisseque characteres Ægyptios, id est symbola; non verò litteras, ad formanda nomina propria formatas. Unde eo prorsus modo, quo nobiles familiæ se mundo cognoscendas præbent in sculptis sigillis per aquilam, serpentem, leonem, turrem &c. ita in illis gemmis sculptus leo significabat tribum Juda; aquila tribum Dan; bos tribum Ephraim; caput humanum tribum Ruben. &c. firmitatem accipit hæc sententia ex libro sapientiæ c. 18. n. 24. *Parentum magnalia in quatuor ordinibus lapidum erant insculpta.* Nam ubi nos dicimus, *magnalia*; vox Græca propriè significat *gesta gloriosa, trophæa insignia.*

Emblemata loco litterarum.

Præsuppositâ hac interpretatione, in rem præsentem non absimilis est aurea phiala, quam Cicero Diis consecraverat. Illa enim habebat ipsius nomen distinctis characteribus incisum; & simul cognomen Ciceronis emblematicè explicatum cum figura ciceris; quod pro sigillo ac insigni suæ familiæ habebat.

CAP.

CAP. XXVIII. ỳ. 30.

325. Cum summus Pontifex esset Princeps ac supremus judex populi Hebræi, debebat in cymelio, quod ex catenulis aureis ante pectus pendebat, portare veritatem & doctrinam. Hæc enim propriissima attributa sunt boni regiminis. *Pones autem in rationali judicii doctrinam & veritatem, quæ erunt in pectore Aaron, quando ingredietur coram Domino: & gestabit judicium filiorum Israël in pectore suo.* Exod. c. 28. v. 30.

Veritas ornamentum Principis.

Si à ritibus Judaicis progrediamur ad Ægyptios; debebat Princeps omnium judicum esse donatus exquisitissima bonitate ac virtute. *Eum omnium hominum esse justissimum & sincerissimum oportebat;* inquit Ælianus de Var. Hist. lib. 14. cap. 34. *qui circa collum imaginem ex saphiro gemmâ confectum gestabat, quæ vocabatur veritas.* Et concludit; *Ego verò judicem non tam in lapide sculptam aut expressam veritatem circumferre, quam in animo, menteque insitam & infixam habere velim.* Similiter Diodorus lib. 2. cap. 1. ait, quòd in atrio sepulchri, fabricati ad honorem Simandii, Regis Ægyptiorum, viderit *triginta ligneas judicum statuas, positas, & in medio judicandi Principem, cujus è collo suspensa veritas penderet.* Et subjungit; *Has imagines præ se ferebant, judices integros esse debere, Prætorem solam respicere veritatem.*

Veritas propria judiciis.

CAP. XXVIII. ỳ. 36.

326. Ut summus Pontifex digne propinquaret sacris altaribus, inter alia ornamenta, quibus indutus erat, supra caput tenebat tiaram, lamina aurea distinctam, cui erat incisum nomen Dei, imminebatque ipsius fronti. Ita Exodi c. 28. v. 36. *Facies & laminam de auro purissimo: in qua sculpes opere cælatoris, sanctum Domino. Ligabisque eam vittâ hyacinthinâ & erit super tiaram imminens fronti Pontificis.* Sicque offerebat victimas & sacrificia, stans cooperto capite.

Sacerdotes ministrabant cooperto capite.

Etiam Gentiles solebant cooperto capite venerari sua numina. Plautus in Curcul:

Quis hic est, qui operto capite Æsculapium salutat?

Pausanias in Eliacis; *Foris Sosipolis colitur, neque ad eum aditus patet cuipiam, præterquam uni illi sacrificulæ, quæ capite & facie candido textili velata, ad numinis simulachrum accedit.* Servius l. 3. Æneid. *Sciendum est, sacrificantes Diis omnibus caput velare consuetos, ob hoc ne se inter Religionem aliquid vagis offerret obtutibus, excepto tantùm Saturno, ne numinis imitatio esse videretur.* Et Alexander ab Alexandro lib. 2. c. 22. in fine. *Quàm in reliquis sacris, qui rem divinam facit, veteri instituto capite velato immolet — Saturno tamen sacra facientes, velut veritatis cultori, capite aperto immolant, & invelato.* Vide Plutarch quæst. Roman.

CAP. XXX. ỳ. 1.

327. Magnoperè placuit Deo, quando inter fragrantia thymiamata & incendia, à fidelibus ad ipsum honorandum oblata, simul è cordibus evaporaverunt pietas & devotio, in suavibus illis suffumigationibus designatæ. Oblationem hujus exquisiti aromatis solebant facere supra altare separatum, de quo Exodi c. 30. v. 1. *Facies quoq; altare ad adolendum thymiama.* & mox subjungitur v. 7. *Et adolebit incensum super eo aaron.*

Aromata oblata Deo.

Conveniunt omnes nationes, ut actus religionis peragant inter odores exquisitorum aromatum. Unde Poëtæ sub verbis, *Thuris honores,* intelligunt honores divinos. Athenæus lib. 12. cap. 1. loquens de veneratione Veneris, adducit aliquos versus Empedoclis;

Quam sacris statuis placabant, animalium
Picturis, unguentis varia spirantibus,
Sincera myrrha suffitu, ac thuris suaviter olentis,
Effuso in pavimentum melle flavo libantes.

Similiter Philostratus lib. 2. Iconum, agens de Venere; *Visne aliquid de ara dicamus: satis enim thuris, casiæque, ac myrrhæ habet.* Ita Alexander Magnus in ætate juvenili ad honorem Deorum supra altaria sparserat tantam quantitatem thuris in flammas, ut ipsum Leonidas pædagogus reprehenderit. Quòd Pagani in suis sacrificiis usi fuerint thure, prolixè ostendit Arnobius l. 7. contra Gentes; idque etiam attingunt Tertullianus Apologet. c. 30. Et Prudentius Carm. de S. Romano Martyre.

CAP. XXX. ỳ. 12.

Quotiescumque numerabatur populus Hebræus; sive id factum fuerit ex mandato divino, sive ex aliqua emergenti necessitate, sive occasione belli &c. Ordinavit lex, ut quilibet offerret Deo medium siclum, seu quintam partem scuti, id est, regalis; ita ut hæc pecunia serviret ad agnoscendum Deum, tanquam Dominum nostræ vitæ, qui tali modo fit obligatus nos defendere à flagellis pestis & aliorum malorum. *Quando tuleris summam filiorum Israël juxta numerum, dabunt singuli pretium pro animabus suis Domino, & non erit plaga in eis, cùm fuerint recensiti. &c.* Exod. 30. v. 12. Hujus exactionis fit mentio apud Matth. c. 17. v. 32. Quando exprobrârunt S. Petro; *Magister vester non solvit didrachma.* Et rursus. *Ostendite mihi numisma census.* Matth. 22. v. 19. 328.

Medius siclus solvitur Deo in tributum.

Quod Deus instituit ad suum honorem, amplexi sunt Principes terreni pro suo lucro; Unde etsi templum esset destructum, Hierosolymæ desolatæ, & Judæi per omnes partes dispersi; Vespasianus tamen jussit, ut singulis annis ad ærarium Romanum mitteretur sacrum illud tributum, quod olim pendebant templo Hierosolymitano. Et, uti scribit Josephus l. 7. de Bello Judaic. cap. 27. *Stipendium Judæis, ubicumq; degerent, indixit; binasq; drachmas singulis annis deferre in Capitolium jussit, ita ut antè has Hierosolymis templo pendebant.*

CAP. XXX. ỳ. 13.

Quando numerabatur populus, debebat unusquisque, qui vigesimum ætatis annum excesserat, solvere medium siclum. Jubet autem lex, ut ille sit justi ponderis, conformiter ad illud, quod asservabatur in templo. Proinde in templo & sanctuario, veluti in loco inviolabili, servabatur siclus justi ponderis, ad cujus bilancem ponebantur alii, ne haberetur occasio, pondus monetæ abradendi ac diminuendi. In hunc sensum loquitur textus Exodi c. 30. v. 13. *Hoc autem dabit omnis, qui transit ad nomen, dimidium sicli juxta mensuram templi.* Ita Levit. 27. v. 25. *Omnis æstimatio siclo sanctuarii ponderabitur.* Et Num. c. 3. 47. *Accipies quinque siclos per singula capita ad mensuram sanctuarii.* 329.

Pondus sanctuarii in templo.

Etiam

Etiam Romani aſſervabant menſuram pedis, veluti juſtiſſimam, ad menſurandas & reformandas omnes alias. Aſſervabant quoque in Capitolio amphoram juſtæ menſuræ, veluti normam & methodum aliarum; de quibus Priſcianus;

Amphora ſit, cujus vim, ne violare liceret,
Sacravêre Jovi Tarpejo in monte Quirites.

Similiter Juſtinianus ſtatuit, ut in principalioribus locis aſſervarentur pondera & menſuræ juſtiſſimæ perfectionis; ſicque in Eccleſia, loco Deo conſecrato, qui eſt ſumma veritas, præſervarentur ab omni corruptela, fraude, & alteratione. Unde Auth. de collat. §. Eos autem; ait: *Si autem collatores putant gravari ſe, ſive in ponderibus, ſive in menſuris, habeant licentiam ſpecierum quidem menſuras, ac pondera à glorioſiſſimis præfectis: Auri verò & argenti, & reliquorum metallorum pondera à glorioſiſſimo per tempora comite ſacrarum largitionum accipere, & has menſuras & pondera in ſanctiſſima unius. uiusq; civitatis Eccleſia ſervari, ut ſecundum ea & gravamen collatorum & Fiſcalium illatio, & militares, & alia expenſæ fiant.*

CAP. XXX. ℣. 18.

330. DUâbus vicibus unius diei, videlicet in ſacrificiis matutinis & veſpertinis, ſacerdotes miniſtrabant in tabernaculo Dei; antequàm verò accingerentur ad miniſterium ſacrum, debebant reverentiæ ac munditiei cauſa ſingulis vicibus lavare manus & pedes in vaſe æneo, quod plenum aquis ſtabat inter tabernaculum & altare. *Facies & labrum aneum cum baſi ſua ad lavandum: ponesq; illud inter tabernaculum teſtimonii & altare, & miſſa aqua, lavabunt in ea Aaron, & filii ejus manus ſuas, ac pedes, quando ingreſſuri ſunt tabernaculum.* Exod. 30. v. 18.

Lavacra ad ſacrificandum.

Ante oblationem ſacrificii aut alium quemcumque adorationis actum ſolebant Gentiles lavari. Æneas, priuſquam ad cœlum ſuas preces funderet; Æneid. l. 4. v. 69.

— *Ritè cavis undam de flumine palmis*
Suſtulit, ac tales effudit ad æthera voces.

Idem apud Virgil. l. 9. Æn. v. 22. loquens Turno;

- - - *Ad undam*
Proceſſit: ſummoque hauſit de gurgite lymphas,
Multa Deos orans.

Nonnus lib. 29.

Aquâ manus luſtra, & precare matrem terram.

Homerus lib. 9. Iliad.

Ferte autem manibus aquam, & linguis favere jubete,
Ut Jovi Saturnio ſupplicemus, ſi miſereatur.

Euripides idipſum teſtatur,

- - - *puro rore.*
Abluti, pergite in templum

Nos, priuſquam Deo offeramus ſacrificia aut preces, lavemus non quidem manus, ſed animas ac corda; ne in nos deriventur querelæ, à Philone contra Hebræos factæ. *Corpora quidem abluuntur lavacris & purificationibus, affectiones verò animæ, quibus vita ſordidatur, nec volunt, nec curant eluere.*

Thymiama, præter alia aromata etiam componitur ex myrrha & thure, ita ut utrumque prohibitum ſit ad uſus humanos adhibere, cùm ſit reſervatum unicè ad ſervitutem & obſequium Dei. *Sume tibi aromata, ſtacten* (id eſt, myrrham) *& onycha, galbanum boni odoris, & thus lucidiſſimum, faciesque thymiama; Talem compoſitionem non facietis in uſus veſtros, quia ſanctum eſt Domino.* Exod. 30. v. 34.

Myrrha & thus reſervantur Deo.

Tametſi Gentiles antiquis ſæculis in obſequio ſuorum idolorum uſi fuerint farre, & certâ parvâ quantitate ſalis; Poſtea tamen ad ipſorum honorem ſolummodò thus & myrrha adhibebantur; uti Ovidius lib. 1. Faſt. clarè docet.

Antè Deos homini quod conciliare valeret,
Far erat, & puri lucida mica ſalis.
Nondum pertulerat lachrymatas cortice myrrhas
Acta per æquoreas hoſpita navis aquas.
Thura nec Euphrates, nec miſerat India coſtum &c.

In hoc argumentum vide ſuprà num. 327.

CAP. XXX. ℣. 37.

POſtquam Deus ordinavit, ut ex certis pretioſis aromatibus componeretur thymiama, quod ſervire deberet unicè ad ſervitia Religionis & templi; rigoroſè prætereà prohibuit, ut nemo illo uteretur ad uſus mundanos; idque ſub pœna mortis. Exod. 30. v. 37. *Talem compoſitionem non facietis in uſus veſtros. quia ſanctum eſt Domino. Homo, quicumq; fecerit ſimile, ut odore illius perfruatur, peribit de populis ſuis.* Et hoc fecit non ſolùm, ne res ſacræ vileſcerent, & miniſterium ſacerdotale amitteret reverentiam & æſtimationem; ſed, ut dicit P. Cornelius à Lapide, *voluit eos* hàc prohibitione *mollitiem unctionis dedocere.* Re ipſa enim odorum fragrantia tam hominibus prudentibus, quàm ſervis Dei prorſus indigna eſt. 331.

Odores indigni Chriſtiano.

Hanc veritatem approbârunt Gentiles; Unde Socrates ſolebat dicere; *Unguenta fœminis relinquenda; in juvenibus nullum unguentum melius olere, quàm oleum, quo in palæſtra utebantur.* Athenæus de Socrate ſcripſit; lib. 13. *Unguentorum hujuſmodi uſum improbavit, cùm & Legulator Solon, neque viro artem talem exercere permittat.* Seneca Natur. quæſt. lib. 4. c. 13. ait: *Unguentarios Lacedæmonii urbe expulerunt.* Et de Veſpaſiano refert Suetonius in vita num. 8. *Adoleſcentulum fragrantem unguento, cùm ſibi pro impetrata præfectura gratias ageret, nutu aſpernatus, voce etiam graviſſima increpuit: maluiſſem allium oboluiſſe;* ſimulque ei abſtulit patentes litteras, quas pro eo formaverat.

CAP. XXXII. ℣. 2.

QUando populus Hebræus tumultuario furore ab Aarone petiit, ut funderet idolum; ipſe ad refrenandam tantam temeritatem, dixit; neceſſarium eſſe, ut uxores, filii, & filiæ ſpolientur inauribus aureis, quibus capita ſua ornabant, ut ex iis tanto decentius formari poſſet ſimulachrum. Credebat enim Aaron, ob extremam avaritiam retentum iri populum à tanto peccato. *Tollite inaures aureas de uxorum, filiorumq; & filiarum veſtrarum auribus, & afferte ad me.* Exod. c. 32. v. 2. Ex hoc textu manifeſtè colligitur, quòd non ſolùm fœminæ, ſed etiam viri portaverint 332.

Inaures portatæ à viris.

verint

verint inaures. Confirmatur hæc veritas in Lib. Judic. c. 8. v. 25. ubi Gedeon à suis Israëlitis repetiit inaures, quas deprædati sunt ab Ismaëlitis. Adeoque Hebræi, Saraceni, & Ismaelitæ antiquitus portârunt hæc ornamenta.

Etiam Romani portârunt inaures. Unde Plinius; lib. 9. c. 35. *Parùm fuerat in gulas condi maria, nisi manibus, auribus, capite, totoque corpore à fœminis juxtà, virisq; gestarentur.* reprehenditque eos, qui pretiosis margaritis onerabantur. Illas etiam portârunt populi Lybiæ, ut scribit Macrobius Saturnal. l. 7. c. 3. *Octavius Lybiis oriundus dicebatur, quibus mos est aurem forare.* idque ad sustinendas inaures. Easdem portârunt Græci; unde Lucifer Calaritanus, Constantino Imperatori loquens, ait; *Debemus vereri Regni tui diadema. inaurem etiam, & dextrocheria.* Idem testatur Petronius Arbiter Satyr. c. 62. de populis Arabiæ; Curtius de Indis; Tertullianus de Gothis. &c.

Sicuti fœminæ illæ Hebrææ, non attentâ naturali vanitate, ambitione, & avaritia, contribuerunt suas inaures, ut iniquitati servire, & execrabile idolum acquirere possent; ita Domicellæ Angliæ, instigantibus ministris Puritanis, prompte obtulerunt aurum, unde exinde conflari posset exercitus perduellium ad exterminandam domum Caroli Stuarti ex legitima possessione illius Regni. Majolinus Bisaccione l. 2. Guerre Civili d'Inghilterra.

CAP. XXXII. ỳ. 4.

333. UT Aaron placeret Israëlitis, volentibus idolum, formavit ex auro liquefacto simulachrum vituli, illudque altari impositum, publicæ venerationi sacrilegè exposuit. *Formavit opere fusorio, & fecit ex eis* (inauribus) *vitulum conflatilem, dixeruntque; Hi sunt Dii tui Israël. &c.* Exod. 32. v. 4. Simili modo ex auro fusi erant vituli, quos Jeroboamus posuit in Bethel & Dan, quando in Judea introduxit superstitionem & idololatriam.

Hebræi adorant vitulum.

Israëlitæ adorârunt vitulum; at Ægyptii bovem, quem vocârunt Apidem seu Serapidem; de quo scribunt S. Clemens l. 6. Constitut. 20. Lactantius Firmianus lib. 4. cap. 10. Et Alexander ab Alexandro l. 6. Dierum Genial. cap. 2. Unde populus Hebræus in vitiosa Ægyptiorum schola didicit illas abominationes; nec potuit non contrahere spurcas has maculas, qui tantorum annorum spatio volvebatur in luto.

CAP. XXXII. ỳ. 6.

334. POstquam populus Hebræus sacrilegas suas victimas & holocausta obtulit simulachro, quod habebat similitudinem vituli; contulit se ad lauta convivia & postea ad symphonias, cantus & choreas. Exod. 32. v. 6. *Obtulerunt holocausta, & hostias pacificas, & sedit populus manducare, & bibere, & surrexerunt ludere*; id est, cantare & saltare. Unde Moses dicebat; Exodi 32. v. 18. *Vocem cantantium ego audio*; & postea subjungitur; *Vidit vitulum & choros.*

Convivia finiuntur in choreas & cantus.

Quòd cantus, saltus, & choreæ succedant ac jungantur crapulis & conviviis, manifestum est ex libris profanis. Homerus lib. 2. Odyss. postquam descripsit convivium, ab amantibus Penelopes factum; subjungit,

Postquam potus & esca desiderium exemerint
Proci, ipsis verò alia in mente curæ erant,
Cantus, saltatioque, hæc enim sunt ornamenta convivii.

Seu ut traducit Andreas Justinopolitanus;

— *Hæc enim appendices sunt convivii.*

Apud Homerum lib. 3. Odyss. Ulyssi dicit Alcinous;

Semper nobis convivium gratum est, cytharaque, choreaque,
Vestesque mutatoria, balneaque calida, & lubilia,
Sed agite Phæacum saltatores, quicumque optimi
Tripudiate. &c.

CAP. XXXII. ỳ. 6.

QUando sacræ litteræ narrant, quòd populus Hebræus, postquam lautè saturatus erat, contulerit se ad ludum; *Surrexit populus manducare & bibere, & surrexerunt ludere.* Exod. c. 32. v. 6. Rabbini in hoc verbo *ludere* intelligunt *fornicari.* Hæc interpretatio etiam placet Tertulliano, qui lib. de jejunio considerans hæc verba; *Surrexerunt ludere*: commentatur; *Intellige sacra scriptura verecundiam, lusum nisi impudicum non denotâsse.* 335.

Libido succedit crapulæ.

Adeoque crapula & ebrietas sunt dispositiones proximæ ad impuritatem sensuum & carnis. Et ubicumque receptus est Bacchus, ibi sine fronte propinquat Venus. In hoc argumentum non ingrata est gradatio Epicarmi apud Athenæum lib. 2. *Ex sacrificio epulum, ex epulo facta est potatio, ex potatione comus, ex como ludus, ex ludo judicium, ex judicio condemnatio.* Apprimè ad propositum nostrum facit hic discursus. Nam etiam Hebræi se contulerunt à sacrificio ad crapulam, à crapula ad ebrietatem, ab ebrietate ad dissolutionem ludorum. Post hos subjacuêre judicio, dum à Moyse & Levitis fuêre trucidata viginti tria millia hominum.

CAP. XXXII. ỳ. 10.

PRovocatus Deus ab apostasia populi, adorantis vitulum; ex justa indignatione decrevit, severas vindictas sumere. Prius tamen ad Mosen conversus, ei dixit; *Dimitte me, ut irascatur furor meus contra eos.* Exod. 32. v. 10. Verba hæc multæ considerationis sunt dignissima. Quod si Deus voluerit justè irasci, & castigare illos impios, cur illud revelavit Mosi, quasi sese interponenti ad ipsum impediendum? Multa responsa afferunt Interpretes; pro præsenti tamen ait Cornelius à Lapide; *Voluit hic nos docere Deus, ut in ira nihil præcipitanter agamus, sed sinamus eam subsidere*; ac quietè & cum consilio procedamus. Unde S. Cyprianus Epist. 12. *Justum judicium Dei esse*, dicebat, *quia serum est, quia multùm, diuq; differtur, ut homini ad vitam longâ Dei patientia consulatur.* 336.

Tarditas in irascendo.

Plutarchus in Apopht. Roman. refert, quod Atenodorus, senio confectus, cùm ex Octaviani servitio discederet, ei hanc doctrinam reliquerit; *Cùm irasceris, Auguste, nihil antè vel dixeris, vel feceris, quam tecum viginti quatuor litterarum elementa repetieris.* Augustus ultra modum hac efficaci in-

instructione gavisus, ipsius manum prehendit, & ostenso singulari signo affectûs, eum adhuc ultra annum penes se detinuit. Verùm de hoc argumento plura vide in Gen. c. 18. v. 20.

CAP. XXXII. ỷ. 14.

337. GRavissima Dei iracundia fuit Mosis precibus mitigata, de quo proinde potuit apprimè dici; *Fulgura in pluviam fecit.* Deus ille, instar commoti maris spumans & iratus, mox ad preces sui servi conquievit ac subsidit. *Placatusq; est Dominus, ne faceret malum, quod locutus fuerat adversus populum suum.* Exod. 32. v. 14. *Vide, quid unius Mosis preces hic apud Deum effecerint, quæ totius populi salutem impetrârunt;* inquit P. Cornelius à Lapide.

In gratiam Mosis Deus ignoscit Hebræis.

Postquam Octavianus Augustus armorum suorum potentia civitatem Alexandriam occupaverat; cives omnes, prostrati ad ipsius pedes, timebant ultimum excidium; at ille *consternatos metu cives, & humi se abjicientes, exurgere jussit, aitque, populum se omni culpa liberare; primùm Alexandri conditoris causa, deinde urbis tam pulchra miraculo ductum, tertiò amici Arii gratia.* Ita Plutarchus in vita M. Antonii.

Octavianus dat veniam in gratiam amici Arii.

CAP. XXXII. ỷ. 20.

338. VItulus ille aureus, qui sacrilegis Israëlitis erat objectum execrabilis idololatriæ, factus est postea instrumentum supplicii, dum redactus in pulveres, sceleratis illis fuit distributus, ut illum bibendo absorberent, commixtum ipsorum aqualibus. Ita Exodi c. 32. v. 20. *Arripiensque* (Moyses) *vitulum, quem fecerunt, combussit, & contrivit usq; ad pulverem, quem sparsit in aquam & dedit ex eo potum filiis Israël.*

Aurum datum in potum.

Sigismundus Imperator dedit poculum auro liquefacto plenum ebibendum cuidam è suis aulicis, Pitoni nomine, quia ex cupiditate auri prodidit bona sui Domini, ut scribit Sabellicus lib. 5. de Vetust. Aquilarum. Ita etiam Rex Parthorum Orodes, deleto ad internecionem exercitu M. Crassi, avarissimi Belliductis, qui cupiebat deprædari regia æraria, captum ipsum jussit capite plecti, & aurum liquefactum ipsius ori infundi, ut auro saturaretur, qui tantoperè sitiebat aurum.

CAP. XXXII. ỷ. 31.

339. VIdit Moses gravissimas ruinas, quæ imminebant populo Hebræo in justam sceleris commissi pœnam, dum vituli simulachro divinos exhibebant honores; unde ut interitum ipsorum impediret, se apud Deum interposuit omni modo possibili, obtulitque corpus & animam suam ad omne supplicium, dummodò juvare ac salvare posset populum, quem ex intimis visceribus amabat. *Aut dimitte eis hanc noxam, aut si non facis, dele me de libro tuo, quem scripsisti.* Exod. c. 32. v. 31.

Moses se exposuit omni malo pro salute populi.

Multi Gentilium pro salute patriæ exposuerunt se ipsos morti. Decius, cùm videret exercitum Romanum cedere, & jamjam profligari ac perdi; *caput suum pro salute Reipublicæ devovit,* ut ait Valerius Maximus lib. 5. cap. 6. *ac protinus concitato equo, in medium hostium agmen, patriæ salutem, sibi mortem petens, irrupit.* Eodem modo egit ipsius filius, qui promptè se obtulit morti in campo pugnæ, ut defensionem Romanorum impetraret; prout adjungit Valerius Maximus eodem loco. Ita M. Curtius se præcipitavit in voraginem; Horatius Coclites solus omnium hostium impetum sustinuit. Codrus victoriæ securos fecit Athenienses cum jactura suæ vitæ &c. Nihilominus omnes isti fuêre inferiores Mose, qui *non tantum corpus suum, sed & animam pro populo devovit:* ut ait Cornelius à Lapide.

CAP. XXXIII. ỷ. 11.

NOn poterat non summa authoritas ac fides accrescere Mosi, qui ad affabilissima colloquia Dei fuit admissus; ita ut non solùm testentur sacræ litteræ, quod *loquebatur Dominus ad Mosen facie ad faciem, sicut solet loqui homo ad amicum suum.* Exod. c. 33. v. 11. sed insuper, quòd quadraginta diebus, & totidem noctibus commoratus supra montem, locutus sit Deo; ut subjungitur Exod. c. 34. v. 28. *Fuit ergò ibi cum Domino quadraginta dies, & quadraginta noctes.* 340.

Moses affabilis Deo.

Ad hos favores, Mosi à Deo reverà collatos, finxêre Græci, quòd ipsorum legislator Minos per novem annorum spatium familiariter conversatus sit cum Jove; idque ut sibi conciliaret obsequium & reverentiam populi; prout refert S. Clemens Alexandrinus lib. 2. Stromat. Et forsan id desumpsit ex Homero, à quo iste Minos vocatur discipulus Jovis, uti videri potest apud Comitem Natalem mytholog. lib. 3. cap. 7.

CAP. XXXIII. ỷ. 23.

UT desideriis Mosis saltem ex aliqua parte satisfieret; & quia non poterat sustinere gloriosam claritatem, fulgurantem è vultu illius corporis assumpti, quo Angelus, repræsentans Deum, se Mosi inter nubes conspiciendum præbuit; idcircò obvertit ipsi humeros, ubi lux erat magis temperata, quam Moses benè poterat contemplari, ac ipsius solatio perfundi. *Videbis posteriora mea: faciem autem meam videre non poteris.* Exod. c. 33. v. 23. 341.

Posteriora Dei visa.

Gentiles de suis Diis docent, quod visibili specie apparentes, solummodò ostenderint humeros, nunquam autem faciem, nisi sub alterius specie. Unde Virgilius, introducens Venerem loquentem Æneæ, ait, illam se ibi solùm dedisse cognoscendam, quando discedens obvertit tergum. lib. 1. Æn. v. 406.

- - - *Et avertens rosea cervice refulsit.*

Homerus l. 13. Iliad. fingit, quòd Neptunus sub specie Calcantis apparuerit Ajaci; additque, quòd Ajax, videns humeros discedentis, agnoverit ipsum esse Deum.

Neque hic Calcas est vates augur
Vestigia enim retrò pedum, & tibiarum,
Facilè agnovi abeuntis, faciles autem cogniti Dii sunt.

CAP. XXXIV. ỷ. 16.

ZElum adeò magnum habuit Moses, ne sui Israëlitæ contaminarentur iniquitatibus Gentilium; ut expressè statuerit, ne non tantùm ulla unquam cum ipsis fœdera aut amicitias contraherent. Exod. 34. v. 12. Sed etiam ipsorum altaria destruerent, statuas confringerent, & incenderent lucos, qui cultui simulachrorum superstitioso deserviebant. Præ omnibus autem; 342.

tem; *Nec uxorem de filiabus eorum accipies filiis tuis.* Plurimùm enim cautos volebat patresfamilias, ne filiis suis darent uxores idololatras. Exod 34. v. 16. Ita in Deut. cap. 7. v. 3. *Non sociabis cum eis* (idololatris) *connubia. Filiam tuam non dabis filio ejus, nec filiam illius accipies filio tuo.* Ex quibus scripturis apertè colligitur, quòd patri incumbat cura, quærendi ac providendi uxores suis filiis. Id quod etiam innuitur in Gen. c. 28. ubi Isaacus Jacobo ostendit, qualem uxorem ducere deberet. *Noli accipere uxorem de genere Chanaan, sed vade, & proficiscere in Mesopotamiam Syriæ ad domum Bathuel patris matris tuæ, & accipe tibi inde uxorem de filiabus Laban.* Et in Lib. Judic. c. 14. v. 2. Samson dicebat suis parentibus; *Vidi mulierem in Thamnata de filiabus Philistinorum, quam quæso ut mihi accipiatis in uxorem.* Et 1. Cor. c. 7. v. 33. *Igitur, & qui matrimonio jungit virginem suam, benè facit; & qui non jungit, melius facit.*

Pater provideat uxorem filio.

Etiam Gentilium more relinquebatur patri cura collocandi suos filios in matrimonio. Euripides in Tragœdia, cui titulus; *Andromacha*; introducit Hermionem dicentem; *Sponsalium quidem meorum pater meus curam habebit, hoc enim non est meum.* Cyrus, cùm sibi à Rege Mediæ oblatam videret filiam in uxorem, & regnum in dotem; respondit, teste Xenophonte lib. 8. Cyropediæ; *Probo genus, & filiam, & munera, sed assensum dare nolo, priusquàm patris & matris voluntatem exploravero.* Catullus in carmine nuptiali dixit:

Virginitas non tota tua est, ex parte parentum est;
Tertia pars matri data, pars data tertia patri,
Tertia sola tua est, noli pugnare duobus,
Qui genero sua jura simul cum dote dederunt.

Hac occasione prætermittenda non est sententia S. Ambrosii lib. 1. de Abraham; *Mulier etiam, si qua amisso citò marito adolescentula laqueum infirmitatis suæ timet incidere, si vult, nubat tantùm in Domino, ut electionem mariti parentibus deferat, &c.*

CAP. XXXIV. ℣. 28.

343. MOses, commorans quadraginta diebus supra montem Sinai cum Deo, tanta jucunditate semper fuit repletus, ut nutritus dulcedine divini colloquii; non gustârit toto illo tempore quidquam cibi aut potûs; observans mirabile jejunium. Exod. 34. v. 28. *Fuit ergò ibi cum Domino quadraginta dies, & quadraginta noctes: panem non comedit, & aquam non bibit.* Elias, comedens panem, ab Angelo allatum, tantam accepit fortitudinem, ut nullo sumpto alio cibo, *ambulavit in fortitudine cibi illius quadraginta diebus, & quadraginta noctibus.* 3. Reg. 19. v. 8. Christus etiam summo rigore jejunavit *quadraginta diebus, & quadraginta noctibus.* Matth. 4 v. 2. Et S. P. Augustinus in Epist. 86. ait, se à personis fide dignissimis audivisse, quòd quidam illud ipsum tempus transegerit absque ullo cibo sumpto. *Nam & ad ipsum quadragenarium numerum pervenisse quemdam à fratribus fide dignissimis asseveratum est.*

Jejunium quadraginta dierum.

Hæc jejunia fuêre quidem opera divinæ gratiæ; habent tamen similitudinem in operationibus naturæ; Legitur enim in Annalibus Galliæ de quadam puella in territorio Tulnensi, quæ triginta mensibus, videlicet ab Anno 823. usque 825. vixit sine ullo cibo aut potu. Ita Ludovicus pius Rex Galliæ, ultimis quadraginta diebus vitæ suæ non sumpsit ullum cibum. Albertus Magnus lib. 3. de Animal. scribit, se vidisse Coloniæ fœminam, quæ nonnunquam triginta diebus vixerit absque ullo cibo. Addit etiam, ibi fuisse hominem temperamento melancholicum, qui septem hebdomadum spatio nihil manducabat, solumque semel in die, aut etiam alternis diebus, bibebat paululùm aquæ. Hi effectus produci possunt à debilitate caloris naturalis, vel à copia & viscositate humorum, vel ob stupefactam virtutem ventriculi; vel ex aliqua fraude &c. Hoc argumentum prolixè tractat P. Menochius in Historiis parte 2. Centur. 3. c. 46.

CAP. XXXIV. ℣. 29.

CUm Moses quadraginta diebus frueretur 347.
colloquio Dei, qui totus lux est; etiam ipse videbatur afflatus & glorificatus rara & prodigiosa claritate, quam secum tulerat circa vultum, quando secunda vice descendit cum tabulis legis. *Cumq; descenderet Moyses de monte Sinai, tenebat duas tabulas testimonii; & ignorabat, quòd cornuta esset facies sua;* id est, ut traducit Chaldæus; *Ignorabat Moses quòd multiplicatus esset splendor gloriæ vultûs sui.* In hunc sensum S. Paulus 2. Cor. c. 3. v. 7. vocat *gloriam vultûs ejus.* Et certè radii illi benè collocati erant in vultu Mosis, ut sedens tanquam grandis legislator & supremus Princeps populi Hebræi, ab omnibus, admirabili illa claritate captis, acciperet reverentiam, venerationem, & respectum.

Splendor Moysis facit illum venerabilem.

Cùm Ascanius, filius Æneæ, deberet assumi ad principatum & regnum, fingunt Poëtæ, illum fuisse circumdatum undique cœlestibus radiis. Unde Claudianus in 4. Consul. Honorii canit:

— — — *Ventura potestas*
Claruit Ascanio, subitâ cum luce comarum
Innocuus flagraret apex: Phrygioq; volutus
Vertice, fatalis redimiret tempora candor.

CAP. XXXIV. ℣. 29.

SPlendor, quem Moses ex alloquio Dei con- 345.
traxit, in sacris litteris describitur nomine cornuum, & etiam sub ea forma repræsentatur Moses in statuis & figuris. Exod. c. 34 v. 29. scribitur; *Ignorabat, quòd cornuta esset facies sua ex consortio sermonis Domini.* Et rursus n. 30. *Videntes autem Aaron & filii Israel, cornutam Moysi faciem, timuerunt propè accedere.* Et n. 35. *Videbant faciem egredientis Moysi esse cornutam.* in quibus textibus sacri Interpretes communiter intelligunt lumina fulgurantia, & stupendos gloriosæ claritatis radios. Unde Pierius Valerianus l. 41. Titulo *Cornua*; ait, *conveniunt similitudine inter se cornu, radius, & corona: unde Moysis cornuta pingitur facies, quæ radiata esse deberet.*

Cornua sunt radii.

Etiam à Gentilibus formabantur cornua loco radiorum; & radii exprimebantur nomine cornuum. Unde Alexander ab Alexandro lib. 4. c. 12. loquens de luminoso Apolline, sculpto à Romanis; ait, *Romanis præter alios Deos fuit Veronis simulachrum, quem dixêre Apollinem: cujus caput ornatur cornibus, sagittasque manu tenet.* Servius, loquens de Deo Pan supra Eclogam 3. Virgilii, ait; *Pan Deus rusticus in natura similitudinem*

dinem formatus. Habet enim cornua ad similitudinem radiorum solis, & lunæ cornuum. Rubet ejus facies ad ætheris imitationem. In pectore habet nebrida stellarum &c. Claudianus describens Eridanum in 6. Consul. Hon. canit;

— *Ille caput placidis sublime fluentis*
Extulit: & totis lucem spargentia ripis
Aurea roranti micuerunt cornua vultu.

Et Valerius Maximus l. 5. c. 6. *Genucio Cipo prætori paludato portam egredienti, novi & inauditi generis prodigium incidit. Namque in capite ejus subitò veluti cornua emerserunt: responsumq; est, Regem eum fore, si in urbem revertisset. &c.* Ita etiam scribit Angelus Politianus lib. Miscell. c. 79. *Lysimachi Regis facies in numismatis cornigera.* idque, ut meminisset mundus: *Ab eo ferum taurum de sacrificio Alexandri Magni vinculis elapsum, retentum manibus ambabus, & occisum.*

CAP. XXXV. ℣. 5. &c.

346. Quasi pro palma inter se certarunt efficacia Mosis in persuadendo, & religio Israëlitarum in obediendo; nam Mose populum adhortante, ut ad fabricam tabernaculi voluntariè afferrent aurum, argentum, æs, & gemmas pretiosas &c. *Omnis voluntarius & prono animo offerat Domino aurum & argentum, & æs & hyacinthum, & purpuram &c.* Exod. c. 35. v. 5. non solum viri prudentes & zelantes honoris Dei, sed etiam fœminæ certatim obtulerunt ærario sacro suas armillas, inaures, annullos, dextralia, & vasa aurea. *Viri cum mulieribus præbuerunt armillas, & inaures, annulos, & dextralia: omne vas aureum in donaria Domini. n. 22.*

Fœminæ donant sua cymelia templo.

Mirabilia penè talia operatus est Pythagoras apud Crotonienses; cùm enim efficaciter doceret contemptum luxûs, & excellentiam frugalitatis, *consecutus est assiduitate disputationum, ut matronæ auratas vestes, cæteraq; dignitatis suæ ornamenta, velut instrumenta luxuriæ, deponerent, eaq; omnia delata in Junonis ædem ipsi Deæ consecrarent.*

CAP. XXXVIII. ℣. 8.

347. Penè videri possit incredibile, quòd materia speculorum antiquitùs confecta fuerit ex fortissimo metallo, videlicet ære; & tamen omninò verum est, quod ex eo formata sit. Unde ex speculis æreis, oblatis Mosi à matronis Hebræis, elaboratum est grande vas, quod lavatorii loco deserviebat ministris sacrificiorum & altarium. *Fecit & labrum æneum cum basi sua de speculis mulierum.* Exod. 38. v. 8.

Speculum æreum.

Quòd materia speculorum olim non fuerit ex vitro aut crystallo, uti potissimùm nostro tempore, sed solummodò ex metallo, in opportunas laminas dilatato; scribit Plinius l. 33. c. 9. *Laminas duci, & specula fieri nonnisi ex optimo posse creditum fuerat.* Idem testatur in hæc verba; *Optima specula apud majores fuerunt Brundusina, stanno, & ære mistis.* Tandem verò ad nobiliorem materiam pervenêre, ita ut etiam ancillæ uterentur speculis argenteis. *Specula ex stanno laudatissima Brundusii temperabantur, donec argenteis uti cæpêre & ancillæ.* Plin. lib. 34. c. 17.

CAP. XXXVIII. ℣. 8.

348. Æternis laudibus dignæ sunt illæ matronæ, quæ propria specula tulerunt ad tabernaculum; sic enim in trophæa pietatis commutârunt fœmineam supellectilem, quæ solùm ad vanitatem & luxum destinata est. Obtulerunt Deo specula, & cùm essent ex metallo, Moses illud liquefactum igne elaboravit, & confecit pulchrum vas æreum, quod sacris ministris deserviret. *Fecit & labrum æneum cum basi sua de speculis mulierum.* Exod. 38. v. 8. Simili modo S. Ludgardis consecravit obsequio templi non solùm totum suum patrimonium, sed insuper omnia fœminea ornamenta ac cymelia. Pulcheria, filia Imperatoris Arcadii, construxit ad honorem Mariæ Virginis sumptuosum templum, cujus ornatui applicavit non tantùm gemmas & pretiosissima monilia, sed proprias suas vestes. Ita Paulo Romana in supellectilem sacram commutavit omnia sua fœminea ac pretiosa bona, uti testatur S. Hieronymus.

Ornamenta fœminea oblata templis.

Quòd jam olim consueverint fœminæ idololatræ sua specula offerre templis; sufficiet authoritas Philostrati *in Iconibus*, ubi speculum vocat *Anathema Veneris*, seu votum, à fœminis oblatum Veneri. Eadem mente à Græcis compositum fuit Epigramma in persona Laidis, fœminæ obscænæ; quod inter opera Ausonii in latinum traductum reperitur hoc modo;

Lais anus Veneri speculum dico: dignum habeat se
Æterna æternum forma ministerium.
At mihi nullus in hoc usus, quia cernere talem
Qualis sum nolo: qualis eram, nequeo.

Ita Livia, uxor Octaviani Augusti, in templo Capitolii Romani consecravit superbum cristallinum speculum, quinquaginta librarum pondere; uti refert Plinius lib. 37. c. 2.

CAP. XXXVIII. ℣. 8.

Jam à tempore Mosis sanctissimè introductum fuit, ut fœminæ religiosæ, ac timentes Deum, relicto mundo, se ipsas obtulerint ad obsequium tabernaculi & templi: *Fœmina excubabant in ostio tabernaculi.* Exod. c. 38. v. 8. ubi loco *excubabant*, septuaginta legunt, *jejunabant*; & Chaldæi, *orabant*. De his fit mentio lib. 2. Mach. c. 3. v. 19. Ex his erat Anna, de qua scribit S. Lucas 2. v. 37. *quæ non discedebat de templo, jejuniis & obsecrationibus serviens nocte ac die.* Inter has educata erat beatissima Virgo, postquam adhuc trimula fuit præsentata in templo. Adeoque istæ dederunt primam basin vitæ religiosæ & claustralis; possuntque sancti-moniales non abs re gloriari, quòd originem habeant adeò insignem & antiquam. 349.

Fœminæ dedicatæ templo.

Quod Gentiles consueverint in templis ad servitia suorum idolorum habere ingentem numerum virginum, centeni scriptores affirmant. Athenis chorus virginum erat consecratus servitiis Minervæ. Romæ Virgines Vestales erant dedicatæ Deæ Vestæ, quarum officium erat, sollicitè nutrire ignem, quem vocabant æternum; Etiam Dianæ constitutus erat nobilis chorus virginum, de quibus Horatius:

Dianam teneræ dicite virgines.

LU-

LUMINA REFLEXA EX LEVITICO.

CAP. I. ℣. 2.

350. Ana ratio persuadet, quòd in signum gratitudinis debeantur oblationes ac sacrificia illi Deo, à quo omnia nostra bona profluunt, totaque pendet felicitas. Proinde statuit, ut Hebræi ad altare tributi loco afferrent victimas boum & ovium; ne videlicet animalia ista destinata ad victimas, adorarent pro Diis uti stultè fecerant Ægyptii. *Homo, qui obtulerit ex vobis hostiam Domino de pecoribus, id est, de bobus & ovibus offerens victimas.* Levit. c. 1. v. 2.

Boves & oves victimæ.

Frequentissimus erat usus Gentilium, ut in victimis offerrent tauros, boves, & oves. *Libero, vino, melle, & lacte, interdum capro, & hirco sacrum fieri novimus. Minervæ verò --- vaccam, aut boves injuges, Græci verò Minervæ juvencam sæpè indomitam auratis cornibus mactârunt. Athenienses tamen annua solemnia Minervæ non caprâ, nec bove, sed tauris & agnis exhibere solent.* Hactenus Alexander ab Alex: l. 3. c. 12. Plinius l. 8. c. 45. de bobus loquens, ait; *Hinc victima opima, & lautissima Deorum placatio.* Et cap. 47. *Magna & pecori gratia, vel in placamentis Deorum, vel in usu vellerum.* Virgilius tam de ovibus, quàm de juvencis lib. 2. Georg. v 146. canit;

Hinc albi Clitumne greges, & maxima taurus
Victima, sæpè tuo perfusi flumine sacro
Romanos ad templa Deûm duxêre triumphos.

CAP. I. ℣. 3. &c.

351. PRæcipuum sacrificium inter omnia erat holocaustum. Ubi enim in aliis victimis una pars spectabat ad Sacerdotes, & altera ad offerentes; in holocausto tamen tota victima ad obsequium Dei supra altare comburebatur. Legis verba sunt Levit: 1. v. 3 7. *Si holocaustum fuerit ejus oblatio, subjicient in altari ignem, --- strue lignorum antè compositâ, & membra, quæ sunt cæsa, desuper ordinantes &c. adolebit ea sacerdos super altare in holocaustum &c.*

In holocausto tota victima combusta.

Gentilium superstitio studuit simile sacrificium in suis ritibus profanis introducere. Alexander ab Alex: l. 3. c. 12. *Cùm sacrum Vulcano fit, quod Proterviam dixerunt, nisi victima, & quodcumque superest, igni detur, sacrificium pollui putabant.* De hac functione Macrobius lib. 2. c. 2. & rursus Alexander ab Alex. l. 4. c. 17. *Tunc hostia perfecta dicebatur, quam sacerdos aris imponens, foculo accenso comburebat.*

CAP. I. ℣. 3.

352. CUm holocaustum fuerit sacrificium excellentissimum, utpote soli divino honori deserviens; Sana ratio persuadebat, quòd deberet esse victima in summo gradu perfecta & nobilis. Unde eligebantur sola animalia mascula, útpote naturâ suâ meliora ac perfectiora fœmineis. *Si holocaustum fuerit ejus oblatio, ac de armento: masculum immaculatum offeret. &c.* Levit: 1. v. 3.

Victima in holocausto sit animal masculum.

Ægyptii, inter omnes homines æstimati sapientissimi, rem credebant execrabilem, consecrare animalia fœminea; cujus opinionis etiam fuêre Barbari. Ita scripsêre Herodotus l. 2. Strabo lib. 11. & post illos Alexander ab Alex: l. 3. c. 12. *Apud Ægyptios fœminam hostiam immolare, est habitum nefas. Barbaris quoque circa montem Caucasum, & apud Derbices Persarum gentem, fœmininum animal victimam dare, aut ejus carnibus vesci, sub gravi documento vetabatur.*

CAP. I. v. 3.

UT victima oblata esset Deo grata & accepta, debebat non solùm esse animal masculum, sed etiam absque ulla deformitate, imperfectione, ac defectu, qui illud posset reddere abominabile ac ingratum. Levit. 1. v. 3. *Si holocaustum fuerit ejus oblatio, ac de armento: masculum immaculatum offeret*; id est, non mutilatum, non luscum, non claudum, uti declaratur Levit: c. 22. v. 22. *Si cæcum fuerit, si fractum, si cicatricem habens, si scapulas aut scabiem, aut impetiginem, non offeretis ea Domino.* 353.

Victima sine defectu.

Lucianus *de victimis* ait, quòd ministri summo studio investigaverint; *An perfectum esset animal, ne quod ex inutilibus mactarent & immolarent.* Pollux volebat, ut victimæ essent *integræ, indivisæ, perfectæ, sanæ, innocuæ, omnia & recta membra habentes: non mutila, nec imperfecta, nec nocua, neque cornibus carentes, neque contorta.* Unde Virgilius l. 4. Æn: v. 57. eas vocabat victimas electas;

— *Mactant lectas de more bidentes.*

Et lib. 6. versu 38.

Nunc grege de intacto septem mactare juvencos
Præstiterit, totidem lectas de more bidentes.

Unde Alexander ab Alexandro l. 3. cap. 12. *Lectæ dicuntur hostiæ majores, & uberius depastæ, quæ claudæ, morbosæ aut vitiosæ non sunt -- quæve fixam aurem vel caudam aculeatam, aut linguam nigram non habent.*

CAP. I. ℣. 4.

TAmetsi holocaustum primariò & principaliter servierit ad honorem Dei; secundariò tamen etiam serviebat ad implorandam veniam peccatorum, & placandam supremam Majestatem justè iratam. Et quia in manibus repræsentantur operationes peccaminosæ, quæ à manibus vindicativis, rapacibus, impuris, sacrilegis commissæ sunt; idcircò quilibet offerens ponebat manus supra caput victimæ, veluti omnia sua peccata supra illam projiceret, & ipse liber ac mundatus discederet. Unde jubet lex Levit: 1 v. 4. 354.

Manus symbolum operis.

 Ponet-

Ponetque manum super caput bestia Eusebius l. 1. Demonst: Evangel: cap. 10. interpretatur; *Manuum impositio symbolum erat oblationis, & testimonium reatûs in bostiam translati.*

Ad imitationem hujus ritûs solebant Ægyptii imprecari ac ponere supra caput victimæ illud omne, quod damnosum imminebat tam sacrificantibus, quàm ipsi Ægypto. Sicque illud caput, veluti scopus omnium malorum, recipiebat omnium calamitatum ictus; postea illud ipsum caput à trunco abscissum in flumen projiciebant, uti refert Lilius Giraldus Syntag. 17. & cum ipso Alexander ab Alexandro l. 4. c. 17. *Ægyptii sacerdotes immolatâ victimâ caput abscindunt, illudque diris carminibus execrati, in flumen dejiciunt, cum precatione solemni, ut, si quid adversi casurum foret, in caput illud redundaret.*

CAP. I. ℣. 5.

355. Sanguis victimæ currens circa altare.

CUm oblatio victimarum pro fine secundario obtinuisset remissionem peccatorum; Deus ordinavit, ut sacerdotum manibus funderetur sanguis victimæ per circuitum altaris. *Offerent filii Aaron sacerdotes sanguinem ejus, fundentes per altaris circuitum.* Levit. 1. v. 5. Ut nimirum Deus, in altari figuratus ac repræsentatus, ex sanguine victimæ colligeret devotionem & affectum offerentis, sicque fieret propitius & placatus.

Quòd Antiqui in offerendis victimis fecerint supra altare, & in ejus ambitu fluere sanguinem, demonstrat Seneca in Oedipo;

Multo specum saturat cruore.

Idem in Hercul. Furent: Act. 4.

Utinam cruorem capitis invisi Deis
Libare possem! gratior nullus liquor
Tinxisset aras.

Horatius lib. 4. ode 11.

- - - - Ara, castis
Vincta verbenis, avet immolato
Spargier agno.

Ovidius denique, ut taceã alios, l. 7. Metamorph:

Aut procul egestâ scrobibus tellure duabus
Sacra facit, cultroque in guttura velleris atri
Conjicit, & patulas perfudit sanguine fossas.

CAP. I. ℣. 6.

356. Victimæ excoriatæ

VIctimæ, deservituræ in holocaustum, ob majorem sacrificii munditiem per manus sacerdotum ac ministrorum detrahebatur pellis; & ut ignis tanto facilius eam devorare posset, ipsius membra in plures partes concidebantur. *Detractaque pelle bostia, artus in frusta concident.* Levit. 1. v. 6. Dionysius Richelius docet, hâc figurâ demonstrari salvatorem, cujus pellis erat flagellis excoriata, & caro cum sanguine in plurimas partes divisa. Insuper etiam nobis inde documentum dari, ut nos spoliemus divitiis ac terrenis superfluitatibus, portemusque membra mortificata, accõformata redẽptori crucifixo.

Quòd Gentiles excoriaverint victimas meminit Alexander ab Alex: lib. 4. cap. 17. Dierum Genialium; *Casa victima alii vasa, ut cruorem exciperent cadenti bostia supponebant, alii decoriabant.* quòd insuper illas in frusta conciderint, idem Author insinuat; *Ex omni viscere & membro primitias, partesque desectas, farina farris involvere, & in calathis sacrificanti offerre debebat.* Hunc morem offerendi victimas singulariter observabant tempore confœderationum. Unde Collector Adagiorum sub titulo; *Bos Homolottorum.* Scribit; *Zenodotus prodidit, Homolottes populos, dissecto in minimas partes bove, fœdus jungere. Morem hunc Scythis fuisse testatur Lucianus in Toxaride.*

CAP. I. ℣. 9. &c.

CUm Deus sit infinita puritas; debuit omne illud, quod ei consecrabatur, in summo gradu esse purificatum & mundum. Unde mirum non est, quòd intestina ac pedes non fuerint antè suprà altare collocati, nisi prius diligenter loti. *Intestinis & pedibus lotis aquâ, adolebit ea sacerdos super altare &c,* Levit. c. 1. v. 9. 357. Victimæ laventur.

Servius lib. 2. Georgic: scribit, quòd sacrificantes, postquàm benè examinassent animalium viscera, an essent ab omni defectu libera; & priusquam ea imponerent supra altare, solebant ea coquere elixando. *Respondebat videlicet ea elixatio lotioni, qua hic injungitur*; ut ait P. Lorinus in hunc locum. Unde scholæ sacræ & profanæ docent, viscera nostra debere omni studio mundari ab impuritate, & affectuum nostrorum pedes lavari à quacumque spurcitie, ut anima nostra fiat digna victima sub oculis Dei.

CAP. I. ℣. 9.

QUando offerebantur victimæ concrematæ supra altare, dicebatur, eas evaporâsse odorem suavissimum & valde gratum divinæ majestati. *Adolebitque ea sacerdos super altare in holocaustum, & suavem odorem Domino.* Levit. 1. v. 9. ubi textus Hebraicus traducit; *Odorem quietis*, volens significare, non quòd odor carnium ardentium & combustarum fuerit Deo suavis; nam ut verè dicit S. Cyrillus Alexandrinus lib 9 Cont. Julian 358. Deo placet nostra oblatio.

Quis est adeò stultus, quis adeò credulus,
Et imperitus, ut Deos ipsos putet
Fumante bili, & carne nudis ossibus,
Quæ vel laborans fame non esset canis,
Lætari, & ipsum id accipere honoris loco?

Sed ita intelligi debet; quòd Deus acquiescat & placetur, dum in ardore victimæ accipit devotum fervorem offerentis, quo Deus recreatur & complacet. *Animus igitur simplex & Deum metuens offerentium ea, quæ à Deo habebant, & pabuli, & suavis olentia gratia apud Deum deputabatur*; inquit P. Lorinus in hunc locum.

Plato in Alcibiade lib. 2. refert ex Homero, quòd Trojani obtulerint diis aliquot tauros in sacrificium, & odor victimarum elevatus sit ad cœlum. Iliad. 1.

Nidor autem cœlũ versus ivit, impulsus fumo

Lucianus, tametsi Atheus, in Timone introducit Jovem dicendo; se non potuisse oblivisci illius, qui ipsi supra altare obtulit complures victimas, *conservando eorum nidorem in naribus.* Videatur Pererius disput. 13. in cap. 8. Genes.

CAP. I. v. 15.

EXactissimè docet Lex, quo modo offerri debeant columbæ; videlicet retorto versùs collum capite, ruptâ pelle, & sanguine è venis ad pedem altaris profluente. *Et retorto ad collum capite, ac rupto vulneris loco, decurrere faciet sanguinem super crepidinem altaris.* Levit. 1. v. 15. Ad hanc ceræmoniam reflectens S Gregorius Papa Hom. 7. in Ezech. dicebat; *Caput ex parte decisum, ita ut corpori suo inbæreat; mentem esse sic à carnali delectatione incidendam, ut à carnis cura necessaria non incidatur.* Ita caro, per columbam figurata, debet in obsequio Dei esse mortificata, sed non trucidata; abstracta à voluptate sed non recisa. 359. Columba occisa.

Nisi fallor, hunc Hebræorũ morem imitati sunt Gentiles

Gentiles, qui, sicuti gallum offerebant Æsculapio, & anserem Isidi, ita Veneri consecrabant columbam. Idque faciebant secando ipsius gulam, & profluentem inde sanguinem hauriendo. Ovidius l. 4. Trist. Eleg. 6.

Sed cape torquatæ, Venus ò Regina, columba
Ob meritum antè tuos guttura secta focos.

CAP. II. ℣. I.

360. Quia pauperes ægrè poterant Deo offerre oves aut vitulos, non sustinente id miserâ ipsorum conditione; idcircò Deus instituit aliqua sacrificia paucissimi dispendii, ut quælibet hominum genera illum possent facilimè honorare, eique gratias referre. Unde holocausto taurorum ac vitulorum jungitur oblatio similæ, quâ Deus plurimum delectatus est. Unde Tibullus lib. 4.

Minutiæ oblatæ sunt Deo charæ.

Parvaque cælestes pacavit mica, neque illis
Semper inaurato taurus cadit hostia cornu.

Huic similæ jungi debebat oleum, ut tanto facilius conciperet ignem; & thus ad excitandum odorem. *Anima cum obtulerit oblationem sacrificii Domino, simila erit ejus oblatio, fundetque super eam oleum, & ponet thus.* Levit. c. 2. v. 1.

Etiam Gentiles in suis sacrificiis sunt usi farinâ; Inter alios id docuit Plinius lib. 18. c. 11. *Sacra prisca atque natalium, pulte fitilla conficiuntur.* Ritus hic introductus est à Numa Pompilio, qui statuit; *Non litandum esse sine farina*; ut scribit Plutarchus in ipsius vita. Semper etiam supra caput victimæ spargebatur far commolitum, & reductum in farinam, quæ tamen commixta erat sale, & vocabatur *mola salsa*. Unde natum est axioma usitatum in sacrificiis; *Sparge molas*, ut observatur apud Poëtas; Virgil. Eclog: 8. Horat. l. 2. Satyr: 3. &c. Ad hoc propositum Tibullus l. 3. Eclog. 4. dicebat;

Farre pio placant, & saliente sale.

Utebantur etiam oleo, maximè Ægyptii, Platæenses, Persæ, uti observavit Lilius Giraldus Syntagt 17. In hoc argumentum Virgilius lib 6. Æneid. v. 251. describit quoddam sacrificium Æneæ;

Tum stygio Regi nocturnas inchoat aras
Et solida imponit taurorum viscera flammis,
Pingue superque oleum fundens ardentibus extis.

Thus quoque in sacrificiis Idololatrarum frequentissimè adhibebatur; & quod hoc verum sit, scribit Herodotus lib. 1. apud Babilonios in templo Jovis, singulis annis consumpta fuisse thura, valoris mille talentorum. Horatius lib. 1. od. 30. Deæ Veneri loquens;

O Venus Regina Cnidi, Paphique,
Sperne dilectam Cypron, & vocantis
Thure te multo Glycere decoram
Transfer in ædem.

Et Virgilius. 1. Æneid. v. 419 de Venere canit;

Ipsa Paphum sublimis abit, sedesque revisit
Læta suas: ubi templum illi, centumque Sabæo
Thure calent aræ, sertisque recentibus halant.

At tu, benigne Lector; cùm sacrificia Gentilium sint sacrilega, & Mosaica abolita; Satage semper offerre candorem puritatis loco similæ; pinguedinem charitatis loco olei; fragrantiam orationis & odorem tuorum exemplarium morum loco thuris; sic enim offeres sacrificium, divinæ Bonitati longè gratissimum & pretiosissimum.

CAP. II. ℣. II.

Ut apud Israëlitas conservaretur æterna & indelebilis memoria beneficii, quòd Deus ipsis contulit, dum captivos liberavit Ægypto; non solùm ordinavit, ut quotannis per septem continuos dies comederent panem azymum, id est, sine fermento; prout etiam fecerant, quando ob angustias temporis à Pharaone fugitivi, usi sunt panibus non fermentatis. Sed insuper jussit, ut farina vel panis, oblatus supra sacrum altare, prorsus non esset commixtus fermento. *Omnis oblatio, quæ offertur Domino, absque fermento fiet.* Levit. c. 2. v. 11. 361.

Fermentum exclusum à sacrificiis.

Quod in materia fermenti prohibitum fuit populo Dei, etiam legibus Romanis prohibebatur sacerdotibus Jovis; quibus expressa lege interdictus erat etiam solus contactus fermenti. Unde Plutarchus Quæst: Roman. Num. 109. movet ac resolvit hanc quæstionem; *Quamobrem Flamini Diali non licebat fermentum tangere?* Et respondet; *Fermentum cùm ipsum natum est ex corruptione, tum farinam, cui admiscetur, corrumpit, ut languidior fiat & inefficax, omninoque fermentatio putrefactionis speciem gerit: quasi modum excedat, planè acidam reddit, & perdit farinam.* Veluti dicere voluissent Romani; Puritas & integritas sacerdotis debet esse in summo gradu excellens; caveat proinde tangere fermentum, utpote quod perdit ac corrumpit massam farinæ, eique dat saporem acrimoniosum, qui illam nonnunquam prorsus reddit inutilem.

Proinde quilibet sacerdos, imò quicumque fidelis, propinquans sacro altari, omninò curet, ne secum afferat illud vitium, quod quasi *modicum fermentum totam massam* habituum virtuosorum *corrumpit*. Galat. 5. v. 9. caveat omni studio *ab omni fermento malitiæ & nequitiæ*. 1. Cor. 5. v. 8. Præservetur *à fermento Pharisæorum, quod est hypocrisis*. Luc. 12. v. 1. Semperque Deo, & publicæ ædificationi serviat *in azymis sinceritatis & veritatis*. 1. Cor. 5. v. 8.

CAP. II. ℣. II.

Tametsi neque fermentum, neque mel adhiberi potuerit in sacrificiis Dei; illorum tamen primitiæ, uti & aliorum omnium fructuum & armentorum, erant consecratæ creatori *Nec quidquam fermenti ac mellis adolebitur in sacrificio Domini. Primitias autem eorum offeretis, ac munera.* Levit. 2. v. 11. obligatio solvendi sacerdotibus has primitias, pluribus locis notatur, prolixè tamen & exactè in lib. Num. c. 18. v. 12. &c. & cap. 15. v. 19. 20. &c. Hic zelus solvendi primitias celebratur in Tobia, qui *adorabat Dominum Deum Israël, omnia primitiva sua, & decimas suas fideliter offerens.* Tob. 1. 5. Consuetudo solvendi primitias recepta fuit à Græcis & Latinis. Theocritus Idyllius lib. 7. 362.

Primitiæ debentur Deo.

Hoc solemne viri curabunt manus amici,
Iustaque honorata Cereri convivia ponent,
Primitiasque dabunt opulenter.

Homerus l. 14. Odyss: de Eumeno scribit; *Primitias sacrificavit diis sempiternis.* Propertius lib. 4. Eleg 2. in persona Dei Vertumni, cui Romani afferebant primitias fructuum, canit;

Prima mihi variat liventibus uva racemis,
Et coma lactenti spicea fruge tumet.

Calphurnius Ecloga 4.

Ille dat, ut primas Cereri dare cultor aristas
Possit.

Verùm

Verùm de hoc argumento egimus suprà cap. 23. Exodi. v. 19. sufficiat addere, quod ille offerat Deo primitias, qui se ei consecrat in ætate juvenili aut qui singulas suas operationes exorditur à creatore.

CAP. II. v. 13.

363. Salin sacrificio. QUia sacrificia panis, carnis &c. oblata Deo, habebant aliquam speciem convivii; rationabiliter non debebat deesse sal, tanquam opportunum condimentum. Unde statuitur Levit. 2. v. 13. *Quidquid obtuleris sacrificii, sale condies, nec auferes sal fœderis Dei tui de sacrificio tuo: in omni oblatione tua offeres sal.*

A Gentilibus nunquam fuit oblatum sacrificium, nisi conditum sale; etiamsi fuerit simila farris, quæ proinde vocabatur *Mola salsa.* Ovid. 1. Fast.

Imponit librum, farraque mixta sale.

Tibullus lib. 3. Eleg. 4.

Et vanum metuens hominum genus, omnia noctis
Farre pio placant, & saliente sale.

Horatius lib. 3. ode 23.

Mollibit aversos Penates
Farre pio, & saliente micâ.

Virgilius lib. 12. Æneid. v. 169.

- - - - *Puraque in veste sacerdos*
Setigeræ fœtum suis, intonsamque bidentem
Attulit, admovitque pecus flagrantibus aris.
Illi ad surgentem conversi lumina solem
Dant fruges manibus salsas, & tempora ferro
Summa notant pecudum &c.

Plinius denique lib. 31. c. 7. post multas prærogativas salis, à se enumeratas, illum etiam inde deprædicat, quòd semper servierit in usum sacrificiorum. *Maximè tamen in sacris intelligitur autoritas, quando nulla conficiuntur sine mola salsa.*

CAP. VI. ℣. 2. &c.

364. CUm humanum cor ultra modum semper inhiet novis lucris; idcircò ne involet in aliena bona, Deus refrænare voluit hanc cupiditatem, declaravitque injustum possessorem illum, qui repererit in via rem, ab aliis perditam; ita ut Res inventæ restituuntur. convictus hujus malitiæ, obligatus sit restituere non tantùm rem inventam, sed etiam quintâ parte plus suo legitimo Domino. *Anima, quæ peccaverit - sive rem perditam invenerit, & inficians insuper pejeraverit &c. convicta delicti reddet omnia, quæ per fraudem voluit obtinere integra & quintam insuper partem Domino, cui damnum intulerat &c.* Lev. 6. v. 2.

Videri possit, hunc sacrum Textum fuisse à Platone descriptum, qui lib. 11. de legibus statuit; *Si quis rem suam alicubi volens, vel contra, reliquerit, non tangat, qui forte repererit, sed putet, Deum itineris à lege hac sibi consecrata servare. Servus qui exportâsset, à quocumque obviam facto, & ultra annos triginta nato, verberibus multis pulsetur: liber illiberalis, prævaricatorque habeatur: deinde decuplum pretii relinquat.* Ælianus l. 3. Var. Hist. c. 46. refert, quod Stagyritæ habuerint hanc legem *Quod non deposuisti ne tollas.* Et l. 4. c. 1. de Bibliis testatur quòd res in via repertas non attigerint, sed crediderint se furtum comitere, si tollerent, quod non deposuerunt. Lucianus non potest satis deprædicare Demonactem in vita quòd repertum annulum aureum publicis scedis exposuerit, ut ipsius dominum investigaret; eique illum reddiderit, qui ipsius pondus, gemmam, & imaginem explicâsset. Conformiter ait S. Augustinus lib. 50. Homil. Hom. 9. *Si quid invenisti, & non reddidisti, rapuisti. &c.*

CAP. VI. ℣. 12.

CUm victima holocausti debuerit integra nocte cremari, ut jubet Lex c. 6. v. 9. *Hæc est lex holocausti: cremabitur in altari totâ nocte.* hinc consequens est, semper debuisse in illo altari conservari ignem; sacerdotum enim officium erat, subministrare ligna pro ipsius nutrimento, eaque supra victimam holocausti collocare, ut satisfieret his, aliisque præceptis concernentibus oblationes & sacrificia. Unde jubetur Levitici c. 6. v. 12. *Ignis in altari semper ardebit, quem nutriet sacerdos, subjiciens ligna.* Ardebat quidem ignis super altare, longè magis autem ante tabernaculum lucerna, de qua Exodi cap. 27. v. 20. *Ardeat lucerna semper in tabernaculo testimonii.* 365. Ignis æternus in templo. Lucerna templi.

De igne æterno, quem nutriebant Virgines Vestales, paulo supra egimus. Addi nunc potest ex Procopio lib. 2. de Bello Persico, quod Romanorum superstitio transierit in Persiam, ubi ignis inextinguibilis conservabatur à Magis, & divini honores apud illum peragebantur. In templo Delphico à fœminis innuptis continuus nutriebatur ignis. Lampas perpetua cum Palladio & simulachro Palladis custodiebatur Athenis à Virginibus. Superstitio ista adhuc durat in Regno Mexico, ubi Barbari ante idolum semper tenent ahenum plenum ardentis ignis, uti videri potest in Tabulis Americanis.

CAP. VI. ℣. 14.

IN sacrificiis offerebantur carnes, farina, panis, & aliæ res comestibiles; simul tamen offerebantur etiam vinum & oleum, quæ per modum potûs consumebantur, ac vocabantur *Libamina.* Quando de istis libaminibus seu liquoribus fluidis sermo est in Lev. 6. v. 14. *Hæc est lex sacrificii, & libamentorum*; negari non potest, quin libaminum nomine etiam intellectæ fuerint multæ aliæ res oblatæ præsertim illæ; quæ consecrabantur fine igne. De his libaminibus non desunt testimonia apud Profanos. Ovid. 3. Fast. 366. Libamina species oblationis.

Liba Deo fiunt succis quia dulcibus ille
Gaudet, & à Baccho mella reperta ferunt.

Virgil. lib. 3. Æneid. v. 176.

- - - - *Tendoque supinas*
Ad cœlum cum voce manus, & munera libo.
Intemerata focis.

Sophocles in Electra;

- - - *Nihil prius, quàm jussa Apollinis*
Conemur facere, & ab his auspicari
Patri libantes libationes.

Et Tullius lib. 3. de Legibus. *Certas fruges, certasque baccas, sacerdotes publicè libanto.*

CAP. VII. ℣. 8.

NE sacerdos in offerenda victima holocausti, quæ debebat tota consumi, defraudaretur debitâ mercede; disposuit lex, ut in portionem sacerdotalem cederet pellis, detracta victimæ. *Sacerdos, qui offert holocausti victimam, habebit pellem ejus.* Lev. cap. 7. v. 8. 367. Pellis victimæ data sacerdoti

Spartani, qui se jactabant oriundos ab Hebræis, eosque suos fratres vocabant, ut legitur lib. 1. Mach. c. 12. v. 21. non prætermiserunt ex parte hunc ritum Judaicum imitari. Unde in suis sacrificiis inter alias res singulari privilegio reservabant, si non sacerdoti, certò tamen Regi, pellem victimæ. Alexander ab Alexandro lib. 4. c. 17. *Apud Lacedæmonios in publica visceratione primi Reges*

erant

erant, quibus duplum, quàm cæteris dabatur, privilegioque honoris præter libamina immolatorum quoque animalium coria debebantur. At dum agimus de pellibus, sacerdoti contribuendis; testatur Olaus Magnus, reperiri in Islandia ursos albos; *Pelles horum ursorum albæ, per venatores offerri solent summis altaribus Cathedralium vel Parochialium Ecclesiarum, ne sacerdos celebrans in pedibus tempore horrendi frigoris gelu patiatur.* Et postea subjungit; *In Ecclesia Nidrosiensi, id est, metropoli Regni Norvegiæ continuis annis tales reperiuntur albæ pelles, voto venatorum fideliter in omni præda rapta, atque oblata etiam pelles luporum pro cereis emendis, atque ad reverentiam sanctorum comburendis.* Ita lego in Epitome hujus scriptoris lib. 18. c. 20.

CAP. VIII. ℣. 6.

368. Cùm Aaron & ipsius filii deberent ordinari sacerdotes, ante omnia lavabantur; ut discerent, summam puritatem requiri in iis, qui disponuntur ad servitium Dei, ad portandum habitum sacerdotalem, & victimas in sacro altari offerendas. *Obtulit Aaron & filios ejus. Cumque lavisset eos, vestivit Pontificem subuculâ lineâ &c.*

Lavacrum sacerdotibus usitatum.

Frequentissima apud Gentiles erat aspersio & ablutio aquarum, quibus utebantur, qui volebant sacrificare aut propinquare altari ad venerandum Deum. Homerus in Odyssea scribit de Thelemacho, quòd semper laverit manus, priusquàm Deo preces funderet. Hesiodus dicebat;

Nunquam vina Iovi, superisque rubentia libes,
Antè manus fluvii quàm purâ laveris undâ.

Tibullus, loquens de Sulpitia, offerente sacrificia;

Natalis Iuno sanctos cape thuris acervos,
Quos tibi dat tenerâ docta puella manu.
Lota sibi est hodie, tibi se lætissima compsit,
Staret ut ante tuos conspicienda focos.

Cùm videret Pontifex veterum Romanorum, Sabinum illotis manibus velle Dianæ offerre victimam tauri, his verbis eum interpellavit; teste T. Livio lib. 1. *Quid tam tu hospes paras incesta Dianæ facere? quin tu ante vivo perfunderis flumine?* Deucalion & Pyrrha, priusquam templum intrarent, & in eo preces funderent, aspersetunt aquis caput & vestimenta. De his Ovidius lib. 1. Metamor.

Inde ubi libatos irroravêre liquores,
Vestibus, & capiti flectunt vestigia sacra,
Ad delubra Deæ.

CAP. VIII. ℣. 9.

369. Sicuti habitus summi Sacerdotis erat pretiosis coloribus & exquisitis gemmis ornatus; ita ei ornamentum capitis exactè respondebat. In eo enim è fronte fulgurabat lamina aurea, cui incisum splendebat nomen Dei, & simul fascia hyacinthina, circumdans plenum majestate vultum; reddebantque illum summo gradu conspicuum. *Cidari quoque texit caput: & super eam contra frontem posuit laminam auream &c.* Lev. c. 8. v. 9 de hoc ornamento in Exod. c. 28. v. 36. &c. præcipitur; *Facies & laminam de auro purissimo, in quâ sculpes opere cælatoris, sanctum Domino. Ligabisque eam vittâ hyacinthinâ, & erit super thiaram, imminens fronti Pontificis.* Et Eccl. c. 45. v. 14. *Corona aurea super mitram expressa signo sanctitatis, & gloria honoris.* Sicuti autem hoc ornamentum exornabat frontem Pontificum Hebræorum; ita etiamnum cingit caput summi Pontificis Romano-Catholici; uti & omnium Episcoporum; de quibus singulis verificatur, quod Ennod. Epigr. 77. cecinit de S. Ambrosio;

Mitra Pontificis pretiosa.

Serta redimitus gestabat lucida fronte,
Distinctâ gemmis.

Hæc ornamenta sacra transtulerunt Gentiles ad pompam suorum sacrilegorum ministrorum. Ita Philostratus scribit, quòd Brachmanni, sacerdotes Indiæ, portârint mitram gemmis distinctam, vestem è lino supra humeros, & annulum in digitis, sustinentes baculum manibus. Lucianus eodem modo describit pompas sacerdotis, fungentis obsequio Deæ Syriæ. Prudentius iisdem ornamentis insignem describit Pontificem gentilium Romanorum, uti videri potest in Hymno, quem formavit in laudem S. Romani Martyris.

Summus Sacerdos - - -
Mirè infulatus, festa vittis tempora
Nectens, corona tum repexus aurea &c.

CAP. VIII. v. 13.

Inferioribus sacerdotibus assignavit Deus pro habitu suo vestem ex candido lino, constrictam circa litera, & caput mitrâ ornatum. *Filios quoque ejus oblatos vestivit tunicis lineis, & cinxit balteis, imposuitque mitras, ut jusserat Dominus* Levit. 8. v. 12. 370.

Linea vestis sacerdotum.

Quòd linum deservierit sacerdotibus Gentilibus, centum Scriptores testantur. Plin. l. 19. c. 1. de lino loquens; ait, *Vestes inde sacerdotibus Ægypti gratissimæ.* Apulejus Apolog. 1. pro se. *Sed enim mundissima lini seges non modò indutui & amictui Ægyptiorum sacerdotibus, sed opertui quoque inde rebus sacris usurpetur.* Herod. de illis ipsis sacerdotibus dicebat; *Vestibus amiciuntur lineis.* Et rursùs; *Linea ferunt vestimenta, semper recens abluta.* Quod attinet cingulum constringens latera, sufficiat Prudentius, qui in Hymno de S. Romano ait, quòd summus Pontifex Romæ erat.

Cinctu Gabino sericam fultus togam.

Proinde Legibus sacris respondent ritus profani Gentilium, dum sacerdotibus præscribunt vestes è candido lino, & non è sordida lana, ut animadvertant, se debere abstrahi ab affectibus carnis, & conservare intactum candorem castitatis. Ob hanc intentionem etiam portabant latera cincta; nam *lumbos præcingimus, cùm carnis luxuriam per continentiam coarctamus*; inquit S. Greg. hom. 13. in Evang. Has duas considerationes habuit Beda l. 13. de Tabernaculo cap. 8. *Tunicas habent sacerdotes lineas, cum totum corpus candori castitatis dedicant: balteis tunicas cingunt, cum eandem castimoniam vigilanti mentis custodia circumspiciunt. Accingantur ergo tunicis lineis, ut castitatem habeant, accingantur balteis, ne castitas remissa, sive ne vento elationis aditum pandat.*

Quantùm denique ad usum mitræ; refert Plutarchus, quòd sacerdos Herculis in Insula Coo; *capite vittato sacrificium auspicatur*, quæst. Græc. n. 58. Philostratus l. 3. in vit. Apoll. scribit, id ipsum fuisse usitatum sapientibus Indiæ. Plutarchus in vita Numæ affirmat, sacerdotes Romanos habuisse capita velis quibusdam ornata ac coronata. De ministris Bacchi dicebat Valerius Flaccus lib. 2. *Niveâ tumebant mitrâ.*

CAP. IX. v. 24.

Ut sciretur, victimas à sancto Aarone, recens ad Summum Pontificatum sublimato, oblatas 371.

tas placuisse Deo in summo gradu; descenderunt è cœlo flammæ, quæ circumdederunt & consumpserunt holocaustum. *Et ecce egressus ignis à Domino, devoravit holocaustum, & adipes, qui erant super altare.* Aliqui opinantur, simile miraculum contigisse ad honorem Abelis; quando enim de ipso dicunt Vulgata; *Respexit Dominus ad Abel, & ad munera ejus.* Gen. 4. v. 4. Theodotio legens, *Inflammavit super Abel*; præbet rationabilem occasionem cogitandi, quòd è cœlo descenderit ignis in gratiam suæ devotæ oblationis. Certò tamen id accidit in sacrificio Gedeonis Judic. 6. v. 21. Idipsum miraculosè innovatum est in victimis, oblatis à Salomone 1. Paral. 21. v. 26. Et etiam tempore Eliæ descendit è cœlo ignis ad consumendum sacrificium, ab ipso oblatum. 3. Reg. c. 18. v. 38.

Ignis è cœlo descendens.

Sive fuerint mendacia scriptorum profanorum, sive illusiones Dæmonum; certè similia exempla congerit Alexander ab Alex. lib 4. c. 17. *Apud Siculos in colle Vulcanio juxta Pretensium stagnum, dùm sacrum fit, sarmentorum fasces super aras, sua sponte ignem concipere, & nullo flante halitu incendium fieri fabulantur. sicut de Seleuco traditur, qui cum Jovi in Pella victimam faceret, ligna aris imposita ultrò arserunt. Et de Egnatia Nimpha in Appulis in cujus ara lignis extructis ignem sua sponte excitari opinio erat.* Similem historiam affert Solinus cap. 11. & Virgilius in Pharmaceutria;

Aspice, corripuit tremulis altaria flammis
Sponte sua &c.

CAP. X. ℣. 8.

372. PHilo Hebræus lib. 2. de Monarch. scribit, vinum esse fœcundum parentem multorum vitiorum; utpote quòd generet pigritiam, oblivionem, somnum & stultitiam; Unde Deus vinum sub pœna mortis prohibuit illi sacerdoti, qui debebat ministrare in templo, ut sobrius, vigilans, & mortificatus serviret indigentiis populi, & obsequia grata præstaret Deo. *Vinum, & omne, quod inebriare potest, non bibetis tu & filii tui, quando intratis in tabernaculum testimonii, ne moriamini.* S. Hieronymus ad Nepotian: ait; *Nunquam vinum redoleas; vetus lex dicit; qui altari deserviunt, vinum & siceram non bibant.*

Vinum prohibitū sacerdotibus.

Placuit Gentilitati hoc statutum; unde qui volebat ordinari sacerdos Deæ Isidis, debebat decem diebus abstinere carnibus & vino. Ita scribit Apulejus lib. 11. Alexander ab Alex. lib. 6. cap. 2. ait; *Apud Tractnos Ardali ara, in qua somno & musis immolabatur: quique responsa accipiunt, integrum diem à cibo, à vino autem triduum abstinere convenit.* Ampharatus dicebat, quòd si sacerdotes desiderarint oracula clarè intelligere, & sincerè interpretari, debuerint per unum diem abstinere cibo, & per tres dies vino; ut testatur Volaterranus lib. 13. c. 4.

CAP. XIII. ℣. 46.

373. ULtra modum turpis & abominanda est infirmitas lepræ, quæ nonnunquam ex defectu & vitio naturali contaminabat Hebræos; nonnunquam verò à Deo in supplicium commissæ culpæ ipsis à Deo immittebatur. Huic flagello subjacuit Giezi, quia simoniæ reus; 4. Reg. c. 5. v. 27. Ozias quia sacrilegus & temerarius usurpator officii sacerdotalis. 2. Paralipp. 6. v. 21. Maria soror Mosis, quia ausa est ipsum calumniari ac murmurare. Num. c. 12. v. 10. Et quia morbus iste contagiosus est; idcircò ne unus alterum inficeret, jussit Deus, ut leprosus à commercio hominum separetur. *Omni tempore, quo leprosus est, & immundus. solus habitabit extra castra.* Unde quamprimum Ozias erat punitus leprâ, depositus regno, vixit ac mortuus est in domo à populo separatâ. *Fuit leprosus usque in diem mortis suæ, & habitabat in domo libera seorsum.* 4. Reg. c. 15. v. 5.

Lepra est pœna Dei.

Leprosi separantur

Quòd leprosi debeant separari à consortio hominum, docent etiam Profani. Paulus Eginetta lib. 4. c. 1. tanquam excellens Medicus consulit; *Quoniam in contagiosis est hac passio,* de lepra loquitur, *non minus quàm pestis, habitandum iis esse longissimè ab urbibus, in mediterraneis & frigidis & parum habitatis locis sic enim & ipsi fruentur meliori aëre, & non communicabunt aliis malum.* Eâdem circumspectione usi sunt Persæ, qui nullo modo permiserunt, ut leprosi ingrederentur civitatem. *Apud Persas*, inquit Cælius Rhodiginius l. 5 cap. 8. propè finem, *si civium quis leprâ cœperit affici, aut leucâ, ad urbem eum minimè commeare, nec aliis commisceri.* Quia verò non est nocentior lepra, quàm peccatum: idcircò semper vivamus separati à vitiosis, ne ab iis inficiamur. Benè S. Hieronymus in cap. 5. ad Galat. *Fermentum à massa vicinia se movendum: secanda putrida carnes, & scabiosum animal à caulis ovium repellendum, ne tota domus massa. corpus, & pecora ardeant, corrumpantur, putrescant, intereant.* Et Seneca Ep. 104. *Si vis vitiis exui, longè à vitiorum exemplis recedendum est. Hærebit tibi tumor, quamdiu cum superbo conversaberis; hærebit avaritia, quamdiu avaro convixeris: incendent libidines tuas adulterorum sodalitia. Cum Catone vive, cum Socrate, cum Zenone.*

Vitiosi fugiantur.

CAP. XV. ℣. 15.

CÙm Deo sacrificium quoddam offerri deberet ad obtinendam desideratam offerentis munditiem, jussit lex, ut immundus ferat sacerdoti duos turtures aut duas columbas; *qui faciet unum pro peccato, & alterum in holocaustum.* Levit. 15. v. 15. ubi verbum *faciet*, item significat, ac *sacrificabit.* Hic loquendi modus reperitur etiam in Exodo c 29. v 28. *Hoc est, quod facies in altari; agnos anniculos duos.* In Levit. 23. v. 19. *Facietis & hircum pro peccato.* In Deuter. 16. v. 1. *Observa mensem novarum frugum ut facias Phase Domino Deo tuo*; subjungendo v. 2. *Immolabisque Phase Domino.* Ita Judic. 13. v. 15. lib. 3. Reg. c. 3. v. 15. Hierem. 48. v. 10. Ezech. c. 43. v. 25. Luc. 22. v. 19. 1. Cor. 11. v. 24. &c. Frequentissima est hæc locutio apud Gentiles, ut observat Athenæus lib. 14. dicens; *Veteres sacrificare, dixerunt facere.* Plautus in Curcul. *Rem divinam feci.* Ammianus lib. 22. Cùm Jovi *faceret rem divinam.* Titus Livius lib. 23. *Omnibus divis rem divinam thure ac vino fecisse.* Virgilius Ecloga 3. v. 77. 374.

Facere idem ac sacrificare.

Cum faciam vitulâ pro frugibus, ipse venito.

In hunc sensum, inquit Muretus, debent intelligi verba M. Varronis lib. 1. de Re Rustic: *Dii facientes adjuvant*; id est, *operantes sacris.*

CAP. XV. ℣. 19. &c.

NImiùm quantùm turpis & abominanda est spurcities fœminæ menstruatæ; unde suprema lex expressè prohibet, ne quisquam cum illa habeat commercium carnale. *Mulier, quæ redeunte mense*

menſe patitur fluxum ſanguinis, ſeptem diebus ſeparabitur; omnis qui tetigerit eam, immundus erit. Levit. c. 15. v. 19. &c. & v. 24. *ſi coierit cum ea vir tempore ſanguinis menſtrualis, immundus erit ſeptem diebus, &c.* Et rursùs Levit. 18. v. 19. *Ad mulierem, quæ patitur menſtrua, non accedes.* Ita cap. 20. Levit. v. 18. Ezechiel. c. 18. v. 6. & c. 22. v. 10.

Fœmina menſtruata fugiatur

Hanc eandem prohibitionem in ſuo Alcorano poſuit Mahometus; cum tam ſacræ litteræ, quàm profanæ leges attendant non ſolùm ad honeſtatem civilem, ſed etiam utilem, & ſanitatem prolis. Nam quando cum fœmina menſtruata inſtituitur commercium, aut non concipiuntur liberi, aut non proveniunt ad partum, ut dixit Ariſtoteles L. 1. de Gener. Animal. cap. 19. aut ſi concipiantur, naſcuntur debiles, infirmi, leproſi, & mille infirmitatibus obnoxii, ut advertunt Medici & approbat S. Hieron. c. 19. in Ezech.

CAP XVI. v. 20. &c.

376. SEntenis exemplis comprobatum eſt, quod peccata populi ſint attractiva temporalium flagellorum. Pro ſalute hominum diſpoſuit ſuprema lex, ut ſacerdos certis temporibus nomine publico ſupra caput hirci ponat peccata ſubditorum, eique imprecetur ſupplicium, debitum peccatoribus; ac poſtea à feris devorandum ejiciat in deſertum. Tali modo cum damno miſeræ victimæ liberabantur Iſraëlitæ à ſuppliciis temporalibus, quæ ipſis imminebant. Levit. 16. v. 20. &c. *offerat hircum viventem, & poſita utrâque manu ſuper caput ejus, confiteatur omnes iniquitates filiorum Iſraël, & univerſa delicta atque peccata eorum: quæ imprecans capiti ejus, immittet illum per hominem paratum in deſertum.*

Hircus emiſſarius.

Simili cæremonia uſi ſunt Gentiles, qui Pan, Deo paſtorum, ſacrificabant hircum, eumque ejiciebant usque ad ſpecum, poſitum in medio deſerti, ubi credebant eſſe ficti illius Dei habitationem, ut docet Lucianus. Servius in illum locum Virgilii Æneid. 3. *Quid non mortalia pectora cogis auri ſacra fames*; refert, quòd, Marſiliæ populis moleſtatis à Peſte, unus è pauperibus accipiebatur, qui integro anno delicatè nutritus, poſtea ſacris veſtibus ornatus, & fronte cinctus verbenâ, conducebatur per plateas, comitatus execrationibus populi, qui ei ſoli imprecabantur omnes calamitates civitatis; & ſic quaſi victima occiſus, ſubmergebatur ac præcipitabatur in aquas. Conformiter ad hoc ſcribunt Budæus & Suidas; *Erant homines ſacri, quos quaſi onuſtos totius civitatis ſceleribus, in mare projiciebant, & Neptuno ſacrificabant, addentes hæc verba. Eſto noſtrum peripſema, id eſt, noſtra piacularis victima.* Ita refert Cornel. à Lapide in 1. Cor. cap. 4. verſ. 13. In hoc hirco intelligendus eſt Chriſtus Salvator, uti interpretatur S. Ambroſius in c. 6. Apocal. & S. Cyrillus Alex q. cont. Julian. de quo ſcribitur Iſa. 53. quòd Pater æternus *poſuit in eo iniquitates omnium noſtrum.* & quòd *peccata noſtra portavit, cujus livore ſanati ſumus.*

CAP. XVI. v. 31.

377. DIes Sabbathi ſingulari cæræmonia à Judæis obſervabatur, ita ut ab omni opere manuali abſtinerent, & ne quidem coquerent, aut cibos præpararent, ſicque ſe totos à terrenis negotiis abſtractos dederent ſervitio ac venerationi Dei. *Sabbathum requietionis eſt*; inquit lex Levit. c. 16. v. 31.

Sabbathum ſanctificatum

Negari non poteſt, quòd Hebræi, in Sabbatho, ab omni opere materiali deſiſtentes, fuerint à Gentilibus deriſi & condemnati, uti videri poteſt apud Juvenalem, Cornelium Tacitum, Martialem, Suetonium, & alios; attamen etiam negari non poteſt, Gentiles habuiſſe ſeptimo quovis die, qui eſt Sabbathi, ſuas peculiares obſervantias. Suetonius in Tiberio cap. 32. refert quòd Diogenes Grammaticus Rhodi quovis Sabbatho publicè ſolitus ſit diſputare. Aulus Gellius l. 15. c. 21. affirmat, quòd ſeptimo die conceſſa fuerit juvenibus & militibus facultas ſeſe divertendi ludis, conviviis, & aliis recreationum exercitiis. Et Lampridius teſtatur, quòd Alexander Severus, quando morabatur in civitate, ſolitus ſit eo die ſaltare in capitolio ac frequentare templa.

CAP. XVIII. ỳ. 6.

DIctamen naturale cuivis ſexui perſuadet, ut inter ſe carnaliter jungantur ac copulentur. 378.
Ne vero homines imitentur bruta, quæ ſine diſcrimine cum quacunque ſua ſpecie ex cæco libidinis inſtinctu inter ſe commiſcentur; idcircò à legibus determinata ſunt impedimenta nuptiarum, ut & pietati & honeſtati conſuleretur. Sic prohibetur carnalis commixtio cum noſtris proximis ſanguine junctis. *Omnis homo ad proximam ſanguinis ſui non accedet, ut revelet turpitudinem ejus.* Levit. 18. v. 6. Et immediatè poſt; *Turpitudinem Patris tui, & turpitudinem matris tuæ non diſcooperies: mater tua eſt, non revelabis turpitudinem ejus.* v. 7. Et licet aliquæ nationes, ut Perſæ, Arabes, & Aſſyrii non habuerint hanc reſervationem, ut demonſtrat Tiraquellus leg. 7. Connubial. n. 32. nihilominus ait S. Ambroſius Epiſt. 66. *Ut Pater filiam ſuam accipiat uxorem, interdictum eſt natura jure: interdictum eſt lege, quæ eſt in cordibus ſingulorum: interdictum eſt inviolabili præſcriptione pietatis &c.*

Matrimonium in primo gradu prohibitum.

Quòd talis commixtio ſit propriè barbarica, teſtatur Euripides in Andromaca.

Tale omne barbarum genus
Paterque filiæ, filiusque matri commiſcetur,
Puellaque fratri.

Imò eſt actio omninò brutalis. Unde Ovidius lib. 7. Metam.

- - - *Cum matre Menephron*
Concubiturus erat, ſævarum more ferarum.

Xenophon lib. 3. de dictis Socratis ſcribit, lege divinâ *neque filios parentibus, neque parentes filiis miſceri.* Tametſi Plato permittat matrimonium cum proximis; omni tamen modo excipit parentes, filios, nepotes, eorumque ſuperiores & inferiores, ut videri poteſt lib. 5. de Republica. Denique Juſtinianus Inſtit. de Nuptiis. §. 1. *Inter eas perſonas, quæ parentum, liberorumve locum inter ſe obtinent, contrahi nuptiæ non poſſunt, veluti inter patrem & filiam; vel avum & neptem; matrem & filium; vel aviam & nepotem.*

CAP.. XVIII. ỳ. 6.

GRandis temeritas & abominabile ſcelus foret, ſi quis auſus fuiſſet contaminare thalamū patris ſui, & commiſceri cum noverca Hanc libidinem expreſſe deteſtatur Lex ſuprema; *Turpitudinem uxoris patris tui non diſcooperies: turpitudo enim patris tui eſt.* Lev. 18. v. 8. hæc inhoneſtas ſcelerata privavit Rubenū primogeniturâ & regno. Huic enim dicebat pater Jacob Gen. 49. v. 3. *Ruben primoge-* 379.

Noverca non debet tangi.

mogenitus meus & non crescas, quia ascendisti cubile patris tui. Hæc spurcities carnalis provocavit S. Paulum, ut in veheretur contra Corinthios, & 1. Cor. c. 5. v. 1. exclamaret; *Omninò auditur inter vos fornicatio, & talis fornicatio, qualis nec inter gentes, ita ut uxorem patris sui aliquis habeat.* Adonias violentâ morte interemptus est, quia voluit desponsari Abisag, concubinæ patris sui. 3. Reg. c. 2.

Quintilianus Declamat 327. ait; *Novum in auditum antea crimen: noverca nimirum dicitur amare privignos.* Hippolitus, sollicitatus à Phædra, suâ novercâ, ad actus impuros; plenus horrore ac indignatione, ita ei respondit apud Senecam in Tragædia, quæ ab ipso nomen habet. Act. 2. scen. 2.

- - Dignus an stupris ego?
Scelerique tanto visus ego solus tibi
Materia facilis? hoc meus meruit vigor?
O scelere vincens omne fæmineum genus!

CAP. XVIII. ỷ. 9.

380. LEx Mosaica ad frenandam libidinem Israëlitarum, qui pronissimo impetu in impudicitiam ruebant, prohibuit nuptias inter proximos consanguineos, extenditque suam prohibitionem in plurimos gradus. *Turpitudinem sororis tua ex patre, sive ex matre, qua domi vel foris genita est, non revelabis. Turpitudinem filia filii tui vel neptis ex filia non revelabis. Turpitudinem filia uxoris patris tui, quam peperit patri tuo, & est soror tua non revelabis.* Idque prosequitur à cap. 18. Levitic v. 9. usque ad 19. Concilium Agatense 35. q. 2. & 3. cap. 8. *De incestis conjunctionibus nihil prorsus veniæ reservamus, nisi cum adulterium separatione sanaverint. Incestuosos verò nullo conjugii nomine deputandos, quos etiam designare funestum est. Hos enim censemus esse, si quis relictam fratris sui (quæ penè prius soror extiterat) carnali conjunctione polluerit; si quis frater germanam uxorem acceperit, si quis novercam duxerit, si quis consobrinæ suæ se sociaverit si quis relictæ, vel filiæ avunculi misceatur, aut patrui filiæ, aut privignæ suæ &c.*

Nuptiæ cum consanguineis

Neque desunt Leges Imperiales; maximè Diocletiani in d. l. Nemini C. de Nupt. Nemini liceat contrahere matrimonium cum filia, nepte, vel pronepte; itemque cum matre, avia, vel proavia. *& ex latere amita ac matertera, sorore, sororis filia, & ex ea nepte, præterea fratris tui filia, & ex ea nepte, itemque ex affinibus privigna, noverca, nuru, socru, cæterisque, quæ jure antiquo prohibentur, à quibus cunctos volumus se abstinere.*

CAP. XVIII. ỷ. 22.

381. COntra scelus Sodomiæ nimis turpe ac nefandum, suprema Lex expressè statuit Levit. 18. v. 22. *Cum masculo non commiscearis coitu fæmineo, quia abominatio est.* Et Levit. 20. v. 13. *Qui dormierit cum masculo coitu fæmineo, uterque operatus est nefas, morte moriantur.* S. Augustinus ait; *Adulterii malum vincit fornicationem, vincitur autem ab incestu pejus est enim cum matre, quàm cum aliena uxore concumbere. Sed omnium horum est pessimum, quod contra naturam fit, ut si vir membro mulieris non ad hoc concesso voluerit uti &c.*

Peccatum Sodomiæ damnatū.

Plato lib 8. de Leg. jubet, ut abstineatur ab eo commercio, quod malitiosè extinguit humanam posteritatem, projiciendo semen in infelix desertum, quæ nihil prorsus germinare potest. Theodosius condemnat flammam portentosæ hujus Veneris ad Vulcani rogos. *Ut universi intelligant*, inquit, *sacrosanctum cunctis debere esse hospitium animæ virilis, nec sine summo supplicio alienum expetiisse sexum: qui suum turpiter perdidisset.*

CAP. XIX. ỷ. 3.

DEberet nos solum dictamen naturæ, & præceptum internum gratitudinis reddere summè obsequentes nostris progenitoribus, qui fuerunt instrumenta nostræ existentiæ ac vitæ. Nihilominus non deest suprema lex, vocans nobis in memoriam parentum venerationem & observantiam. *Unusquisque patrem suum, & matrem suam timeat.* Levit. 19. v. 3. Documentum hoc subministravit Tobias cap. 4. v. 3. *Honorem habebis matri tuæ omnibus diebus vitæ ejus.* A Proverbiis cap. 23. v. 22. *Audi patrem tuum, qui genuit te: & ne contemnas cum senuerit mater tua.* A S. Paulo Coloss. 3. v. 20. *Filii obedite parentibus per omnia hoc enim placitum est in Domino.* Id quod observavit verbum divinum incarnatum, virgini matri & Josepho, patri nutritio, humillimè subditum. *Et erat subditus illis.* Luc. 2. v. 51. 382.

Parentibus debetur honor.

Valerius Maximus lib. 5. c. 4. affirmat; *Diligere parentes, prima naturæ lex est.* Plato lib. 11. de Leg. dicebat, hominem in conspectu Dei non habere venerabilius simulachrum, *quàm patres avos, matres; atque his honoratis, Deum gaudere.* Aristoteles 1. Top. cap. 9. ait; non debere convinci rationibus, sed pœnis castigari illum, qui in dubium vocaret, an Diis debeatur veneratio, & parentibus honor. Plutarchus lib. de fraterno amore affirmat, non esse rem Deo gratiorem, quàm obsequium nostris parentibus exhibitum. De hoc argumento vide suprà cap. 20. Exod. v. 12.

CAP. XIX. ỷ. 9. &c.

QUia fructus terræ sunt expressum donum bonitatis ac providentiæ divinæ; idcirco ut omnes Israelitæ illos participarent, & pauperes ac peregrini non deberent succumbere necessitati, jussit lex; *Cùm messueris segetes terræ tuæ non tondebis usque ad solum superficiem terræ, nec remanentes spicas colliges Neque in vinea tua racemos & grana decidentia congregabis, sed pauperibus & peregrinis carpenda dimittes.* Repetitur hoc præceptum Levit. c. 23. v. 25. & Deuter. c. 24. v. 19. 20. 21. Hoc præceptum non quidem obligat Christianos, sed solùm persuadet humanitas erga pauperes & miseros peregrinos. 383.

Spicæ & uvæ relictæ pauperibus.

Theopompus lib. 21. ait, Pisistratum & Cimonem in suis hortis aut agris nunquam constituisse custodes; sed permisisse, ut quivis pro libitu eos ingrederetur, & quidquid placeret, colligeret. De Pericle scribit Plutarchus, quòd circa agros suos jusserit auferri macerias, à prædecessoribus structas; ut omnibus liberum esset, participare illos fructus. Simili modo egit Anaxagoras, donans campum pro pascuis cujuscunque gregis. Neque deest decretum Justiniani tit. 4. l. 9. permittens ingressum in vineas & hortos aliorum, ita tamen ut comedant solummodò fructum, sitque pœna in eos duntaxat statutâ, qui aliquid inde prædati aut furati fuissent.

CAP. XIX. v. 11.

DIctamen naturale docet, ne faciamus aliis, quod nobis fieri nolumus, & consequenter ne furemur absconditè, vel rapiamus apertè facul- 384.

culta-

cultates proximi, prout nec nostras vellemus furto aut rapina auferri. Nihilominus Deus expresso mandato præcipit Levit. 19. v. 11. *Non facietis furtum.* id quod etiam expressum est Exodi cap. 20. v. 15. in octavo præcepto Decalogi.

Furtum prohibitum.

Accursius l. 42. de verborum signific. docet. *Furtum etiam naturâ probrum esse.* Alexander ab Alexandro lib. 6. cap. 10. *Apud Scythas*, inquit, *nihil erat furto gravius. Severissimâ enim plectebantur pœnâ, qui turbato gentium jure de possessione dominos everterent. Indi quoque à rapinis, velut contra hominum societatem, contraque divinum, humanumque jus magnopere abstinere, adeò ut si quis vectigal furatus esset, capite lueret.* Draco ita aversatus est furta, ut sententiâ capitali plecteret illos, qui etiam aliquid herbarum in horto furatus erat. Alexander Severus per præconem edixit; *Nemo salutet Principem, qui se furem esse noscit.* In Lycia dicunt hanc esse legem, ut convictus furti, condemnetur ad amittendam libertatem, fiatque miserum mancipium. Hactenus Alexander ab Alexandro loc. cit.

CAP. XIX. ℣. 11.

385. Cùm Deus sit veritas; idcirco homo, mendacium committens, obscurat in se se imaginem Dei, & fit similis diabolo, qui est Pater mendaciorum. Hoc vitium, ingenuo homine prorsus indignum, suprema lex abominatur, cap. 19. Levit. v. 11. expressè mandans; *Non mentiemini.*

Mendaciũ prohibitum,

Nigidius apud Aulum Gellium lib. 11. c. 11. dicebat; *Vir bonus præstare debet, ne mentiatur.* Persæ, ut scribit Herodotus lib. 1. & Xenophon lib. 3. Cyripediæ; existimant, mendacii culpam mereri capitale supplicium. Plutarchus *de liberis educandis*, illud vocat *servile vitium.* Artaxerxes, ut Plutarchus in ejus vita meminit, jussit, ut hominis mendacis lingua tribus clavis perforaretur. Epaminondas, si Æmilio Probo fides, nunquam, etiam per jocum, mentitus est; tantoperè nimirum abominatus monstruositatem mendacii.

CAP. XIX. ℣. 12.

386. Homo perjurus non solùm præjudicat proximo, dum assumit juramentum ad illum decipiendum; sed directè etiam offendit Deum, quia temerariè & injustè jurans, offendit nomen Dei, quod enormi sacrilegio & expressâ irreverentiâ invocat, eoque abutitur. Unde jubet Lex Levit. 19. v. 12. *Non perjurabis in nomine meo, nec pollues nomen Dei tui.* Repetitur hæc lex Exod c. 20. v. 7. & Deuter c. 5. v. 11.

Perjurium prohibitum.

Etiam Gentilibus persuasum erat, ut abstinerent à juramentis & perjuriis. Plutarchus Probl. Roman. n. 4. quærit, *Cur flamini diali non liceat jurare?* Inter alia responsa istud adhibet; *Aut quia non convenit, de rebus parvis fidem non haberi ei, cui sacra & maxima sunt credita. Aut quia omne jusjurandum in execratione perjurii definit.* De Clinia scribit S. Basilius Hom. 24. se melius judicare, ut subjaceat nescio cui injuriæ, & solvat mulctam trium talentorum, quàm ut juramentum admittat. Homines politioris judicii, ne cogerentur jurare in nomine Dei, jurârunt per res parvas & exigui momenti. Ita Sponsus Cant. 2. v. 7. juravit *per capreas, cervosque camporum.* Horatius Epodon. Od. 5. *juravit per liberos Canidiæ, decusque prætexta.* Socrates, ut notavit Philostratus lib. 6. vit. Apollon. Thian. jurabat *per canem & anserem.* Trajanus & Julianus Apostata, referente Ammiano Marcellino lib. 24. jurârunt *per spem victoriæ.* Alii, ut ait Suidas, *per papaveris comam; quod genus jurandi*, inquit ille, *informabat ad honestatem & religionem.*

CAP. XIX. ℣. 13.

Ad comprimendam malignam potentiam hominum sceleratorum & violentorum, qui sua incrementa cum aliorum damno procurant, jussit Deus Levit. c. 19. v. 13. *Non facies calumniam proximo tuo, nec vi opprimes eum.* Hoc loco Lyranus & Abulensis per calumniam faciendam intelligunt usurpationem alienorum bonorum sub prætexto apparente quidem, non tamen verò; idque sive fraudulenter & in occulto; sive apertè & cum violentia. Cum hac interpretatione convenit textus Levitici cap. 6. v. 2. *Anima, quæ peccaverit, & contempto Domino negaverit proximo suo depositum, quod fidei ejus creditum fuerat, vel vi aliquid extorserit, aut calumniam fecerit. sive rem perditam invenerit &c.* Legisperiti dicerent, calumniari nil aliud significare, quam si alteri malitiosè opponatur falsum aliquod crimen cum ipsius infamia. In primo sensu prædicans S. Joannes Baptista militibus, dixit Luc. 3. v. 14. *Neminem concutiatis, neque calumniam faciatis.* In secundo protestatus est sapiens Ecclesiastes c. 7. v. 8. *Calumnia conturbat sapientem.* 387.

Usurpare rem alterius.

Calumnias non tantum Deus, sed etiam homines abominantur. Demosthenes Orat. cont. Aristogiton. dicebat, calumniatores, veluti inimicos naturæ ac bonorum, debere eradicari in Republica; & sicuti serpentes, & bufones venenati, quamprimùm à nobis videntur, statim occiduntur: *sic non expectandum ut calumniator serpentina, venenataque præditus naturâ, mordeat, sed quisquis prior viderit, in eumve inciderit, ulcisci quamprimùm debere.* Ita refert P. Lorinus in Levit. c. 6. v. 2.

CAP. XIX. v. 14.

Longè minus malum est, si delinquenti in faciem dicam, eique exprobrem sua delicta; quia tali modo potest vel corrigi, vel se excusare aut retorquere; quam si maledicam illi, qui non audit & absens est. Hæc enim grandis malitia detractoris est, ejusque vilitatem demonstrat, dum audet illum offendere, qui nec se tueri, nec vindicare potest. Unde Deus præcipit; *Non maledices surdo.* Levit. 19. v. 14. id est, *de eo, qui ipsum non audit*, ut interpretatur S. Antoninus 2. p. tit. 8. cap 4 §. 1. Et S. Cyrillus Alexandrinus in Collectaneis c. 12. *Non detrahendum absenti, qui non audit.* 388.

Detractio absenti facta.

Contra hanc malignarum linguarum fæcem ordinavit S. Augustinus, teste Possidonio in ejus vita cap. 22. ut ad mensam fuerit publicè suspensum hoc distichon;

Quisquis amat dictis absentûm rodere vitam,
Hanc mensam indignam noverit esse sibi.

Seu rectius;

Hanc mensam vetitam &c.

Horatius lib. 1. Satyr. 4.

- - *Absentem qui rodit amicum,*
Qui non defendit alio culpante: solutos
Qui captat risus hominum, famamque dicacis;
- *Hic niger est; hunc tu Romane caveto.*

CAP. XIX. ℣. 14.

389. NOn potest non esse homo malus, qui studiosè ante pauperem cæcum poneret offendicula, in quæ impingens, cum suo damno præberet aliis occasionem ridendi ac illudendi. Unde etiam ille non potest non esse impius ac sceleratus, qui aliis præbet occasionem incidendi in vitia, cadendi in fossam errorum, & deviandi à via virtutum. Contra hanc deformitatem statuit Deus; *Nec coram cæco ponas offendiculum.* Levit. 19. v. 14 simile decretum est Deuter. cap. 27. v. 18. *Maledictus, qui errare facit cæcum in itinere.*

Non detur aliis occasio peccandi.

Juvenalis meminit hujus præcepti, & Satyrâ 14. dicit, quòd Hebræi non sint soliti ostendere viam, nisi solis Israelitis.

Romanas autem soliti contemnere leges,
Judaicum ediscunt, & servant, ac metuunt jus,
Non monstrare vias eadem nisi sacra colentes
Quæsitum ad fontem solos deducere verpos.

Tullius l. 3. offic. scribit, Athenienses fecisse graves imprecationes adversùs illos, qui maligno animo recusabant peregrinis monstrare viam, sicque occasionem dabant, ut deviando inciderint graves ac exitiosos errores.

CAP. XIX. ℣. 15.

390. JUstitia repræsentatur bilancem sustinens manibus, quia procedens cum æquitate, nunquam deflectere debet ad sinistram vel dexteram, ita ut nec ex passione vel odio, nec ex respectu ad divitias vel paupertatem, sed absque omni personarum distinctione tribuat cuicumque, quod ratio exigit. In rem præsentem seriò jubet lex sacra; Levit. 19. v. 15. *Non facies quod iniquum est; nec injustè judicabis. Non consideres personam pauperis, nec honores vultum potentis. Justè judica proximo tuo.* Haud aliter Exod. cap. 23. v. 3. *Pauperis non misereberis in judicio.* & v. 6. *Non declinabis in judicium pauperis.* Deuter. c. 1. v. 17. *Nulla erit distantia personarum, ita parvum audietis, ut magnum; nec accipietis cujuscumque personam, quia Dei judicium est.* Hoc encomium tribuitur Salvatori Matth. 22. v. 16. *Scimus quia verax es, & viam Dei in veritate doces, & non est tibi cura de aliquo: non enim respicis personam hominum:* Justitia, inquit S. Hieronymus in Regul. Monach. *Patrem vel fratrem non novit, sed novit veritatem; personam non accipit, & Deum imitatur.*

Justitia sine passione.

Pythagoras inter alia jussit; *Stateram ne transilias; hoc est,* inquit Collector Adagiorum, *ne quid facias præter jus & æquum.* Doctrina hæc ex libris Mosis desumpta est, ut ait S. Clemens Alexandrinus lib. 5. Stromat. *Eorum, quæ à Moyse dicta sunt de justitia, compendium fecit Pythagoras, dicens: stateram non esse transiliendam: hoc est, non prætergrediendam esse æqualitatem, quæ versatur in distributionibus honorando justitiam.* Lucianus in Hermotino inquit, Areopagitas pro tempore judicii elegisse obscuram noctem, idque, ut scribit Alexander ab Alexandro lib. 3. c. 5. *Ut procul ab omni affectu, tantummodò facta cognoscerent personas non viderent.* Ystella in Exod. 23. v. 4. refert, quòd, dum quidam pater Cartusianus, nomine *Fort*, in Catalonia cum nimio ardore commendâsset causam cujusdam pauperis contra quemdam divitem, ab imagine crucifixi, quæ adhuc adoratur in Monasterio, vocato *Scala Christi*; acceperit hoc oraculum; *Fort, non placet mihi ista charitas.* Unde Vatablus reflectens ad verba antea commentatur; *Licet multo favore Deus ubique prosequatur pauperes, & nolit opprimi: non vult tamen respectu paupertatis judicium corrumpi.*

CAP. XIX. ℣. 16.

DAmna nimiùm quantùm gravia infert malitia serpentinæ linguæ, quæ nunc secretò, 391.
nunc apertà spargit calumnias in proximum, eique fidem diminuit ac infamiis onerat. Ah! mi homo, inquit Deus Levit. c. 19. v. 16. *Non eris criminator, nec susurro in populo.* Reverà enim ejusmodi criminationes abominantur homines, & odit Deus; *Abominatio hominum detractor.* Prov. 24. v. 9. *Susurrones, detractores, Deo odibiles.*

Detractor abominabilis.

Artabanus apud Herodotum vocat *detractionem gravissimum quid, molestissimumque.* Vespasianus Imperator fiscales calumnias magnâ calumniantium pœnâ repressit, ferebaturque ejus vox; *Princeps, qui delatores non castigat, irritat.* Antoninus Pius Imperator delatores, si non probarent, oblato præmio dimisit quasi personas infames.

CAP. XIX. ℣. 17.

QUia Deus cuilibet imposuit mutuam curam 392.
sui proximi, idcircò ipsius spirituali infirmitati applicare debemus opportuna remedia, ut in omnibus suis indigentiis adjuvetur ac corrigatur. *Non oderis fratrem tuum in corde tuo, sed publicè argue eum.* Levit. 19. v. 17. apertè, & ut dicunt Interpretes, *manifestè, ac voce expressâ.* Ita etiam consuluit Ecclesiasticus cap. 19. v. 13. *Corripe amicum, ne fortè non intellexerit & dicat: Non, aut si fecerit, ne iterum addat facere: Corripe proximum, ne fortè non dixerit: & si dixerit, ne fortè iteret. Corripe amicum, sæpe enim fit commissio* S. Augustinus serm. 16. de Verb. Dom. *Debemus amando corripere, non nocendi aviditate, sed studio corrigendi.*

Correctio proximi.

Hanc à bono zelo dictatam correctionem, & desiderium juvandi proximum, etiam persuasum habuêre Gentiles. Plautus in Trinummo Act. 1. scen. 2.

Sed tu ex amicis certis, mihi es certissimus;
Si quid scis me fecisse inscitè, aut improbè,
Si id me accusas, tu ipse objurgandus es,

Inter proverbia Senecæ etiam ista reperiuntur; *Amici vitia si feras, facies tua. Cum his conversare, qui te corrigant. Secretò admone amicos, palam lauda. Vitia transmittit ad posteros, qui præsentibus culpis ignoscit &c.*

CAP. XIX. ℣. 18.

INter nobilissimas & heroicas actiones, quas 393.
generosus animus committere potest, recensetur, si non curet vindictam, & in animo oblitteret acceptas injurias. Hanc doctrinam tradidit Moses Levit. cap. 19. v. 18. *Non quæras ultionem nec memor eris injuriæ civium tuorum.* Est etiam persuasa à sapiente Ecclesiastico cap. 28. v. 1. &c. est approbata à Christo Matth. 5. v. 39. &c. & subscri-

Ignoscere.

subscripta à S Paulo Rom. 12. v. 19. Denique à S. Patribus efficaci ratione ac multiplici argumento centies stabilita.

Similibus documentis suos libros respersit Seneca; *Magni animi est, injurias despicere.* lib. 1. de Ira cap. 32. *Ille magnus & nobilis est, qui more magnæ feræ latratus minutorum canum securus exaudit.* & cap. 33. *Sæpè satius fuit dissimulare, quàm ulcisci sæpe adeò injuriam vindicare non expedit, ut ne fateri quidem expediat.* Et lib. 1. de Clementia cap. 21. *Cum civibus & ignotis humilibus eò moderatius agendum est, quò minoris est afflixisse eos. Quibusdam libenter parcas: à quibusdam te vindicare fastidias, &c.* Tullius pro Q. Ligario in encomium Cæsaris dixit; *Nihil oblivisci solitum, præter injurias.* Phocion iniquè ab Atheniensibus condemnatus ad mortem; cum interrogaretur, qualem doctrinam in extremo illo vitæ suæ puncto dare vellet suo filio? respondit, *Hoc ei mando, ne cum injuria memoria reddat Atheniensibus hanc propinationem*; ostendens calicem veneno plenum, quod absorbere debebat. Plutarchus & Æmilius Probus.

CAP. XIX. ℣. 18.

394. STupendum beneficium hominibus accrescit ex mutua amicitia & charitate. Inde enim præservantur à mille malis, & facillimè obtinent innumera bona. Quod unus homo efficere non potest, efficiunt multi per amicitiam conjuncti. Neque ob aliam causam homines, aliàs dispersi, in civitatibus uniebantur, nisi ut mutuâ amicitiâ sese adjuvarent. Nulla tamen unio est fortior illâ charitate & amore, qui non est à mæniis & muris. Ad hunc nos invitat lex Levit. cap. 19. v. 18. ubi suadet, ut diligamus amicum seu proximum sicut nos ipsos, quia inde summum profectum capturi sumus. *Diliges amicum tuum sicut te ipsum.*

Amicum amare sicut seipsū.

Hæc ergo est fortitudo veræ amicitiæ, ut duæ animæ sese mutuò stringant tantâ familiaritate, ut unus alterum amet, sicut se ipsum. Inhærendo opinioni Gentilium, egregiè discurrit Tostatus quæst. 1. in lib. 1. Reg. c. 18. v. 1. *Quando aliqui veri amici sunt, tanta est in eis colligatio, quòd jam non sunt ut duo homines, sed ut unus per unitatem affectionis: quia vera amicitia est idem velle ac nolle, ut ait Tullius in libro de Amicitia: & in tantum est ista identitas volitionis, quod id prædicatur identitas substantiæ, ita ut non dicatur, quòd duo amici sint duo homines: sed idem homo. Sic Aristoteles 9. Ethic. scilicet, quia amicus est alter ipse.* Similem amorem in se ipso expertus est S. P. Augustinus, dum lib. 4. Cant. c. 6. reflectens ad verba Horatii 1. Carm. od. 3. qui de Virgilio dicebat:

Et serves animæ dimidium meæ.

Ita discurrit; *Benè quidam dixit de amico suo, dimidium animæ meæ. Nam ego sensi animam meam, & animam illius unam fuisse animam in duobus corporibus, & ideò mihi horrori erat vita, quia nolebam dimidius vivere; & ideò fortè mori metuebam, ne totus ille moreretur, quem multùm amaveram.*

CAP. XIX. ℣. 20.

395. CÙm mancipium corporis facillimè disponatur ad actiones infames, quæ demonstrant mancipium animi; subjiciendo sese abominandis vitiorum ac delictorum vinculis; idcircò ad retinendam hanc lubricitatem injunguntur severæ pœnæ & rigida verbera non tam ancillæ, quæ talem impuritatem committit; quàm ei, qui illum ad lapsum deduxit. *Homo si dormierit cum muliere coitu seminis, quæ sit ancilla etiam nubilis, & tamen pretio non redempta, nec libertate donata: vapulabunt ambo.*

Fornicatio punita.

Variæ pœnæ statutæ sunt in stupratores ancillarum; uti videri potest in Petro Gregorio Syntax. lib. 36. cap 9 n. 7. 8. 9 Et in Jacobo Menochio de arb. Judic. lib. 2. casu 293. Hic tamen sufficiat dicere, quòd lex Salica conformiter ad Decisionem Levitici jubeat, ut servus commiscens se cum ancilla, puniatur centum & viginti verberibus; vel certè solvat Domino ancillæ certam summam pecuniariam; correspondentem verberibus, à lege in supplicium præfixis.

CAP. XIX. ℣. 26.

GRandis certè stultitia est, remittere resolutiones gravissimorum negotiorum ad aspectum aëris; ad volatum & garritum avium, ad comotionem quadrupedum, ad prodigia & monstra nonnunquam visa. Malè poterit animal irrationale nobis prædicere res futuras, quod non scit, quid sibimet eventurum sit. Pietati planè non parùm detrahitur, si in nostris negotiis recurramus, non ad oraculum Dei, sed ad operationes brutorum. Ab hac stultitia nos avocat Leviticus, jubetque; *Non augurabimini* cap. 19. v. 26. observatio hujus legis magnam gloriam attulit Israëlitis, de quibus protestabatur Balaamus Num. cap. 23. v. 23. *Non est augurium in Jacob, nec divinatio in Israel.* Hæc observatio rursus injungitur Levit. 19. v. 31. Ecclesiast. c. 34. v. 5. & alibi. 396.

Auguria prohibita.

Tametsi cæca gentilitas ab his auguriis sese miserè decipi passa sit; non tamen defuère homines prudentes, qui illa prorsus non æstimàrunt. S. Augustinus lib. 4. de Civit. Dei cap. 30. ait; *Ipsemet Cicero augur, atque dignitatis hujus laudator summus, irridet auguria* (lib. 1. de Leg.) *& reprehendit homines, corvi & corniculæ vocibus vitæ consilia moderantes.* Hector apud Ovidium Iliad. 12. ridet auguria, & dicit;

Aligeris avibus tu me parere jubes nunc,
Quarum nulla mihi cura, aut respectus, utrumne
Ad dextram Eoi veniant mihi solis ad ortum,
An levā, ad solem occiduum, noctisq; tenebris.
Verùm nos Jovis arbitrio parere necessum est
Altitonantis: hic Imperiū tenet unus in omnes
Quotquot mortales, quotquot sunt morte carentes,
Una avis optima, pro patria pugnare tuendâ.

Argumento hujus ultimi versus inhærens Fabius Maximus, tametsi augur, dicebat teste Tullio l. de Senectute. *Optimis auspiciis ea geri, quæ pro Reipublicæ salute fierent quæ contra Rempublicam, contra auspicia fieri.*

CAP. XIX. ℣. 26.

SI flagitium infamis lenonis nunquam satis damnari potest; utpote qui prostibulum portat in lingua, & puritatem simplicis puellæ ita contaminat, ut candidos agnellos commutet in fædas lupas, & fulgurantes stellas in fœtentes titiones; quid dici debebit, quando ipsemet pater agit lenonem suæ filiæ? Hoc facinus, in summo gradu abominandum, detestatur divina lex Lev. 19. v. 29. *Ne prostituas filiam tuam, ne contaminetur terra.* 387.

Pater leno

Negari non potest, quòd aliqui patres fuerint lenones suarum filiarum; quales erant Diom. Thracius, Tespius Rex Beotiæ, Cheops Rex Ægypti, Rex

Rex Pitheus, & Erisichton Rex Thessaliæ; non tamen fuère adeò multi. Aufidianus, Eques Romanus, cùm reperiret filiam ex persuasione Pædagogi à Faunio Saturnio vitiatam; suspendit lenonem ex infami patibulo, & filiam condemnavit ad immaturam mortem. Val. Maximus lib. 6. cap. 1. Constantinus Magnus prohibuit, ne virgines Phœniciæ prostituerentur, ut juxta antiquas leges, in illa provincia receptas, consueverant facere. Nicephorus lib. 7. c. 46. Theodosius & Valentinianus declarant liberas à potestate patriâ illas filias & ancillas, quas pater aut Dominus provocavit ad violandam honestatem. Et in C. de Episc. aud. l. si Lenones, ita decernunt; *Si lenones patres, & Domini suis filiabus vel ancillis peccandi necessitatem impo uerint: liceat filiabus & ancillis, Episcoporum implorato suffragio omni miseriarum necessitate absolvi.*

CAP. XIX. ℣. 30.

398. GRandis est necessitas, ut dies Sabbathi sanctificetur; & tamen istud præceptum reperitur centies innovatum. Levit. 19. v. 30. *Sabbatha mea custodite.* Et suprà num 3. ac postea cap. 26. v. 2. idipsum fuit insinuatum in Exodo c. 16. v. 23. *Requies Sabbathi sanctificata est Domino.* cap. 20 v. 8. *Memento, ut diem Sabbathi sanctifices* in Deuter. 5. v. 22. *Observa diem Sabbathi*: & in multis aliis locis. Ideò autem toties id repetit Deus, *quia*, ut ait Radulphus, *vacatio ista maximè placet Deo, cum quiescimus agere perversè, & peccati servitutem declinamus.* Debet quidem dies festivus esse dies quietis ab opere materiali; magis tamen ab opere peccaminoso; ut fideles offerant Deo gratam servitutem, & Deus vicissim devotis eorum obsequiis gaudeat ac complaceat.

Festa observentur.

Quantùm ad Gentiles, audiatur Alexander ab Alexandro lib. 4. c. 20. *Festi verò dies dicati fuère; in quibus forensibus negotiis omissis, sacrificia, ferias, ludos, epulasque solemnes celebrare, ac inter vota & sacra, faustaque omnia versari, verbisque profanis abstinere competit.* Huic observantiæ insistebant Romani, & Tullius lib. 2. de Leg. refert hanc legem; *ut feriarum festorumque dierum ratio in liberis requietem habeat litium & jurgiorum: in servis operum & laborum.* Dies festus à publicis ministris intimabatur populo, cum mandato; *ut homines abstinerent se opere*; prout scribit Sextus Pompejus lib. 14 Neque solùm castigabant transgressores nescio quâ mulctâ; sed etiam teste Macrobio lib. 1. c. 16. *Prater mulctam, qui talibus diebus imprudens*, id est, inadvertenter, *aliquid egisset, porco piaculum dare debebat.* Qui verò malitiosè transgressi sunt observantiam festi i *prudentem expiari non posse, Scævola Pontifex asserebat.* De hoc argumento vide Exod. 16. v. 23.

CAP. XIX. ℣. 30.

399. POstquàm Deus elegit templum, tanquam domum suam particularem, ubi congregarentur fideles ad ipsum supplicandum, & reciperent rescripta desideratarum gratiarum; utique summa veneratio ac honor debetur loco adeò sancto. *Sanctuarium meum*, id est, *templum*, ut explicant Interpretes, *metuite.* Levit. 19. v. 30. & rursùs c. 26. v. 2. *Pavete ad sanctuarium meum.* adeoque à nobis exigit timorem, id est, reverentiam, respectum, & venerationem suæ Ecclesiæ. *Religio ipsa*, inquit Lactantius Firmianus lib. de Ira Dei. cap. 8. *sine metu teneri aut custodiri non potest. Quod enim non metuitur, contemnitur. quod autem contemnitur, utique non colitur. Ita fit, ut Religio, & majestas, & honor metu constet.*

Veneratio templi.

Veneratio, templis debita, ab omnibus nationibus docetur. Lilius Giraldus Syntag. 17. pag. 502. scribit, quod Romani, cum ante aliquod templum præterirent, manus applicavere ori, *tanquam Deos venerarentur*; hæc enim actio significabat adorationem. Gentilium mos erat, teste Arnobio lib. 1. ut templorum portis in reverentiæ signum darent oscula. Ad hunc ritum alludit Tibullus,

Non ego si merui dubitem procumbere templis,
Et dare sacratis oscula liminibus.

Cuspinianus de Turcis refert, quòd in suis Moscheis præcipiant exactam modestiam ac rigorosum silentium, castigentque transgressores irremissibiliter. Æthiopes, ut refert Franciscus Alvarez c. 33. non intrant templum, nisi nudis pedibus; & quando iter agunt, nunquam supra equum prætereunt ante templum, sed equo aut rhedâ descendunt, & ex reverentia pedites transeunt, nec conscendunt equum, nisi per aliquod intervallum à templo recesserint.

CAP.. XIX. ℣. 31.

QUemadmodùm Deus habet suos Prophetas, quorum ore loquitur; ita Dæmon servat suos magos, quorum ope incautos ad gravissimas ruinas ac damna deducit. Ab hac peste vult Deus suos servos præservare, jubetque Levitici 19. v. 31. *Non declinetis ad magos, nec ab ariolis aliquid sciscitemini.* Prohibitio hæc innovatur Levit. 20. v. 6. & v. 27. Deuter. cap. 18. v. 10. *Nec inveniatur, qui ariolos sciscitetur, & observet somnia, atque auguria, nec sit maleficus, nec incantator, nec qui pythones consulat, nec divines, aut quærat à mortuis veritatem &c.* Contra istos vide Canonem Concilii Romani cap. 1. *si quis ariolos, haruspices, vel incantatores observaverit, aut phylacteriis usus fuerit, anathema sit.* 400.

Magi & arioli damnati.

Contra eosdem militant etiam expressæ leges Principum sæcularium. Constantinus lib. 3. C. de Malefic. prohibet magis, aruspicibus, divinatoribus, & eorum ministris, ne domos aliorum etiam amicorum ingrediantur; injungitque transgressoribus mortem ac pœnam ignis, illis verò, qui eos vocârunt, confiscationem bonorum. Constantius & Julianus capitali supplicio damnant magos, & divinatores; eosque vocant corruptelam ac pestem generis humani, ut scribitur C. eodem l. 5. 6. & 7. Imò ipsi etiam Poëtæ suadent, ne huic hominum fæci præbeatur fides. Unde Ovidius de Remed. Amor. 2.

Deme veneficiis, carminibusq; fidem.

CAP. XIX. ℣. 32.

INseparabiles comites senectutis sunt infirmitas & debilitas crescente ætate, deficiunt homini vires, & generatur in eo tædium, mœstitia, impatientia, quæ ipsum coram aliis reddunt odiosum ac contemptibilem. Ne ergo id contingat, suam authoritatem interponit Deus, jubetque, ut senibus exhibeatur omnis veneratio ac reverentia. *Coram cano capite consurge, & honora personam senis: & time Dominum Deum tuum.* Levit. c. 19. v. 32. Idipsum persuasit Eccle- 401.

Senectus honoranda.

Ecclesiasticus c. 4. v. 7. *Presbytero humilia animam tuam, & magnato humilia caput tuum.* Idque ipsis etiam juvenibus utile est; ut ad canam ætatem deducti, similes honores ab aliis accipiant, quos ipsi suis majoribus contulerunt. Unde Hesichius in c. 4. Thren: v. 16. ait; *Bonum est quidem, & eum, qui jam ad caniciem pervenit, honorare; habet enim tempus aliquid amplius proculdubio ad prudentiam: Sed & honorem, quem provectioribus impendimus, nos quoque à minoribus merebimur.*

Aristoteles l. 9. Ethic. c. 2. dicebat; *Omni seniori honor pro ætate reddendus est, assurgendo, & sessione cedendo.* Tullius lib. 2. Offic. *Est adolescentis, majores natu vereri.* Romani dabant Senibus eundem honorem, quem magistratui; ut testatur Callistratus l. semper D. de jure immunit. Plato lib. 9. de leg. statuit, quemlibet debere verbis & factis honorare senes. Spartani grandem reverentiam exhibuerunt senectuti, ut scribit Plutarchus Apoph. Lacon. Et Valerius Maximus lib. 4. c. 5. & lib. 2. c. 14. Juvenalis Satyr. 13. de antiquis sapientibus ait;

Credebant hoc grande nefas, & morte piandum,
Si juvenis vetulo non assurrexerat, & si
Barbato cuicunque puer &c.
Tam venerabile erat præcedere quatuor annis;
Primaque par adeò sacra lanugo senectæ.

Simili modo Ovidius lib. 5. Fast:

Magna fuit quondam capitis reverentia cani,
Inque suo pretio ruga senilis erat.

CAP. XIX. ℣. 33.

401. Solus naturæ humanæ instinctus deberet nobis persuadere, ut omni humanitate prosequamur peregrinos, utpote homines nobis similes; maximè, quòd etiam nos possimus in eandem necessitatem devenire, & aliorum ope indigere. Nihilominus Deus expresso mandato id præcipit ut sui servi viribus tantò majoribus disponantur ad hospitalitatem & humanitatem. *Si habitaverit advena in terra vestra,* inquit Lev. c. 19. v. 33. *& moratus fuerit inter vos, non exprobretis ei, sed sit inter vos quasi indigena, & diligetis eum quasi vosmet ipsos.* Idipsum præcipitur Exodi cap. 22. v. 21. *Advenam non contristabis, neque affliges eum. &c.* c. 23. v. 9. *Peregrino molestus non eris.* Et Epist. 1. S. Petri. c. 4. v. 9. *Hospitales invicem sine murmuratione.* Hæc virtus summè celebratur in Abrahamo Gen. 18. in Loth Gen. 19. Imò in ipso Deo, de quo David Psalm. 145. v. 8. *Dominus custodit advenas.*

Hospitalitas.

A multis nationibus & insignibus personis diligitur & celebratur hospitalitas. Seneca lib. 4. de Benef. c. 38. *ostende!* inquit, *quàm sacra res sit mensa hospitalis.* Tullius lib. 2. de offic. ait; *Est valde decorum civitati, patere domos hominum illustrium, illustribus hospitibus, atque Republicæ est ornamento, homines externos hoc liberalitatis genere in urbe nostrâ non egere.* Ælianus de Var: Hist: l. 4. c. 1. *Lucanorum quædam lex sic habet: si sub occasum solis venerit peregrinus, volueritque sub tecto alicujus divertere, & is hominem non susceperit, mulctetur, & pœnas luat inhospitalitatis.* Alexander ab Alexandro lib. 4. c. 10. ait; *Germanis jus hospitii sanctissimum erat. Calabri quoque hospites comi hospitio benigne invitant.* Et subjungit; quod Megarenses & Corinthii mutuò certarint in sustinendis captivis belli, quos tanta amabilitate fovebant, ut eos tanquam hospites exceperint, & absque ullo lytro restituerint libertati. Neque mirum est, quod tantam benevolentiam ostenderint, dum inter alios Deos venerati sunt *Iovem* cognominatum *Hospitalem*, de hoc argumento egimus supra in Gen. c. 18. v. 1.

CAP. XIX. ℣. 35.

Non potest non dici infamis & sceleratus, qui actu decipit hominem, in ipso penitus confisum. 403. Nam qui furatur occultè, aut rapit violenter, damnum infert ei, qui nullam in ipso fiduciam reposuit. At Mercator, falsis ponderibus & vitiosis mensuris decipiens emptorem, offendit illum, qui omnem ac plenam fidem in eo collocat. Hanc iniquitatem, veluti insuperabilem in oculis Dei, damnat suprema lex Lev. 19. v. 35. *Nolite facere iniquum aliquid in judicio, in regula, in pondere, in mensura. Statera justa & æqua sint pondera &c.* Deut: 25. v. 13 *Non habebis in sacculo diversa pondera majus & minus, nec erit in domo tua modius major & minor; pondus habebis justum & verum.* Prov. 20. v. 10. *Pondus & pondus, mensura & mensura: utrumque abominabile est apud Deum,* & n. 23. *Abominatio est apud Dominum pondus & pondus: statera dolosa non est bona.* contra perfidos & fraudulentos hos homines invehitur David Psal. 16. v. 10. *Mendaces filii hominum in stateris, ut decipiant de vanitate in idipsum.* Et ipsemet Deus apud Micheam cap. 6. v. 11. *Nunquid justificabo stateram impiam, & sacelli pondera dolosa? &c.*

Pondera & mensuræ falsæ damnantur.

In hoc ipsum facinus invehuntur etiam sæculares. Pythagoras jubebat; *Stateram non transiliendam;* volens nimirum, mensuram erga omnes justam esse tenendam. Modestinus ff ad l. Cornel: de Falsar: l. penult. ita determinat; *Si venditor mensuras publicè probatas vini, frumenti, vel cujuslibet rei, aut emptor corruperit, dolove malo fraudem fecerit, quanti ea res est, ejus dupli condemnatur; decretoque D. Hadriani præceptum est, in insulam eos relegari, qui pondera aut mensuras falsâssent.* Concilium Moguntinum de Empt: & vendit. cap. 2. statuit; *Si quis justas mensuras, & justa pondera, causa lucri mutare præsumpserit, triginta dies in pane & aqua pœniteat.* Ad evitandas fraudes, in hac parte fieri solitas, Imperatores Valentinianus, Theodosius, & Arcadius ordinârunt, ut in singulis civitatibus & locis asserventur mensuræ ac pondera immutabilia ex marmore, & ære; quemadmodum scriptum est l. Modios. C. de susceptoribus. l. 10. Justinianus in templis posuit mensuras ac pondera, ut servarentur inviolabilia; prout suprà jam dixi in Exod. cap. 30. v. 13.

CAP. XX. ℣. 2. &c.

Deus est absolutus Dominus nostræ vitæ, 404. membrorum, & quidquid bonorum à natura de facto habemus, ut omnia illa possit nobis auferre absque ullo detrimento justitiæ. Unde nonnumquam punit filios temporali pœna, videlicet infirmitate aut morte, in supplicium delictorum, à parentibus commissorum. Hi enim in pœna filiorum acriter affliguntur, habentque illam instar freni, quo ab iniquitate & delicto retinentur. Certè cap. 20. Levitici, n. 2. jubentur supplicio mortis puniri, qui proprium filium obtulerint Dæmoni in victimam; & si minister justitiæ hanc executionem neglexerit; *Pœnam faciem meam,* inquit Deus ibid.

Peccatum patris aggravat pœnam in filios.

num. 5. *super hominem illum, & super cognationem ejus, succidamque & ipsum, & omnes, qui consenserunt ei. &c.* Ita Exodi c. 20. v. 5. protestatur; *Ego sum Dominus Deus tuus fortis, & zelotes, visitans iniquitatem patrum in filios in tertiam & quartam generationem.* Repetitur hæc pœna Deut 5. 9.

In hoc argumentum opportunè Plutarchus l. de sera Numinis vindicta; *Vindictam, quæ ob majorum facinora in filios ac universum debacchatur genus, manifestè aliquando cernimus: quandoquidem multos à sceleribus avertit, at ne similia audeant, deterret ac admonet.* Unde Horatius l. 3. od. 6. conversus ad populum Romanum, ait;

Delicta majorum immeritus lues
Romane

Huic consentit Homerus;

Quidquid delirant Reges, plectuntur Achivi.

Quare sacerdos quidam Gentilis apud Origenem l. 7. contra Celsum; dicebat; *Serò molunt Deorum molæ, & in natos natorum, & qui nascentur ab illis.*

CAP. XX. ℣. 10.

405. Tanta est deformitas adulterii, ut non potuerit ei alia pœna esse proportionata, nisi mortis. In Lege naturæ id definitum fuit à Patriarcha Juda, qui Thamarem damnavit ad ignem. Gen. 38 v. 24. In lege scripta hoc supplicium inviolabiliter determinatur Levit: c. 20. v 10. *Si mœchatus quis fuerit cum uxore alterius, & adulterium perpetraverit cum conjuge proximi sui, morte moriantur & mœchus & adultera.*

Adulterium punitur morte.

Athenienses jubebant adulteros ab equis trahi ac rapi per plateas, donec dilaniati ac mortui jacerent, ut scribit Suidas; interdum ipsos interficiebant ascia vel gladio, ut notat Heliodorus lib. 1. Æthiop. De Julio Cæsare & de Augusto narrat Suetonius in ipsorum vita; *Libertos ob adulterium capite damnarunt.* Constantinus lege sancivit, ut contaminans lectum conjugalem, elueret hanc maculam sanguine & ultimo supplicio. Exemplum hujus sententiæ affert Ammianus lib. 28. Xiphilinus in vita Alexandri Severi scribit, quòd Dion consul, reperiens, sententiam mortis contra tria millia adulterorum pronuntiatam, & adhuc plures hujus delicti reos in dies manifestari, cœpit in similibus inquisitionibus cum affectata negligentia procedere.

CAP. XX. ℣. 21. &c.

406. Insigne quoddam ingenium ait, incestum non posse melius describi; quàm *per omnes propinquorum cœtus tota libertate vagantem effrænis luxuriæ, atque infamis impudicitiæ fœditatem.* Ne proinde deesset validum frenum ad cohibendam hanc effrontem libidinosorum impudicitiam; Lex condemnat incestuosos ad infamiam & mortem. *Qui dormierit cum noverca sua, & revelaverit ignominiam patris sui, morte moriantur ambo.* Lev. 20. v. 11. &. v. 12. *Si quis dormierit cum nuru sua, uterque moriatur.* & Num 17. *Qui acceperit sororem suam &c. nefariam rem operati sunt, occidentur.* &. v. 19. *Turpitudinem materteræ & amitæ tuæ non discooperies &c.*

Incestus punitur morte.

Si à legibus civilibus adulterio est determinata pœna mortis, longè magis illa debetur incestui, delicto summè abominando, & enormi. Papinianus ff. ad l. Juliam. de Adulter. l. 38. ait; *Si adulterium cum incestu committatur, ut puta cum privigna, nuru, noverca, mulier quoque similiter punietur, id enim remoto etiam adulterio eveniret.* Marcianus ff. de quæst: l. 5. *Si quis viduam, vel alii nuptam cognatam, cum qua nuptias contrahere non potest, corruperit, in insulam deportandus est, quia duplex crimen est, & incestum, quia cognatam violavit contra fas, & adulterium, vel stuprum adjungit &c.*

CAP. XX. ℣. 26.

Summam puritatem & munditiem requirit Deus à suis servis, non solùm sacerdotibus & Levitis, sed etiam laicis. nimirum ut compareant vestiti insigniis illius Domini, qui totus est sanctitas & innocentia. *Eritis mihi sancti, quia sanctus sum ego Dominus &c.* Lev. c. 20. v. 26. Hic titulus specialiter deservit ad designandum Salvatorem mundi, qui apud Daniel. c. 9. v. 24. cognominatur *Sanctus Sanctorum.* Hoc titulo gloriabatur David propheta Psal. 85. v. 2. *Custodi animam meam, quoniam sanctus sum.* Ad hujus tituli gloriam extulit Apostolus cunctos fideles 1. Petri. cap. 2. v. 9 *Vos autem genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis.* 407.

Sanctus est titulus competens servis Dei.

Hoc nomen *Sancti* attribuerunt Gentiles suis falsis Diis. Tibullus apostrophe ad Herculem lib. 4. Eleg. 1[illegible]. dicebat;

Sancte Pater salve, cui jam favet aspera Iuno,
Sancte velis libro dexter inesse meo.

Aldus Manutius de Orthog: refert antiquam hanc epigraphen; *Sanctissimo Herculi invicto.* Achilles Tatius vocat Cupidinem *Sanctum puerum.* Hunc titulum Catullus Epigr. 37. attribuit Deæ Veneri;

Nam sancta Veneri, Cupidinique
Vovit. &c.

Quantum vox *Sanctus* significat rem sacram, usus eâ est Virgilius l. 6. Æneid. v. 65. ubi alloquens Sibillam, ait;

Tuque O Sanctissima Vates.

In hunc sensum Ennius vocavit Poëtas *Sanctos*; & similiter Ovidius;

Et sacri Vates, & Divûm cura vocantur.

In significato puri & innocentis vocem *Sanctus* usurpavit Virgilius lib. 12. Æneid. v. 448.

Sancta ad vos anima, atque istius inscia culpæ
Descendam.

Et lib. 11. vers. 154.

- - *Tuque O sanctissima conjux.*

CAP. XXI. v. 1.

Cum sacerdotes fuerint assumpti ad vitam prorsus in Deum elevatam; & ad confirmandos populos in fide resurrectionis ac æternitatis beatæ; idcirco iis erat prohibitum, tangere cadavera humana, curare exequias, defunctos, & cujusdam mortui domum intrare. Singulis enim his actionibus contraxisset immunditiem legalem, factusque fuisset irregularis à sacris ministeriis. Ab hac lege erant exempti pater, mater, filii, fratres, & sorores virgines sacerdotum minorum; quorum mortem poterant plangere, & eorum exequiis intervenire. *Ne contaminetur sacerdos in mortibus civium suorum, nisi tantum in consanguineis ac propinquis, id est, super patre & matre, & filio, fratre quoque & sorore virgine* Levit: cap. 21. v. 1. &c. 408.

Sacerdotes remoti à mortuis.

Si in contestationem affectus ad exequias cujusdam amici comparendum sit; ratio omnino suadet, ut eo honore prosequamur proximos consanguineos, maximè nostros parentes. Exequiæ celebratæ vocantur ab Eruditis *justa*; quasi hac demonstratione pietatis non esset causa justior. Adhæc exequiarum pompam vocamus

vocamus *parentare*; quia præ omnibus aliis est debita nostris parentibus;

Mollius ossa cubant manibus tumulata suorum.

Inquiebat Ovidius lib. 1. de Ponto. Aristoteles lib. 9. Ethic. c. 11. de Antiquis dicebat; *In funera quoque cognatos potissimùm prodire oportere arbitrabantur.* Plinius lib. 35. c. 2. *Semper defuncto aliquo, totus aderat familia ejus, qui unquam fuerat, populus.* Neque solum erat consanguineorum officium, interesse exequiis; sed etiam debebant portare feretrum. *Efferendi verò feretrum, propinquioribus virilis sexus dabatur munus*; inquit Alexander ab Alexandro lib. 3. c. 7. *Itaque filii, parentes, & fratres, sorores elatas funere deferebant.* addit exemplum Historicum; *Metello filii tres consulares, duo triumphales, unus censorius, & alter prætor lectum subiêre.* Josephus Laurentius de Funeribus; *Prosequebantur funus liberi, propinqui, affines, amici lugentium habitu, capite, capilloque demisso, ac filii quidem velatis, filiæ nudis capitibus, passisque crinibus*

CAP. XXI. ℣. 1.

409. Cum officium sacerdotum sit, ministrare in templo, frequentare altaria, offerre victimas, oblationes, & sacrificia &c. idcircò iis præceptum erat, ne tangerent defunctos, aut civium exequiis assisterent, quia etiam contactus & vicinia cadaveris eos contaminabat ac polluebat; sicque quasi irregulares, & inhabiles ad sacra ministeria reddebat. Verba Legis sunt Levit: c. 21. v. 1. *Ne contaminetur sacerdos in mortibus civium suorum.*

Sacerdos remotus à defunctis

Ad effugiendam hanc contaminationem non solùm Judæi, sed etiam Romani consueverunt defunctos sepelire extra civitatem, quia credebant vel solo illorum aspectu se reddi inhabiles, ut assistant sacrificiis aut templa adeant. Servius supra lib. 10. Æneidos ait, quòd Romani *polluti funere, minimè sacrificabant.* Quòd si fortè accidisset, ut eodem tempore deberent sepelire defunctum & offerre sacrificium; prius sacrificabant, & postea comitabantur exequias. Idipsum consuevere Græci, ut insinuant Euripides in Taur: & Lucianus de Dea Syria.

CAP. XXI. ℣. 11.

410. Erat quidem sacerdotibus minoribus permissum comitari exequias proximorum consanguineorum; Summo Pontifici tamen id expressè prohibebatur; Iste enim ministerii sui sublimitate supra homines elevatus, non debebat subjacere affectibus humanis; Sed vivere quasi totus in Deum absorptus. *Ad omnem mortuum non ingredietur omninò: super patre quoque suo, & matre non contaminabitur.* Levit. c. 21. v. 11. S. Hieronymus Epist. 25. *Sacerdos magnus ad patrem, matrem, fratresque, vel liberos mortuos, prohibetur accedere, ne videlicet anima, Dei sacrificiis vacans, & tota in illius mysteriis occupata, aliquo impediatur affectu.* Ad hoc propositum Philo l. 2. de Monarch: observat, quòd Summus Pontifex non potuerit publicas exequias suorum progenitorum comitari; *Postulat enim lex in eo viro præstantiorem homine indolem, quippe qui Deo sit familiaris præ cæteris, situs in quodam divinæ humanæque naturæ confinio.*

Pontifex non poterat plangere mortem parentum.

Hanc observantiam imitati sunt Gentiles. Aulus Gellius lib. 10. c. 15. loquens de sacerdote Jovis apud Romanos, ait; *Locum, in quo bustum est, nunquam ingreditur. Mortuum nunquam attingit.* Imò ut scribit Festus, non erat ei permissum audire tibias, in exequiis usitatas. Cùm Pontifex deberet facere funebrem quamdam orationem in præsentia defuncti, solebant velum supra cadaver expandere, ne aspectus mortui contaminaret oculos Pontificis. Unde Seneca Consol: ad Marciam. cap. 15. *Tiberius Cæsar, & quem genuerat, & quem adoptaverat, amisit: ipse tamen pro rostris laudavit filium, stetitque in conspectu posito corpore, interjecto tantùm velamento, quod Pontificis oculos à funere arceret.* Id quod etiam fecit Octavianus Augustus in morte ac funere Agrippæ. Vocantur autem isti Imperatores Pontifices, quia reipsa erant Imperatores & Pontifices, perseverantque istæ duæ dignitates simul usque ad Constantinum Magnum, qui susceptâ fide Christiana, Gentilibus pontificatum renuntiavit.

CAP. XXI. ℣. 17.

Ad ministerium altaris debebant eligi acconsecrari personæ solummodò dignæ, prorsus exclusis indignis; Et certè si etiam victimæ defectuosæ & maculatæ fuerint rejectæ, longè magis observari debebat integritas & perfectio sacerdotum & Levitarum. Unde Deus statuit, ut in Sanctuario non audeant ministrare homines, naturali quodam defectu contaminati, cæci, claudi &c. neque deformes oculis, membris monstruosi, gibbosi, & lusci, scabiosi &c. *Qui habuerit maculam, non offeret panes Deo suo. Nec accedet ad ministerium ejus, si cæcus fuerit, si claudus, si parvo, vel grandi, vel torto naso, si fracto pede, si manu, si gibbus, si lippus, si albuginem habens in oculo. &c.* Levit: 21. à num. 17. usque ad 21. si ergò tanta circumspectione opus fuerit, ne corpus sacerdotis esset deforme; quanto magis debemus credere, desiderari à Deo spiritum & animam sacerdotis, ab omni vitio ac monstruositate liberam, & præservatam? *Si mortale corpus sacerdotis*, argumentatur Philo l. de Monarchia, *inspici oportet, ne quo contractum sit vitio, quanto magis animam immortalem.* 411.

Sacerdos sine defectu.

Quod defectus corporales reddiderint personas inhabiles ad ministeria templi & altaris, centum locis comprobatur. Aulus Gellius l. 1. c. 12. loquens de Virginibus, electis ad servitia Deæ Vestæ; ait, quòd leges Romanæ *negaverunt capi fas esse, quæ linguâ debili, sensuve aurium diminuta, aliave corporis labe insignita sit.* Ad hanc ordinationem reflectens S. Hieronymus Ep. ad Demetriadem; justè exprobrat illis parentibus, qui, cum non reperiant filiabus defectuosis, & monstruosis maritum corporalem, eas spiritualibus nuptiis conjungunt Deo, & ad votum virginitatis cogunt. Seneca Orator l. 4. Controv: producit legem; quæ jubet; *Sacerdos integer sit.* Dionysius Halicarnassæus l: 1. antiq: Rom. laudat Romulum, quòd ad officium sacerdotale elegerit homines, genere nobiles, & insignes virtutibus; ac proinde nec pauperes, nec corpore vel minimùm truncatos aut mutilos. Plinius l. 7. c. 38. dicit, Sergium fuisse à sacerdotio depositum, *quia dextram manum amiserat.* Et l. 28. c. 12. ait; *His, qui lentiginem haberent, negatum magicorum sacrificiorum usum.* Ad hoc propositum multas eruditiones collegit Cælius Rhodiginius lib. 12. c. 2. & Andreas Tiraquellus l. Connub. 2. n. 19. P. Lorinus in hunc loc.

CAP. XXII. ℣. 21.

412. Victimæ à fidelibus offerebantur Deo, non ut cuiquam Creatoris egestati providerent, utpote universali bonorum omnium Domino, nulliusque rei indigo; sed ut ei reverentiam, honorem, ac tributum penderent. Et quia oblationem victimarum vilium, infirmarum, & defectuosarum suam interpretabatur injuriam; *Nam*, ut Abulensis ait, *Deus judicat, se contemni, si offerantur ei animalia maculata.* idcircò expressè jubet, ut victimæ, sibi offerendæ, sint intactæ, integræ, sanæ spirituosæ, & sine macula: *Homo, qui obtulerit victimam pacificorum Domino vel vota solvens, vel sponte offerens, tam de bobus, quam de ovibus, immaculatum offeret, ut acceptabile sit; omnis macula non erit in eo. Si cæcum fuerit, si fractum, si cicatricem habens, si papulas, aut scabiem, aut impetiginem: non offeretis ea Domino. &c.* Levit: 22. v. 21. &c. 1. Similiter Malachiæ cap. 1. v. 8. *Si offeratis cæcum ad immolandum, nonne malum est? & si offeratis claudum, & languidum, nonne malum est &c.*

Victimæ sine defectu.

Illud ipsum etiam consideraruntGentiles. Euripides in Iphigenia facit, ut Agamemnon se obligaverit voto, quod Dianæ velit consecrare, *quidquid pulcherrimum annuus proventus produxisset.* Aristoteles in Sympofio protestabatur; *Nihil mutilum ac diminutum Diis offerimus, sed integra omnia atque absoluta.* Cœlius Rhodiginius l. 12. cap. 1. *Animalia sacris non incongrua, vocant Græci integra, insertaque, item immutilata.* Suidas testatur; *Omninò nisi perfectum esset & sanum, diis non sacrificabatur.* Rhodiginius ibidem subjungit. *Ulcerosas victimas sacris non adhibebant. &c.* Caveamus proinde, quantùm volumus cordis nostri victimas placere Deo, ut non permittamus victimas esse excæcatas passionibus, claudas vitiis, contaminatas inhonestate, corruptas libidine; sed demus ei, prout hortatur Apostolus, *Hostiam viventem, sanctam, Deo placentem &c.*

CAP. XXIII. ℣. 3.

413. Verissimum est illud Jobi cap. 5. v. 7. *Homo nascitur ad laborem.* Ne tamen continuis laboribus fractus succumbat, conceditur ei tempus quietis, in quo à præteritis molestiis respirare, ac vires recuperare valeat. Proinde Sabbatum proponitur tanquam determinatus ad quietem dies. *Sex diebus facietis opus: dies septimus, quia sabbati requies est, vocabitur sanctus. Omne opus non facietis in eo.* Levit. 23. v. 3. Idipsum præcipitur Exodi c. 20. v. 10. *Septimo die Sabbatum Domini Dei tui est: non facies omne opus in eo tu, & filius tuus. &c.* Et in Deuteronomio c. 5. v. 14. *Septimus dies Sabbati est, id est, requies Domini Dei tui. Non facies in eo quidquam operis. &c.* Ultra Sabbatum multi alii dies erant præscripti Judæis, quibus debebant cessare ab opere & festum agere; videlicet diebus Paschatis, Pentecostes, Tubarum, Tabernaculorum, Dedicationis templi &c.

Festivis diebus quiescitur.

Apprime dicebat Democritus, vitam nostram sine diebus festivis fore longam viam sine hospitio. Unde Plato l. 2. de Leg. scribit; *Deos miseratos labores hominum, instituisse festa, ut iis à laboribus quietem, & relaxationem aliquam obtinerent.* Unde Ovidius de die festivo canit lib. 1. Fast.

Prospera lux oritur; linguis animisque favete,
Nunc dicenda bono sunt bona verba die.
Lite vacent aures, insanaque protinus absint
Jurgia, differ opus livida turba tuum.

De hac materia dictum est Exodi cap. 16. v. 23. & Levit. cap. 16. v. 31.

CAP. XXIII. ℣. 12. &c.

In sacrificiis non solùm offerebantur Deo victimæ taurorum, vitulorum, hircorum, ovium &c. Sed etiam supra altaria & supra victimas spargebantur aliæ res, videlicet flos farinæ, thus, aqua, oleum, vinum &c. quæ vocabantur Libamina. Levit: cap. 23. v. 12. *Cadetur agnus immaculatus anniculus in holocaustum Domini.* en victimam! *Et libamenta offerentur cum eo, duæ decimæ similæ conspersa oleo in incensum Domini, odoremque suavissimum: liba quoque vini &c.* Ejusmodi textibus plenæ sunt Sacræ litteræ. Ad hunc ritum videtur allusisse Apostolus Philip. 2. v. 17. *Sed & si immoler super sacrificium & obsequium fidei vestræ, gaudeo & congratulor omnibus vobis.* Volebat nimirum pro fide & Religione Philippensium, qui erant instar sacrificii; & pro Christo, qui erat stupenda victima, profundere promptissimo animo suum sanguinem, tanquam libamentum: 414

Libamina.

Hæc libamina frequenter fuerunt usitata à Gentilibus; unde ait Alexander ab Alex. l. 4. c. 17. quòd *prima sacrificii pars, libare Diis.* Eruditi dicunt, *Libum* derivare suum nomen à *Libero*: quasi Bacchus esset primus, qui, post certam victoriam obtentam, Deo obtulisset vinum ac libamina. In hoc argumentum Ovidius lib. 2. Fast:

Nomine ab auctoris ducunt libamina nomen,
Libaque quòd sacris pars datur inde focis.

Virgilius lib. 6. Æneid. v. 244. describit quoddam sacrificium;

- - - Frontique inspergit vina sacerdos
Et summas carpens media inter cornua setas
Ignibus imponit sacris, libamina prima.

Et v. 235. lib. 5. Cloantis ore, promittit Deo certas victimas;

Dii, quibus imperium pelagi, quorum æquora curro,
Vobis lætus ego candentem in littore taurum
Constituam ante aras voti reus: extaque salsos
Projiciam in fluctus, & vina liquentia fundam.

Ita apud Ovidium 11. Metamor. Peleus pater Achillis;

- - Deos Pelagi vino super æquora fuso
Et pecoris fibras, & fumo thuris adorat.

CAP. XXIII. ℣. 24.

Quemadmodùm Israëlitæ tempore verno celebrabant solemnitatem Paschæ, in memoriam exitûs & liberationis ab Ægypto; ita mense Septembri faciebant festa umbraculorum 415.
seu

Festa tabernaculorum. seu tabernaculorum, in memoriam tentoriorum è frondibus contextorum, in quibus eorum progenitores habitabant in deserto per quadraginta annorum spatium. *A quintodecimo die mensis hujus septimi erunt feriæ tabernaculorum &c.* Levit. 23. v. 34. Et rursus; v. 42. *Mense septimo festa celebrabitis, & habitabitis in umbraculis septem diebus. &c.*

P. Lorinus in Commentariis ad hunc locum observat, quòd non solùm Hebræi, sed etiam Romani & Athenienses celebrarint festa umbraculorum; aitque, *In Kalendario veterum Romanorum inter festa Maji mensis festum censetur umbraculorum; Id festum celebrabatur Athenis in honorem Minervæ &c.* Et paulò post subjungit, quòd, sicuti Hebræi in festis tabernaculorum portabant manibus frondes ac ramos arborum, uti præcipitur Levit. 23. v. 4. ita Athenis in honorem Minervæ *ferebant in templum pueri nobiles pubescentes vitis racemis ramos onustos.* De hoc festo Plutarchus in vita Thesei, & alibi.

CAP. XXIII. ℣. 40.

416. NE Israelitæ inter opulentias Palæstinæ oblivifcerentur Dei, qui eos post quadraginta annorum spatium è deserto duxerat; jussit, ut celebrarent festa tabernaculorum, offerendo victimas & sacrificia; præ omnibus autem debebant in signum jubili intrare sanctuarium, & tenentes manibus frondosos ramos è certis arboribus, tripudiare ac jubilare. *Sumetisque vobis die primo fructus arboris pulcherrimæ* (videlicet Cedri) *spatulasq; palmarum, & ramos ligni densarum frondium* (id est, ex myrto) *& salices de torrente, & lætabimini coram Domino Deo vestro.* Hoc ritu ibidem fideles celebrârunt, & adhuc celebrant sua festa, portando ad templum ramos arborum, in signum jubili & ornamentum sacræ domûs. Ita S. Hieronymus Epist. ad Heliodorum, celebrat Nepotianum. *Qui Basilicas Ecclesiæ & martyrum conciliabula diversis floribus & arborum comis, vitiumq; pampinis adumbravit.*

Rami arborum in ornamentum templorum.

Romani, festivi ob aliquam victoriam obtentam, ornabant papiliones militares variis frondibus hederæ, lauri &c. ut ait Plutarchus in Æmilio, & Mario; & Apianus l. 3. de Bello civili. Similiter in solemnitatibus ornabant templa & altaria frondibus ac floribus. Unde Valerius Flaccus 2. Argonaut.

— — *Delubraque festa*
Fronde tegunt.

Et Silius Italicus lib. 12.

Et festa cingunt montis (capitolini) *penetralia lauro.*

Virgilius lib. 2. Æneid.

Nos delubra Deûm, miseri, quibus ultimus esset,
Ille dies, festa velamus fronde per urbem.

Videatur Martinus Roa de die Natali cap. 22. ubi accumulat plurimas eruditiones in hanc materiam; ita etiam P. Lorinus in Acta Apost. c. 14. v. 12.

CAP. XXIV. ℣. 12.

417. HOrrore ac indignatione pleni fuêre Israëlitæ, quando hominis cujusdam sacrilegi execrabiles blasphemias audierunt. Nihilominus ei pœnam non statim irrogârunt; sed detinuerunt in arcta custodia, reservaruntque pœnam in aliud tempus, donec consuluissent Mosen, & Moses Deum, quid cum illo homine flagitioso statuendum esset. *Miseruntque eum in carcerem, donec nôssent, quid juberet Dominus.* Docebant nimirum eo procedendi modo, non debere præcipitari sententiam, sed multa consideratione agendum ac expectandum esse, quando de vita hominis vertitur causa.

Tarditas in judicio.

Ad hoc argumentum præclare discurrit Juvenalis Sat. 6.

Pone crucem servo, meruit quo crimine servus
Supplicium? quis testis adest? quis detulit? audi,
Nulla unquam de morte hominis cunctatio longa est.

Seneca l. 2. de Ira. c. 23. *Potest pœna dilata exigi, non potest exacta revocari.* Unde Tiberius statuit, executionem sententiæ capitalis debere prorogari decem diebus, ut Imperator, etiam absens, possit perlustrare causam, & infelici reo satisfacere; uti scribit Tacitus l. 3. Annal. & Suetonius in Tiber. c. 75. Ita Imperatores Gratianus, Valentinianus, & Theodosius ordinârunt, ut triginta dierum spatio suspenderetur executio illius sententiæ, quam Princeps iratus præcipiti severitate pronuntiâsset in alterius damnum, ut habetur l. si vindicari. C. de Pœnis.

CAP. XXIV. ℣. 17.

DElictum utique gravissimum est, violentas manus inferre hominis vitæ, eumque occidere; prout etiam capitali pœna à lege divina punitur. Ita non solum Levit. 24. v. 17. *Qui percusserit & occiderit hominem, morte moriatur.* Sed etiam Numer. c. 35. v. 16. *Si quis ferro percusserit, & mortuus fuerit qui percussus est: reus erit homicidii, & ipse morietur: si lapidibus jecerit, & ictus occubuerit: similiter morietur. &c.* Et in Apocalypsi cap. 13. v. 10. *Qui in gladio occiderit, oportet eum in gladio occidi.* 418.

Homicida punitur morte.

Quod voluntarius homicida debeat pœna capitali plecti, omnibus legibus & decretis Principum comprobatum, & in praxin deductum est. Imò ipsemet etiam infernus videtur huic sententiæ subscripsisse, quando oraculum Apollinis Delphici, ut refert Ælianus l. 3. Var. Hist. cap. 42. Legatis Sibaritarum, qui in templo occiderant innocentem quemdam Cythæredum, respondit:

Cede meis mensis, manibus nam sanguis adhærens,
Distillansque recens, prohibet tibi limina templi.
Non tibi fata canam: magnæ Junonis ad aram
Musarum innocuum stravisti cæde ministrum.
Non immortales Dii hoc patientur inultum.
Si quis enim prudens scelerata, è mente profectum
Committat facinus, gravis hunc propè pœna sequetur.

Non exorabit, neq; si genus ab Jove summo
Duceret: ipse suo collo, colliq; nepotum,
Hoc luet, & generi cumulatim damna ferentur.

Imò non tantùm homines homicidæ, sed ipsæ etiam statuæ, quæ cadendo hominem occiderant, coram judicibus condemnatæ sunt tanquam reæ, & in profundum maris præcipitatæ ac submersæ; ut refert Eusebius l. 5. de Præparat. Verum de Homicidii pœna dixi suprà Genes. cap. 9. v. 6.

CAP. XXV. ℣. 3. &c.

419. Quies datur campis. NOn solùm hominibus præcepit Deus quietem Sabbati, sed etiam campis, vineis, & agris, qui anno septimo debebant relinqui in quiete; ac proinde nec poterant aratris subigi, nec ab agricolis fatigari, nec seminibus conspergi, aut meti. *Sex annis agrum tuum, & sex annis putabis vineam tuam, colligesq; fructus ejus. Septimo autem anno sabbatum erit terræ, requietionis Domini: agrum non seres, & vineam non putabis.* Levit. 25. v. 3. &c. Ne verò populus timeret penuriam aut egestatem ob defectum colendæ terræ; Deus promittit specialissima providentia tot fructus in sexto anno, quot sufficere poterunt ad Israëlitas non tantùm illo, sed etiam septimo anno, videlicet Sabbato; imò & subsequente, ubi messem colligere non poterant, sustentandos. Deus providet indigentiis hominum. *Quòd si dixeritis*, ibid. num. 20. *quid comedemus anno septimo, si non severimus, neq; collegerimus fruges nostras? Dabo benedictionem meam vobis anno sexto, & faciet fructus trium annorum.* Ita nimirum Deus in se recipit hominum curam; & cùm sciat eorum necessitatem, benigna pietate illis providet. Juvenalis Sat. 10.

- - - - Si consilium vis
Permittes ipsis expendere numinibus, quid
Conveniat nobis, rebusque sit utile nostris.
Nam pro jucundis aptissima quæque dabunt Dii,
Charior est illis homo, quàm sibi.

Hanc doctrinam Juvenalis forsan à Socrate didicit, de quo Valerius Maximus l. 7. c. 2. *Socrates humanæ sapientiæ quasi oraculum quoddam terrestre, nihil ultra petendum à Diis immortalibus arbitrabatur, quàm ut bona tribuerent. Quia ii demum scirent, quid unicuiq; esset utile: nos autem plerumq; id votis expetere, quod non impetrâsse melius foret.* Unde hominibus terrenis, inquietis, timidis, & pusillanimibus dici potest, quod Valerius, humanæ menti loquens, subjungit; *Desine igitur stulta futuris malorum tuorum causis, quasi felicissimis rebus inhiare, teque totam cœlestium arbitrio permitte. Quia qui tribuere bona ex facili solent, etiam eligere aptissima possunt.*

CAP. XXV. ℣. 25.

420. Retrovenditio. SOllicitè curabatur, ut tribus Israël conservaretur: unde statutum fuit, ut, si quis necessitate compulsus, venderet parvulum quemdam agrum, competeret ei pactum retrovenditi, posséque soluto pretio, agrum repetere. quod si ille non posset, repetendi facultatem haberet proximus consanguineus addità insuper hac conditione, ut in anno jubilæo, videlicet quinquagesimo, omnes fundi & bona immobilia, semper redirent ad primum dominum. Levit. 25. v. 25. *Si attenuatus frater tuus vendiderit possessiunculam suam, & voluerit propinquus ejus, potest redimere, quòd ille vendiderat. &c.* Hanc observantiam comprobavit Ruth. c. 4. v. 3. *Partem agri fratris nostri Elimelech vendet Noëmi &c. si vis possidere jure propinquitatis: eme, & posside &c.* Ita Hierem. c. 32. v. 8. *Posside agrum meum, qui est in Anathoth in terra Benjamin: quia tibi competit hereditas, & tu propinquus es, ut possideas. &c.*

In hoc argumentum mirificè deservit, quod scripsit Hermogenes ff. de minor. l. 35. *si in emptionem penes se collatam adjectione ab alio superetur, implorans in integrum restitutionem, audietur, si ejus interesse, emptam ab eo rem fuisse, adprobetur, veluti quod majorum ejus fuisset, ita tamen, ut id, quod licitationi accessit, ipse offerat venditori.* Quòd hoc antiquitus fuerit in usu, colligitur ex constitutione Valent. Theodosii, & Arcadii C. de contrahen. emption. l. 14. *Dudum proximis, consortibusq; concessum erat, ut extraneos ab emptione removerent, neque homines suo arbitratu vendenda disponerent.* Et ut compendio dicam, quando debitor sua bona vendit, & creditores æquale pretium offerunt, præferri debet ille, qui est parens debitoris, ut notatur l. 1. ff. de Privil. credit.

CAP. XXVI. ℣. 3.

VIderi possit, inter Deum & homines ita conventum esse, ut homines pendant Deo obsequium, reverentiam, & obedientiam; vicissim verò Deus iis tribuat desideratam bonorum copiam. Unde servis suis promittit, se aperturum cœlestia æraria, & donaturum pretiosos thesauros pluviarum. *Si in præceptis meis ambulaveritis, & mandata mea custodieritis, & feceritis ea, dabo vobis pluvias temporibus suis: & terra gignet germen suum. &c.* Repetitur hoc promissum Deut. c. 11. v. 14. *si ergo obedieritis mandatis meis, quæ ego hodie præcipio vobis, ut diligatis Dominum Deum vestrum & serviatis ei in toto corde vestro, & in tota anima vestra; dabit pluviam terræ vestræ temporaneam & serotinam, ut colligatis frumentum.* Et cap. 28. v. 12. *Aperiet Dominus thesaurum suum optimum, cœlum ut tribuat pluviam terræ in tempore suo.* Ad hanc beneficentiam reflectens Job, dicebat; *Deus est pluviæ pater.* Job. 38. v. 28. 421. Pluvia est donum Dei.

Quòd pluviæ sint effectus bonitatis divinæ, ex ærariis infinitæ providentiæ profluentes; affirmat Ovidius l. 2. de Pont. Eleg. 1. ubi de Deo loquens, canit;

— — Utilibus rigat imbribus agros.

Et prior illo Orpheus in Hymno; Dei proprium esse

Mittere fructuum altrices imbres in matrem terram.

CAP. XXVI. ℣. 8.

INter præcipua Dei nomina recensetur, quòd sit Dominus exercituum. Quà talis utitur paucis ad profligandos multos, confert suis fidelibus prodigiosas victorias, destruit, instar follis, nebulas forbilissimorum Magnatum; transfert regna & imperia pro suo libitu. Hæc mirabilia promisit suis Israëlitis Levit. c. 26. v. 8. *Persequentur quinq; de vestris centum alienos, & centum de vobis decem millia: cadent inimici vestri gladio in conspectu vestro.* De his prodigiis cecinit Moses Deut. c. 32. v. 30. *Quomodò persequatur unus mille,* 422.

mille, & duo fugent decem millia: nonne ideò, quia Deus suus vendidit eos, & Dominus conclusit illos? Ita Abraham cum trecentis & octodecim militibus vicit exercitum quatuor Regum; Gen. c. 14. Sangar, armatus vomere, occidit sexcentos milites, Judic. 3. v. 31. Gedeon cum trecentis militibus prostravit centum viginti mille. Judic. 8. & 10. Jonathas cum suo armigero turbavit totum exercitum Philistæorum 1. Reg. c. 14. v. 6. David cum quatuor millibus ad internecionem delevit exercitum Absalonis, militum viginti millibus instructum. Machabæi exiguo militum manipulo obtinuerunt à Regibus & Belliducibus gloriosissimas victorias.

Quòd minor numerus superaverit integros exercitus, testantur etiam profani authores. Cyrus cum quatuordecim millibus prostravit centum mille milites Artaxerxis. Frontinus l. 4. c. 2. Epaminondas cum quatuor millibus superavit viginti mille sexcentos, ut refert Justinus lib. 9. Timoleon, referente Plutarcho in ejus vita, cum sex millibus occidit septuaginta millia. Lusitani iteratis vicibus in Oriente cum paucis turmis vicerunt formidabiles exercitus Indorum, Maurorum, & Mahometanorum, ut pluribus locis narrat Petrus Maffæus in Hist. Ind. &c.

CAP. XXVI. ℣. 9.

423. POstquàm Israelitæ promoti fuerant ad supremam felicitatem omnium bonorum; Deus promisit, se velle supra ipsos figere benignum suum aspectum; cum illis commorari, eosque consolari amabilissima sua præsentia; ut videlicet ex vicinia boni hujus infiniti in eos diffunderetur immensa copia omnium bonorum & divitiarum. *Respiciam vos, & crescere faciam.* Levit. 26. v. 9.

Præsentia Dei utilissima.

Similia prodigia credidère Gentiles producta à præsentia suorum falsorum Deorum. Virgilius, loquens de Baccho lib. 2. Georg. v. 391.

Implentur vallesq. cavæ, saltusq. profundi,
Et quocumque Deus circum caput egit honestum.

Et prior illo Catullus, etiam loquens de Baccho;

Quæ ubicumque tu puellus loca dexter adteras,
Ubicumq. sessitâras, nova germine tenero
Feriebat arbor aures, redimita pampinis.

Forsan uterque poëta alludere voluit ad id, quod scribitur in Hymnis, qui tribuuntur Homero; quòd videlicet Bacchus, captus à pyratis, quocumque fuit perductus, produxerit ubertatem, & germinaverint ubique pretiosissimarum uvarum fructus. Callimachus loquens de Phœbo, qui in habitu pastoris pascebat gregem Admeti, ita canit:

Pascua plena virent, nec sunt sine mollibus hædis,
Inter oves capræ, quas vultu respicit æquo
Phœbus oberrantes, nec sunt sine lacte bidentes.

CAP. XXVI. ℣. 11.

424. UT populus Hebræus esset securus omnis felicitatis à præsentia Dei recipiendæ; promisit Deus, se velle in centro & meditullio Judeæ habitare; eò quòd positus in medio celerius ac promptius posset indigentibus succurrere. *Ponam tabernaculum meum in medio vestri.* Levit. 26. v. 11. Similem declarationem fecit Exodi c. 25. v. 8. *Habitabo in medio eorum.* Et antea in Exodo cap. 8. v. 22. *Scias quoniam ego Dominus in medio terræ.* In hunc locum Hieronymus Oleaster; *Metaphora sumpta est à Regibus & Principibus, qui sedes suas ferè habent in mediu provinciis: ut melius & facilius illis prospicere, easq. regere, gubernare, tueri, & defendere, cùm opus fuerit, possint.* Unde David dicebat, quòd Deus *operatus est salutem in medio terræ.* Psal. 73. v. 12. Et Jesaias c. 12. v. 6. *Magnus in medio tui sanctus Israël.* Christus apud S. Luc. c. 22. v. 27. *Ego autem in medio vestrûm sum, sicut qui ministrat.* S. Joannes c. 20. v. 19. *Venit Jesus, & stetit in medio.* Denique in Apocalypsi comparuit *in medio septem candelabrorum.* c. 1. v. 13. *& in medio throni, & quatuor animalium, & in medio seniorum.* cap. 5. v. 6. *Et in medio quatuor animalium.* cap. 6. v. 6.

Deus stat in medio ut provideat omnibus.

Principes, solliciti de subditorum utilitate, ponunt thronum in centro regni, ut omnibus assistere, & quâvis occasione providere possint. Calonus pectori Alexandri Magni hanc importantem maximam tali artificio impressit. Sub aspectu hujus Regis expandit in terra quamdam pellem seu corium siccum & aridum, & supra margines ipsius ambulavit; pressum ex uno latere corium, contorquebatur, & in altum erigebatur ex altero. cùm verò illud in medio calcaret; *totum corium quietum & immobile erat*; inquit Zonaras Tom. 1. Annal; ubi subjungit; *Monebat autem eo exemplo Alexandrum, ne in extremis Imperii moraretur, sed media occuparet, ut sic. quæ circùm erant, quieta essent, seu in officio continerentur.* Antonino Pio hanc laudem tribuit Julius Capitolinus; *Ingenti auctoritate apud omnes gentes fuit: cùm in urbe propterea sederet, ut undiq. nuntios, medius utpote, citius posset accipere.* In hunc sensum prudens quidam consiliarius dixit Themistocli; *Optimè ipsum præfuturum Reipublicæ, si se omnibus æqualem præberet*; uti refert Plutarchus in Præcept. regendæ Reipublicæ.

Princeps utilis omnibus.

CAP. XXVI. ℣. 12.

QUasi parùm fuisset, quod Deus in medio Judeæ fixerit suam sedem, ut ibi integro amore posset succurrere Israëlitarum incrementis; adhuc ulterius se obligat, quòd velit circuire omnia latera, ut possit ipsorum utilitati tam publicæ, quàm privatæ providere. Ac si non reperiret dulciorem quietem, nisi dum fatigabatur beneficiis suo populo conferendis. *Ambulabo inter vos, & ero Deus vester.* Levit. 26. v. 12. Ad exemplum Dei videtur operatus David, de se ipso testans; Psal. 100. v. 2. *Perambulabam in innocentia cordis mei in medio domûs meæ.* In hunc locum Franciscus Tillmannus; *Eum, qui præest, in medio domus oportet ambulare. Omnium enim gerat curam necesse est: & diligenter providendum est illi, ne ulla unquam ovis vel ex hac parte, vel ex illa depereat. &c.* Ita Josephus vix erat declaratus Prorex Ægypti; mox *circuivit omnes Regiones Ægypti.* Gen. c. 41. v. 46. 425.

Princeps juvet omnes.

Ex hoc capite Plinius in Panegyr. celebravit Trajanum. *O veri Principis, atq. etiam consulis, reconciliare æmulas civitates, tumentesq. populos, non imperio magis, quàm ratione compescere: intercedere ini-*

iniquitatibus magistratuum, infectumq; reddere quidquid fieri non oportuerit: postremo velocissimi sideris more omnia invisere, omnia audire, & undequaq; invocatum, statim velut Numen adesse & assistere.

CAP. XXVI. ℣. 14.

416. DEus invitans populum ad sua obsequia & fidelem observantiam suarum sanctarum legum, promisit immensum cumulum felicitatis, quæ constabat viginti novem benedictionibus, explicatis Levitici cap. 26. à v. 3. &c. Quia verò reperiuntur homines ultra modum ingrati, qui ex receptis beneficiis pejores fiunt; idcircò transgressoribus suæ legis minatur & injungit gravissimas pœnas. *Quòdsi non audieritis me, nec feceritis omnia mandata mea &c. visitabo vos velociter in egestate & ardore, qui consiciat oculos vestros &c.* Levit. 26. v. 14. Ita Deus, arbiter totius universi, proponit præmia, & minatur supplicia: quia ambo sunt necessaria ad bonum regimen mundi; unde de ipso benè dicebat Propheta; *Dulcis & rectus Dominus.* Psal. 24. v. 8.

Misericordia cum justitia.

Socrates interrogatus, quæ civitas benè gubernaretur; respondit, *Ea, in qua invitantur boni præmiis, injusti dant pœnas.* Lisander interrogatus, quæ respublica præ aliis laudanda? *Ea,* dixit, *in qua fortibus viris, ac meticulosis congrua utrisque redduntur;* ut notavit Plutarchus in Apoph. Lacon. Theophrastus interrogatus; *Quidnam vitam humanam conservaret?* promptè respondit? *Beneficentia, honor, & pœna.* Lycurgus dicebat; *Duâbus rebus contineri Rempublicam, præmio, & pœna.* Hoc dictum ab aliis tribuitur Soloni.

CAP. XXVI. ℣. 18. &c.

417. NUmerus septenarius videtur consecratus ad denotandam calamitatem & miseriam. Jacob inter ardores caloris, & rigores frigoris servivit septem, & iterum septem aliis annis Gen. 29. v. 18. Supplicium Lamechi homicidæ ad mensuram ejusdem numeri fuit restrictus. *Septuplum ultio dabitur de Cain: de Lamech verò septuagies septies.* Gen. 4. v. 24. rigorosa vindicta de inimicis, est ipsis denuntiata ex numero septenario. Psal. 78. v. 12. *Redde vicinis nostris septuplum in sinu eorum.* fructus, qui recipitur ex semine iniquitatis, septenarius est. *Non semines mala in sulcis injustitiæ, & non metes ea in septuplum.* Ad castigandum mundum attulerunt Angeli *plagas septem novissimas.* Apoc. c. 15. v. 1. Verbo; in hoc cap. 26. Levitici, ubi agitur de suppliciis, destinatis in contumaciam & transgressionem populi Hebræi, continua fit mentio numeri septenarii; nimirum num. 18. *Addam correptiones vestras septuplum propter peccata vestra.* num. 21. *Addam plagas vestras in septuplum.* num. 24. *Percutiam vos septies propter peccata vestra.* & num. 28. *Corripiam vos septem plagis. &c.*

Septenarius numerus indicat calamitatem.

Eadem reflexio ubique fit in voluminibus Eruditorum. Hic verò sufficiat illa in persona Orphei, qui videns raptam suam dilectam consortem, eam planxit septem integris mensibus, ut scribit Virgilius lib. 4. Georg. v. 507.

Septem illum totos perhibent ex ordine menses
Rupe sub aëria, deserti ad Strymonis undam
Flevisse. &c.

Ovidius scribit, quòd ad recuperandam conjugem raptam, septem diebus moratus sit supra ripas fluminis infernalis, continuas spargens preces ac querelas.

Orantem, frustraque iterum transire volentem
Portitor arcuerat: septem tamen ille diebus
Squallidus in ripa, Cereris sine munere sedit.
Cura, dolorq; animi, lachrymaque alimenta fuère. &c.

CAP. XXVI. ℣. 19.

QUemadmodùm terra, instar amabilis matris, ad sustentandos viventes generat suos fructus; & cœlum, instar nutricis, versat pluvias ac rorem ad refrigerandas & nutriendas res inferiores; ita hominibus, contra legem Dei prævaricantibus, tam terra quàm cœlum subtrahunt sua obsequia, ut è cœlo, veluti æneo, capi nequeat vel unica humoris guttula; & è terra, veluti ferrea, nec minimum germen. Hæc est sacræ scripturæ phrasis Levit. 26. v. 17. *Conteram superbiam duritiæ vestræ. Daboque vobis cœlum desuper sicut ferrum, & terram æneam.* Similiter Deuter. cap. 28. vers. 23. *Erit tibi cœlum super caput tuum æneum, & terra tua ferrea.* Ita qui versùs Deum non demonstrat pietatem boni filii, dignus efficitur, ut vicissim Deus erga ipsum suspendat pietatem patris; neque permittat, ut recipiat è cœlo refrigerium, aut è terra alimentum. In hunc sensum S. Ambrosius l. 2. Hexam. c. 4. *Miserandam famem minatur impiis, & qui pietatem filiorum communi omnium Domino & patri exhibere nesciunt, careant nutrimento paternæ indulgentiæ, fit illis cœlum æneum concreto aëre, & solidato in metalls rigorem; fit illis terra ferrea, partus suos nesciens. &c.* 418.

Cœlum æneum & terra ferrea.

Impius subjacet iræ Dei.

Tametsi apud Authores profanos haud facilè reperiri possit, quòd ad demonstrandam siccitatem aut penuriam tribuant cœlo nomen æris, aut terræ nomen ferri; nihilominus Homerus Odyss. l. 15. vocat *cœlum ferreum.* & in Iliade l. 5. vocat illud *polycalchon*; id est, cœlum æneum: prout etiam Orpheus vocavit cœlum æneum, & loquens de loco, ubi situm est cœlum empyreum; ait:

Ipsius sedem æreo in cœlo firmavit.

Id tamen semper ad significandam incorruptibilitatem cœlorum; veluti scripsissent ad imitationem Jobi cap. 37. v. 18. *Tu forsitan cum eo fabricatus es cœlos, qui solidissimi quasi ære fusi sunt.* Interea cum essentia divinarum minarum habent aliquam sympathiam imprecationes Ovidii in Ibin.

Terra tibi fruges, amnis tibi deneget undas.

CAP.

CAP. XXVI. ℣. 36.

429. INter calamitosissimas pœnas una est, quòd Deus populo Hebræo in pœnam delictorum minitetur terrorem, malæ conscientiæ comitem. Unde grande quidem malum est, quòd impii debeant timere fragorem tonitruorum, stridorem tubarum, strepitum rotarum, periculum flagelli aut sagittæ volantis; at malum longè gravius est, quòd consternentur ac timeant, quando audiunt sonitum folii cadentis ex arbore, & ventum leviter commotum. Et tamen ita testatur Levit. cap. 26. v. 36. *Dabo pavorem in cordibus eorum in regionibus hostium, terrebit eos sonitus folii volantis, & ita fugient quasi gladium.*

Folia commota terrent impium.

Extrema hæc vilitas timidi animi, qui terretur ex commotione aut lapsu folii, explicatur apud Horatium lib. 1. Carm. ode. 23.

Vitas hinnuleo similis Chloe
Quærenti pavidam montibus aviis
Matrem, non sine vano
Aurarum, & sylvæ metu,
Nam seu mobilibus veris inhorruit
Adventus foliis, seu virides rubum
Dimovêre lacertæ,
Et corde, & genibus tremit.

Eadem allusione cecinit S. Gregorius Nazianzenus;

Foliorum lepores terrent soni;
Viros eviratos umbra rerum.

Verùm hoc argumentum repetemus in libro Sapientiæ cap. 17. v. 17. &c.

CAP. XXVII. ℣. 28.

430. REs sub voti titulo semel oblatæ Deo, statim erant consecratæ Deo, nec poterant unquam ullo modo sub titulo venditionis, permutationis, aut donationis redire ad usus aut ministeria profana. *Omne quod Domino consecratur, sive homo fuerit sive animal, sive ager, non vendetur, nec redimi poterit. Quidquid semel fuerit consecratum, sanctum sanctorum erit Domino.* Levit. 27. v. 28. ubi, ut observat P. Lorinus, præcisè sermo est *de eo, quod tantùm consecratur, id est vovetur Deo, voto & consecratione absoluta & perfecta.* Ad hanc observantiam respexit Ezechiel c. 48. v. 14. *Et non venundabunt ex eo, neque mutabunt, neque transferentur primitiæ terræ, quia sanctificatæ sunt Domino.*

Res consecratæ Deo non possunt profanari.

Celebris Legisperitus Paulus in l. inter stipulantem. §. sacram. ff. de Verb. obligat. protestatur; *Sacram vel religiosam rem inutiliter stipulor.* Justinianus expressè prohibet, ne res Deo consecratæ alienentur. l. sancimus 18. C. de ss. Eccles. §. sacræ Instit. de Rebus divin. uti nec illæ res, quæ serviunt ad usum sacrorum ministrorum, veluti campi. l. jubemus. C. eod. & ibid. auth. sicut. Imò nec oppignorari possunt, nisi in casu extremæ necessitatis; prout statuit Concilium Rhemense de Pignor. c. 1. *Nullus Presbyter præsumat calicem vel patenam, vel vestimentum sacerdotale, aut librum Ecclesiasticum tabernario vel negotiatori, aut cuilibet laico vel fœminæ in vadium dare, nisi justissima necessitate urgente.*

CAP. XXVII. ℣. 30.

DEus, absolutus Dominus terræ; *Domini est terra & plenitudo ejus.* Psal. 23. v. 1. cum eam distribueret Israelitis, dedit illis quidem possidendam, ea tamen lege, ut obligati essent, decimas omnium fructuum solvere Deo in manibus suorum sacerdotum. *Omnes decimæ terræ, sive de frugibus, sive de pomis arborum, Domini sunt, & illi sanctificantur.* Levit. 27. v. 30. Hoc præceptum injunctum est Exod. 22. v. 29. *Decimas tuas & primitias tuas non tardabis reddere.* Num. c. 18. v. 21. *Filiis Levii dedi omnes decimas Israëlis in possessionem pro ministerio, quo serviunt mihi.* Deut. 12. v. 11. *Illuc omnia, quæ præcipio, conferetis, holocausta & hostias, ac decimas, & primitias manuum vestrarum.* Idipsum repetitur 2. Esdræ. c. 10. v. 37. Ecclesiastici 35. v. 11. Ezech. c. 20. v. 40. Etiam ante legem scriptam Abrahamus solvit decimas Melchisedecho. Genes. 14. v. 20. Et Jacob promitit Deo decimas omnium bonorum acquisitorum. Genes. 28. v. 22. 431.

Decimæ debentur Deo.

Quòd Romani solverint Jovi decimas optimorum bonorum, testatur Cicero l. 2. de offic. & lib. 3. de Natura Deorum. Alexander ab Alexandro lib. 3. cap. 22. *Decimam quoque fructuum Herculi passim voveri: votumque effundi solere Romæ in usu comperimus.* additque; *quòd auspicatissimum duxerunt, & fortunatissimum; qua de causa Lucullum peritum Romani moris & juris, quòd decimam Herculi vovisset, votumque persolvisset, maximis auctum opibus, fortunisque æstimatum.* Plinius lib. 2. cap. 14. testatur, populos Arabiæ solvisse templo decimas thuris, antequam illud alienarent. Herodotus lib. 1. scribit, Ægyptios solvisse illos ex cynnamomo. &c. De hoc argumento copiosas eruditiones colligit P. Lorinus in hunc locum.

LUMINA REFLEXA EX NUMERIS.

CAP. I. ℣. 2.

432. Uia Israëlitis nunquam debebant deesse validi hostes, qui armata manu ipsorum iter in terram Chananæam impedirent, & ad quosvis progressus reprimendos obstinatè cum ipsis dimicarent; idcircò Moses ordinavit, ut totus populus lustraretur, ac digno sceretur, quot futuri sint habiles ad tractandum gladium & lanceas vibrandas; sepositis fœminis, senibus, infantibus, ac pueris; solisque iis recensitis, qui vigesimum annum excesserant. *Tollite summam universæ congregationis filiorum Israël per cognationes & domos suas, & nomina singulorum, quidquid sexûs masculini est à vigesimo anno & supra, omnium virorum fortium ex Israële.* Numer. c. 1. v. 2. &c.

Juvenes vocati ad bellum.

Ætas juvenilis, adhuc robusta & valida, habilis ad labores, & magnanima ad superandas oppositiones, censebatur opportuna ad militiam. *Incipientem pubertatem ad delectum cogendam nullus ignorat*; inquit Vegetius lib. 1. c. 4. Uti autem Israëlitæ conscripti sunt ad militiam anno ætatis vigesimo, ita Romani anno decimo septimo. *C. Tubero historiarum primo scripsit, Servium Tullum Regem populi Romani — ab anno septimo decimo, quòd idoneos jam esse Reipublica arbitraretur, milites scripsisse*; inquit Aulus Gellius l. 10. c. 28. id quod confirmat Alexander ab Alex. lib. 1. c. 20. addens, antiquum stylum fuisse, *singulos militia per numerum juniorum tabulis inscribere, qui catalogi dicti.* &c.

CAP. I. ℣. 3. &c.

433. Milites Hebræi in turmas distributi, juxta ordinem tribuum ac familiarum faciebant armilustrium in loco patente, ubi Moses & Aaron, supremi Belliduces, Principes, & majores tribuum erant simul congregati; tum ut cognoscerent suos subditos, tum ut eos sua præsentia animarent ad heroica & gloriosa facta. Miram enim efficaciam ad stimulandos milites habet præsentia & assistentia Principis & capitis. *Numerabitis eos per turmas suas*, inquiebat Deus ad Mosen, *tu & Aaron. Eruntq; vobiscum Principes tribuum ac domorum in cognationibus suis.* Num. 1. v. 3. &c.

Armilustrium

Sive agatur de modo armilustrii; etiam Romani consueverunt illud instituere in capitolio, foro, vel campo martio, præsentibus duobus cōsulibus, & quatuor colonellis; quia eo tempore nonnisi quatuor legionibus constabat exercitus Romanus. Sive agatur de militibus stimulatis ex præsentia Principum; solebat dicere Chabrias; *Terribiliorem esse cervorum exercitum leone duce; quam leonum agmen ducente cervo*; ut scribit Plutarchus Apoph. Demades Orator, videns Alexandrum Macedonem mortuum; dixit: *Exercitum Macedonum, Imperatore carentem, similem videri Cyclopi excæcato.* Plutarch. ibid Agesilaus, animans Spartanos ad pugnam Mantineam, ordinavit, ut curarent occidere solum Epaminondam, supremum Belliducem Thebanorum; securos illos reddens; *illo necato facilem fore de reliquis victoriam*; uti rursus refert Plutarchus citato libro.

Præsentia principis animat subditos.

CAP. V. ℣. 6.

Quia homo nativa sua fragilitate ac miseria nimiùm facilis est ad peccandum; Deus ex sua bonitate & misericordia ei proponit remedium; videlicet internum dolorem ac pœnitudinem cum externa confessione erroris commissi. *Vir sive mulier, cùm fecerint ex omnibus peccatis, quæ solent hominibus accidere*, (id est, si fecerint proximo aliquam injuriam, ut interpretatur Cornelius à Lapide; aud aliquod furtum vel rapinam, ut placet aliis Interpretibus) *confitebuntur peccatum suum &c.* Num. c. 5. v. 6. Talis est etiam admonitio Ecclesiastici c. 4. v. 24. *Pro anima tua ne confundaris dicere verum.* & n. 31. *Non confundaris confiteri peccata tua.* Et prior illo Salomon Prov. 28. v. 13. *Qui abscondit scelera sua, non dirigetur; qui verò confessus fuerit, & reliquerit ea, misericordiam consequetur.* 434.

Confessio obtinet veniam culpæ.

Thomas Waldensis Tom. 2. c. 137. n. 7. refert, se intellexisse ex Judæis Viennæ Austriæ, quòd soleant coram sacerdote confiteri in tribus casibus specialiter; videlicet adulterio privato, homicidio occulto; & occulta blasphemia Dei aut legis. Josephus à Costa lib. 6. de Procuranda Indorum salute. c. 12. scribit, in Nicaruga, Indiæ Orientalis Provincia, reperti fuerint apud Barbaros illos aliqui sacerdotes, destinati ad audiendas confessiones peccatorum & pœnas ipsis injungendas, qui etiam inviolabile servabant sigillum silentii, & à mulieribus ducendis abstinebant, tametsi aliis sacerdotibus hæc licentia fuerit concessa. Plutarchus Apoph. Lacon. narrat, quòd in Samotracia, quisquis volebat consecrari sacerdos & minister sacrificiorum, debuerit peccata, à se commissa, cuidam particulari sacerdoti confiteri. Et quia Antalcidas id facere recusabat, asserens, Deos satis benè nôsse culpas ab hominibus commissas; idcircò à sacro ministerio fuit exclusus.

CAP. V. ℣. 12.

Injuria, facta viro ab uxore intemperante ac libidinosâ; seu committente adulterium; modo loquendi prorsus modesto vocatur error. Num. 5. v. 12. *Vir cujus uxor erraverit, maritumque contemnens, dormierit cum altero viro. &c.* S. Paulus, expressurus obscenitatem actuum carnalium, eos vocat errores. *Turpitudinem operantes, & mercedem, quam oportuit erroris sui in semetipsis recipientes.* Rom. 1. v. 27. 435.

Errores sunt peccata carnalia.

Actionibus amorosis & carnalibus communiter

niter tribuitur nomen erroris; ad hoc demonstrandum sufficeret dictum Virg. Ecloga 8. v. 41.

Ut vidi, ut perii, ut me malus abstulit error.

Ad hujus imitationem Ovidius 2. Trist.

Illa nostra die, qua me malus abstulit error.

Et lib. 4. Trist. Eleg. 1.

Scit quoq; cùm perii, quis me deceperit error.

Similiter Propertius lib. 1. Eleg. 9.

Quare si pudor est quamprimùm errata fateri

Dicere quo pereas, sæpè in amore levat.

Hac phrasi etiam usus est Eleg. 13. - - *Novus incidit error.* loquens solummodò de materia amorosa.

CAP. VI. ℣. 14. &c.

436. NE maritus, nonnunquam zelotypiæ suspicionibus afflictus & tortus, à stulto hoc furore eò adigatur, ut suspectam adulterii uxorem occidat; disposuit Deus, ut ante sacerdotem probetur honestas vel impudicitia uxoris, deturque ei bibenda certa, & ultra modum amara aqua, gravissimis imprecationibus additis; ubi Deus continuum miraculum operabatur. *Si spiritus zelotypiæ concitaverit virum contra uxorem suam, quæ vel polluta est, vel falsâ suspicione appetitur, adducet eam ad sacerdotem. &c.* Num. 5. v. 14. usque ad 28.

Probatio castitatis conjugalis.

In vita S. Gangulphi Martyris scribit Surius die 11. Maji, quòd iste sanctus fecerit probationem, an sua uxor fuisset pudica, nec ne? tametsi verò non dederit ei bibendam aquam, uti solitum erat in lege Mosaica; fecit tamen, ut manum immitteret ad fundum cujusdam fontis, cujus aquæ erant admodùm temperatæ: quod cum ipsa exequeretur, pellis è manu & brachio decorticata est, sicque nuda carne testari debuit infelix adultera suam culpam. Alia probatio mulieris fuit manibus admotis ferro candenti; quod ei nihil nocebat, si fuerit pudica & innocens; ut scribit Joannes Cantacuzenus lib. 3. Hist. c. 27. Quia verò ista forma probandi alterius castitatem erat mera Dei tentatio; idcircò à sacris Canonibus damnata est. De hoc argumento prolixè discurrit P. Aloysius Novarinus in Aquis Nupt. c. 8.

CAP. VI. ℣. 18.

437. NOn potest non considerari ritus ille, Nazaræis præscriptus, qui debebant habere capillos rasos tam in capite; quam barba, ut explicant Interpretes; Illos verò Deo consecratos, debebant ad ipsius honorem supra sacrum altare comburere, Num. 6. v 18. *Radetur Nazaræus ante ostium tabernaculi fœderis cæsarie consecrationis suæ: tolletq; capillos ejus, & ponet super ignem, qui est suppositus sacrificio pacificorum.*

Capilli oblati Deo.

Hunc ritum Hebraicum, si non totum, saltem ex parte imitati sunt Gentiles; qui, licet suos capillos non combusserint, certè tamen eos obtulerunt templis ac idolis in trophæum vel sacrificium. De hoc more loquitur Tertullianus lib. de Anima. *Quis non exinde, aut totum filii caput reatui voret, aut aliquem excipit crinem, aut tota novacula prosecat, aut sacrificio obligat, aut sacro obsignat, publica & privata devotione?* Pausanias lib. 2. loquens de Hippolyto, uti credebant, ad immortalitatem promoto; ait: *Apud Trœzenios Hippolyto omni vita tempore sacerdos consecratur, eiq; sacrificia persolvuntur annua: præterea & tale quidpiam faciunt cuilibet puella; coma ante nuptias detondetur, temploq; illatam, ipsa detonsa dedicat.* Censorinus de die Natal. cap. 1. *Quidam pro certa boni corporis valetudine, crinem Deo sacrum pascebant.* Et Diodorus lib. 2. ait, quod in morbis juvenum facta sint vota hujus sortis; *si sanitatem recuperet, desectus illorum capillus Diis dicabitur.* Athenienses consueverunt, & re ipsa executus est Theseus, primitias capillorum suorum consecrare Apollini Delphico; ut refert Plutarchus in vita Thesei. Transiit hic ritus ad Romanos; & Martialis lib. 1. Epigr. 88. celebrat comam Eucolpi, portatam ad altare. l. 9. Epigr. 17. capillos Earini, Eunuchi Domitiani, oblatos templo. Suetonius in vita Neronis cap. 12. dicit, quòd iste Jovi Capitolino consecraverit propriam barbam, repositam in vase aureo. Qui in hoc argumentum desiderat plures eruditiones, consulat Gasparem Sanctium in cap. 21. Act. Apost. num. 7. Andream Pintum in spicilegio cap. 33. n. 14. Paulum Scherlogum Tom. 2. in Cant. c. 2. v. 6. vestigatione 21. num. 4. Franciscum Mendoza in 1. Reg. c. 1. n. 11. Annot. 10. circa litter. num. marginal. 33. Jo. Lorinum in Lib. Num. ad hunc loc.

CAP. VII. ℣. 89.

IN omnibus operationibus & resolutionibus magis arduis solebat Moses recurrere ad fontem sapientiæ, ut ibi levaret sitim; & ad solem æternum, à quo illuminaretur. Arca testamenti erat arca salutis & scientiæ; è qua Deus, veluti è sublimi cathedra, sedens supra Cherubinos, dabat responsa suo servo; neque poterat illius directio fallere, quia tota erat divina. *Cumq; ingrederetur Moyses tabernaculum fœderis, ut consuleret oraculum, audiebat vocem loquentis ad se de propitiatorio. &c.* Num. c. 7. v. 89. 438.

Consulere Deum.

Si Principes desiderent subditos feliciter gubernare, devotis precibus recurrant ad divinum oraculum, seu ad sapientiam æternam, ut ipsis propitio solamine assistat. Præclarè dicebat ille Eruditus; *Consiliorum gubernaculum mens divina.* Cambyses, ut refert Xenophon lib. 8. Cyripediæ, consilium accepit à Cyro; *Ut nihil publicum vel privatum ageret, nisi prius ad Deum confugeret.* De Scipione majore affirmat T. Livius lib. 26. *Nullo die prius ullam publicam, privatamq; rem agit, quàm in capitolium iret, ingressusq; ædem* (Templum Jovis) *consideret &c.* De Thoma Moro, supremo Cancellario Angliæ, scribit Thomas Stapletonus, quòd singulis diebus cum Deo egerit meditando, & orando; & quòd in negotiis difficilioribus accesserit sacram synaxin, à qua, velut ab oraculo, desumpsit directionem operandi justè & virtuosè juxta legem & voluntatem Dei.

CAP. VIII. ℣. 6.

TAmetsi Levitæ, separati à tota multitudine populi, essent speciali modo destinati ad solam & unicam servitutem Dei; non tamen prius accingebantur ad suprema ministeria, nisi certis cerœmoniis consecrati, purificati & loti; ut sacer Textus explicat Num. cap. 8. v. 6. *Tolle Levitas de medio filiorum Israël, & purificabis eos juxta hunc ritum: Aspergantur aqua lavationis, & radant omnes pilos carnis suæ. Cumque laverint vestimenta sua, & mundati fuerint &c.* Simili modo S. Ecclesia Catholica in ingressu Templi proponit fidelibus aquam benedictam, ut eadem con- 439.

Puritas sacerdotum.

conspersi & mundati, cum summa puritate & decore propinquare valeant ad sacra altaria, assistere tremendis sacrificiis, & capaces fieri ad obtinendas Dei gratias ac misericordias.

Quantum ad ritus Gentilium; Pollux lib. 1. dicebat; *Adeuntem Deos debere esse expiatum, aspersum, mundatum.* Hippocrates in lib. de morbo sacro (si tamen ille hujus libri est Author) ait; *Terminos templorum ac delubrorum designamus, ut nullus, qui non purus sit, eos transcendat. Et ingressuri respergimur non velut qui inquinemur: sed si quod etiam prius scelus habemus, ut purificemur.* Plutarchus de Solertia Animal. introducit sacerdotes Ægypti; *purgantes se ipsos aqua.* Et Virgilius lib. 6. Æneid. ut Æneas fieret dignus ingredi Plutonis regiam, canit;

Occupat Æneas aditum, corpusque recenti
Spargit aquâ.

CAP. VIII. ℣. 10.

440. Cum Levitæ deberent applicari penitus & unicè ad servitutem Dei; idcircò vocati ad offerendas victimas & libamina, non solùm lavabantur aquis lustralibus, & radebantur toto corpore; ut scriptum est Num. c. 8. v. 6. sed insuper ante tabernaculum Dei ponebant tribus Israël suas manus supra caput Levitarum. *Cumq; Levitæ fuerint coram Domino. ponent filii Israël manus suas super eos, & offeret Aaron Levitas munus in conspectu Domini &c.* Num. 8. v. 10. Qua ceræmonia indicabatur, quòd Israëlitæ à se ipsis separaverint suos confratres, eósque obtulerint Deo tanquam donum absolutum, cujus dominio & servituti illos consecrássent ac transtulissent. Ita declarant Joannes Lorinus & Cornelius à Lapide in hunc locum.

Manus ponuntur supra caput eligendorum Levitarum.

Hic ipse fuit ritus Romanorum, quando volebant servos manumittere, ponebant enim manus supra ipsorum capita, & iteratis vicibus dicebant; *Hunc hominem liberum esse volo.* Sicque levata manu à capite, illum constituebant in libertate. *Manumitti servus dicebatur*, inquit Festus, *cùm Dominus ejus aut caput ejusdem servi, aut aliud membrum tenens, dicebat, hunc hominem liberum esse volo, & eum emittebat manu.* Videatur Lælius Bisciola Horarum Subsecivarum Tom. 1. lib. 10. c. 17.

CAP. VIII. ℣. 24.

441. Levitæ, destinati ad servitium Dei, anno ætatis vigesimo quinto ad ministrandum ingrediebantur tabernaculum; ubi quinque annis serviebant Levitis majoribus & jam provectis; anno autem trigesimo ætatis obtulerunt immediata sua ministeria, portando vasa sacra, & laborando circa sacrificia & altaria. Tandem verò quinquagesimo ætatis suæ anno, tanquam benè meriti, destiterunt à solitis laboribus. *Hæc est lex Levitarum*; Num. c. 8. v. 24. *A viginti quinque annis & supra, ingredientur ut ministrent in tabernaculo fœderis. Cumq; quinquagesimum annum ætatis impleverint, servire cessabunt.* Residuum tempus impendebant custodiendo tabernaculo.

Levitæ incipiebant anno ætatis 25. servire, & finiebant 50.

Similis observantia erat cum Virginibus Vestalibus. Hæ enim, ut scribit Aulus Gellius lib. 1. Noctium Attic. c. 12. erant vocatæ ad ministerium Deæ Vestæ anno ætatis suæ sexto & decimo; primis decem annis applicabantur addiscendis ceræmoniis & ritibus, spectantibus ad illud munus; sequentibus decem annis re ipsa serviebant tanquam sacræ sacerdotes; tertio decennio instruebant alias juvenes, quæ subintrabant ad illud ministerium. Tandem verò *exacto circulo annorum triginta, vel emeritis stipendiis liberum erat vel sacerdotio solvi, & aliam vitam nancisci, vel si volet, aliis nubere, & filios educere, aut sacrorum curam gerere.* Alexander ab Alex. lib. 5. cap. 12.

CAP. VIII. ℣. 24.

Labores militiæ Ecclesiasticæ (ita enim vocari potest numerosa sacerdotum & Levitarum turba, destinata ad ministerium tabernaculi) erant restricti ad annum ætatis quinquagesimum; quò si pervenissent, tanquam benè meriti, residuis annis erant ab oneribus exempti: *A viginti quinq; annis & suprà, ingredientur, ut ministrent in tabernaculo fœderis. Cumque quinquagesimum annum ætatis impleverint, servire cessabunt.* Num. cap. 8. v. 24. 441.

Levitæ vacabant anno 50.

Quod hic dicitur de militia Ecclesiastica, erat statutum etiam de militia sæculari, quæ quinquagesimo ætatis anno desistebat à laboribus martialibus. Seneca de brevitate vitæ. cap. 20. *Lex à quinquagesimo anno militem non cogit, à sexagesimo senatorem non citat.* Ita Petrus Crinitus lib. 8. c. 13. *Lex traditur de senatoribus, ut ab omni senatûs munere vacarent, qui annum vitæ sexagesimum absolvissent. Item de militibus, ne supra quinquagesimum annum militiæ sacramento tenerentur.* Quod hi Authores scripserunt de Romanis; etiam apud Persas observavit Alexander ab Alexandro lib. 1. cap. 20. *Apud quos inventus à vigesimo ad quinquagesimum annum militare cogitur: ultra verò arma tractare vetitum.*

Milites dimissi anno 50.

CAP. X. ℣. 9.

Cum Israëlitæ in ordinatas militares turmas distributi, contrà hostes progredi deberent; jussit Deus, ut id fieret ad sonitum militarium tubarum; quarum stridor deserviebat tum ut congregarentur milites sub sua signa, tum ut animarentur ad generosos assultus; tum denique ut hostibus indicaretur bellum, eorumque cordibus incuteretur gravissimus terror. *Si exieritis ad bellum de terra vestra contra hostes, qui dimicant adversùm vos, clangetis ululantibus tubis.* Num. c. 10. v. 9. 443.

Bellum indicatur tubis.

Etiam Romani tubarum ac cornuum strepitu signum dabant prælio; indicebantque hosti bellum. Virgilius lib. 7. Æneid. loquens de apparatu militari vers. 637.

Classica jamque sonant: id bello tessera signum.

Et lib. 9.

Ad tuba terribilem sonitum procul ære canoro
Increpuit.

Rursus lib. 2. v. 1.

Ut belli signum Laurenti Turnus ab arce
Extulit, & rauco strepuerunt cornua cantu.

Simili modo Vegetius lib. 2. c. 22. *Quoties pugnatur, & tubicines, & cornicines pariter canunt.* Et T. Livius lib. 30. *Tubæ, cornuaque ab Romanis cecinerunt.*

CAP.

CAP. X. ℣. 10.

444. SOlemniora convivia, quæ Judæi solebant celebrare post finita sacrificia, aut diebus festivis azimorum, Pentecostes, tabernaculorum &c. vel ob insignem victoriam obtentam, aut propter unctionem & consecrationem Regis, &c. semper peragi debebant inter jucundos tubarum sonitus. *Si quando habebitis epulum, & dies festos, & calendas, canetis tubis super holocaustis & pacificis victimis.* Num. 10. v. 10.

Convivia cum sonitu tubarum.

Gentiles, si non cum sonitu tubarum, certè tamen cum tibiis recreabant suas mensas. Virgilius, Tarcontis ore exprobrans Trojanis, quod vili ac effœminato pectore cessissent generositati Camillæ, lib. 11. Æneid. v. 736. canit;

At non in Venerem segnes, nocturnaque bella:
Aut ubi curva chors indixit tibia Bacchi
Expectare dapes, & plena pocula mensa.

Athenæus lib. 9. refert, quòd olim coqui *ad tibiæ sonum epulas apparabant*; & quod aliqui cibi cum præviis tubis ad mensam portari debuerint; quæ tamen ceræmonia ibi solum erat usitata, quando apponebatur sturio. Potest etiam addi, quod scribit Petronius Arbiter de cibis, inter canoras symphonias ad onerandas mensas portatis.

CAP. XI. ℣. 6.

445. VIlissima hominum sentina, in deserto vel non cognoscens, vel non æstimans favores Dei, qui dignatus est populum illum immensum pascere manna, è cœlis delapso; ausa est plena amaritudinis, & impatientiæ in infames has querelas prorumpere; *Anima nostra arida est, nihil aliud aspiciunt oculi nostri nisi Man.* Num. cap. 11. v. 6. Ariditas & afflictio ista nascebatur vel à cibo illo nimium parcè subministrato, ut ait Abulensis; vel quia in cibo illo non reperiebantur pinguedines carnis, ut interpretatur Cajetanus; vel quia desiderarunt alimentum delicatius & magis succosum; unde cum istud deesset, incipiebant fastidire, languere, ac consumi.

Fames exsiccat.

His querelis simillima est descriptio Catulli Epigr. 23.

Atqui corpora licciora cornu,
Aut si quid magis aridum est, habetis
Sole, & frigore, & esuritione.

Sicuti enim sol natura sua exsiccat, & frigus restringit ac constipat; ita fames & egestas cibi solet consumere, exhaurire, & extenuare.

CAP. XI. ℣. 7.

446. SUb primam diei auroram (postquam tota terra erat coopeRta rore, qui in pretiosam pruinam condensatus, instar purissimæ mappæ deserviebat) panis cœlestis mannæ quaquaversum depluit in alimentum Israëlitarum. fuitque simile granis seu seminibus coriandri; sed tamen lucidum & candidum instar unguis humani aut crystalli. *Erat autem Man quasi semen coriandri, coloris bdellii.* Num. c. 11. v. 7. Ita explicat P. Cornelius à Lapide in hunc locum.

Manna deplueus.

Quod in Polonia pluat quoddam manna, multis proprietatibus simile huic, quod ad pascendos Israëlitas cœli dalapsum est, dixi ad cap. 20. Exodi. n. 21. ubi etiam additur manna, quod reperitur in Hircania supra folia arborum. Nunc sufficiat dicere, quod Andreas Cisalpinus l. 2. de Plantis. cap. 13. refert; nimirum in provinciis Indiarum reperiri quandam sortem mannæ, similem granulis coriandri, coloris rubei, quod producitur ac decutitur ex partibus superioribus carduorum. Ita Jo. Lorinus in hunc locum.

CAP. XI. ℣. 11.

MOses, considerans suum munus Principis, Ducis, & commendantis supra numerosum Israëlis populum, vocabat illam dignitatem & majestatem insuperabile & horrendum onus. Unde conversus ad Deum, querebatur; *Cur imposuisti pondus universi populi hujus super me?* Num. c. 11. v. 11. & v. 14. *Non possum solus sustinere omnem hunc populum, quia gravis est mihi.* Conformiter ss. Concilium Tridentinum Sess. 6. c. 1. de Reform. declarat; *Ecclesiarum regimen onus Angelicis humeris formidandum.* Et. S. Petrus Damianus Ep. 20. cum S. Leone Ep. 126. *Onus onerum.* Joannes Saresberiensis l. 8. de nugis curial. c. 23. scribit, quod Adrianus IV. cui ipsi erat familiaris, dixerit; *Nihil ponderosius sollicitudine omnium Ecclesiarum, quæ incumbit Pontifici, tantaque molis, ut robustissimos premeret, terreret, comminueret humeros.* Unde apprimè discurrit S. Gregorius Papa lib. 17. Moral. cap. 12. *Quanto quis hic altius erigitur, tantò curis gravioribus oneratur: eisque ipsis populis mente & cogitatione supponitur, quibus superponitur dignitate.* 447.

Dignitas ecclesiastica est onus.

Cognovere hanc veritatem ipsi etiam Profani. Tiberius, ut notat Cornelius Tacitus lib. 1. Annal. dicebat, *Se in partem curarum ab Augusto vocatum, experiendo didicisse, quàm arduum, quam subjectum fortuna regendi cuncta onus.* Demetrius, referente Seneca lib. 7. de Benef. cap. 9. videns oblatos sibi Principatus, dicebat; *Ego verò me ad istud inextricabile pondus non alligo, nec in illam fæcem rerum hunc expeditum hominem dimitto. Quid ad me defers populorum omnium mala? &c.* Ita Carolus V. renuntians Bruxellis imperium suo fratri Ferdinando, & vasta Regna filio Philippo, protestatus est, quòd sub tanto regiminum pondere, non habuerit quadrantem horæ ad liberam quietem & pretiosam respirationem.

CAP. XI. ℣. 14.

ITa calamitosum & molestum servis Dei est munus imperantis; ut Moses libentius sustinuisset dolores mortis, quam onus principatus. *Non possum solus sustinere omnem hunc populum, quia gravis est mihi. Sin aliter tibi videtur, obsecro, ut interficias me, & inveniam gratiam in oculis tuis, ne tantis malis afficiar.* Num. c. 11. v. 14. &c. 448.

Principatus molestior morte.

Demosthenes abunde cognovit amaritudines & angustias insuperabiles, quas secum affert principatus. Unde apud Stobæum serm. 43. dicebat; *Duabus viis propositis, altera ad tribunal* (ad cathedram & thronum commendantis) *altera ad inferos, prudentem virum praeoptaturum esse eam, quæ ad inferos ducit.* Ita refert P. Velazchez in Psalm. 100. lib. 1. Adnot. 11. Moral. n. 4.

CAP. XI. v. 16.

UT Moses posset respirare ab insuperabili pondere regiminis; determinat Deus certum numerum magnatum, qui sedebant ad decidendas controversias populi, eumque juvarent in negotiis politicis & civilibus. attamen ad hoc munus solummodo vocati sunt homines ætate 449.

Senes gubernent.

N 3 venera-



venerabiles, & prudentia conspicui. *Congrega mihi septuaginta viros de senioribus Israël, quos tu nosti, quod senes populi sint ac magistri &c. ut sustentent tecum onus populi &c.* Num. 11. v. 16. &c.

Romulus ad bonum regimen elegit centum homines, de quibus Lex Decemviralis; *Omnes magistratus judicium, auspiciumque habento, exque iis Senatus esto.* Ubi nomen Senatus datur illi tribunali, quod ex multis Senioribus erat congregatum. De his Senatoribus Ovidius lib. 5. Fast.

Nec nisi post annos patuit tunc curia seros,
Nomen & ætatis mite senatus habet.
Iura dabat populo senior, finitaque certis
Legibus est ætas, unde petatur honos.

Plutarchus in lib. *Quod seni sit regenda Respublica*; meminit, quod Lycurgus Spartanis non permiserit aliquem eligi in Judicem, nisi fuisset sexaginta annorum. Apud Chalcidenses nullus, nisi post quinquaginta ætatis annos, poterat acquirere regimen, aut munere legationis fungi. Flavius Vopiscus scribit, quod post mortem Aureliani, Senatus Tacitum, ætate grandævum, proclamaverit Imperatorem. Cum vero iste se occultaret, & dignitatem ob senium refugeret; totus Senatus iteratis vicibus dixit; *Trajanus ad imperium senex venit. Et Adrianus ad imperium senex venit. Et Antonius ad imperium senex venit. --- Et quis melius quam senex imperat?* Post has acclamationes Merius Falconius, Senator clarissimus, electioni factæ applaudens, dixit, *Seniorem principem fecimus, & virum qui omnibus quasi pater consulat, nihil ab hoc immaturum, nihil properum, nihil adversum formidandum est. Omnia seria cuncta gravia &c.* Ita Alexander ab Alexandro lib. 1. cap. 20. loquens de principibus & Commendantibus exercituum Persiæ. *Apud Persas*, Inquit, *magistri rei militaris grandiori ætate fuere, nec citra annum quinquagesimum.* Alexander Magnus, eligens semper pro Belliducibus homines senio & prudentia conspicuos, videri poterat, in fronte suarum turmarum circumducere sapientem & sagacem senatum, ut advertit Q. Curtius lib. 2. qui prolixiorem de hoc argumento eruditionem cupit, consulat Tiraquellum in præfat: de jure Primog: num. 164. &c.

CAP. XI. ℣. 31.

450. AD sopiendas querelas impatientis populi Hebræi, qui extrema aviditate desiderabat saturari carnibus; Deus interveniente vento, miraculosè è regionibus Africæ extracto, transtulit in desertum, ubi habitabant Hebræi, tantam copiam coturnicum, ut abundè saturati sint. *Ventus egrediens à Domino, arreptas trans mare coturnices detulit, & demisit in castra. &c.* Num: c. 11. v. 31. De hoc miraculo David Psal. 77. v. 26. *Induxit in virtute sua Africum. Et pluit super eos sicut pulverem carnes, & sicut arenam maris volatilia pennata; & ceciderunt in medio castrorum eorum. &c.*

Coturnicum pluviæ.

In vita S. Columbani, scripta à Surio Tom. 6. refertur, quod pro meritis & intercessione illius servi Dei, post arctum trium dierum jejunium, toleratum ab ipsius discipulis; Deus eis dedit tantam copiam avium, quantam habuere Hebræi in deserto; duravitque hoc miraculum quatuor continuis diebus, donec abunde fuerint provisi frumento. fuere insuper aves illæ captu & occisu faciles ac promptæ illis Monachis.

CAP. XIII. ℣. 3.

PRiusquam Israelitæ ingrederentur, aut militari generositate aggrederentur provincias Chanaan, jussit Deus, ut aliquos exploratores, & quidem ex qualibet tribu unum mitterent, qui essent præclarissimi & prudentissimi inter omnes Israëlitas; ut sagaci prudentia possent observare situm civitatis, mores populi, conditionem propugnantium, &, quantum possibile, arcana illorum barbarorum; sicque facilitate tantò majore possent eos vincere ac subjugare. *Mitte viros*, inquit Deus ad Mosen, *qui considerent terram Chanaan, quam daturus sum filiis Israël singulos de singulis tribubus ex principibus.* Num. cap. 13. v. 3. 451.

Exploratores homines præstantes.

Cyrus, referente Xenophonte lib. 6. Cyropædiæ, eligebat & ablegabat in provincias hostium insignis prudentiæ & sagacitatis viros. Sicuti enim homines inferioris conditionis nihil observabant vel referebant, nisi res publicas & vulgo notas, ita illi investigabant magnam partem gravissimorum arcanorum. Marcellus Consul suo Collegæ dixit; *Quin imus cum Equitibus paucis exploratum: subjecta enim res oculis certum dabit consilium.* Frontinus l. 1. c. 2. scribit, Carthaginenses, cùm timerent potentiam Alexandri, elegisse unum ex præstantissimis civibus, qui se è patria exulem fingens, sagaci astutia penetravit ad amicitiam Regis; *quâ is potitus, consilia ejus nota civibus suis faciebat.* Iidem Carthaginenses, inquit ille, *miserunt, qui per speciem Legatorum longo tempore Romæ morarentur, exciperentque consilia nostrorum.* Denique Scipio major, captans occasionem mittendi Legatum ad Syphacem, cum Legato misit servorum more vestitos Colonellos expertos, & præstantes Belliduces, qui re ipsa observarent Regis illius vires, situm campi, constitutionem propugnaculorum &c.

CAP. XIII. ℣. 24.

NOn poterat non esse mira fertilitas terræ Chananeæ, in qua vites producebant uvas tantæ magnitudidis, ut una illarum sustentata pertica, nonnisi à duobus robustis viris potuerit portari; prout omnes tribus Israel cum admiratione viderunt. Num. 13. v. 24. *Absciderunt palmitem, cum uva sua, quem portaverunt in vecte duo viri.* Cùm enim essent in illis regionibus homines statura sublimes & giganthes; *ibi vidimus monstra quædam filiorum Enac de genere giganteo.* vers. 34. etiam fructus terræ gigentæam molem præseferebant, ut hominum egestati essent proportionati. 453.

Uvæ magnæ.

Plinius lib. 14. c. 1. scribit, in Asia interiore nasci uvas ita magnas, ut uberibus vaccarum, ollis & infantibus sint similes. Strabo lib. 2. ait, in civitate Populonia fuisse à vitibus productas uvas, duobus pedibus longas; et lib. 15. ait, in Caramania esse uvas duobus cubitis longas. Leo parte 2. Africæ scribit, in civitate Tagodast esse grana uvarum ita grandia, ut ovum gallinæ adæquent. Alias extraordinariæ magnitudinis uvas referunt Simon Majolus Tom. 1. Dierum Canicul: colloq. 21. & P. Cornelius à Lapide in hunc locum. Mihi sufficiat adjungere, quod viderim in vineis D. Jacobi Antonii Daverii Canonici de S. Victore Varesii aliquas vites, quæ producunt uvas adeò magnas, ut una habeat pondus decem librarum.

CAP.

CAP. XIII. ℣. 24.

453. IN cordibus humanis fortissimam impressionem facit spes felicium & abundantium lucrorum. Reversi Exploratores ad campum populi Hebræi, secum attulerunt insolitæ magnitudinis uvam, pomagranata, & ficus stupendæ pulchritudinis & saporis; quo modo induxerunt Hebræos, ut ad acquirendam terram adeo fertilem, armis aggrederentur Chananeam. *Absciderunt palmitem cum uva sua, quem portaverunt in vecte duo viri. De malis quoque granatis, & de ficis loci illius tulerunt.* Num. cap. 13. v. 24. &c. Et certe mox v. 31. subjungitur resolutio ad martiales assultus; *Ascendamus & possideamus terram, quoniam poterimus obtinere eam.*

Spes utilitatis stimulat.

Tametsi Italia propugnaculis alpium mirè sublimibus & insuperabilibus separata sit à Gallia; hæc tamen natio liberè omnem difficultatem superavit, & armata manu eam expugnare cœpit, quando vidit & gustavit delitias fructuum, quos terra Italica proferre solet. Plinius lib. 12. cap. 1. ait; *Produnt alpibus coercitas, & tum inexsuperabili munimento Gallias, hunc primum habuisse causam superfundendi se Italiæ, quod Elico ex Helvetiis civis earum, frabilem ob artem Romæ commoratus, ficum siccam, & uvam, oleique ac vini primitias secum tulisset.* Et Livius lib. 5. *Eam gentem,* (Gallorum) *traditur fama dulcedine frugum, maximeque vini nova tum voluptate captam alpes transisse posse: agrosque ab Etruscis ante cultos possedisse.*

CAP. XIV. ℣. 3.

454. CUm Hebræi in Ægypto servissent mancipiorum more, inde egressi, secum tulerunt animum nimium vilem & abjectum; unde certiores facti, quod Chananea esset instructa munitissimis civitatibus, & incolas haberet gigantes statura, mox terrore perculsi, potius desideraverunt mori, quam à Chananeis vinci, suosque liberos & uxores libertate privare. *In hac vasta solitudine utinam pereamus, & non inducat nos Dominus in terram istam, ne cadamus gladio, & uxores ac liberi nostri ducantur captivi.*

Captivitas pejor morte.

Plures alii fuere, qui potius vitam, quàm libertatem perdere volebant. Cointus Smirnensis l. 13. Paralip: in fine refert, Laodicen, filiam Priami Regis, cadente Troja, *ad æthera manus sustulisse, Deos immortales precatam; ut terra ipsi dehisceret, priusquam servilia ad opera manum admoveret.* fuitque sui voti compos facta, dum terræ voragine absorpta disparuit. Philo Hebræus in Lib. *Quod omnis homo probus sit liber.* adducit complura exempla profana illorum, qui mortem elegerunt, priusquam servirent. *Celebratur Laconis pueri mira quædam ingenuitas. Captivus enim abductus à quodam Antigoni milite, liberalia quidem non recusavit ministeria; servilia verò negavit se exhibiturum, quod abhorreret à servitio. Præsenti vita violentam mortem prætulit, ut feliciorem, & desperata redemptione libens sibi manus intulit. Narrant Macedones, etiam Dardanas mulieres, quæ servitutem credebant miseriam turpissimam; suos pueros, quos in ulnis bajulabant, projecisse in fluminis gurgitem acclamando; vos certe non servietis &c.*

CAP. XIV. ℣. 9.

455. CUm viderent Jos. & Cal. populum ingenti timore perculsum, inconsolabiliter plangere quod audisset, incolas devorari à terra Chananeorum; cum insuper adverterent, populum non tantum non velle regiones illas occupare, sed meditari reditum in Ægyptum, conati sunt illum consolari & animare, promiseruntque Chananeos à populo Hebræo tanta facilitate superatum iri, quantâ dentibus suis conterunt panem. *Neque timeatis populum terræ hujus, quia sicut panem ita eos possumus devorare.* Num. 14. v. 9. qua loquendi forma significabant, Israelitas absque contradictione hostium & sine proprio damno, facillimè & cum voluptate futuros victores. In hoc argumentum facit versus 4. Psalmi 13. *Devorant plebem meam sicut escam panis,* & Psal. 38. v. 14. *Dedisti eum* (Draconem) *escam populis Æthiopum.* Et Osee. c. 13. v. 14. *Morsus tuus ero inferne;* quia Christus Salvator tanta facilitate superavit infernum, quanta alii absorberent sapidum & delicatum bolum.

Devorare ut panem.

Hæc ipsa metaphora multorum profanorum fuit. Plautus in Mostellaria Act. 3. Scena 1.

Tam facile vinces, quàm vulpes pyrum comest.

Seneca, loquens de Claudio Cæsare, & ipsius tyrannide inimpedita ait; *Eam tam facile homines occidisse, quam canis exta edit.* In Xenophonte lib. 3. Rerum Græcarum, reperitur hæc phrasis: *Crudos velle devorare ipsos.* Ita Epimenides Phæstius, loquens Atheniensibus, referente Jo. Thzetze 2. Chil. Hist. 18. dicebat;

Si Athenienses scirent, quantum Munychia
In detrimentum conferat illorum regioni,
Dentibus ipsam devorarent, ut panem.

CAP. XIV. ℣. 17. &c.

DEus justè iratus iniquitati Hebræorum, decrevit eos flagello pestis è mundo tollere & eradicare. At Moses, interponens devotas suas preces, ita supplicavit. *Magnificetur fortitudo Domini, sicut jurasti dicens: Dominus patiens & multæ misericordiæ, auferens iniquitatem, & scelera &c. Dimitte, obsecro, peccatum populi hujus &c.* Num. 14. v. 17. &c. quasi diceret; nullam quidem excellentiam addi posse divinæ Majestati, per se ipsam infinitæ, debere tamen effectibus clementiæ & gratiæ versus miseros illos peccatores demonstrari magnitudinem ac robur supremæ potestatis; ita interpretatur Abulensis, & conformiter loquitur sapiens Sap. 11. v. 24. *Misereris omnium, quia omnia potes, & ob hoc quod omnium Dominus es, omnibus te parcere facis.* Id quod repetit S. Ecclesia; *Deus omnipotentiam tuam, parcendo maximè, & miserando manifestas.* 458.

Fortitudo ostenditur in clementia.

Ad hoc propositum servit dictum Boëtii de consol. Philos. l. 3 Metro. 5.

Qui se volet esse potentem,
Animos domet ille feroces.

Id quod etiam Profanus quidam intellexit;

Ardua res, vicisse alios; victoria major
Est, animi fluctus composuisse sui.

Unde Alexander, Cæsar Octavianus, & alii insignes Belliduces, plus laudis promeriti sunt, quando iræ suæ impetus domuerunt, & clementiam impertiverunt hostibus, quam ex deletis exercitibus, subjugatis provinciis, nobilissimis victoriis obtentis.

CAP. XIV. ℣. 19.

NOn sine admirando spectaculo, inter se certant iniquitas Hebræorum, & benignitas Mosis. 459.

Benefi-cum esse erga inimi-cos. Mosis. Dum enim illi tollunt lapides, ut interficiant magnum hunc suum Principem & prodigiosum liberatorem; iste fit protector suorum hostium, ita ut Deo jamjam ad ipsos pestilentiæ flagello occidendos accincto, ipse tanquam validus advocatus, suum patrocinium interposuit, Deo supplicavit, eumque conjuravit, donec illis obtinuerit veniam & vitam. *Dimitte, obsecro, peccatum populi hujus secundum magnitudinem misericordiæ tuæ. &c.* Num. c. 14. v. 19. *Dixitque Dominus: dimisi juxta verbum tuum.*

Egit Moses ut verus Princeps, reddens bona ac gratias pro malis magisque benignum se exhibens erga immeritos. Alexander Magnus solebat dicere: *Regis id esse proprium, à quibus male audierit, in eos beneficentia majore ut utatur.* Carolus IV. Imperator, *Hominem, qui sibi necem paravisset, ad se vocavit, eique aureos mille dono dedit, quibus nubilem filiam nuptui collocaret.* Æneas Sylvius lib. 4. c. 28. Scipio Africanus post peractas stupendas victorias, oneratus calumniis, à Romanis in exilium ejectus est. Ibi interrogatus; *Quomodo quis se gerere debeat erga patriam ingratam?* Respondit? *Sicut filius se gerit erga matrem ægram.*

CAP. XV. v. 18.

460. Primitiæ debentur Deo. Nunquam satis laudari potest gratitudo erga nostros benefactores. Deus complacentiam summam in illa habet, & expressis legibus mandat, ut populus Hebræus ei se gratum sistat ob cumulatam beneficentiam. *Cùm veneritis in terram, quam dabo vobis, & comederitis de panibus regionis illius, separabitis primitias Domino de cibis vestris.* Vult proinde primitias panis & vini, tanquam ciborum principalium & communiter usitatorum.

Laudabilem hunc morem amplexati sunt Gentiles, offerendo Diis suis primitias ciborum & vini. Alexander ab Alexandro lib. 3. cap. 12. *Primitias frugum Cereri, vinum verò novum Baccho dare convenit, quibus vesci, priusquam sacerdotes illa libassent, minimè fas erat.* Et lib. 5. cap. 22. *Inter epulas & pocula primùm libare Diis dapes--- prisci moris erat. Romani & Græci in convictu familiari, ciborum particulis, & vino in ignem conjectis, libamina Diis dabant, & primitias cœnarum laribus.* &c. Plutarchus lib. 3. Sympos: quæst. 7. ait, quòd Athenienses die 11. Novembris *primitias novi vini delibant diemque illum à doliis reserandis Pithœgiam vocant, utque apparet, antiquitus de vino antequam gustarent libantes, vota faciebant. &c.* De Japonensibus refert Lorinus in hunc locum, quòd, cùm adhuc essent Gentiles, ex omnibus rebus, quæ receperunt à Deo, uti etiam ex omnibus lucris emptis vel venditis, obtulerint Diis aliquam partem; Quam consuetudinem hodie adhuc observant, offeruntque nunc vero Deo. Hoc argumentum tractavimus in Exod. c. 23. v. 19. & in Lev. c. 2. v. 11.

CAP. XVI. ℣. 31.

461. Devorati à terra. Rebellio, ab Hon, Dathan & Abiron concitata contra magnum Dei servum Mosen, provocavit justam supremi Dei iram. Unde veluti indigni essent, quos aspiceret cœlum, vel sustentaret terræ; horribili voragine terræ absorpti è conspectu hominum, & vivi in inferno sepulti sunt. *Dirupta est terra sub pedibus eorum. Et aperiens os suum, devoravit illos cum tabernaculis suis, & universa substantia eorum, descenderuntq; vivi in infernum.* Num. cap. 16. v. 31. &c.

Huic eventui apprimè convenit dictum Senecæ in Thebaide;

Hic scissa tellus faucibus ruptis hiat.

Simili fato occubuit Amphiaraus, profundo terræ hiatu cum curru, quo vehebatur, absorptus; de quo Propertius lib. 2. Ovidius lib. 3. de Ponto. Et Plutarchus in Parallelis. Laodicea, filia Priami, à terra fuit absorpta, ut paulò suprà dixi Num. c. 14. v. 3. Trophonius, non minus præstans architectus, quàm astutus latro; *terra haustus est hiatu*; inquit Pausanias in Bœoticis. Drahomira, nutrix Boleslai, Bohemiæ Principis, cum curru & omnibus aliis, qui cum ipsa sedebant, à terra devorata est. Surius in vita Wenceslai cap. 15. Denique ille hospes, qui S. Ambrosium hospitio excepit, pro termino prosperitatis, quam continuam de se jactaverat, simul cum domo miserè fuit à terra absorptus. In vita S. Ambros.

CAP. XVI. ℣. 34.

Formidabile ac horrendum fuit spectaculum Hebræis repræsentatum; quando Hon, Dathan & Abiron sub conspectu populi inter hiantis terræ fragores, cum papilionibus & tentoriis in abyssum inferni sepulti sunt. Unde omnes, cùm audirent gemitus & clamores miserorum pereuntium, ingenti terrore perculsi, salutem in fuga quæsiverunt. *Omnis Israël, qui stabat per gyrum fugit ad clamorem pereuntium: Dicens, ne fortè & nos terra deglutiat.* Num. cap. 16. v. 34. 462. Fuga in periculis.

Non multùm absimiles terroribus fugitivorum Israëlitarum sunt terrores miserorum naufragorum, quos describit Seneca in Octavia;

-- -- Tollitur ingens
Clamor ad astra, cum fœmineo
Mixtus planctu, mors ante oculos
Dira vagatur; quærit Lethi
Sibi quisque fugam &c.

CAP. XVI. ℣. 36. &c.

Temeritas seditiosorum Hon, Dathan & Abiron, qui cum præjudicio Mosis, Aaronis, & ipsius etiam Dei, ausi sunt sibi arrogare officium sacerdotale, severo, sed justissimo supplicio castigata est; dum à terra devorati, & eorum sequaces miraculosis incendiis consumpti fuerunt. Ut autem ad terrorem & exemplum aliorum conservaretur perpetua memoria, Deus mandavit, ut thuribula, in ministerio illorum perduellium usitata, & in incendio liquefacta, funderentur in laminas, & affigerentur altari holocaustorum, ut populus ex aspectu hujus æris disceret vivere cum timore Dei & reverentiâ erga sacros Ministros. *Locutus est Dominus ad Moysen dicens. Præcipe Eleazaro filio Aaron Sacerdoti, ut tollat thuribula, quæ jacent in incendio.---, producatq; ea in laminas, & affigat altari &c.* Num. c. 16. v. 36. subjungitque num. 39. *Tulit ergò Eleazar Sacerdos thuribula ænea &c. & produxit ea in laminas, affigens altari, ut haberent postea filii Israël quibus commonerentur &c.* 463. Pœna peccatorum est frenum aliorum.

Quia pœna unius deservit ad refrænandos multos: Hinc publico spectaculo exponuntur cadavera facinorosorum; Quorum culpæ ac pœnæ ad perpetuam memoriam publico conspectui exponuntur, ut ex his rigoribus optimi & sanissimi effectus capiantur. Ita ex confiscatis pecuniis Spurii Cassii (qui ob affectatam tyrannidem occisus est) & ad templum Cereris applicatis, elaborata est lamina ærea, & publico exposita; cum hac inscriptione. *Ex Cassia familia*

milia datum. Livius Decade 1. lib. 2. Cambises Rex Persarum, referente Valerio Maximo lib. 6. c. 3. *Mali cujusdam Judicis ex corpore pellem detra-ctam sella intendi, in eaque filium ejus judicaturum con-sidere jussit; & hac nova pœna Judicis, ne quis postea corrumpi Judex posset, providit.* De hoc facto scri-psit Herodotus lib. 3.

CAP. XVII. ℣. 2. &c.

464. Cùm Israelitæ superbâ sollicitudine aspira-rent ad dignitatem summi sacerdotii & Pon-tificatûs; Deus ad sedandos tumultus jussit, ut quælibet tribus in tabernaculo portaret virgam aridam, insignitam nomine cujusvis Principis ex sua tribu; quæ verò productura esset flores & fructus, illius esse dignitatem desideratam. *Lo-quere ad filios Israel; & accipe ab eis virgas singulas per cognationes suas &c.* Num. 27. v. 2. *Quem ex eis ele-gero, germinabit virga ejus*, v. 5.

Virga decidit differentias.

Quod similis methodus fuerit observata ad destinandum sponsum Mariæ virginis, centum Doctores affirmant. S. Hieronymus Tom. 9. serm. de Nat. Virg. Cedren. Compend. Histor. pag. 153. German. Constantinop. serm. de Præ-sentat. B. V. ap. Sur. Tom. 6. Landolph. p. 1. de Vita Christi. c. 3. Petrus Morales in c. 1. Matth. Tract. 2. n. 9. & 10. & alii. Quantùm verò ad profanos, ita discurrit Cœlius Rhodiginius lib. 7. c. 29. *In Scythia, ubi vaticini traduntur plures, sali-gnis virgis divinatio concipitur, quas dissolvunt, ac sepa-ratim singulis humi constratis, vaticinantur. Interim virgas prehendentes, componentesque.* Martinus Del-Rio in Disquisit. Mag. lib. 4. cap. 2. prolixè di-scurrit de sortibus per virgas factis, quibus expe-rimentum capitur, quisnam ad Regnum vel alias res perventurus sit. Sed lectorem remitto ad præfatum Authorem.

CAP. XVII. ℣. 8.

465. Virga Aaronis, tametsi arida & sicca, triplici miraculo imprimis germinavit baccas seu gemmas; mox gemmæ explicatæ sunt in amæ-nos flores, qui tandem permutati sunt in tene-ros & delicatos fructus amygdalorum. *Invenit* (Moyses) *germinâsse virgam Aaron in domo Levi: & turgentibus gemmis eruperant flores, qui foliis dilatatis, in amygdalas deformati sunt.* Num. 17. v. 8. Cum virga Aaronis aliquam habet similitudinam il-la, de qua canit Sophocles in Elect.

Virga florida & fructuosa.

Ex illo autem sceptro in altum succrevisse
Germinantem ramum.

quo, ut subjungit ipse, tota regio Mycenarum inumbrata fuit. Quia verò Maria virgo à S. Ephræm Syro fuit cognominata; *Sceptrum cunctis imperans*; à Chrysippo Orat de Dei p. *Virga Jesse sem-per virens, qua generi humano vitam pro fructu attulit.* Et à S. Augustino serm. 2. de Temp. *Virga Aaron frugifera supra naturam.* Hinc producens è puris-simis suis visceribus verbum in carne, simul pro-duxit florem omnis sanctitatis, & fructum æter-næ salutis in reparationem mundi.

CAP. XVIII. v. 21.

466. Cùm Levitarum proprium munus esset, ut applicarentur toto spiritu ad servitium Dei; hinc ille tanquam benignus Dominus, iisdem providit, obligavitque omnes tribus Israelis pro sacrorum ministrorum sustentatione, ut eis da-rent decimas omnium redituum tam fructuum, quàm gregum & armentorum. *Filiis autem Le-vi dedi omnes decimas Israëlis in possessionem pro mi-nisterio, quo serviunt mihi in tabernaculo fœderis.* Ad hanc providentiam reflectebat S. Paulus Hebr. 7. v. 5. *Et quidem de filiis Levi sacerdotium accipien-tes, mandatum habent, decimas sumere à populo, secun-dum legem, id est, à fratribus suis.*

Decimæ debentur Deo & ministris ejus

Nullum est dubium, quin Gentiles solverint decimas ad conservationem templi & sacrorum ministrorum, prout demonstravi ad cap. 27. Le-vitic. v. 30. Hæc veritas novum firmamentum accipit ex instructione, quam Crœsus dedit Cyro, Persarum Regi. *Siste ad singulas portas ali-quot ex tuis satellitibus custodes, qui vetent exportari opes, ut earum decima Jovi necessario reddantur,* uti & ex eo, quod narrat Xenophon; *Agis Delphos pro-fectus est, ac decimam Deo obtulit.* Affirmat etiam Petrus Maffæus lib. 8. Hist. Ind. quòd Lusitani, quando pervênere Meliaporem in Indias, repe-rerint templum & sepulchrum S. Thomæ Apo-stoli, cum antiqua inscriptione, quæ dicebat; quod templum esset ædificatum à S. Thoma; & Rex Sagamus ad illius conservationem ac cul-tum applicâsset decimas omnium illarum rerum, quæ fuerant in civitatem introductæ. Sicque unà conjurabat posteros, ne religiosum hoc tributum ac oblationem unquam diminue-rent.

CAP. XIX. ℣. 2.

Quia synagoga, fanatico furore agitata, ex-hibuit vitulis, seu ut Oseas cap. 10. v. 5. dicit, vaccis Ægypti divinos honores; idcircò Deus in detestationem hujus delicti jussit, ut in victi-mam offeratur vacca coloris rubei & perfectæ ætatis, maximè verò cujus collum nunquam fuerat pressum aut induratum jugo. *Præcipe fi-liis Israël*, inquit Deus ad Mosen, *ut adducant ad te vaccam rufam, ætatis integra, in qua nulla sit macu-la, nec portaverit jugum.* Num. c. 19. v. 2. 467.

Victima nunquam à jugo pressa.

In præsenti agemus de hac ultima conditione; quòd nimirum victima, Deo oblata, nunquam debuerit serviisse sub jugo. Eodem prorsus modo reperio, Gentiles abstinuisse à sacrifican-dis illis jumentis, quæ jugo, supra collum onera-ta, coluerunt terram. Ælianus loquens de Atheniensibus lib. 5. Var. cap. 14. ait; *Hoc etiam servatum, custoditumque apud ipsos est: Bovem arato-rem, qui jugum trahit; vel cum aratro, vel cum plau-stro, ne mactes: quoniam ille etiam agricola est, & hu-mano generi laborum socius.* Unde Ovidius ca-nit;

A bove succincti cultros removete mi-nistri,
Bos aret, ignavam sacrificate suem,
Apta jugo cervix non est ferienda se-curi,
Vivat, & in dura sæpè laboret humo.

Seneca in Oedip. Tiresiæ ore;

Apellite aris candidum tergo bovem,
Curvoque nunquam colla depressum jugo.

Ovidius lib. 3. Metam.

Bos tibi, Phœbus ait, solis occurret in ar-vis
Nullum passa jugum.

Seneca in Agamemnone;

- - Ad tua conjux
Candida tauri delubra cadit
Nescia aratri, nullo collum
Signata jugo.

CAP. XIX. ℣. 9.

468. AD purificandas quasvis Israelitarum maculas, præscripsit Deus aspersionem ex aqua viva, commixta cineribus vaccæ, quæ oblata erat Deo in sacrificium, & consumpta ab igne supra sacrum altare. *Colliget autem vir mundus cineres vaccæ.* Num. cap. 19. v. 9. *Ut sint multitudini filiorum Israël in custodiam, & in aquam aspersionis.* Ritum hunc servavit S. Ecclesia Catholica, quæ aquâ, conspersâ sale, benedicit populo, ut eum magis purificet, & emundet.

Aqua lustralis.

Aqua aspersionis seu lustralis etiam à Gentilibus fuit usitata. Æneas, priusquam ingrederetur regiam Plutonis, aspersus fuit hâc aquâ. Virgilius lib. 6 Æneid. v. 635.

Occupat Æneas aditum, corpusque recenti
Spargit aquâ.

Lib. 4. Æneid. priusquam Æneas offerebat Hecati sacrificia;

Dic corpus properet fluviali spargere lympha.

Et ad purificandos amicos, qui intervenêre ad exequias Miseni;

Idem ter socios pura circumtulit undâ,
Spargens rore levi.

Ita Leo VI Imperator jussit, ut totus exercitus, priusquam aggrederetur prælium, sacerdotis manu purificaretur aquis lustralibus. De Bellic. Apparat. 13. Moris etiam erat, his aquis aspergere vineas, pascua, & greges; uti observat P. Aloysius Novarinus; Nuptial. aqu. cap. 123.

CAP. XIX. ℣. 11.

469. QUisquis vel tangebat defunctum, vel assistebat exequiis, vel intrabat domum, ubi jacebat cadaver, immunditiam quamdam, seu contaminationem legalem contrahebat. Unde Deus ordinavit aquam cineritiam seu lustralem, qua aspersi restituerentur pristinæ puritati. *Qui tetigerit cadaver hominis, & propter hoc septem diebus fuerit immundus, aspergetur ex hac aqua die tertio & septimo, & sic mundabitur.* Num. c. 19. v. 11. &c.

Immunditia tollitur aspersione aquæ.

Gentiles credidère, ex cadavere quamdam immunditiam transfundi in quosvis appropinquantes, ad eam auferendam, aspergebantur aqua. Virgilius hunc ritum attingit in exequiis Miseni. lib. 6. Æneid. v. 228.

Ossaque lecta cado texit Chorinæus aheno,
Item ter socios purâ circumtulit undâ,
Spargens rore levi: & tanto felicis olivæ,
Lustravitque viros.

In hunc locum P. la Cerda allegat Pollucem lib. 8. *Qui ad ædes lugentis pervenerant, cùm inde exirent, purgabantur aquâ circumspersi.* Scholiastes Aristophanis in nubibus scribit; *Moris fuit post elationem cadaveris, familiares lavari, purgationis gratiâ.* Et Athenæus lib. 9. cap. 18. *Et aqua, in qua titionem tingebant, sumptum ex altari, in quo sacrum peregerant, & illâ aquâ conspersos purificabant eos, qui adessent. &c.*

CAP. XX. v. 11.

INsolitum & excellens spectaculum Hebræis præbuit illa rupes, quæ percussa, in ubera commutabatur, & temperandæ illorum siti, copiosas ac limpidissimas aquas versabat. *Cumque elevâsset Moses manum percutiens virgâ bis silicem, egressæ sunt aquæ largissimæ.* Numer. 20. v. 11. De hoc miraculo David Psal 77. v. 20. *Percussit petram, & fluxerunt aquæ, & torrentes inundaverunt.* Simile miraculum operatus est Theodosius Antiochenus, qui cujusdam virgæ ictu aperuit petram, & inde instar fluminis hausit copiosissimas aquas; ut refert Theodoretus in Histor. Philath. cap. 10. De S. Trudone Canonico Regulari scribitur die 23. Novemb. quòd *baculo in terram defixo, & mox extracto fontem aquæ perennis emanare fecit.* De S. Clemente Papa & Martyre affirmant Annales Ecclesiastici, quòd in Chersoneso pro refrigerio sitientium Christianorum, mirabilem fontem linguæ suæ clavi reserârit. Idipsum operati sunt S. Benedictus in Monte Cassino, S. Cutbertus in Insula Farna, & alibi alii servi Dei. 470.

Aqua ex saxo.

Omnes hæ fuerunt operationes divinæ gratiæ; reperiuntur tamen non absimiles sive ex naturæ viribus, sive Dæmonum illusione. Titus Livius Decad. 3. l. 4. affirmat, in Isthria subitò scaturiisse fontem, instar torrentis copiosum. Festus Pomponius, Varro, & Nonnius dicunt; quoties Roma infestabatur siccitate, cum pompa solemni petram quamdam, Manalem vocatam, & extra portam Capenam stare solitam, pertrahebant in civitatem, & mox desideratas pluvias obtinebant; vocabatur autem lapis ille Manalis, quòd ipsius beneficio *aquæ de cœlo manarent*; ut refert Jo: Lorinus in hunc locum.

CAP. XX. ℣. 17.

CÙm Israelitæ suum iter destinarent versus Chananeam, & jamjam attigissent confinia Regis Idumæorum, solemni legatione supplicârunt, ut ipsis liberum transitum per suum regnum concederet; unaque protestati sunt, se velle incedere viâ regiâ, nec pedem ponere in ipsius agris, nec tangere rem quamcumque, & nec ex puteis haurire aquam. *Obsecramus, ut liceat nobis transire per terram tuam. Non ibimus per agros, nec per vineas; nec bibemus aquas de puteis tuis: sed gradiemur viâ publicâ &c.* Num. 20. v. 17. 471.

Agri non violati.

In hac legatione si loquamur de servanda via regia, & pede non ponendo in alterius agris; Alexander Severus, ut Lampridius scribit, justissimo rigore contra delinquentes in hac materia procedebat. *Si quis militum de via in alicujus possessionem deflexisset, pro qualitate loci, aut fustibus subjiciebatur in conspectu ejus, aut virgis, aut condemnationi: aut si hæc omnia transiret dignitas hominis: gravissimis contumeliis; cum diceret; Visne hoc in agro tuo fieri, quod alteri facis?*

Si verò loquamur de protestatione non tangendi rem aliquam violentâ & rapaci manu; Aurelianus Imperator suo Vicario, ut notat Vopiscus, ita præcipiebat; *Si vis tribunus esse, imò si vis vivere, manus militum contine, nemo pullum alienum rapiat, ovem nemo contingat, uvam nullus auferat, segetem nemo deterat, oleum, salem, ligna nemo exigat, annonâ suâ contentus sit.* Paterculus lib. ult: scribit de Sylla, quòd exercitum ita quietè duxerit per

per Calabriam & Apuliam, ut sine minimâ offensâ fructuum, camporum, civitatum, & hominum transierit, visusque fuerit potius pacem, quàm bellum Italiæ inferre. Frontinus l. 4. Stratag. c. 3. affirmat, cùm exercitus M Scauri castra poneret propè quamdam arborem, onustam fructibus; inde discesserunt milites, absque ullius contactu. Hic successus innovatus est, quando Dux de Alva progressus est cum ingenti exercitu ex Italia in Flandriam; hunc enim tanto rigore ac disciplinâ duxit, ut in tam vasto & diuturno itinere nec minimum vestigium reliquerint ullius violentiæ aut damni etiam in minimo rustici tugurio; prout testatur P. Famianus Strada in Bell. Belg. Decad. 1. lib. 6. In hunc locum copiosas & pulchras eruditiones colligit P. Lorinus, ad quem te remitto.

CAP. XX. ℣. 30

472. POst evolutos centum viginti tres ætatis annos, primus & summus sacerdos Aaron factus est mortis victima, progressus ab altari ad sepulchrum, ab ignibus holocaustorum ad cineres tumbæ. Rumpebatur pectus Hebræi populi, quando extinctum vidit lumen adeò clarum; suumque gravissimum planctum continuavit triginta integris diebus. *Omnis autem multitudo, videns occubuisse Aaron, flevit super eo triginta diebus.* Hoc lachrymarum tributum exsolvit etiam Josephus in morte sui patris Jacobi. Gen. 50. v. 1. Israëlitæ in morte Mosis. Deut. 34. v. 8. Rex David in morte Saulis. 2. Reg. 1. v. 12. Idem in morte Abner. 2. Reg. 3. v. 32. Hebræi in morte Josiæ. 2. Paral. cap. 35. v. 24. & in morte Judæ Machabæi. 1. Mach. 9. v 20.

Planctus in morte.

Nullum prorsus est dubium, quin Gentiles copiosis lachrymis ac singultibus prosecuti sint mortem suorum amicorum ac magnatum. Romani planxerunt mortem Numæ. Dion. Halicarnassæus lib. 2. Item mortem Junii, Bruti, primi Consulis. Livius lib. 2. Menenii Agrippæ; Halicarnass. lib. 9. Coriolani. idem lib. 8. Augusti. Dion. lib. 56. Liviæ. Dion. l. 58. Drusi. Suetonius in Tiberio. c. 52. &c.

CAP. XX. ℣. 4.

473. QUia Hebræi instar serpentum è maligno ore spargebant venenum, & contra Mosen ac Deum murmurabant; ut de ipsis verificetur dictum illud Psalmi 139. v. 4. *Acuerunt linguas suas sicut serpentes.* Idcircò serpentum morsibus fuerunt afflicti & cruciati, ut culpæ responderet pœna. *Tædere cœpit populum itineris ac laboris, locutusque contra Deum & Moysen, ait: cur eduxisti nos de Ægypto?* Num. 21. v. 4. *Quamobrem misit Dominus in populum ignitos serpentes.* v. 6. dicuntur autem serpentes igniti, *non quòd natura essent ignea*, ut interpretatur P. Cornelius à Lapide; *sed ab effectu, quòd morsu suo tantum dolorem inducerent, ut morsi ab eis sibi uri viderentur.*

Serpentes ignei.

Hi serpentes, qui igneum ardorem in viscera morsorum spargunt vocantur à Plinio *Presteres*; ad hoc propositum Lucanus lib. 9.

Nasidium Marsi cultorem torridus agri
Percussit Prester, illi rubor igneus ora
Succendit.

Simili effectu agit serpens Dipsas, de quo etiam Lucanus ibid.

Ecce subit virus tacitum, carpitq; medullas
Ignis edax, calidaq; incendit viscera tabe.
Ebibit humorem circùm vitalia fusum
Pestis, & in sicco linguam torrere palato
Cœpit.

Et describens ardorem, in venis pauperis morsi productum, subjungit;

Ille vel in Tanaim missus, Rhodanumq; Padumque,
Arderet, Nilumq; bibens, per rura vagantem &c.

CAP. XXI. ℣. 9.

DUm Israelitæ in deserto ab igneis serpentibus infestabantur & occidebantur; tanto malo amoliendo, fuit ad fugandos illos serpentes applicatum remedium serpentis ex ære fusi; qui colore similis serpentibus illis vivis, supra palum suspendebatur, & in conspectu populi erectus, impertiebatur infirmis promptam & securissimam salutem. *Fecit ergò Moyses serpentem aeneum, & posuit eum pro signo, quem cùm percussi aspicerent, sanabantur.* Ad hoc propositum S. Cæsarius Arelatensis; *Medela nobis contra morsum serpentis viso serpente confertur; quando peccatum, ipsius peccati cognitione sanatur.* 474.

Serpens contra serpentes.

Civitates Africæ, quando infestantur à leonum voracitate, leones in publico suspendunt, ac crucibus affigunt; sicque territis ac fugatis leonibus, salvantur incolæ. Plin. l. 8 c. 16. Simile remedium fuit apprehensum ad reprimendum phreneticum furorem Virginum Milesiarum; cùm enim insolitâ phrenesi agitatæ, se ipsas suspenderent ac interficerent; Magistratus jussit publicè exponi illarum cadavera, ex infami laqueo suspensa; sicque spectaculi hujus deformitate fuerunt reliquæ absterritæ ab infami illa stultitia. Aulus Gellius lib. 15. c. 10. & Nicolaus Leonicenus Var. Hist. l. 2. c. 58.

CAP. XXI. ℣. 21.

AD felicitatem terræ Chananeæ non poterat Hebræus populus pertingere, nisi post toleratas calamitosas molestias. Moratus est quadraginta annorum spatio in deserto; & quando attigerunt terram, à Deo promissam, tametsi à regnantibus principibus amicissimè flagitâssent transitum, hi tamen inhumanâ barbarie illum denegârunt. *Misit autem Israel nuntios ad Sehon Regem Amorrhæorum, dicens: obsecro, ut transire mihi liceat per terram tuam: non declinabimus in agros & vineas, viâ regiâ gradiemur &c.* Num. c. 21. v. 11 *qui concedere noluit, &c* S. Aug. quæst. 4?. *Innoxius transitus eis negabatur, qui jure humanæ societatis æquissimo patere debebat.* 475.

Via regia patens omnibus.

Quando agitur de via regia; debet ista esse aperta omnibus. Plaut. in Curcular. ait;

Nemo ire quemquam prohibet publicâ viâ.

Ulpianus ff. ne quid in loc. publ. l. 2. *Viam publicam eam dicimus, cujus etiam solum publicum est, relictum ad directum certis finibus latitudinis ab eo, qui jus publicandi habuit, ut ea publicè iretur.* Et mox; *Viarum quædam publicæ sunt, quædam privatæ, quædam vicinales. Publicas vias dicimus, quas Græci Basilicas*, id est, *regias* (de quibus præsenti loco loquitur Moses) *nostri prætorias, alii consulares vias appellant.* Sunt insuper viæ militares de quibus Ulpian ff. de loc. & itin. publ. l ult. *Viæ militares exitum ad mare, aut in urbes, aut in flumina publica, aut ad aliam viam militarem habent.* Et de his loquitur præsens sacer text.

Maximi olim pendebantur execrationes, sacerdotum, aut aliorum hominum grandium ore factæ contra adversarios. Unde Balaacus, Rex Moabitarum, recurrit ad Balaamum, Astrologum

Imprecationes. gum & divinatorem celeberrimum, ut suas maledictiones exoneraret contra Hebræos; sic enim sperabat eos facilius superare & interficere. *Veni & maledic populo huic, quia fortior mi est: si quo modo possim percutere & ejicere eum de terra mea.* Num. 22. v. 6.

Athenienses, gravissimo furore in excidium Alcibiadis concitati, eum non solùm condemnârunt ad mortem, omniaque ipsius bona fisco tradiderunt; sed etiam adstrinxerunt sacerdotes, (vocatos Eumolpidas ab Eumolpo Rege, à quo continuatâ serie descendebant) ut contra ipsum suas imprecationes fulminarent, quæ postea in lamina marmorea ad posterorum memoriam æternam servabantur, ut refert Plutarchus in Alcibiade. Idem Historicus in vita Crassi narrat, quòd Belliduce illo Româ ad bellum contra Parthos egrediente, Attejus tribunus plebis, accenso supra altare igne, *suffitibus injectis, factisque libaminibus, diras capiti ejus atroces & horrendas imprecatus est &c.*

CAP. XXII. ℣. 7. &c.

476. Cùm Balaacus Rex Moabitarum, & Principes Madianitarum pro publico bono politico deberent mittere quosdam legatos ad Balaamum; electi ad tale munus fuêre primi Senatores, & viri in tota illa terra præstantissimi. *Perrexerunt seniores Moab, & majores natu Madian. &c.* Num. 22. v. 7. Adeoque Rex ille misit *amicos*, seu *socios aliquos*, inquit Philo lib. 1. de vita Mosis; vel ut notat Josephus lib. 4. Antiquit. c. 6. *de suis honoratissimis*. Et cùm Rex Balaacus non haberet responsum commensuratum suis desideriis; *Rursum multò plures & nobiliores, quàm antè miserat, misit.* Num. 15. Proinde ad munus legati fuêre electi homines ex aula, amici, socii & domestici Regis, ac natalium splendore clarissimi.

Legati sunt personæ nobiles.

Quòd nobiles, melius aliis inferioribus, possint sustinere munus legati documentum est, centum Politicis comprobatum. Æneas, legationem ad Regem Latinum missurus, elegit illustrissimos & dignissimos. lib. 7. Æneid. v. 152.

Tum satus Anchisa delectos ordine ab omni
Centum Oratores augusta ad mænia Regis
Ire jubet &c.

Homerus Ajacem & Ulyssem, legatos Agamemnonis, vocat *nominatim electos*, id est, interprete Eustatio, *impensius quæsitos, & è quæsitis lectissimos.* Plautus in Amphitrione;

- - *Ubi primùm terram tetigimus,*
Continuò Amphitruo delegit viros primorum principes
Eos legat Teleboïs.

Sallustius in Bello Jugurth. *Legantur in Africam majores natu nobiles. amplis honoribus usi, in quêis Æmilius Scaurus.* Agethius lib. 3. Hist. peregrin: *Lazi ad Justinianum Imperatorem ex gente sua primores quosdam, & nobiliores legatos miserunt.* Ad hoc propositum multas eruditiones colligit Tiraquellius de Nobilit. cap. 20. v. 43. & sequent.

CAP. XXII. ℣. 28.

477. Ut magis reluceret gloria & suprema potentia Dei, contra quam Balaamus se opponere nitebatur; apertum fuit os asinæ, & formatis angelicâ virtute articulatis vocibus ex ore quadrupedis, exprobrata fuit Balaamo sua duritia: *Aperuitque Dominus os asinæ, & locuta est: quid feci tibi? cur percutis me?* Num. cap. 22. v. 28. Prodigium hoc repetitur 2. Petri c. 2. v. 16. *Subjugale mutum animal, hominis voce loquens, prohibuit Prophetæ insipientiam.* Asina loquens.

Conformiter ad hunc successum Homerus fingit Iliad. 19. quòd Xantus, equus Achillis, articulatas aliquot voces pronuntiarit, loquelam à Junone accipiens. Equus loquens.

Vocalem autem eum fecit Dea albivina Iuno.
Oppianus lib. 8. c. 45.
Equus in pugna fregit aliquando vincula silentii,
Et naturæ leges superavit, & accepit vocem
Humanam, & linguam similem hominibus.

Isigonius Cittiensis scribit, in Insula Rhodo taurum locutum esse vocibus humanis. Idipsum de Bove affirmat T. Livius Bell. Macedon. & Asiat. lib. 5. & lib. 2. ab urbe condita; & lib. 8. de secundo bello Punico. Et Plinius lib. 8. cap. 45. Bos loquens.

CAP. XXII. ℣. 36.

Ut Balaamus tantò magis esset obstrictus ad voluntatem Regis Balaaci omni possibili 478.
modo prosequendam; Rex eum non solùm honoravit duabus legationibus, cum oblatis divitibus ac superbis mercedibus; sed insuper Rex ipsemet, cùm ejus adventum ad regiam civitatem perciperet, ei obviam venit monstrans eo modo grandem de ipso existimationem. *Balac egressus est in occursum ejus, in oppido Moabitarum, quod situm est in extremis finibus Arnon.* Num. 22. v. 36. Obviam ire honoris causâ.

Similem honorem exhibuit Dionysius, Tyrannus Siciliæ, celebri Philosopho Platoni. Cùm enim illum invitâsset ad aulam regiam: non solum misit coronatam navim ad eum recipiendum, sed ipsemet Rex ei obviam ivit usque ad littus maris; sedens majoris honoris causâ supra superbum currum, candidissimis equis tractum; ut refert Plinius lib. 7. c. 30. Ita Baronius Tom. 10. pag. 903. refert, quòd Otto III. Imperator, & Gregorius V. Papa, obviam iverint S. Nilo Abbati, eumque Romam venientem, receperint, persuasi ad hoc officium ab ingenti famâ sanctitatis, quâ in Oriente & Occidente pollebat. Unde eum in medio ambulantem, comitati sunt ad domum Patriarchalem, uno osculante manum ipsius dexteram, & altero sinistram. Joannes Baptista Castaldus cap. 6. vitæ B. Andreæ Avellini scribit, quòd optimus iste servus Dei, Mediolanum profectus, ab ipsomet Archiepiscopo, Nepote Papæ, & Cardinali Principe, S. Carolo, extra mænia civitatis fuerit receptus.

CAP. XXII. ℣. 40.

Rex Balaacus ingenti gaudio ad aulam suam regiam recepit Balaamum; in cujus rei signum jussit parari simul sacrificia & convivia, distribuens novo hospiti magnas portiones, ut conepulari possent Balaamus & Magnates, qui ipsum in civitatem regiam comitabantur. *Cumque occidisset Balac boves & oves, misit ad Balaam & principes, qui cum eo erant, munera.* Num. cap. 22. v. 40. In hunc modum etiam Achabus, recipiens 479.

Sacrificia cum convivio.

piens Josaphatum in Samaria; *Mactavit arietes, & boves plurimos ipsi & populo, qui venerat cum eo.*

Etiam Gentiles junxerunt victimis convivia, & sacrificiis epulas; uti observavimus in Genesi cap. 31. v. 54. Hic ritus stabiliri potest dicto Athenæi lib. 8. c. 13. quòd sumptuosæ cænæ suam originem traxerint à sacrificiis; subjungitque Author ille lib. 14. c. 71. *Non est itaque admiratione dignum, si antiqui coqui, sacrificiorum etiam essent periti, nam & sacrificiis præerant, & nuptiis.* Hanc connexionem etiam insinuavit Homerus.

Excipit hospitio peregrinum fortè diebus,
Ille novem, totidemque boves mactavit ad aras.

CAP. XXIII. ℣. 1.

480. BAlaamus, priusquam fulminaret suas maledictiones contra populum Hebræum, jussit extrui septem altaria, ut vel sacrificia posset offerre dæmonibus, quorum impius minister erat; vel desumere auguria & divinationes ex occisis victimarum visceribus. Dixitque Balaam ad Balac: *Ædifica mihi septem aras, & para totidem vitulos, ejusdemque numeri arietes.* Num. 23. v. 1. Et sicuti erant septem altaria, etiam septem erant vituli & totidem arietes; oblatis supra quodlibet altare uno ariete & uno vitulo. Cum hoc numero convenit, quod scribitur Jobi cap. 42. v. 8. *Sumite vobis septem tauros, & septem arietes, & ite ad servum meum Job, & offerte holocaustum pro vobis.*

Septenarius numerus observatus in victimis

Macrobio teste lib. 1. c. 6. numerus septenarius fuit æstimatus tanquam perfectissimus, & proinde aptus ad res sacras. Sibilla persuadens Æneæ oblationem certorum sacrificiorum, determinavit septenarium numerum victimarum, lib. 6. Æneid. v. 38.

Nunc gregem de intacto septem mactare juvencos
Præstiterit, totidem lectas de more bidentes.

Addit etiam ille ipse Poëta lib. 1. Æneid v. 98.

- - O terque, quaterque beati!

CAP. XXIII. ℣. 10.

481. BAlaamus solvens linguam suam in encomia Israëlitarum; eos deprædicat ob stupendam multitudinem, similem pulveri terræ, & arenæ maris; videlicet innumerabilem. *Quis dinumerare possit pulverem Jacob, & nôsse numerum stirpis Israël?* In hunc locum Chaldæus; *Quis poterit numerare parvulos domûs Jacob, de quibus dictum est, quòd multiplicabuntur sicut pulvis terræ?* Locutio hæc hyperbolica, inquit S. Augustinus lib. 16. de Civit. Dei cap. 21. assumpta est ad significandam ingentem multitudinem; uti videri potest Psalm. 77. vers. 27. *Et pluit super eos sicut pulverem carnes, & sicut arenam maris volatilia pennata.*

Pulvis hyperbole magnitudinis ingentis.

Eruditi utuntur arenis hyperboles loco ad denotandum numerum innumerabilem. Virgil. l. 2. Georg. v. 103.

Sed neque quàm multæ species, nec nomina quæ sint.
Est numerus, neque enim numero comprendere fas est:
Quem qui scire velit, Libyci velit æquoris idem
Discere, quàm multæ Zephiro turbentur arenæ.

Unde ad significandam rem impossibilem, natum est proverbium; *Arenam metiris.* Sed de hàc hyperbole diximus ad cap. 22. Gen. v. 16.

CAP. XXIII. ℣. 24.

FOrtitudo & generositas, quâ Israëlitæ inimicos suos aggressi sunt, eosque vicerunt; à Balaamo repræsentata fuit similitudine Leonis qui stragem faciunt in minoribus gregibus. *Ecce populus ut Leæna consurget, & quasi Leo erigetur: non accubabit, donec devoret prædam, & occisorum sanguinem bibat.* Hæc ultima verba denotant, non quòd Hebræi re ipsâ biberint sanguinem suorum hostium; sed quòd tanta facilitate ac gustu eos interfecerint, quantâ alii exhaurirent poculum pretiosi vini. Vel quòd tantam stragem fecerint, ut sanguis, instar fluminis circumfluens, potuisset victores inebriare, & extinguere sitim campi triumphantis. 482.

Bibere sanguinem.

L. Florus de Bello Cymbrico; *Tanto pugnatum est ardore,* inquit, *eaque cædes hostium fuit, ut victor Romanus de cruento flumine non plus aquæ biberit, quàm sanguinis.* Adeoque victores non metaphoricè, sed re ipsâ potati sunt hostium sanguine. Plinius lib. 28. de horribili isto humani sanguinis potu, cap. 1. scribit. *Sanguinem quoque gladiatorum bibunt, ut viventibus poculis comitiales morbi: quod spectare facientes in eâdem arenâ feras quoque horror est.* Et Cælius Rhodiginius lib. 6. cap. 9. *In arena jugulatorum nocentium sanguinem recentem de jugulo decurrentem avidâ siti solitum hauriri, quod sic comitiali morbo remedia quæri opinarentur.* Atque, se id habere ex Apologetico Tertulliani.

CAP. XXIV. v. 3.

NOn absque admiratione considerari potest sacer textus Numer. c. 24. v. 3. *Dixit Balaam filius Beor: dixit homo, cui obturatus est oculus.* Dum enim Biblia nostra vulgata eum dicunt oculis defectuosum & obtenebratum; textus Hebræus testatur, quòd fuerit *vir apertum habens oculum.* Et Chaldæus: *Vir, qui pulchrè videt;* seu visum habens acutum & perspicacem. Verùm omnem dubitandi rationem tollit sacer Interpres, quando ait, Balaamum habuisse cæcum & tenebricosum oculum dexterum; quia nihili pendebat virtutem, animam, & timorem Dei: habuisse tamen oculum sinistrum plenissimè apertum, quia, cùm ageretur de avaritia, fraudibus, ac vitiosis lucris, instar aquilæ aut lyncis videbat. 483.

Peccator cæcus ad virtutem, ad vitia oculatus.

Homo eidem similis fuit Polyphemus, de quo Homerus, Virgilius, Ovidius, & centeni alii dicunt; quod habuerit unicum tantùm oculum. Sicque in eo repræsentârunt personam Tyranni, qui aliud nil scire aut videre cupit, nisi proprium lucrum. Unde Joannes Boccacius in Genealogia lib. 10. cap. 24. ait; *Quòd unus oculus illi tantùm fuerit, ostendit, quòd solam suam rem tyranni curant, nihil in Deum, nihil in proximum, nihil in subactam plebem respiciunt.*

CAP. XXIV. ℣. 10.

CÙm audiret Rex Balaac, quòd Balamus non solum non maledixerit populo Hebræo, ut ipse volebat; sed supra ipsos versârit flumina benedictionum, iracundiâ plenus, contineri non potuit, quin ambas manus in evidens & externum indignationis signum collideret. Obser- 484.

vavit id Chronologus Moses Num. c. 24. v. 10. *Iratusque Balac contra Balaam, complosis manibus ait: Ad maledicendum inimicis meis vocavi te, quibus è contrario tertio benedixisti.* Quòd hæc manuum complosio fit indicium animi irati, Ezechiel pluribus locis demonstrat. cap. 21. v. 14. *Tu ergo fili hominis Propheta, & percute manu ad manum, & duplicetur gladius.* ibid. v. 17. *Ego plaudam manu ad manum, & implebo indignationem meam.* Et cap 22. v. 13. *Ecce complosi manus meas super avaritiam tuam, quam fecisti, & super sanguinem, qui effusus est in medio tui.*

Complosio manuũ signum iræ

Seneca lib. 1. de Ira cap. 1. Inter alios gestus & actus hominis irati recenset collisionem manuum. *Flagrant & micant oculi* (hominis irati) *multus ex ore rubor, exæstuante ab imis præcordiis sanguine, labia quatiuntur, dentes comprimuntur, horrent ac subriguntur capilli, spiritus coactus, ac stridens articulorum se ipsos torquentium sonus, gemitus, mugitusque & parùm explanatis vocibus sermo præruptus & complosæ sæpius manus, & pulsata humus pedibus, & totum concitum corpus &c.* Huic argumento jungi poterit Simocatta lib. 4. cap. 4. *Video vos gaudentes aliorum injuriis, pulsantes manibus, frendentes dentibus.*

CAP. XXV. ℣. 1.

485. ISraelitæ, conversati cum Idololatris, inciderunt in idololatriam. Commixti fœminis Gentilium, prostraverunt se ad veneranda eos Ethnicorum, flexerunt genua coram simulachris inferni, & comederunt carnes sacrificiorum; abominatione prorsus indignâ & execrabili. *Fornicatus est populus cum filiabus Moab, quæ vocaverunt eos ad sacrificia sua. At illi comederunt, & adoraverunt Deos earum.* Num. c. 25. v. 1. Junguntur proinde conviviis sacrificia quia à victimis, oblatis Dæmoni, fit progressus ad crapulas & bacchanalia. Ita Exodi cap. 34. v. 15. *Ne ineas pactum,* inquiebat Deus, *cum hominibus illarum regionum: ne cum fornicati fuerint cum Diis suis, & adoraverint simulachra eorum, vocet te quispiam, ut comedas de immolatis.* Unde Act. 15. v. 29. loquens fidelibus primævæ Ecclesiæ, mandat; *Ut abstineatis vos ab immolatis simulachrorum.* Et cap. 21. v. 25. *Abstineant se ab idolis, immolato, & sanguine.*

Sacrificia uniuntur conviviis.

Virgilius lib. 8. Æneid. v. 172. jungens convivia sacrificiis, introducit Evandrum loquentem Æneæ & Trojanis hoc modo;

Interea sacra hæc [quando huc venistis amici]
Annua quæ differre nefas, celebrate faventes
Nobiscum, & jam nunc sociorum assuescite mensis,
Hæc ubi dicta, dapes jubet, & sublata reponi
Pocula &c.
Tum lecti juvenes certatim, araque Sacerdos
Viscera tosta ferunt taurorum, onerantque canistris
Dona laborata Cereris, Bacchumque ministrant.
Vescitur Æneas simul, & Trojana juventus
Perpetuis tergo bovis, & lustralibus extis.

Ad hunc ritum alludens Apulejus lib. 9. *Sacrificales epulas cum sacerdotibus Deæ cœnitabat.* Et Horatius lib. 2. serm.

- - - - Vernasque procaces
Pasco libatis dapibus.

Et Tertullianus de spectacul: *Non sacrificamus, non parentamus, sed neque de sacrificato & parentato edimus.* De hoc argumento egimus Genes. c. 31. v. 54. & hoc libro Num. cap. 22. v. 40.

CAP. XXV. ℣. 1. &c.

DIssimulari non debet ordo, quem servarunt fœminæ Madianitarum, ut Hebræos perducerent ad idololatriam. Imprimis eisdem blanditæ sunt actibus impudicis & inhonestis, postea eos invitârunt ad comedendos cibos, oblatos victimarum loco supra sacrilega altaria; tandem perduxerunt ad numina & simulachra infernalia adoranda. *Fornicatus est populus cum filiabus Moab, quæ vocaverunt eos ad sacrificia sua. At illi comederunt & adoraverunt Deos earum.* Num. 25. v. 1. &c. *Videntur hæ puellæ*, inquit P. Cornelius à Lapide, *primò illexisse Hebræos ad concubitum, inde jam eos sibi devinctos habentes, pellexerunt eos ad idolothyta, ac tandem ad idola.* 486.

Paulatim.

Hâc ipsâ arte usus est Julianus Apostata: qui nihil non machinatus est, ut Christianos Constantinopolitanos induceret ad comedendas carnes, oblatas & consecratas idolis; hoc enim artificio credebat, eos facilè coactum iri ad veneranda idola. Ita refert Nectarius Archiepiscopus Constantinopolitanus Orat. in initio Quadrages. & Theodoret. lib. 1. Hist. 14.

CAP. XXV. ℣. 4.

TAmetsi suspendium, extremæ ignominiæ supplicium, è gravissimorum scriptorum judicio declaretur indignum, ut personæ nobiles illud sustineant; nihilominus multi principes, & sublimis dignitatis personæ, perpenderunt ex infelici trabe, spectaculo in conspectu mundi prorsùs abominando. Deus ad infamem hanc mortem damnavit Principes Israelitarum, in pœnam commissæ fornicationis & execrabilis idololatriæ. *Tolle cunctos principes populi, & suspende eos contra solem in patibulis.* Num. 25. v. 4. Rex Hai terminavit vitam, suspensus patibulo. Josue c. 8. v. 29. Filii Saul mortui sunt confixi cruci. 2. Reg. c. 21. Aman è funebri ligno suspensus periit. Esth. cap. 7. v. 10. 487.

Principes suspensi.

His non absimiles sunt rationes profanæ. Inarus Rex Africæ occisus est suspendio, ut scribit Thucidides lib. 1. de Bello Pelopon. Cleomenes, jam defunctus, suspensus est, ut testatur Plutarchus, in vita. Polycrates, jussu Orantis, affixus est cruci; ut notat Tertull. lib. de Anima. Truncum cadaver Leonidæ, ex mandato Xerxis, confixum est patibulo, ut scribit Herodotus lib. 7. Anno Princeps à suis Carthaginensibus simili morte interemptus est. l. 18. & centeni alii.

CAP XXV. v. 7. &c.

INtolerabilis fuit temeritas hominis illius impudici, qui intuente Mose ac toto populo, ausus est in despectum intimati supplicii libidinosè commisceri cum quâdam fœmina Madianitarum. Unde Phinees, filius Eleazari, summi sacerdotis, sacro zelo totus succensus, continere non potuit, quin prehenso pugione severissimam vindictam de temerario Judæo, & impudica fœmina sumeret. *Phinees, arrepto pugione, ingressus est post virum Israëlitam in lupanar, & perfodit* 488.

Mortui in actu carnali.

dit ambos simul, virum scilicet, & mulierem, in locis genitalibus. Num. c.25. v.25.&c.

Joannes Ravisius colligit multos casus eorum, qui *in actu venereo mortui sunt*; è quibus pauculos delibâsse sufficiat. Alcibiades, dum utebatur Timandriâ meretrice, à Lysandro occisus est, ut referunt Plutarchus in ipsius vita; & Valerius Maximus lib. 1. cap. 7. tametsi alii velint, illum igne periisse. Phaon, cum esset insolitæ pulchritudinis, à fœminis Mystileniis ardentissimè amabatur; unde deprehensus in adulterio, occisus est, ut scribit Cælius Rhodiginius. Cornelius Tacitus ait, quòd Tigillino, Centurioni prætoriano Imperatoris, fuerit novaculâ præcisa gula, sicque vitæ periodum miserè finiverit. Rodoaldus Rex Longobardorum, actualiter cum quâdam matrona peccans, interfectus est, ut scribit Paulus Diaconus.

CAP. XXV. ℣. 10. &c.

489. Quemadmodum Deus concepit gravissimam indignationem versùs sacrilegam temeritatem Israelitarum, qui ausi sunt, contra supremæ legis præscriptum, commisceri cum fœminis extraneis, & idolis offerre execrabiles adorationes: Ita totus placatus comparuit, cùm videret sparsum in terra sanguinem Zambri, Principis è tribu Simeon, qui sine rubore in conspectu Mosis & totius populi libidinosè contaminabatur. *Dixitque Dominus ad Moysen; Phinees filius Eleazari filii Aaron sacerdotis avertit iram meam à filiis Israel ecce do ei pacem fœderis mei &c.* Num. cap. 25. v. 10.

Sanguis sceleratorum placat iram Dei.

Quòd justitia divina placetur morte hominum sceleratorum, testatur Seneca in Hercul. furios: Act. 4.

Utinam cruorem capitis invisi Deis
Libare possem, grattor nullus liquor
Tinxisset aras, victima haud ulla amplior
Potest magisque opima mactari Jovi,
Quam Rex iniquus.

CAP. XXVI. ℣. 10.

490. IN delictis gravissimis, videlicet proditione patriæ, perduellione contra Principem, & similibus; non solùm fulminabatur supplicium contra delinquentem, sed etiam contra ipsius filios; idque ideò, ut vel accresceret facinoroso pœna, cùm sui causâ cerneret tortos suos charissimos amicos; vel excitaretur in populo gravis horror, quo cohiberetur à peccatis adeò enormibus. Hoc præsupposito, planè admirandum est, quòd Core fuerit terræ voraginibus, tanquam seditiosorum antesignanus, absorptus; & tamen ipsius filii sint divina bonitate à patibulo & morte liberati. *Factum est grande miraculum, ut Core pereunte, filii illius non perirent.* Num. c. 26. v. 10.

Filii puniti ob culpam patris.

Certum est, quòd patre majestatem Principis offendente, pœna transfundatur in filios. l. 5. cum 2. seqq. l. ult. ff. eodem l. ex Judiciorum ff. de accusat. §. Interdum &c. In præsenti sufficiat Decisio Imperialis c. ad l. Jul. majest. l. 5. *Quisquis cum militibus vel privatis, vel barbaris scelestam inierit factionem &c. ipse quidem, utpote majestatis reus, gladio feriatur, bonis ejus omnibus fisco nostro addictis. Filii verò ejus, quibus vitam Imperatoria specialiter lenitate concedimus (paterno enim deberent perire supplicio, in quibus paterni, hoc est, hæreditarii criminis exempla metuuntur) à materna vel avita, omnium etiam proximorum hæreditate, ac successione habeantur alieni, testamentis extraneorum nihil capiant, sint perpetuò egentes & pauperes &c. Ut his perpetuâ egestate sordentibus, sit & mors solatium, & vita supplicium.*

CAP. XXVII. ℣. 3.

Cùm esset mortuus Salphaad absque liberis masculis; quinque fœminæ, ipsius filiæ, comparuerunt coram Mose & Eleazaro summo sacerdote, petieruntque sibi tradi possessionem illorum bonorum, quæ directè spectabant ad earum patrem. Adeoque non proprio, sed patris sui nomine prætendebant hæreditatem, quâ in terrâ Chanaan fuissent fruiti apud Salphaad, nisi eum Deus sustulisset è vivis. *Pater noster mortuus est in deserto hic non habuit mares filios. Cur tollitur nomen ejus de familia sua, quia non habuit filium? Date nobis possessionem inter cognatos patris nostri.* Num. 27. v. 3. Et certè receperunt à Deo favorabile responsum, fueruntque in hæreditate patris omnibus aliis antepositæ. *Justam rem postulant filiæ Salphaad: da eis possessionem inter cognatos patris sui, & ei in hæreditatem succedant.* num. 6. 491.

Liberi hæredes patris.

Divinis legibus respondent humanæ. *Si intestatus moritur, cujus hæres non erit, agnatus proximus familiam habeto.* Naturalis inclinatio exigit, ut aliis anteponantur, qui defuncti corpore nati sunt; filiisque deficientibus, succedant agnati. Ulpianus ff. de suis & leg. l. 1. §. 1. *si filius suus hæres esse desiit, in ejusdem partem succedunt omnes nepotes, neptesque ex eo nati, qui in potestate sunt, quod naturali æquitate contigit.* Hanc doctrinam paraphrasticè declarat Tribun. instit. de Hæredit. quæ ab intest. &c. *Cùm filius, filiave, & ex altero filio nepos, neptisve existunt, pariter ad hæreditatem avi vocantur, nec qui gradu proximior est, ulteriorem excludit, æquum enim esse videtur, nepotes, neptesque in patris sui locum succedere.*

CAP. XXVII. ℣. 6.

Cùm filiæ Salphaad prætenderent justam portionem terræ Chanaan, quam possideret ipsarum pater, si adhuc viveret. Deus, à Mose interrogatus, respondit in favorem illarum fœminarum, easque declaravit hæredes patris sui, & investivit in possessionem bonorum, quæ spectabant ad defunctum. *Justam rem postulant filiæ Salphaad: da eis possessionem inter cognatos patris sui, & ei in hæreditatem succedant.* Numer. 27. v. 6. 492.

Fœminæ præferuntur maribus.

Populi Lyciæ instituebant hæredes, non filios mares, sed filias, quæ cognomen à matre sumebant; ut scribit Herodotus lib. 1. & 4. Cantabri, relictis masculis, in hæreditatis possessionem investiebant fœminas; ut refert Strabo lib. 3. Lex duodecim tabularum, recepta à Romanis, æquali portione masculos & fœminas ad possessionem paternorum bonorum admittebat.

CAP. XXVII. ℣. 18.

Josue, singularibus animi dotibus & talentis præditus, electus est à providentia divina in successorem Mosis, archistrategum, Ducem & Principem populi Hebræi. Ad hoc munus sublevatus fuit expressâ hâc ceræmoniâ, ut Moses manus suas imponeret ipsius capiti. Ita statuebatur. Num. 27. v. 18 *Tolle Josue, filium Nun, virum in quo est spiritus, & pone manum tuam super eum.* 493.

tum. Idque executus est Moses, qui *impositis capiti ejus manibus*; num. 23. illum declaravit suum in principatu successorem. Simili methodo factum est in electione primorum septem Diaconorum, de quibus Act. 6. v. 6. *Hos statuerunt ante conspectum Apostolorum: & orantes imposuerunt eis manus.* Cùm Saulus & Barnabas mitterentur ad prædicandum Gentibus Evangelium; Apostoli *jejunantes & orantes, imponentesque eis manus, dimiserunt illos.* Act. 13. v. 3. Cæremonia hæc confirmata est 1. Tim. c. 4. v. 14. cap. 5. v. 22. & 2. Tim. 1. v. 6. ac in praxin deducta à S. Ecclesia, quæ Episcopos & sacerdotes consecrat, impositis capiti manibus; prout determinavit Concilium Carthaginense IV. cap. 30.

Manuum impositio in consecratione ministrorum Dei.

Cùm omnibus perspectum sit, Numam fuisse summum sacerdotem & Regem Romanorum; T. Livius Decad. 1. lib. 1. n. 18. ait, quòd, cùm ad sublimem hanc dignitatem elevaretur, ejus capiti fuerint ab augure impositæ manus. De augure verò ita scribit. *Lituo in lævam manum translato, dextra in capite Numæ impositâ, precatus est ita. Jupiter pater, si est fas hunc Numam Pompilium, cujus ego caput teneo, regem Romæ esse, ut tu signa nobis certa ac clara fines &c.* Sic nimirum Dæmon ad observantias superstitiosas & terrenas trahit, quidquid Deus sanctè instituit & ordinavit.

CAP. XXVIII. ℣. 3.

494. IN summo gradu placent Deo illæ victimæ, quæ continent particularem aliquam suavitatem ac delicium. Unde ad hunc effectum pro sacrificio quotidiano elegit agnellos, ætatis duntaxat juvenilis, & quidem unius tantùm anni. *Hæc sunt sacrificia, quæ offerre debetis. Agnos anniculos, immaculatos duos quotidie in holocaustum sempiternum.* Teneram hanc ætatem præcepit etiam in victima paschali, de qua scribitur; *Erit autem agnus absque macula, masculus anniculus.* Exod. c. 12. v. 5. Id quod David expressit Psalmo 68. v. 22. *Et placebit Deo super vitulum novellum.* Ut videlicet disceremus, quòd Deus magis gaudeat obsequiis, præstitis in ætate floridà, vigorosà, & juvenili; quàm in senectute provectà, languidà, & ad occasum vergente.

Victimæ ætatis juvenilis.

Gentiles æstimabant præ aliis victimas ætate teneras ac minus robustas. Unde agnellis, electis ad victimas, addebatur cognomen Horni, seu non excedentis unum ætatis annum. Ita Propertius lib. 4. Eleg. 3.

Illa dies agnis cædem denuntiat hornis.

Et Petronius Arbiter;

- - - - *ibit ad aras*
Corniger, & querula fœtus suis hostia lactens
Spumabit pateris hornus liquor.

Virgilius Eclogâ 1. versu 7.

- *Erit ille mihi semper Deus: illius aram*
Sæpè tener nostris ab ovilibus imbuet Agnus.

CAP. XXX. ℣. 4. &c.

495. VOta, quæ Deo fiunt ad obtinendam ab ipso beneficentiam & favorem; debent ita esse ad regulam prudentiæ composita, ut faciens votum ad obtinendam à Deo utilitatem, nullum inde damnum proximo suo inferat, Deoque offerat illud, quod non est suum aut sub alterius jurisdictionione reperitur. Unde invalidum est votum filiifamilias, quia non est dominus ex se, sed valorem hunc à consensu & beneplacito patris & Domini requirere debet. *Mulier si quippiam voverit, & se constrinxerit juramento, quæ est in domo patris sui, & in ætate adhuc puellari, si cognoverit pater votum &c. & tacuerit, voti rea erit. Sin autem, statim ut audierit, contradixerit pater: & vota, & juramenta ejus irrita erunt. &c.* Num. 30. v. 4. &c.

Votum quomodo fit irritum.

Eodem prorsus modo loquitur Ulpianus in l. 2. ff. de Pollicit. §. Voto. *Voto*, inquit, *patres familiarum obligantur puberes sui juris: filius enim familias, vel servus, sine patris, Dominive authoritate, voto non obligantur.* Ita Canones centenis locis testantur, fuisse irritata vota Episcoporum à summo Pontifice; filiorum à patre aut tutore; servorum à Domino; Uxorum à marito; Monachorum ab Abbate; prout quoad singulas partes probat Lælius Mancinus Collat. lib. 1. c. 142. num. 8.

CAP. XXX. ℣. 4.

AD demonstrandam obligationem, quam contrahit devota persona, emittens votum; Sacer textus adhibet hanc dicendi formam. 496.
quod fit rea voti. *Mulier si quippiam voverit, & se constrinxerit juramento &c. voti rea erit.* Num. c. 30. v. 4. Hac dicendi forma iterum utitur sacer textus hoc ipso cap. v. 8. & v. 13. ubi dicitur *promissionis rea.*

Reus voti.

Hæc phrasis, reus voti, & reus promissi, multùm usitata fuit apud Gentiles, ut demonstrat Brissonius in suis formulis lib. 1. c. 113. Clarus est textus Virgilii l. 5. Æneid. v. 235.

Dii, quibus imperium pelagi, quorum æquora curro
Vobis lætus ego candentem in littore taurum
Constituam ante aras voti reus: extaque salsos
Projiciam in fluctus, & vina liquentia fundam.

Unde Macrobius l. 3. c. 2. *Hæc vox propria sacrorum est, ut reus vocetur, qui suscepto voto se Numinibus obligat.* Petrus Crinitus lib. 3. cap. 5. *Illum propriè reum dixerunt, qui suscepto voto in sacris sese Numini adstringit. Unde illud etiam in veterum legibus legitur;*

Qui reus est voti, accedito ad sacra.

In hoc argumentum Alexander ab Alexandro lib. 3. c. 22. *Illud utique verum est; consules designatos ipso die initi magistratus in bellum profecturos concionem ad populum habere, capitolium adire, ibique sacrificio perfecto, vota effundere solere: tunc suscepto, emissoque voto, cum se Numinibus obligarent, rei voti appellati.*

CAP. XXXI. ℣. 7. &c.

INiquitas Madianitarum erat ultra modum scandalosa & enormis; dum malis artibus induxerunt Judæos ad spurcitiem carnis, ad deformitatem crapulæ, & quod omnium pessimum est, ad horribile delictum Idololatriæ. Unde Deus severam, sed tamen justissimam vindictam de ipsis sumpsit; victos enim à furibundi exercitus potentià, ita condemnavit, ut sexus fortior interficeretur gladio, civitates verò terræ, & castella destruerentur flammis. *Cumque pugnâssent contra Madianitas, atque vicissent, omnes mares* 497.

Ferrum & ignis ad destructionem.

maris occiderunt. Num. cap. 13. verſ. 7. & 20. *Tam urbes, quam viculos & caſtella flamma conſumpſit.*

Sicuti ferro & igne deſtructi ſunt Madianitæ; ita etiam ferro & igne ſubverſa eſt Troja, quam Euripides in Andromacha canit *ferro & igni vaſtatam.* Virgilius lib. 2. Æneid. teſtatur, quòd Helenæ culpâ

Occiderit ferro Priamus : Troja arſerit igni.

Et Seneca in Troade Act. 1.

Exciſâ ferro eſt Pergamus : Incubuit ſibi;
En alta muri decora congeſti jacent.
Tectis adustis regiam flamma ambiunt,
Omniſque latè fumat Aſſaraci domus.
Non prohibet avidas flamma victoris manus.
Diripitur ardens Troja. &c.

CAP. XXXI. ℣. 11.

498. TAntâ felicitate conflixerunt Hebræi contra Madianitas, ut deletis ad internecionem hoſtibus, nec unicus ex ipſis occubuerit. Ad complendam victoriam obtinuerunt ingentem prædam fœminarum, infantum, & infinitorum gregum, quos collegerunt in conſpectu Moſis & Eleazari, ut intuitu prædæ adeo grandis, geminaretur jubilus in omnium cordibus. *Et tulerunt prædam, & univerſa quæ ceperant, tam ex hominibus, quam jumentis. Et adduxerunt ad Moyſen & Eleazarum ſacerdotem, & ad omnem multitudinem filiorum Iſraël.* Num. 31. v. 11 &c.

Præda militaris collecta.

Præda è Madianitis ſublata, & ſimul collecta ab Hebræis, memoriam mihi refricat prædæ, à Trojanis acquiſitæ & in cumulum congeſtæ à Græcis; de quibus Virgilius 2. Æneid. verſ. 761.

- - - Phœnix, & dirus Vlyſſes
Prædam aſſervabant. Huc undique Troia gaza
Incenſis erepta adytis, menſæque Deorum.
Crateresque auro ſolidi, captivaque veſtis
Congeritur.

Titus Livius lib. 45. loquens de Macedonia ſuperata, ait; *ſpectaculo fuit ei, quæ venerant turba, non ſcenicum magis ludicrum, non certamina hominum, aut curricula equorum, quam præda Macedonica omnis, ut viſeretur, expoſita. ſtatuarum, tabularumque textilium, & vaſorum ex auro, & argento, & ære, & ebore factorum.* Et lib. 40. agens de Nigroponte capto & ſuperato; *Præda omnis primum in forum collata, deinde in naves impoſita.* Conformiter ad hoc Polybius refert; quod finito prælio, & hoſte interfecto, expeditæ ſint turmæ militum ad ſepeliendos defunctos, & colligenda ſpolia & prædas hoſtium. *Sacramento tamen prius adacti, ſe nihil ex præda intercepturos, aut occultaturos, ſed omnia fideliter Imperatori repræſentaturos.* Videatur Joan: Lorinus in hunc locum.

CAP. XXXI. ℣. 15. &c.

TAmetſi crudelitas verſus ſexum fœmineum videatur eſſe infamis actio, indicans animum vilem, afferens confuſionem & ruborem iis, qui ipſarum ſanguine conſpergunt gladium; nihilominus quando agitur de nefanda gente, tanquam corruptela populi eradicanda, non poteſt non crudelitas illa approbari. Tales erant fœminæ Madianitarum, quarum culpâ populus Hebræus fuit inductus ad enormia delicta. Unde juſtiſſimo furore ſuccenſus Moſes, eas trucidari juſſit. *Cur fœminas reſervaſtis? Nonne iſtæ ſunt, quæ deceperunt filios Iſraël ad ſuggeſtionem Balaam, & prævaricari vos fecerunt? &c. Ergo cunctos interficite — et mulieres, quæ noverunt viros in coitu, jugulate.* Num. cap. 31. v. 15 &c. 499.

Fœminæ cum laude occiſæ.

Licet Æneas ſciret ex interfectione Helenæ nihil militaris gloriæ ſibi acceſſurum: nihilominus conſiderans fœminæ illius nefandæ infamiam, uti & damnum, quod populo intulerat; decrevit eam è medio tollere; & lib. 2. Æneid. v. 583. ita diſcurrit;

— Namque & ſi nullum memorabile nomen
Fœminea in pœna eſt, neque habet victoria laudem;
Extinxiſſe nefas tamen, & ſumpſiſſe merentis
Laudabor pœnas, animumque explêſſe juvabit
Vltricis flammæ, & cineres ſatiâſſe meorum.

In hunc locum P. la Cerda; *Helena jure nefas dicitur, cujus impuri mores noti.* Et ſuperius Æneæ ore; *Ego nefas extinguam & crimen, quod dignum laude; pertinet enim*, ſubjungit la Cerda, *ad virum juſtum. crimen tollere, qui nefas nullum ſupereſſe pati debet.*

CAP. XXXI. ℣. 25. &c.

SAna ratio perſuadet, illos debere fructibus victoriæ gaudere, qui in bello fortiter dimicârunt. Unde Deus jubet; ut Moſes, totam prædam examinans, eam ad meritorum proportionem inter milites diſtribuat. *Dixit quoque Dominus ad Moyſen. Tollite ſummam eorum quæ capta ſunt. -- Divideſque ex æquo prædam inter eos, qui pugnaverunt. &c.* Num. 31. v. 25. In hac diſtributione fit expreſſa mentio militum; nulla verò Moſis, ſupremi Principis; nulla Joſue, ſupremi Belliducis; nulla Phinees, cui expeditio illa incumbebat; adeoque iis videtur reſervatus ſolus & unicus honor victoriæ. 500.

Bellidux fit contentus gloriâ.

Hoc ſenſu dicebat Cato; *Decet Duces gloriam, pecuniam milites è victoria efferre.* Scipio Africanus à Plutarcho cumulatur encomiis, qui poſt obtentas numeroſas & clariſſimas victorias, cunctos ſuos milites è ſpoliis ditavit plus, quàm ullus unquam Imperator fecerat; ipſe verò moriens non plus in domo ſua reliquit, niſi triginta tres libras argenti, & duas auri. Simili modo Plutarchus refert de Themiſtocle, quod ad littus maris ambulans ad videnda cadavera; cum ibi

ibi videret ingentem cumulum catenarum & armillarum aurearum; transierit, ne unicam quidem attingens; dixeritque ei, qui adstabat lateri; *Collige tu tibi: nam tu Themistocles non es.* De hoc facto ita discurrit Plutarchus; *Ne tam obvia quidem prædâ commoveri potuit, ut quidquam ageret egregio indignum Duce; cui gloria debet esse satis magnum virtutis premium.*

CAP. XXXI. ℣. 28.

501. Si divina potentia concurrit ad omnes operationes mundi, ita ut sine ipsa nihil vel subsistere vel conservari possit; maximè tamen hanc suam omnipotentem vim demonstrat in conflictibus bellicis & obtinendis victoriis. Ipse enim est Dominus exercituum; ipse in suis fidelibus præliatur; ipse vincit; unde sana ratio persuadet, ut victores se ei gratos sistant, offerantque congruam partem militarium spoliorum ac prædarum. Id quod executus est Abraam, offerens decimas Deo ex suis prædis, ut refertur Genes. cap. 14. vers. 20. ad quem locum instituimus peculiarem considerationem. Eodem modo post deprædatos Madianitas, statuit Deus; dixitque Mosi Num: 31. v. 28. *Separabis partem Domino, ab his qui pugnaverunt, & fuerunt in bello, unam animam de quingentis, tam ex hominibus, quam ex bobus & asinis, & ovibus, & dabis eam Eleazaro sacerdoti quia primitiæ Domini sunt.*

Præda militaris oblata Deo.

Videtur inviolabilis fuisse apud Gentiles ista observantia, ut ex militaribus spoliis, & obtentis manubiis consecrarent Deo decimas. Alexander ab Alexandro l. 3. c. 22. ait; *Frequens apud veteres votum fuit, ut decima prædæ & spoliorum, quidquid ex hostibus captum fuisset, Jovi & Diis devoverent.* Idque approbat exemplo Camilli, *qui captis Vejis votum vovisse dicitur,* quòd unam partem prædæ vendere, ac pretium Diis offerre velit. Item exemplo Gallorum, quibus in more positum erat, *ut belli jure quæsita, plerumque verò partem Marti devoverent.* Exemplo etiam Crotoniatarum, qui contra Locrenses dimicaturi, *cùm decimam partem Apollini vovissent, Locrenses ut voto vincerent, novam devovêre* sicque prosequitur alias relationes Historicas. Hunc morem attigit Virgilius lib. 3. Æneid. v. 222.

Irruimus ferro: & Divos, ipsumque vocamus
In prædam, partemque Iovem.

Et licet eo loco Virgilius loquatur de Venatoribus, P. Cerda tamen varias eruditiones affert, quæ decimas è spoliis militaribus dandas concernunt.

CAP. XXXI. ℣. 48.

502. Victoria, ab Hebræis contra Madianitas obtenta, ex multis rationibus est considerabilis & grandis. Digna tamen summâ admiratione ex eo capite, quòd barbaris omnibus ad totalem internecionem datis, ne unus quidem Hebræorum sit mortuus. *Cumque accessissent Principes exercitus ad Moysen, & tribuni, centurionesque dixerunt. Nos servi tui recensuimus numerum pugnatorum; & ne unus quidem defuit.* Num: c. 31. v. 48. Simili felicitate præliatus est Judas Machabæus, de quo 1. Mach. cap. 5. vers. 54. *Ascenderunt in montem Sion cum lætitia & gaudio, & obtulerunt holocausta, quod nemo ex eis occidisset, donec reverterentur in pace.*

Victoria stupenda & incruenta.

Jactant Gentiles milites, se conflixisse & vicisse absque ullo commilitonum perdito. Spartani occiderunt ultra decem millia Arcadum, sine ullo homine amisso: ajuntque, Oraculum Dodonæum ipsis prædixisse, & securos fecisse Spartanos; *absque lachrymis & sanguine bellum futurum*; ut scribit Diodorus lib. 15. In hujusmodi gloriæ partem vocatus fuit Simon, Comes Monfortius, quando victoriam contra Albigenses retulit. Hieronymus Osorius lib. 3. *de Rebus Emanuelis*, loquens de Odoardo Pazeco, Belliduce Lusitanorum, qui præliabatur contra Regem Calecuti, ait; *Prælium fuit sub vesperum cum magna omnium admiratione finitum. Ex nostris nemo deside ratus fuit. Ex hostibus supra mille & trecenti homines cecidêre.* Et paulo post narrans aliam militarem expeditionem, ait, quod Barbari *decem & novem parones amisêre, ducenti verò & nonaginta milites interfecti sunt, cùm ex nostris nemo cecidisset.*

CAP. XXXI. ℣. 50.

Postquam Hebræi contra Madianitas insignem retulissent victoriam; Principes exercitus Israelitici: Archistrategi, Colonelli, Capitanei &c. sponte obtulerunt Deo armillas, annulos, monilia &c. in grati animi, & devoti affectus argumentum. *Offerimus in donariis Domini singuli, quod in præda auri potuimus invenire, periscelides, & armillas, annulos & dextralia, ac murænulas &c.* Num. 31. v. 50. 503.

Armillæ & catenæ oblatæ Deo.

Galli sub Duce Aristonico pugnaturi contra Romanos, votoque se obstrinxerunt, quòd Marti è spoliis hostilibus vellent offerre catenam auream. At Flamminius, Supremus Romanorum Bellidux, *ut voto vinceret, de torquibus Gallorum Marti trophæum posuit.* Alex: ab Alex: lib. 3. cap. 22. Xerxes obtulit cuidam platano catenas aureas & armillas. B. Amedeus Sabaudus, sublato è collo collari aureo, illud obtulit cuidam pauperi Christi.

CAP. XXXII. ℣. 23.

Postquam Hebræi certum aliquod promissum fecere Deo; Moses iis persuasit, ut omni studio illud exequerentur: additque, si in hoc essent offensuri Deum, peccatum istud fore carnificem & catenam ad ipsos castigandos, & gravissimas pœnas inferendas. *Scitote, quoniam peccatum vestrum apprehendet vos.* Num: 32. v. 23. Huic loquendi formæ respondet dictum Ecclesiastici c. 27. v. 11. *Leo venationi* (seu rectius *feræ*) *insidiatur semper; sic peccata operantibus iniquitates.* Et illud Proverb: c. 5. v. 22. *Iniquitates suæ capiunt impium, & funibus peccatorum suorum constringitur.* 504.

Peccatum secum trahit pœnam.

Conformiter Plato de Legibus dicebat; *Pœnam, punitionemque iniquitatis asseclam, comitemque;* imò magis propriè, *congenitam, coætaneamque.* Hora-

Horatius lib. 1. Ode 24.

Et peccare nefas, & pretium est mors.

Et lib. 3. Od. 2.

Raro antecedentem scelestum
Deseruit pede pœna claudo.

Et lib. 4. Ode 5.

Culpam pœna premit comes.

CAP. XXXII. ℣. 37.

505. POstquam Hebræi armorum viribus superarunt plurimas civitates & terras Chananeas; ibique sive destructas repararunt, sive novas construxerunt; abolito priore ipsarum nomine, propria nomina ipsis dederunt. *Filii Ruben ædificaverunt Hesebon, & Eleale, & Cariathaim, & Nabo, & Baalmeon, versis nominibus* (id est permutatis) *Sabama quoque: imponentesque vocabula urbibus, quas exstruxerant.* Num. 32. v. 37. seu, ut ex græco textu colligitur; *cognominaverunt juxta cognomina ipsorum*, vel, *sua, nomina urbium, quas ædificaverunt.* Adduntque expressa exempla num: 41. *Iair autem filius Manasse abiit, & occupavit vicos ejus*, Galaad, *quos apellavit Havoth Iair*, id est, *Villas Iair*, *Nobe quoque perrexit, & apprehendit Chanaat cum viculis suis: vocavitque eam ex nomine suo Nobe.* Hæc observatio confirmatur ex Gen. cap. 4. v. 17. ubi refertur, Cainum primum omnium *ædificasse civitatem, quam proprio filii sui nomine vocavit. Ædificavit civitatem, vocavitque nomen ejus ex nomine filii sui Enoch.* Ad hoc propositum S. Jo. Chrysostomus Hom. 20. in Genes. *Hominibus factis mortalibus studium fuit, ut immortalem suam memoriam facerent, partim ex filiis, quos generabant, partim ex locis, quibus filiorum nomina imponebāt.*

Civitas à suis fundatoribus denominata.

Quod civitatibus fuerint imposita nomina suorum fundatorum aut reparatorum, pleni testantur libri. Græci & alii existimabant, primam civitatem mundi fuisse extructam à Cecrope; unde, ut scribit Plinius l. 7. c. 56. eam cognominabant Cecropiam. Roma, antiquitus dicta Valentia, postea à Romulo, suo reparatore, sortita est nomen. Alexandria vocabatur à suo fundatore Alexandro Magno. Turris Stratonis, ab Herode sumptuosè structa, in honorem Cæsaris, accepit Cæsareæ nomen. Vetus civitas Byzantina, à Constantino ampliata & illustrata, dicta fuit Constantinopolis. Seleucus filius Antiochi juxta Orontem fluvium in Syria ædificavit civitatem, eamque patris nomine vocavit Antiochiam. Philippopolis in Flandria accepit nomen à Philippo II. Hispaniarum Rege, clarissimo Monarchā. Alexandria, civitas Lombardiæ, cognominata est ab Alexandro III. Summo Pontifice; cujus subsidio fuit civitas extructa tanquam propugnaculum contra exteras nationes.

CAP. XXXIII. ℣. 1. &c.

506. ITer, ab Hebræis ex Ægypto usque in Chananeam peractum, studiosissimè descripsit Moses, referens etiam minutissima tentoria, in quibus castrametatus populus diuturno tempore habitabat. *Hæ sunt mansiones filiorum Israël, qui egressi sunt de Ægypto per turmas suas in manu Moysi & Aaron, quas descripsit Moyses juxta castrorum loca, quæ Domini jussione mutabant.* Num: cap. 33. v. 1. &c.

Pro populi commodo distribuit Deus multa tentoria; ut etiam pro militum commodo solent Principes seculares determinare tentoria ac stationes militares, in quibus potest exercitus quiescere, & ex laboribus respirare. De his Curtius; *Exploratores, stationes hostium fuerant ingressi.* De iisdem Suetonius in vita Titi cap. 10. & prius in vita Tiberii cap. 37. ait; *Stationes militum per Italiam solito frequentiores disposuit.* Alios complures Scriptores sacros & profanos in hanc rem allegat Jo. Lorinus ad istum locum.

CAP. XXXV. ℣. 6.

SI justitia & æquitas exigat, ut delinquentibus infligantur debitæ pœnæ; misericordia reclamat, & vult, ut infelicibus reis detur asylum, in quo ab hostium odio securi, possint se defendere, & purgare contra oppositiones sibi factas. Ad hunc effectum fuère in lege Mosaica determinatæ sex civitates, quæ fugitivis deservirent asyli & receptaculi loco. *De ipsis oppidis, quæ Levitis dabitis, sex erunt in fugitivorum auxilia separata, ut fugiat ad ea, qui fuderit sanguinem &c.* Num. 35. v. 6 & v. 11. *Decernite, quæ urbes esse debeant in præsidia fugitivorum.* Repetitur hæc lex Deuter. cap. 4. v. 41. & Josue c. 20. v. 2. 507.

Asyla reorum.

Hos effectus pietatis erga reos etiam apud Gentiles reperimus. Græci pro aliorum subsidio erexerunt *aram misericordiæ*, ut testatur Pausanias lib. 1. in Atticis. Romulus in vetere Roma aperuit asylum, ubi secura degeret fæx hominum sceleratissimorum; ut refert S. Augustinus lib. 1. de Civit. cap. 34. Alaricus Rex Gothorum nullam penitus molestiam intulit iis, qui ad Ecclesias Romanas se receperant, tametsi armis cepisset civitatem; dicebat enim, se gessisse bellum cum Romanis, non verò cum Sanctis aut cum Ecclesiis, ad Dei & Sanctorum obsequia consecratis. Agesilaus, superatis Atheniensibus; tametsi multis vulneribus in prælio acceptis fuisset ingenti furore contra eos accensus, nunquam tamen permisit, illis vel minimam injuriam aut vim inferri, qui ad templum Minervæ confugerant; asserens, sibi haberi sacrilegos illos, qui templis non exhiberent omnem reverentiam. Æmilius Probus in ipsius vita.

CAP. XXXV. ℣. 22. &c.

QUemadmodum homicidium, commissum ex odio, inimicitia, mala voluntate, & ex proposito, meretur irremissibilem pœnam, ut decernitur Num. cap. 35. v. 20. &c. ita quando accidit inadvertenter, ex infortunio, absque odio aut inimicitia &c. statuit Deus, ut homicidæ concedatur venia & liberatio. *Quod si fortuitò & absque odio & inimicitiis, quidquam horum fecerit*: Quod tamen probationibus convenientibus stabiliri debebit; *liberabitur innocens de ultoris manu. &c.* Num: 35. v. 22. &c. & repetitur Deut. 19. v. 4. 508.

Homicida casualis innocens.

Huic divinæ determinationi subscribunt etiam Profani, eumque declarant innocentem, qui absque voluntatis vitiosæ assensu in errorem prolabuntur. Inter alios Seneca in Hercul: Oetæo;

Delictum non voluntarium excusatur

Haud est nocens, quicunque non sponte est nocens.

Et in Hercul: Fur:

Quis nomen unquam sceleris errori dedit?

Et Thucidides lib. 3. declaravit *veniâ dignum*, seu *veniabile*, *quod involuntarium*.

CAP. XXXV. ℣. 26. &c.

509. Exilium pœna homicidii involuntarii.

QUisquis commiserat homicidium, tametsi involuntarium & fortuitum, poterat vi legis Mosaicæ à parentibus mortui occidi: undesi fugam è patria in exilium arripuerit, & se non receperit in civitatem refugii, impunis erat, qui eum occiderat. *Si interfector extra fines urbium, quæ exulibus deputatæ sunt, fuerit inventus, & percussus ab eo, qui ultor est sanguinis; absque noxa erit, qui eum occiderit. Debuerat enim profugus usque ad mortem Pontificis in urbe residere &c.* Num. 35. v. 26.

Videri possit, ab Homero descriptam fuisse hanc legem, dum lib. ult: Iliad statuit exilium ei, qui involuntariè occiderit civem.

Vt cùm noxa virum gravis urget cive peremto,
Qui patria abscedens aliam divertit in urbem
Divitis inque hominis stat limine.

Item Poëta in Persona Patrocli;

In vestras puerum ex Opoënte Menatius ædes
Me duxit, cædem quò fugi propter amaram
Tempore cùm fatuus genitum Amphidamante peremi
Invitus.

Et lib. 12. Iliad: ait, quòd Tlepolemus ex inadvertentia occiderit Licimnium, suum avunculum jam senem, cùm interficere destinasset illum servum, apud quem morabatur Licimnius. Unde in hujus erroris pœnam profugus patriâ, sub Græcorum signis militavit contra Trojanos. Has observationes cum aliquot aliis ex Alciato desumpsit Lorinus, & ad illustrandum hunc locum posuit.



LII.

LUMINA REFLEXA
EX
DEUTERONOMIO.

CAP. I. ℣. 27.

510. Um Hebræi jam proximi essent terræ Chanaan, ut pedem in eâ figerent, ac victoriosam possessionem totius provinciæ caperent, animo nimiùm quantùm vili, ac impatientia prorsus intolerabili, conquesti sunt contra Deum, supremum suum Belliducem, & directorem totius exercitus. Commemorabant enim sublimem Chananæorum staturam, & civitatum munitarum fortitudinem, quibus agebantur in desperationem; ut refertur Num. c. 13. v. 32. Unde Moses justè ipsis in faciem exprobrat Deuter. c. 1. v. 27. *Murmurâstis in tabernaculis, atq; dixistis: odit nos Dominus &c. Maxima multitudo est, & nobis statura procerior, urbes magnæ, & ad cœlum usq; munitæ, filios Enacim vidimus ibi.*

Querela Hebræorum.

Cum hoc murmure magnam habet sympathiam illud militum Cæsaris, quando Germaniam ingredi debebant, conquerebantur enim, se duci ad conflictum cum hominibus insolitæ staturæ, fortitudinis incredibilis, & ad arma tractanda plurimum exercitatis, adhæc, quod longè pejus, se debere transire angustissimas vias, & vastissimas intricatæ obscuritatis sylvas; ut scribit ipsemet Julius Cæsar lib. 1. de Bello Gallico.

CAP. I. ℣. 44.

511. AD demonstrandum ardorem, vehementiam, & ferociam, qua Amorrhæi irruebant in Israëlitas; Moses utitur similitudine apum, quæ iracundæ & furiosæ aggrediuntur quosvis alveario suo propinquantes. *Egressus Amorrhæus, qui habitabat in montibus, & obviam veniens persecutus est vos, sicut solent apes persequi.* Deut. c. 1. v. 44. Hac ipsa similitudine usus est David, ut describeret adversitates, sibi ab inimicis illatas. Psal. 117. v. 12. *Circumdederunt me sicut apes.* Isaias Regem Assyriorum, molestissimum Judæorum hostem, comparat *Api, quæ est in terra Assur.* Isa. 7. v. 18.

Apes iracundæ.

Hoc loco non solùm dicitur, populum Amorrhæum esse similem apibus, sed insuper egressum esse terris ruralibus, sylvestribus, & montanis. *Egressus est Amorrhæus, qui habitabat in montibus.* Unde videtur, eo loco illos assimilari apibus rusticis, quæ omnium sunt horridissimæ & iratissimæ. *Apes sunt rusticæ, sylvestresque, horrida aspectu, multò iracundiores* apibus civilibus, inquit Plinius lib. 11. cap. 18. Verùm etsi illuc non alluderet Moses, apes se ipsis habent aculeos adeò doloriferos, ut Plinius citato loco adjungat; *Esse in exemplis, equos ab iis occisos.* De iisdem Ælianus lib. 1. de Animal. cap. 9. *Asperè aculeis invadentes, percutiunt latronem,* id est, fucum, qui conatur deprædari mel. ferociam illarum expressit Statius lib. 10. Thebaid. vers. 567.

Sic ubi pumiceo pastor rapturus ab antro
Armatas exegit apes: fremit aspera nubes:
Inq; vicem sese stridore hortantur, & omnes
Hostis in ora volant. &c.

CAP. III. ℣. 11.

512. INsolitæ ac prodigiosæ Celsitudinis fuit Og Rex Basan, cujus lectus, è ferro constructus, in civitate Sabbath, postea vocata Philadelphia, protendebatur ad novem cubitos in longitudine, & quatuor in latitudine; adeoque re ipsa erat grandis & insignis gigas. *Monstratur lectus ejus ferreus in Rabbath novem cubitos habens longitudinis, & quatuor latitudinis.* Deut. c. 3. v. 11.

Gigantes.

Staturam insolitam gigantum magnitudine commemorat Plinius lib. 7. c. 16. cùm enim statura ordinaria humani corporis non excedat octo palmos, in Candia tamen ait, ex monte per terræ motum dirupto, apertum esse cadaver, quadraginta sex cubitis longum, creditumque fuisse Orionis. Magis credibile est, quod de Orestis corpore affirmatur, fuisse videlicet è terra effossum septem cubitorum. Subjungit Plinius rem suo tempore factam. *Procerissimum hominem ætas nostra D. Claudio Principe, Gabaram nomine, ex Arabia advectum, novem pedum, & totidem unciarum vidit.* Portentosissimæ longitudinis fuit Titius, de quo Virgilius lib. 6. Æn. v. 595.

Nec non & Tityon terra omniparentis alumnum
Cernere erat, per tota novem cui jugera corpus
Porrigitur.

S. Augustinus lib. 15. de Civit. Dei cap. 9. ait: *Vidi ipse non solus, sed aliquot mecum in Uticensi littore, molarem hominis dentem, tam ingentem, ut, si in nostrorum dentium modulos minutatim concideretur, centum nobis videretur facere potuisse.* In Commentario ad hunc locum Ludovicus Vives affirmat, se vidisse dentem molarem, pugno grandiorem.

CAP. IV. ℣. 15.

513. DEus, tanquam purissimus spiritus, non potest esse objectum oculi corporei: apprehendi potest intellectu, & amari voluntate; at nul-

at nullo visibili objecto potest oculis humanis repræsentari. Unde apparens in rubo supra montem Sina, tametsi fuerit distinctè auditus, non tamen ullo modo visus est. Proinde Moses Hebræis ait Deut. 4. v. 15. *Non vidistis aliquam similitudinem in die, qua locutus est vobis Dominus in Horeb de medio ignis.* Adeoque divina essentia nullo prorsus penicillo aut scalpro repræsentari potest.

Deus est invisibilis.

Hanc doctrinam comprehendit unus vel alter Gentilium, inter quos Statius ita canit;

Nulla autem effigies, nulli commissa metallo
Forma Dei, mentes habitare, & pectora gaudet.

CAP. IV. ℣. 24.

514. MAgnæ similitudines intercedunt Deo cum igne. Iste enim est elementum subtilissimum; Deus purus spiritus. Ignis sociatus est luci, Deus totus est lux. Ignis secum affert calorem; Deus fovet, vivificat, & purgat animas viventes & res alias omnes; unaque justissimi zeli sui ardore punit ac consumit. Ignis totus est agilis; de Deo scribitur, quod *in altis habitat;* Denique ignis nullam admittit commixtionem; Deus est ipsa simplicitas. Unde frequenter sub ignis effigie Deus apparuit; sicque à S. Paulo Hebr. 12. v. 29. uti & à Mose Deut. c. 4. v. 24. sub ignis nomine celebratur; *Dominus Deus tuus ignis consumens est.* Ubi insinuat justos suos rigores in puniendis, consumendis, & abjiciendis iis, qui temerè ipsum offendunt.

Deus similis igni.

Quòd Deus repræsentetur sub ignis specie, probârunt etiam Gentiles. De Persis affirmat Maximus Tyrius, quòd igni exhibuerint honores tanquam Deo. *Persæ diarium ignem adorant, nimirum divinitatis signum, insatiabilem, voracem.* Dum huic offerunt sacrificia, & subministrant alimenta, solent dicere; *Ede ignis Domine.* Adeoque tam sublimen divinitatis imaginem in igne reponebant, ut quocumque moveretur Persarum exercitus, semper ignis, veluti numen tutelare, supra argentea altaria, ante militares turmas portabatur; ut testatur Pierius Valer. lib. 46. Simili modo Chaldæi adorârunt *Ur*, id est, ignem; & Romani inter numina recensuerunt ignem, qui vocabatur *Vesta*, servabaturque manibus Virginum Vestalium.

CAP. V. ℣. 11.

515. NOmen Dei, in summo gradu venerabile & sacrosanctum, non solùm non debet inhonorari perjuriis, aut à linguis cum irreverentia & abusu tractari, sed tanto honore respici, ut tantùm nominetur, quando vel discursus est doctrinalis, vel Deo offeruntur religiosæ preces, aut aliqua necessitas exigit. Hoc modo interpretatur Theodoretus mandatum divinum Exodi cap. 20. v. 7. *Non assumes nomen Domini Dei tui in vanum.* junctis minis severorum suppliciorum; *Nec enim habebit insontem Dominus eum, qui assumpserit nomen Domini Dei sui frustra.* Præceptum hoc innovatur Levit. 19. v. 12. *Non perjurabis in nomine meo, nec polluet nomen Dei tui. Ego Dominus*: quasi diceret, *Vindex ero*; Et Deut. 5. v. 11. *Non usurpabis nomen Dei tui frustrà: quia non erit impunitus, qui super re vana nomen ejus assumpserit.*

Nomen Dei sacrosanctum.

Quòd impio perjurio, abutenti nomine & invocatione Dei, immineat gravis pœna, etiam Gentiles agnovêre. Agesilaus, teste Æliano Var. lib. 14. c. 2. laudabat suos inimicos, si pejerando procurâssent eī illudere; Eo enim crimine obstringebant Deos, ut eos punirent, ipsi autem favorabiles & propitii fierent. Cujacius observat. 19. lib. 2. ait. *Si per Principem pejeratum est, princeps ipse vindex est; si per Deum, Deus.* Conformiter ad id, quod dixit Tiberius apud Cornel. Tacitum. *Deorum injurias Diis curæ esse.* Unde Alexander C. de rebus cred. lib. 2. *Jurisjurandi contempta religio satis Deum ultorem habet. &c.*

CAP. V. ℣. 16.

SIcuti Deus in statuendis præceptis primo loco posuit reverentiam & venerationem erga divinam Majestatem; ita secundo posuit honorem, debitum nostris parentibus, qui post Deum omnibus aliis rebus præferendi sunt. Unde sicuti in Deut. c. 5. v. 11. dixit; *Non usurpabis nomen Domini Dei tui frustra.* & v. 12. *Observa diem Sabbati.* ita v. 16. subjungit: *Honora patrem tuum & matrem tuam, sicut præcepit tibi Dominus. &c.* 516.

Parentes honorandi.

Simili structura legum statuit Solon; *Deos honora, parentes reverere.* Pindarus Pyth. 6. Stroph. 2.

— — Potissimùm quidem inter Deos
Saturnum gravisonum, fulgurum, fulminumque
Moderatorem venerari;
Hoc verò nunquam honore
Privare parentum vitam fatis datam.

Menander certam legem antiquam refert, quæ ordinat, ut parentibus exhibeantur honores quasi divini: *Lex jubet, parentibus honores divinis æquales præstare.* Hierocles, relatus à Joanne Stobæo Serm. 79. dicebat; *Filios existimare debere, se in domo patria, veluti fano quodam æditues ac sacerdotes ab ipsa natura creatos, & consecratos esse, ut parentum cultui operam darent.*

CAP. VI. v. 4.

PLurimæ rationes clarè convincunt, quòd unus tantum sit Deus: cùm enim Deus sit ens simplicissimum & perfectissimum, non potest esse, nisi unus: nam si essent plures Dii, unus haberet perfectionem, quam non haberet alter, & consequenter utrique aliquid deficeret; nullusque foret in summo gradu perfectissimus, & sic non possent esse Dii: adhæc si essent duo, haberent duas voluntates, possentque velle res contrarias & inter se repugnantes, quod præjudicaret bono regimini mundi; vel unus limitaret potentiam & virtutem alterius, quod Deo convenire non potest, utpote habenti virtutem illimitatam, indivisam, & infinitam. Adeoque necessariò est unicus tantùm Deus. In hunc sensum S. Cyprianus lib. de Idolorum vanitate. *Unus omnium Dominus est Deus: neq; enim illa sublimitas potest habere consortem, cùm sola omnium teneat potestatem.* In Deuteronomio c. 6. v. 4. scribitur; *Audi Israël: Dominus Deus noster Deus unus est.* quo loco Textus Hebræus ait; *Audi Israël, Deus, Deus noster, Deus unus est.* ubi trinis vicibus nominatur Deus, ad trinam personarum distinctionem, additurque *unus est*, ob singularissimam unitatem divinæ essentiæ. 517.

Deus est unus. & trinus.

Quòd

Quòd unus tantùm sit Deus, cognovère multi Philosophi, Oratores, & Poëtæ. Ipsi etiam Mahometani solent dicere; *Non est Deus nisi unus.* Quòd autem unus iste Deus, sit in personis trinus, veritas est ab Hebræis deducta ad Ægyptios, qui dicunt, Serapidem respondisse Thuli, antiquo ipsorum Regi, hoc oraculum, relatum à Suida in voce *Thulis*;

Primum Deus, deinde Verbum, & spiritus cum illis
Illa autem congenita, & in unum coëuntia.

CAP. VI. ℣. 6. &c.

518. QUòd amor divinus sedem suam fixerit in pectore hominis fidelis, infallibile indicium est, si sæpè audiatur loqui de Deo; si in itinere instituat colloquia de Deo; si dormiens habeat in somniis contemplationes & affectus erga Deum. Vix Moses proposuerat Deum amare super omnia, Deut. cap. 6. v. 5. mox subjungit; *Eruntq; verba hæc — in corde tuo, & narrabis ea filiis tuis, & meditaberis in eis, sedens in domo tua, & ambulans in itinere*; & quod in rem præsentem facit, *dormiens atq; consurgens.* v. 6. &c. Hanc praxin cœlestium, seu rectius, divinorum somniorum adjuvat consilium S. Bernardi lib. de vita solit: *Iturus ad somnum, semper aliquid tecum defer in memoria, vel cogitatione, in quo placidè obdormias, quod nonnunquam etiam somniare juvet &c. sic tibi nox sicut dies illuminabitur, & nox illuminatio tua erit in deliciis tuis.* Hoc modo, inquit S. Ambrosius, dormiendo vigilabat & quiescendo contemplabatur magna Dei mater, de qua l. 2. de Virginit. ita loquitur. *Dormire non prius cupidinas, quam necessitas fuit. Et tamen cùm quiesceret corpus, vigilaret animus, qui frequenter in somnis, aut lecta repetit; aut somno interrupta continuat, aut disposita gerit, aut gerenda prænuntiat.*

Somnia de Deo sunt indicium animæ puræ.

Zeno ait, hanc ipsam esse evidentem probationem, ut cognoscamus, an in virtute profecerimus; si nimirum observes, an etiam in somno applicetur voluntas ad actus virtutum. *Ex somniis deprehendere licet, num quis profecerit in studio virtutis. Si enim in somnis nulla capitur voluptate erga turpitudinem, neque gravi inhiet crimini, quo se contaminet, prorsusque nihil videt cum vitio & fœditate conjunctum, consentaneum est, omnia in tuto esse posita; si quidem, ut equi jugales, recta currere instructi, non deserunt viam, etiam dormiente auriga: ita bruti affectus domiti, nec in somnis facilè recalcitrant.* Adducitque illum Plutarchus in lib. *Quomodò quis suos in virtute profectus scire possit.*

CAP. VI. ℣. 6. &c.

519. QUemadmodùm suadet Moses, ut tempore somni habeamus animam adeò affectam Deo, ut ipsa etiam somnia repræsentent in suis speciebus actiones & opera, concernentia obsequium divinum; ita quoque suadet vero servo Dei, ut die ingruente, è somno evigilans, mox mentem ad Deum elevet, eique gratias agat, adoret, supplicetque orante lingua & corde devoto. *Eruntque verba hæc.* id est; *Diliges Dominum Deum tuum &c. in corde tuo &c. & meditaberis in eis &c. dormiens, atque consurgens.* Deut. c. 6. v. 6. &c. Istud est exercitium proprium boni religiosi; *ut surgentibus nobis ad laudes Dei,* inquiebat S. Bernardus de Vit. solit. *omnis exinde tenor operis nostri in ipsius laudibus formetur & vivificetur.* S. Basilius Ep. 1. ad Greg. Naz. dicebat; *Ecquid beatius, quàm hominem in terra concentum Angelorum imitari? ineunte statim die in orationes ire? in hymnis & canticis creatorem venerari?*

Diem auspicari à laude Dei.

Apollonius Thianeus, vivens instar dæmonis, pronuntiavit hanc Angeli vocem; *Adveniente aurora cum Diis esse versandum:* ut scribit Philostratus in ipsius vita lib. 1. c. 12. Aratus initio sui libri Astron. dixit: *Ab Jove incipiamus.* Theocritus Idil. 17. *Ab Jove incipiamus, & in Jovem desinite Musæ.* Calpurnius Eclog. 4.

Ab Jove principium, si quis canit æthera, sumat.

CAP. VIII. ℣. 15.

INsigne omninò beneficium contulit Deus populo Israelitico, quando illum conservavit in horrido deserto, igneis undique serpentibus repleto; unaque etiam aquas providit, ac tandem ad felicitatem Palæstinæ eos deduxit. *Ductor tuus fuit in solitudine magna atq; terribili, in qua erat serpens flatu adurens. &c.* Deut. c. 8. v. 15. ubi alluditur ad relationem factam Numer. c. 21. v. 6. 520.

Serpentes ignei.

De serpentibus igneis aliquid dixi ad Lib. Num. cap. 21. v. 4. hic adjungi potest, quod refert Lesseus in sua Scotia; videlicet Anno Domini 1558. propè Marchiam & Landoviam fuisse horribilem serpentem, qui evomuit è faucibus tot flammas, ut & spicæ in campis, & fructus arborum exsiccarentur & comburerentur. Serpentibus igneis etiam annumerari potest chymæra, à Bellerophonte occisa, de qua Lucretius lib. 5. canit.

— — Triplici cum corpore ut una
Prima Leo, postrema Draco, media ipsa chymæra,
Ore foras acrem efflaret de corpore flammam.

CAP. X. ℣. 17.

OPeratio planè divina est, quæ fit animo nullis passionibus timoris, nullaque lucri cupiditate, aut aliis vitiosis respectibus involuto. Ex hoc capite divina bonitas centenis textibus celebratur. Deut. 10. v. 17. *Dominus Deus vester ipse est Deus Deorum, & Dominus Dominantium, Deus magnus & potens, & terribilis, qui personam non accipit. &c.* 2. Paralip. 19. v. 7. *Non est apud Dominum Deum nostrum iniquitas, nec personarum acceptio.* Job. 34. v. 19. *Non accipit personas principum, nec cognovit tyrannum.* Sap. 6. v. 8. *Non enim subtrahet personam cujusquam Deus, nec verebitur magnitudinem cujusquam: quoniam pusillum & magnum ipse fecit. &c.* Elogia hæc repetuntur Act. 10. v. 34. Rom. 2. v. 11. Gal. 2. v. 6. Eph. 6. v. 9. Col. 5. v. 25. 1. Petr. 1. v. 17. &c. Ad hoc propositum inter centenos Patres S. Cyprianus Epist. ad Fidum; *Deus ut personam non accipit, sic nec ætatem.* 521.

Deus non operatur cum passione.

Quisquis veri & boni judicis munere fungi desiderat, hoc modo operari debet, ut nunquam deflectat in passiones, sed æqualem se omnibus exhibeat, juxta præscriptum legum. Plutarchus de Themistocle scribit in ipsius vita, quòd rogatus à Simonide Poëta, ut faceret actionem repugnantem æquitati judicii, responderit; *Neque tu bonus Poëta esses, si modus & numeros in canendo contemneres; neque ipse bonus Prætor, si gratiam cujusque legibus præferrem.*

Judex sine passione.

CAP.

CAP. X. ℣. 18. &c.

522. MAgnus Moses inter prærogativas Dei hanc cumprimis exprimit, quòd ferventi affectu amet, protegat, & succurrat, pauperibus peregrinis. *Qui amat peregrinum, & dat victum, atq; vestitum*; unde subjungit; *Et vos ergò*, O mei Israelitæ, *amate peregrinos quia & ipsi fuistis advenæ in terra Ægypti* Deut. c. 10. v. 18. &c.

Peregrini amentur & juventur.

Conformiter Plato lib. 5. de Leg. *ad peregrinos sanctissima esse fœdera quisque cogitet. Ferme enim omnia peregrinorum, & contra peregrinos à civibus peccata ultori Deo magis curæ sunt. Nam cùm peregrinus amicis, cognatisq; careat, majorem & apud Deos, & apud homines meretur misericordiam. &c.*

CAP. XI. ℣. 10.

523. COmplures differentias Palæstinæ & Ægypti recenset Moses. Palæstina enim est partim extensa in planitiem, partim sublevata in montes; Ægyptus verò in vastissimos campos est dilatata. Palæstina irrigatur nubibus ac pluviis; Ægyptus sua fomenta non è cœlo, sed à Nilo accipit; dum fluvius iste, in plures rivos divisus, distribuit aquas ad irrigandas omnes illas provincias, veluti totidem hortos. *Terra Ægypti, de qua existi*, est talis conditionis, ut *jacto semine in hortorum morem aquæ ducuntur irrigua.* Deut. 11. v. 10.

Ægyptus fœcundatur Nilo.

Iisdem omninò coloribus Ægyptum depingit Plinius in Panegyrico Trajani. *Ægyptus alendis, augendisq; seminibus ita gloriata est, ut nihil imbribus, cœloq; deberet: siquidem proprio semper perfusa, nec alio genere aquarum solita pinguescere, quàm quas ipse devexerat, tantis segetibus induebatur, ut cum feracissimis terris quasi nunquam cessura certaret.* Claudianus de Ægypto canit;

Ægyptus sine nube ferax, imbresq; serenos
Sola tenet, secura poli, non indiga venti.
Gaudet aquis, quas ipsa vehit, Niloque redundat.

Et Tibullus, apostrophe ad Nilum;

Te propter nullos tellus tua postulat imbres
Arida nec pluvio supplicat herba Jovi.

CAP. XII. ℣. 21.

524. ISraëlitis promittit Moses si Deo servire, & obsequia debita ei deferre vellent, possessuros terram Palæstinæ, idque tamdiu, dum volveretur cœlum, & immineret terræ; videlicet per totam æternitatem. *Terra, quam juravit Dominus patribus tuis, ut daret eis, quamdiu cœlum imminet terræ.* Solitum enim est in sacris litteris, ut duratio longissimi temporis commensuretur cum gyro cœlorum & planetarum; uti videre est Psalmo 88. v. 30. Ubi Deus Salomoni promittit; *Ponam in seculum seculi semen ejus: & thronum ejus sicut dies cœli* & v. 38. *Et thronus ejus sicut sol in conspectu meo, & sicut luna perfecta in æternum. &c.*

Cœlum mensura æternitatis.

Hac ipsa dicendi forma utuntur Profani. Inter hos sufficiat authoritas Senecæ in Oedipo;

Lucida dum current annosi sidera mundi,
Oceanus clausum dum fluctibus ambiet orbem,
Lunaq; dimissos dum plena recolliget ignes,
Dum matutinos prædicet Lucifer ortus,
Altaq; cæruleum dum Nerea nesciet Arctos

Idem in Hercule Oethæo;

Nulla de terris rapiet vetustas,
Tu comes Phœbo, comes ibis astris.

Et in Tragœdia Troadis;

Dum terra cælum media libratum feret,
Nitidusq; certas mundus evolvet vices,
Numerusq; arenis deerit, & solem dies,
Noctem sequentur astra. &c.

CAP. XI. ℣. 24.

CUm Israëlitæ deberent in legitimam possessionem Palæstinæ institui; Moses loco Dei ita eos est allocutus; *Omnis locus, quem calcaverit pes vester, vester erit.* Deut. c. 11. v. 24. insinuabat videlicet, pedibus in aliqua terra positis, sumi legitimam & securam ipsius possessionem. Ita etiam docetur Josuæ cap. 1. v. 3. *Omnem locum, quem calcaverit vestigium pedis vestri, vobis tradam.* & cap. 14. v. 9. *Terra, quam calcavit pes tuus, erit possessio tua, & filiorum tuorum in æternum.* 525.

Possessio sumitur pedibus.

Conformiter dicunt Legisperiti, quòd *possessio* idem sit ac *pedum positio.* Inter alios Paulus ff. de acq. poss. lib. 1 ait; *Possessio appellata est, ut & Labeo ait, à pedibus quasi positio, quia naturaliter tenetur ab eo, qui ei insistit.* Eodem modo Celsus ff. de acq. poss. l. quod meo. §. si venditorem; ait, si venditor *fundum monstret è mea turri,* & dicat, se mihi dare illum fundum, *non minus possidere cœpi, quàm si pedem finibus intulissem.* Ad hunc ritum pulchrè conformantur verba Tullii in Philip. *Hodierno die primùm P. C. longo intervallo in possessionem libertatis pedem ponimus.*

CAP. XIII. ℣. 1. &c.

SUmmè enorme & execrabile delictum, quod ab anima scelerata committi potest, illud est, quando seducit proximum, distrahens eum à veneratione veri Dei ad infamem apostasiam & venerationem Idolorum infernalium; Unde etiam à suprema lege damnatur supplicio mortis. *Si surrexerit in medio tui prophetes &c. & dixerit tibi. Eamus & sequamur Deos alienos, quos ignoras, & serviamus eis: non audies verba Prophetæ illius. &c. Propheta autem ille, aut fictor somniorum interficietur.* Deut. cap. 13. v. 1. & v. 6. *si tibi voluerit persuadere frater tuus, filius matris tuæ, aut filius tuus &c. eamus & serviamus Diis alienis &c. non acquiescas ei, nec audias, neq; parcat ei oculus tuus, ut miserearis, & occultes eum, sed statim interficies.* & rursus v. 12. ac sequentibus. 526.

Author apostasiæ est reus mortis.

Huic legi prorsus conformis est doctrina Jurisperitorum, qui capitalem pœnam statuunt in eos, qui docent, consulunt, aut persuadent apostasiam, vel quamcumque falsam & hæreticam doctrinam. Imperatores Theodosius & Valent. decreverunt l. 5. C. de Apostat. *Eum qui servum, sive ingenuum invitum, seu suasione plectenda in nefandam sectam, vitiumq; traduxerit, cum dispendio personarum, capite puniendum esse censemus.*

CAP. XVI. ℣. 1.

QUia primus mensis anni, seu veris, fuit ille, in quo populus Hebræus liberatus est servitute 527.

vitute

vitute Ægypti; idcircò statuit Deus, ut in illo mense singulis annis offerantur Creatori victimæ & sacrificia in memoriam & gratitudinem beneficii adeò grandis. *Observa mensem novarum frugum & verni primum temporis, ut facias Phase Domino Deo tuo.* Deut. 16. v. 1. ubi verbum *ut facias*, denotat *ut sacrifices.* Unde subjungitur v. 2. *Immolabisque Phase Domino tuo de ovibus & de bobus; Phase, id est, victimas Paschales*; ut interpretatur P. Cornelius à Lapide, inhærens præcepto scripto Num. c. 27. v. 19. Hac loquendi formâ etiam utitur Ezechiel c. 45. v. 22. *Faciet princeps in die illa pro se, & pro universo populo terræ vitulum pro peccato.*

Facere denotat sacrificare.

Virgilius Eclogâ 3. v. 77. de sacrificio canit;

Cùm faciam vitulâ pro frugibus, ipse venito.

In hunc locum doctissimus la Cerda. *Facere vitulâ, agno, thure, vino pro sacrificio ductum ex Græco fonte.* Unde Athenæus l. 14. *Veteres sacrificare, dixerunt facere.* Confirmat hanc veritatem testimoniis Pindari Ode 10. Pyth & Dionis lib. 37. In hunc sensum Plautus in Curcul. *Rem divinam feci.* Livius lib. 23. *Omnibus diris rem divinam thure ac vino fecisse.* Atque Varro lib. 1. Rust. *Dii facientes adjuvant*; quod Muretus interpretatur; *Operantes sacris.*

CAP. XVI. ℣. 18.

518. VT lites ac differentiæ, in populo Hebræo excitatæ, possent justo & recto modo decidi ac finiri; jussit Deus eligi quosdam ad sustinendum hoc officium; expressè tamen volens, ut sint judices & magistri; ille enim verè potest agere rectum judicem, qui simul est magister, id est, homo sapiens, virtuosus, & litteratus. *Judices & magistros constitues in omnibus portis tuis &c. ut judicent populum justo judicio.* Deut. c. 16. v. 18. in quem locum P. Cornelius à Lapide ait; *Magistros, puta viros sapientes; qui quasi magistri, & magistratus, præsint juri dicundo. Iidem ergò sunt judices & magistri: quia judices debent esse magistri.*

Judex sit doctus.

Plato hanc maximam probè calluit, solitusque est dicere; *Felices fore Respublicas, si Philosophi regerent, aut qui eas regunt, philosopharentur.* Philippus Rex Macedoniæ hortabatur Alexandrum, ut esset attentus discipulus Aristotelis; *daretque operam philosophiæ. Ne, inquit, multa committas, quæ me fecisse nunc pœnitet.* Plut. in Apoph. Constitutiones Canonicorum Regularium expressè volunt, ut Prælati, electi ad gubernandum, tanquam judices ordinarii suorum subditorum, sint *virtute & meritis suffulti, litteris ornati.* p. 3. cap. 19. & cap. 9. part. 3. ita jubent. *Ad prælaturas non eligantur, neque promoveantur, qui nisi sint litteris exornati, juxta Ordinis constitutiones, aliàs electio sit nulla.*

CAP. XIV. ℣. 18.

519. MInister Justitiæ, Judex aut Magistratus, assumptus è multis ut serviat publico, debet residere in loco patente, omnibus exposito, ad quem populus facilem habeat accessum, ubi audiatur, & in omnibus casibus justitiam nanciscatur. In hunc effectum olim patebant tribunalia ad portas civitatis, ut absque ullo incommodo, quicunque intrabat aut exibat, posset habere promptum, opportunumque recursum. *Judices & magistratus constitues, in omnibus portis tuis &c.* ut judicent populum justo judicio. Deut. cap. 16. v. 18. Ad hunc morem alludit sapiens Proverb. c. 31. v. 23. *Nobilis in portis vir ejus, quando sederit cum senatoribus terræ.* Amos cap. 5. v. 10. *Odio habuerunt corripientem in porta*, & vers. 15. *Odite malum, & diligite bonum, & constituite in porta judicium*; & in aliis locis.

Judices residebant ad portas.

Boni principes, ut satisfaciant cunctis, faciles se præbeant ad audiendos quosvis. Ita inter Lepisperitos consulit Calistratus ff de off. Præsid. l. 19. *Observandum est jus reddenti, ut in adeundo quidem facilem se præbeat.* Ita egit Constantinus Magnus, de quo Nazarius in Panegyr. *Quid faciles aditus, quid aures patentissimas?* Et Alexander Severus, de quo Lampridius in ipsius vita. *Tanta moderationis fuit, ut omnibus se blandum affabilemque praberet.* Et prior istis David, de quo S. Ambrosius lib. 2. offic. cap. 7. *Sanctus David, quàm mitis, & blandus, humilis spiritu, sedulus corde, facilis affatu.*

CAP. XVI. ℣. 21.

DEus, qui totus est lux, videtur tolerare non posse, quidquid obscuritatem continet. Unde agens de altaribus, supra quæ honoratur & oblationes ei deferuntur, vult habere, ut sint erecta cœlo aperto, & in eorum vicinia non plantentur sylvæ aut arbores cujuscunque sortis. *Non plantabis lucum, & omnem arborem juxta altare Domini Dei tui.* Deut. c. 16. v. 21. 530.

Altare sacrum in loco patente.

Ita prohibuit Deus suis fidelibus, ne convenirent cum Gentilibus, solitis altaria sua inumbrare sylvarum horrore, præsertim in sacrificiis Priapi, ut obscænitates, eo tempore commissæ, obtenebrarentur & cooperirentnr. Hunc morem attigit Silius Italicus, canens de Jove Ammonio lib. 3.

Hic ubi nunc aras, lucosque videtis opacos.

Virgilius lib. 1. Æneid. v. 445.

Lucus in urbe fuit mediâ, latissimus umbra. - -
Hic templum Junoni ingens Sidonia Dido.
Condebat.

Et rursus lib. 7. vers. 170.

Tectum augustum, ingens, centum sublime columnis
Urbe fuit summa Laurentis Regia Pici,
Horrendum sylvis, & relligione parentum.

Hanc eruditionem probat T. Livius lib. 24. *Sex millia aberat ab urbe nobile templum ipsâ urbe nobilius, Lacinia Junonis, sanctum omnibus circa populis. Lucus ibi frequenti sylva, & proceris abietis arboribus septus.* Et Herodotus lib. 7. introducens Xerxen, conquerentem contra Græcos, ait; *Me patremque meum injuriâ priores affecerunt: primùm cùm Sardis venientes, lucos ibi, & templa incenderunt. &c.*

CAP. XVII. ℣. 6.

TEstimonium, ab uno homine factum, debile & invalidum est; Unde quando agi- 531.

tur de puniendo proximo, minimùm requiruntur duo aut tria testimonia, quæ afferant deformitatem criminis. *In ore duorum aut trium testium peribit, qui interficietur. Nemo occidatur, uno contra se testimonium dicente.* Deut. 17. v. 6. & cap. 19. v. 15. *Non stabit testis unus contra aliquem, quidquid illud peccati & facinoris fuerit: sed in ore duorum aut trium testium stabit omne verbum.* Repetitur hæc doctrina Matth. 18. v. 16. & 2. Corinth. cap. 13. v. 1.

Proverbium Legisperitorum est, *Vox unius, vox nullius.* Ita cecinit Poeta;

Unius infirmum hominis testimonium est.

Q. Scævola, doctissimus Jurisperitus, coram judice testimonium dedit in notabile damnum alicujus; cum verò discederet, dixit; *Ita sibi credi oportere, si & alii idem asseverâssent, quoniam unius testimonio credere pessimi esset exempli.* Unde Constantinus Imperator prudenter statuit C. de Testibus. l. Jurisjurandi; *Sanximus, ut unius testimonium nemo Judicum in quacumque causa facilè patiatur admitti, & nunc manifestè sancimus, ut unius omninò testis responsio non audiatur, etiamsi præclara curiæ honore præfulgeat.*

CAP. XVII. ỷ. 9.

532. AD decidendas quascunque controversias, non solùm in materia Ecclesiastica, sed etiam politica & civili, juxta legem Mosaicam sacerdotes electi sunt Judices. *Venietque ad sacerdotes Levitici generis, & ad judicem, qui fuerit illo tempore: quæretisque ab eis, qui indicabunt tibi judicii veritatem.* Deut. 17. v. 9. similiter Deuteron. cap. 21. v. 5. agens Moses de homicidio occulto, ait; *Accedent ad sacerdotes, & ad verbum eorum omne negotium, & quidquid mundum, vel immundum est, judicetur.* Ezechiel cap. 44. v. 24. de sacerdotibus scribit; *Cùm fuerit controversia, stabunt in judiciis meis, & judicabunt.* Josephus Hebræus l. 2. Contra Apionem ait; *Sacerdotes inspectores omnium, judices controversiarum, & punitores damnatorum constituti sunt à Moyse.* Ad hoc comprobandum, Caiphas pronuntiavit sententiam capitalem contra Christum. Joan 11. v. 50. & Ananias Pontifex jussit S. Paulum capite plecti. Act. 23. v. 2. &c.

Sacerdotes judices

Ipsimet etiam Gentiles ad authoritatem & æquitatem sacerdotum referebant non solùm materias sacras, sed etiam politicas regiminis & statûs. Ita Strabo l. 17. affirmat, usitatum fuisse Æthiopibus. Ælianus l. 14. de Var. Hist. Ægyptiis. Eusebius in Chron. Persis & eorum Magis. Josephus lib. 14. Antiquit. c. 19. Atheniensibus & Areopagitis. Cæsar l. 6. de Bell. Gall. Gallis & Druidibus. Tullius l. 2. de legibus, Romanis & eorum Auguribus. &c.

CAP. XVII. ỷ. 18.

533. PRincipes fideles non possunt habere justiorem normam, aut consiliarios securiores, ad promovendum bonum publicum & privatum, quàm si attentè legant, & in praxin deducant legem divinam. Unde jubet Moyses cuicumque ad Regnum promoto; *Postquam sederit in solio regni, describet sibi Deuteronomium legis hujus in volumine, accipiens exemplar à Sacerdotibus Leviticæ tribus, & habebit secum, legetque illud omnibus diebus vitæ suæ.* Deut. 17. v. 18. id est, acquirat tantam notitiam, ut benè sciat totum illud, quod in Deuteronomio, seu lege divina statutum est.

Lex Dei norma regiminis.

Ob hanc causam; uti & ob innumeras alias, nunquam satis deprædicari potest Alphonsus Rex Neapolis & Arragoniæ, qui, referente Antonio Panormitano lib. 1. vitæ ipsius, quatuordecim vicibus à capite ad calcem legit totum testamentum vetus & novum cum eorum glossis & postillis; ac si majorem voluptatem non reperiret, nisi cum sciret mirabile volumen divinæ scripturæ, ut inde desumere posset securam directionem optimi regiminis.

CAP. XVII. ỷ. 20.

TAmetsi Rex sit aliis hominibus superior quoad dignitatem & authoritatem; omninò tamen est iis æqualis quoad humanam naturam & constitutionem. Gradus ipsum efficit majorem; at humanitas æqualem aliis, & tanquam filium Adami, aliorum hominum fratrem. Unde semper memor hujus doctrinæ, nunquam debet in pectore suo admittere abominandum tumorem superbiæ, sed gubernari moderatâ mansuetudine, & piâ clementiâ. *Nec elevetur cor ejus in superbiam super fratres suos;* prout divina lex jubet Deut. 17. v. 20. 534.

Rex sit modestus.

Admodum benè dixit Seneca;

Regem non faciunt opes,
Non vestis Tyriæ color:
Rex est, qui posuit metus,
Et diri mala pectoris.
Quem non ambitio impotens,
Et nunquam stabilis favor
Vulgi præcipitis movet.

Nicephorus Gregoras lib. 6. Histor. ait; *Indorum sapientum præceptum est, Principem, quo naturâ sublimior est, eò humaniorem se inferioribus si præbuerit, charissimum populo futurum.* Cyrus solebat dicere, regnum ac principatum ideò tantùm sibi obtigisse, ut esset subditus meliorum. Xenophon. l. 8. Cyripædiæ.

CAP. XVIII. ỷ. 9.

SPiritus sanctus tam augurum prædictiones, quàm somniorum vanitates declaravit indignas fide; utpote nulla nixas consistentiâ aut veritatis fundamento. Unde populo Hebræo præcipitur, ne ullam iis adhibeant fidem; protestaturque Deus, se has stultitias abominari ac castigare. *Quando ingressus fueris terram, quam Dominus Deus dabit tibi, cave ne imitari velis abominationes illarum gentium, nec inveniatur in te, qui ariolos sciscitetur, & observet somnia atque auguria &c. omnia enim hæc abominatur Dominus.* Deut. 18. v. 9. Ita etiam scribitur Levit. 19. v. 26. *Non augurabimini, nec observabitis somnia.* Hier. 27. v. 9. *Nolite audire Prophetas vestros, & divinos, & somniatores, & augures, & maleficos.* Et Ecclesiast. c. 34. v. 5. *auguria mendacia, & somnia malefacientium, vanitas est.* 535.

Auguria & somnia indigna fide.

Quòd

Quòd sit stultitia & error manifestus, credere fallaciis somniorum, affirmârunt etiam Gentiles; inter quos Poeta Comicus; *Cum Dii nobis somnum dederint curarum ac laborum delinimentum, superstitiosus sibi illum reddit carnificinam.* Et Tibullus;

Somnia.

Somnia fallaci ludunt temeraria nocte,
Et pavidas mentes falsa timere jubent.

Auguria. Quòd & auguria sint plena fallaciis ac illusionibus, cecinit vetus Poeta Accius in Astyan.

Nil credo auguribus, qui aures verbis ditant
Alienas, suas ut auro locupletent domos.

Unde Constantius & Julianus Imperatores C. eod. l. 5. *Nemo aruspicem consulat &c. augurum & vatum prava confessio conticescat.* & paulo post; *Etenim supplicio capitis ferietur gladio ultore prostratus, quicumque jussis nostris obsequium denegaverit.* Et l. 7. *si quis magus, vel magicis carminibus assuetus, qui maleficus vulgi consuetudine nuncupatur, aut aruspex, aut ariolus, aut certè augur, vel mathematicus, aut enarrandis somniis occultans artem aliquam divinandi, aut certè aliquid horum simile exercens in comitatu meo, vel Cæsaris fuerit deprehensus, præsidio dignitatis exutus, cruciatus &c. tormenta non fugiat &c.* vide suprà cap. 19. Levit. v. 26.

CAP. XIX. ℣. 4.

536. NOn quidem actus externus præcisè, sed internus assensus voluntatis malitiosæ & depravatæ constituit culpam & meretur pœnam. Unde homicidium, ex mera, inadvertentia commissum, à legibus non punitur morte, sed simpliciter exilio ad aliquod tempus. Ita expressè Deut. cap. 19. v. 4. *Qui percusserit proximum suum, nesciens, & nullum contra eum odium habuisse comprobatur, sed abiisse cum eo simpliciter in sylvam ad ligna cædenda, & in succisione lignorum securis fugerit manu, ferrumque lapsum de manubrio, amicum ejus percusserit, & occiderit: hic ad unam supradictarum urbium confugiet, & vivet &c.*

Homicida involuntarius excusatur.

In Concilio Triburiensi, celebrato sub Formoso Papa, cap. 36. reperitur simillimum exemplum cum decisione in favorem casualis homicidæ. *Si contingat duos fratres simul arborem succidere, sive in sylva, sive quocumque loco, & cadente arbore alter alteri fuge vel cave dixerit, & ipse stans, sive fugiens, subtus ipsam arborem devenerit, & mortuus fuerit, superstes frater innocens de morte defuncti dijudicetur: quia non voluntate, non consensu, nec ullo suo mortem incurrit reatu.*

CAP. XIX. ℣. 14.

537. NE inter diversos fundorum ac terrarum dominos excitentur discordiæ & lites, quæ oriri solent ex insatiabili cupiditate dilatandi sui dominii cum damno vicinorum; Antiqui locis opportunis erexerunt lapides finales seu limites, quibus cuivis possessori præscribebatur extrema linea sui fundi; prout cecinit Virgilius lib. 12. Æneid.

Limites fundorum

Limes agro positus, litem ut discerneret arvis.

De his limitibus præcipit Deut. c. 19. v. 14. ut nullo modo auferantur, moveantur, aut transferantur, ad evitandas omnes lites aut confusiones. *Non assumes & transferes terminos proximi tui, quos fixerunt priores in possessione tua &c.* & Prov. 22. v. 28. *Ne transgrediaris terminos antiquos, quos posuerunt patres tui.* Minaturque transgressoribus hujus legis maledictionem Dei. Deut. c. 27. v. 17. *Maledictus, qui transfert terminos proximi sui.*

Ne limites, in campis collocati, violarentur; Numa eos consecravit Jovi; declaravitque devolutos & consecratos fictos illi Numini vitulos & boves transgressoris. *Qui secus faxit, & terminos exaraßit, ipsius & boves sacri sunto.* Cajus ff. fin. regund. l. ult. refert, quod conformiter ad leges Solonis, datas Athenienfibus, in duodecim tabulis Romanorum fuerit scriptum; *si quis sepem ad alienum prædium fecerit, infoderitque, terminum ne excedito. si maceriam, pedem relinquito si verò domum, pedes duos &c:* Quantum ad pœnas, statutas in violatores limitum, Modestinus ff. de termin. mot. l. 1. ait; ipsis debere infligi mulctam pecuniariam extraordinariam. Callistrat. ff. eod. l. 2. castigat nobiles relegatione, & ministros inferiores fustigatione. Lex agraria Caji Cæsaris punit quosvis iniquos limitum violatores, ita ut liber quinquaginta scutis aureis, servus capite plectatur.

CAP. XIX. v. 16.

QUi in judicio testatur falsum, effronti suo mendacio offendit Deum, decipit judicem, 538. opprimit innocentem, fovet iniquitatem, aperit barathrum iniquissimæ sententiæ. Proinde à lege divina condemnatur ad pœnam illius delicti, quod infamis delator imputabat suo proximo. Deut. 19. v. 16. *si steterit testis mendax contra hominem, accusans eum prævaricationis, stabunt ambo, quorum causa est, ante Dominum &c. Cumque diligentissimè perscrutantes, invenerint falsum testem dixisse contra fratrem suum mendacium: reddent ei sicut fratri suo facere cogitavit, & auferes malum de medio tui &c.* Ita falsi accusatores Susannæ subjacuerunt supplicio lapidationis, quod iniquè machinabantur in innocentem matronam. Dan 13. Aman suspensus est è ligno, quod mendacibus imposturis præparaverat Mardochæo, &c. Esth. 7.

Testimonium falsum punitur pœna talionis.

Simili modo ex decreto legis Corneliæ, qui falsum deponit contra proximum, & procurat, ipsum ad mortem tradere, capitali sententiâ plectendus est. § 3. *Inst. de publ. judic.* & videri potest *l. 1. §. ff. ad l. Cornel. de Sicar.* Ita Honorius & Theodosius l. ult. C. de Calumn. *Quisquis crimen intendit, non impunitam fore noverit licentiam mentiendi, cum calumniantes ad vindictam poscat similitudo supplicii.*

CAP. XX. ℣. 5.

VErbum *dedicare* duas habet significationes; 539. imprimis denotat aliquam functionem & cæremoniam sacram, quâ tribuitur rei profanæ usus religiosus & pius; hoc modo dedicantur Deo altaria & templa. In secundo sensu verbum *dedicare* sumitur, quando capitur possessio, & prima vice habitatur aliqua domus, recens ædificata. Hoc sensu loquitur sacer textus Deuter. cap. 20. v. 5. *Quis est homo, qui ædificavit, & non dedicavit eam?* ubi textus Hebræus traducit; *Non initiavit, id est,* ut commentatur P. Cornelius à Lapide, *non cœpit eam inhabitare.*

Dedicare quid?

Suetonius loquens de Nerone, quando cœpit

pit incolere novum suum palatium, ait, illum dedicâsse suam domum. Cicero l. 2. Epist. 1. ut demonstraret, Pompejum aperuisse suum theatrum ludorum publicorum, & ibi cœpisse repræsentare spectacula, ait, illud fuisse dedicatum. Hoc loquendi modo utuntur etiam Historici, qui loquuntur de Amphiteatro, aperto à Domitiano Imperatore.

CAP. XX. ℣. 8.

540. Cùm paulatim disponerentur militares Hebræorum turmæ tum ad obtinendam palæstinam, quàm ad subjiciendas vicinas civitates; idcircò Deus ab ipsis removit omnia impedimenta, quæ victoriæ cursum remorari poterant; jussitque, ut timidi & viles animi non ingrediantur campum Martium, quia progressus militares fieri debent à generoso & magnanimo pectore. *Quis est homo formidolosus & corde pavido? vadat, & revertatur in domum suam.* Deut. 30. v. 8. Hoc edictum etiam à Gedeone promulgari consueverat ante quamvis expeditionem militarem. *Qui formidolosus & timidus est, revertatur.* Jud. c. 7 v. 3. Et à Juda Machabæo 1. Mach. c. 3. v. 56. *Et dixit formidolosis, ut redirent unusquisque in domum suam secundùm legem.*

Timidi sunt ad bellum inepti.

Generositas militum est dispositio militaris ad obtinendam victoriam: ut videri possit, eam potius acquiri magnanimitate cordis, quàm fortitudine brachii & manus. Plutarch. in Apopht. Roman. ait, quòd Scipio Africanus, interrogatus, quomodò auderet proficisci in Africam, & obsidere Carthaginem? digito trecento milites monstrans, responderit; *Nullus horum est, qui non sit me jubente, conscensâ hâc turri, præcipitem se in mare dejecturus.* Cæsar, conversus ad quemvis suorum militum, repetebat hæc verba; *Disce ferire, disce mori.* Fœminæ Spartanæ, cum mitterent filios suos ad bellum, eisque scutum militare porrigerent, dicebant, ut vel redirent victores cum scuto, aut occisi in scuto.

CAP. XX. ℣. 13.

541. Ut milites Hebræi scirent, quomodò se in capienda victoriosa possessione Chananeæ gerere deberent, Deus veluti supremus Dominus exercituum ita ordinavit; *Percuties omne, quod in ea generis masculini est, in ore gladii, absque mulieribus & infantibus.* Deut. 20. v. 13. Licet autem P. Cornelius à Lapide hæc ultima verba in synopsi istius capitis sic interpretetur; *in Chananea autem jubet omnes, etiam fœminas & infantes, occidi.* Tamen doctissimus Gaspar Sanctius in cap. 1. Amos. supra illa verba v. 13. *Eò quòd dissecuerint prægnantes Galaad*; interpretatur prædictum textum Deuteronomii hoc modo; *Deus in bello abstinere jubet à fœminarum cæde,* veluti dedeceret generositatem Israelitarum, tanquam magnanimorum leonum, ut manus inquinent sanguine fœminarum, veluti vilissimorum cuniculorum.

Fœminæ occisæ dedecus militum.

Hoc præsupposito, Æneas apud Virgilium lib. 2. Æneid, ut aliâ occasione retuli, introducitur ita loquens;

- - Nullum memorabile nomen
Fœminea in pœna est, neque habet victoria laudem.

Alexander Magnus, productus à Q. Curtio, simili modo discurrit; *Cum captivis & fœminis bellum gerere non soleo: armatus sit oportet, quem oderim.*

CAP. XXI. ℣. 6. &c.

Quando fortè reperiebatur homo occisus, nullaque habebatur cognitio aut inditium homicidæ; debebant judices & magistratus civitatis, cadaveri magis vicinæ, lavare manus coram sacerdotibus, sicque particularibus ceræmoniis ac ritibus purificari ab occulto illo delicto. *Venient majores natu civitatis illius ad interfectum, lavabuntque manus suas &c. & dicent: Manus nostra non effuderunt sanguinem hunc* Deut. c. 21. v. 6. 542.

Lavacrum purificationis.

Gentiles existimârunt, quòd loci post patratum homicidium, sint iterum purificati; uti observavit Septimius Tertullianus de Baptismo c. 5. *Penes veteres quisquis se homicidio infecerat, purgatrice aquâ se expiabat.* Turnus, referente Virgilio lib. 9. Æneid v. 815. post sanguineum prælium ad suos reversurus totus purificatus, sese in fluvium præcipitavit.

Tum demum præceps saltu sese omnibus armis
In fluvium dedit: ille suo cum gurgite flavo
Accepit venientem, ac mollibus extulit undis,
Et lætum sociis ablutâ cæde remisit.

Hunc morem etiam observârunt Græci; unde Homerus Iliad 22. de Andromaca canit;

Jusserat ancillis pulchricomis in domo
Igni apponere magnum tripodem, ut essent
Hectori lavacra calida, revertenti è pugna.

CAP. XXI. ℣. 21.

In puniendis excessibus delinquentium mihi videntur tres considerationes à lege Mosaica observatæ; Puniebantur enim potissimum lapidatione; habebatque supplicium istud loco ministrorum totum populum civitatis, & locus supplicii erat extra civitatem. Deut. 21. v. 21. statuitur de filio protervo & incorrigibili; *Lapidibus eum obruet populus civitatis, & morietur &c.* Et Levitici c. 24. v. 14. *Educ blasphemum extra castra, & ponant omnes, qui audierunt, manus suas super caput ejus, & lapidet eum populus universus.* 543.

Rei puniti per manus populi, & extra civitatem.

Plato lib. 11 de Leg. loquens de pœna debita homini sanguinario, ait; *Qui cadis hujusmodi condemnatus fuerit, tam à judicum ministris, quam à magistratibus occidatur, trahaturque extra urbem in statutum trivium nudus, ubi singuli magistratus pro universa civitate in mortui caput lapidem mittant, atque ita civitatem omnem purificent.*

CAP. XXI. ℣. 22.

Quando executio sententiæ capitalis contra delinquentem fiebat, ordinabat lex divina, eodem die, quo reus è vita tollebatur, etiam ipsius cadaver è conspectu hominum auferretur, & sepeliretur; ne videlicet civitas & provincia ex illius aspectu contaminaretur. *Quando adjudicatus morti, appensus fuerit in patibulo, non permanebit cadaver ejus in ligno, sed in eâdem die sepelietur. &c.* Deuteronom. cap. 21. v. 22. Et nequaquam *contaminabis terram tuam.* Imò non tantum terra, ex cadaveris præsentia dicebatur contaminata, sed ipse etiam dies, aliàs solemnia 544.

Cadaver expositum contaminat.

lemnis & grandis, videtur perdere aliquid propriæ sanctitatis ac prærogativæ, quando in ipso relinquebantur defuncti publicè expositi. Unde studiosissimè curabant Judæi, *ne remanerent in cruce corpora Sabbatho; erat enim magnus dies ille Sabbathi.* Jo. c. 19. v. 31.

Hanc contaminationem videtur insinuâsse Virgilius, quando ait, classem maritimam (id quo etiam de terrestri exercitu dixisset) ab insepulto cadavere Miseni fuisse contaminatam. Unde lib. 6. Æneid. v. 149. canit;

- Jacet exanimum tibi corpus amici.
Heu nescis) totamque incestat funere classem.

CAP. XXII. ỷ. 4.

545. QUia non solùm nati sumus nobis ipsis, sed etiam proximorum nostrorum solatio ac beneficio; idcircò opportunum illud auxilium, quod vellemus nobis in necessitate porrigi, debemus libenter conferre aliis, in egestate positis; memores illius proverbii; *Manus manum fricat.* Hoc documentum, ab ipsa natura impressum, etiam lex divinâ expresse injungit, Deuteron. cap. 22. v. 4. ubi jubet; *si videris asinam fratris tui, aut bovem cecidisse in via, non despicies, sed sublevabis cum eo.*

Auxilium mutuum.

Quod per modum præcepti ordinavit hoc loco DEUS; opere executus est Alphonsus Rex Neapolis & Arragoniæ; Cùm enim proficisceretur Capuam, vidit agasonem afflictum rogare auxilium prætereuntium; ut juvarent è luto trahere asinum, qui farinâ onustus, in illud ceciderat. De hoc scribit Antonius Panormitanus lib. 1. c. 25. *Desilire equo, qui non longo admodùm intervallo sequebamur, Regem, vidimus, atque una cum rustico, illum à cauda, Regem è pectore asinum, cœno hærentem, sublevâsse &c.*

CAP. XXII. ỷ. 10.

546. VIribus debent commensurari onera; & quia non omnes sunt æqualiter fortes & robusti, idcircò etiam non omnibus æquale onus imponendum est. Ita docet sacer textus Deuteron. cap. 22. v. 10. *Non arabis in bove simul & asino.* Rationem subjungit Cornelius à Lapide; *quia eorum vires sunt inæquales.* Notum enim est, debilitatem asini cum robore bovis compari non posse; sicque *asinus associatus bovi, plus æquo gravaretur*, ut ait prædictus Interpres.

Onera commensurentur viribus.

Quod hic exprimitur in sensu litterali, allegoricè reperitur usitatum à Profanis. Jugum enim est idea matrimonii, & hinc Ovidius inter alias conditiones requirit paritatem in contrahentibus tam quoad nobilitatem sanguinis, quàm quoad divitias bonorum, & maximè quoad ætatem ipsorum sponsorum.

Sponsi sint æquales.

Si qua voles aptè nubere, nube pari.

Unde conformiter ad hunc locum Deuteronomii ait;

Non benè inæquales veniunt ad aratra juvenci.
Sic premitur magno conjuge sponsa minor.

Plautus in Aulularia introducit Euclionem, discurrentem de nuptiis, ubi eandem de bove & asino metaphoram adhibet.

Venit hoc mihi mentem, Megadore, te esse hominem divitem
Factiosum: me item esse hominem pauperem, pauperrimum.
Nunc si filiam locâssem meam tibi, in mentem venit
Te bovem esse, & me esse asellum: ubi tecum conjunctus fiem,
Ubi onus nequeam ferre pariter, jaceam ego asinus in luto.

Et paulò post concludit;

Hoc magnum est periculum, ab asinis ad boves transcendere.

Simili argumento Plato, ut in ipsius vita scribit Plutarchus, cùm haberet duos discipulos, Xenocratem, ingenio tardum; & Aristotelem vivacissimum; Ohime, inquiebat, quid cum istis agam? *Qui asinum cum equo sociabo? Hic freno; ille calcari indiget.*

CAP. XXIII. v. 2.

MIsera certè est conditio filiorum illegitimorum, qui coguntur subjacere culpæ, à progenitoribus commissæ; sicque lascivia patris redundat in probrum & damnum filii. Et tamen non sine justissimis causis disponit lex Deuteron, cap. 23. v. 2. *Non ingredietur Mamzer, hoc est, de scorto natus, in Ecclesiam Domini.* Quasi diceret, non sit aggregatus Israelitis, non contrahat cum ipsis matrimonium, non participet eorum hæreditatem *usque ad decimam generationem.* Unde Jephte objiciebatur; *Hæres in domo patris nostri esse non poteris, quia de altera matre*, id est, ut priore versu dicitur, *de meretrice, natus.* Judic. 11. v. 1. & 2. 547.

Illegitimi puniti.

Etiam veteres Romani prorsus nihil æstimabant illegitimos filios. Unde Justinianus Auth. quibus modis natur: eff. sui in princ. *Naturalium nomen dudum Romanæ legislationi non erat in studium, nec qualibet circa hoc fuerat humanitas, sed tanquam alienigenum aliquid, & omninò alienum à Republica putabatur; à Constantini verò piæ memoriæ temporibus in constitutionum scriptum est libris. Deinde paulatim &c.* Ita etiam Alciatus 4. part. 5. scribit, illegitimos olim non potuisse institui hæredes, sed habitos fuisse instar exterorum & incapacium ad beneficia ac privilegia civium.

CAP. XXIII. v. 9.

NOn tantùm peritiâ armorum tractandorum, quantùm munditiâ & puritate conscientiæ instruuntur milites ad victorias facilè obtinendas. Deus, exercituum Dominus, magis favet pugnantibus immaculato spiritu, quàm manu armatâ ferro. Unde Moses, prudentissimus Archistrategus, monuit suos milites, ut abstinerent à quacunque iniquitate, cum tali modo ad omnem felicitatem promoveri possent. *Quando egressus fueris adversùs hostes tuos in pugnam, custodies te ab omni re mala.* Deut. 23. v. 9. id est, à furtis, rapinis, perjuriis, blasphemiis, fornicationibus, & sacrilegiis, quæ inficiunt exercitum, remorasque injiciunt victoriæ, & irritant DEUM ad vitiosos justissimis suppliciis casti- 548.

Milites innocentes vincunt.

castigandos. Huic documento Mosis convenit responsum, quod dederat S. Johannes Baptista militibus, interrogantibus, quid agere deberent ad impetrandam salutem; *Neminem concutiatis, neque calumniam faciatis, & contenti estote stipendiis vestris* Luc.3.

Cæsar lib. 6. de Bello Gallico refert de se ipso, quòd *non minus in milite modestiam & continentiam, quàm virtutem, atque animi magnitudinem desiderabat.* Aurelianus Imperator, ut scribit Vopiscus in ejus vita, interrogatus à quodam è primis suis ministris, quo modo procedere deberet in gubernando exercitu; respondit; *Si vis tribunus esse imò si vis vivere, manus militum contine, nemo pullum alienum rapiat, ovem nemo contingat, uvam nullus auferat.* Denique Jovianus, probè gnarus, sceleratos homines esse infelicia instrumenta ad obtinendas victorias, quãdo post mortem Juliani apostatæ fuit acclamatus Imperator, constanter respondit. *Non possum regere Juliani exercitum, qui tam pestiferâ doctrinâ imbutus est: talis enim à Deo destitutus, facilè ab hostibus superabitur.* Et accepit à toto exercitu responsum, ut bono animo acceptaret Imperium; se enim omnes christianè vivere velle. Theodoret. l.4.c.1.

CAP. XXIII. ℣. 18.

549. DEO, sancto sanctorum, non aliter, nisi summâ puritate ac munditie serviendum est. Quidquid immunditiam aut contaminationem continet, alienissimum sit ab obsequiis divinis. Unde Propheta Psal. 92. v. 5. *Domum Dei decet sanctitudo.* Proinde Moses statuit, in domo Dei non debere offerri pecuniam, quæ fuit merces impudicitiæ ac libidinis carnalis; etsi enim nulla in eo metallo esset culpa, videtur tamen aliquam contraxisse abominationem ab eo, qui illam accepit. *Non offeres mercedem prostibuli in domo Domini Dei tui.* Deut. c.23. v. 18. *quia abominatio est.* *Rectè*, inquit Philo l. 2. de Monarchia, *honesteque vetitum est alicubi, ne merces meretricis inferatur in sacrarium. Atque nummi per se carent crimine, sed qua hoc accepit, una cum suo quæstu est abominabilis.*

Pecunia è quæstu meretricio est infamis.

Inter alias encomio & memoriâ dignissimas res numerârunt Historici illud Alexandri Severi Imperatoris, ut Lampridius in Severo refert, quòd publico edicto prohibuerit, ne pecunia, impudico & infami quæstu acquisita, ullo modo applicaretur servitiis templi aut aliarum rerum sacrarum; sed solummodò expenderetur in Circis, theatris, & amphitheatris. *Lenonum vectigal, & meretricum, & exoletorum in sacrum ærarium inferri vetuit, sumptibus publicis ad instaurationem theatri, circi & amphitheatri, & ærarii deputavit* Ad hoc præceptum Deuteronomii Philo, desumens pulchrum hoc documentum. *Quòd si mulieris, amatoribus suis obsequentis, profana ducuntur munera, quantò magis scortantis animæ, quæ se prostravit constuprandam vinolentiæ, gulæ, voluptatum studio, ambitioni, avaritiæ, aliisque vitiis innumeris.*

CAP. XXIII. ℣. 19.

550. DEuteronomii cap. 23. v. 19. prohibetur Israelitis, ne pecuniæ, aut aliæ res dentur ad usuram. *Non fænerabis fratri tuo ad usuram pecuniam, nec fruges, nec quamlibet aliam rem.* Usura voce Hebraica vocatur *Neschech*, id est, *morsus*; ut significetur, quòd usurarius instar canis mordeat, laceret, & devoret suum proximum, ejusque substantias. *Incrementum usuræ*, id est, lucrum ex usurâ factum, *vocatur neschech*, inquit R. Salomon; *quia se habet instar morsus serpentis.* Et sicuti serpens mordens minimum vestigium sui morsus relinquit; postea verò pestifero suo veneno diffunditur in totum corpus, illudque extinguit; ita planè usura videtur initio afferre posse exiguum damnum; at paulò post omnes facultates proximi abripit.

Usura prohibita.

Non tantùm leges divinæ, sed etiam gentiles abominabantur usuram; Ælianus l. 4. Var. Hist. c. 1. testatur; *Indi ad usuram pecuniam non locant, neque accipiunt. Proinde neque syngrapham aut depositum faciunt.* Corn. Tacitus de Germanis refert, quòd vel nunquam noverint, vel semper abominati sint usuras. Agis, Atheniensium Princeps, ita abominatus est usurarios, ut accenso in publica platea igne, projecerit in illum omnes libros & scripturas hujus malignæ gentis; de quo igne exclamavit Agesilaus, se nec vidisse magis pretiosum, nec magis splendidum.

CAP. XXIV. ℣. 1.

INsigne fuit illud privilegium, à Deo concessum populo Hebræo, quòd potuerit uxori dare libellum repudii, quando oculis mariti ob corporis aut animi defectus reddebatur abominabilis. Deut. 24. v. 1. *si acceperit homo uxorem, & habuerit eam, & non invenerit gratiam ante oculos ejus, propter aliquam fœditatem: scribet libellum repudii &c.* In hunc locum P. Cornel. à Lapide ait; *Turpitudo sive fœditas, ob quam licitum erat uxoris repudium, erat verbi gratia lepra, sterilitas, veneficium, rixa perpetua, ebriositas, aliique pravi mores incorrigibiles.* Etiam Philistæi usi sunt repudio; uti desumitur ex lib. Judic. c. 15. v. 2. Et Medi ac Persæ, quemadmodum apparet ex lib. Esth. c. 1. v. 19. 551.

Libellus repudii.

Romulus quoque scripsit legem divortii, permittens maritis ob causas quasdam peculiares repudiare uxores; admodum tamen cautè, & re coram Judicibus attentè examinatâ, ut notat Sigonius *de ant. ju. civ. Rom. l. 9.* Nihilominus reperiuntur, qui ex levissimis causis repudiârunt uxores; veluti quòd locutæ sint fœminis inferioris conditionis; vel quòd domo egressæ sint capite non cooperto velo; aut quòd accesserint ludos publicos absque licentia mariti. De hoc argumento, more suo, eruditè differit Alexander ab Alexandro cap. 8.

CAP. XXIV. ℣. 10.

HOmo definitur Animal rationale; ut videlicet in omnibus occasionibus adhibeat potius id, quod suadet ratio, quàm quod violentia suggerit, utpote quæ solummodo convenit brutis & feris. *Vis* & *Jus* sunt duæ voces, anagrammaticè ex iisdem litteris compositæ; conceptus tamen formant ita contrarios, ut Jus sit convenientissimum homini sapienti; *Vis* autem reservetur soli barbarorum tyrannidi. A violentiis prorsùs alienos voluit lex Mosaica suos Israelitas, jussitque, ne creditor ingrederetur domum pauperis debitoris, nec avidam manum exten- 552.

Violentia erga proximum.

extenderet ad pignus pro libitu auferendum; sed expectaret extra portam, remittens se ad liberam ipsius debitoris dispositionem. *Cùm repetes à proximo tuo rem aliquam, quam debet tibi, non ingredieris domum ejus, ut pignus auferas: sed stabis foris, & ille tibi proferet quod habuerit.* Deuteron. 24. v. 10.

Tullius de Leg. l. 3. hanc legem adducit; *Vis in populo abesto*, & subjungit; *Nihil est exitiosius, nihil tam contrarium juri & legibus; nihil minus civile & humanum, quàm composita & constituta republicâ, quidquam agi per vim.* Callistratus, celebris Legisperitus, producit hoc rescriptum Marci Imperatoris. *Optimum est, ut si quas putas te habere petitiones, actionibus experiaris. Cum Martianus diceret. Vim nullam feci. Cæsar dixit. Tu vim putas esse solùm, si homines vulnerentur? vis est & tunc, quoties quis id, quod deberi sibi putat, non per Judicem reposcit. Quisquis igitur probatus mihi fuerit rem ullam debitoris, vel pecuniam debitam non ab ipso sponte datam, sine ullo judice temerè possidere, vel accepisse, isque sibi jus in eam rem dixisse, jus crediti non habebit.* l. extat ff. de Eo, quod met. cau. l. penult. & ult. ff. ad leg. Jul. de vi priv. in quem locum Modestinus; *Si creditor sine authoritate judicis, res debitoris occupet, hâc lege tenetur, & tertiâ parte bonorum mulctatur, & infamis fit.*

CAP. XXV. ℣. 2.

553. QUemadmodum non omnes culpæ sunt æqualiter graves, ita nec omnes pœnæ sint æqualiter graves. Pœnæ graves infligantur culpis enormibus, leves culpis levioribus; ita ut æquitas & prudentia in iis distribuendis sapienter procedat. *Pro mensura peccati*, inquit sacer textus Deut. 25. v. 2. *erit & plagarum modus.* Unde sicuti inventa sunt exilia, quæ reum privant patria; Lapidationes, suspendia, & pœnæ capitales, quæ reum privant vitâ; ita à legibus introductæ sunt fustigationes & flagella ad corrigendos & emendandos, non verò occidendos delinquentes. *Sin autem eum, qui peccaverit dignum viderint plagis: prosternent, & coram se facient verberari.* Deut. 25. v. 2. *Ita duntaxat, ut quadragenarium numerum non excedant: ne fœdè laceratus ante oculos tuos abeat frater tuus.*

Pœna sit proportionata culpæ

Quòd pœna debeat esse commensurata delicto, statutum est l. respicien. ff. de Pœnis. *Delicto commensuranda pœna est.* Quòd insuper eâ cautelâ procedi debeat, ne reus à verberibus laceratus cadat & extinguatur, infert Ulpianus ff. de de Pœn. l. aut damnum. §. Hostes. *Nec ea quidem pœna damnari quem oportet, ut verberibus necetur, vel virgis interimatur.* Simili modo definit lex Canonica; Cum enim Rex Siciliæ mandaret Archiepiscopo Palermitano, ut reprimeret Saracenos, qui terras illas infestabant, ablatis & etiam occisis passim fœminis ac infantibus; ille verò timens, ne aliquid statui suo Ecclesiastico repugnans faceret, ab Alexandro III. in hæc verba fuit animatus c. 4. de Raptorib. *Consultationi tuæ taliter respondemus, quòd tales in jurisdictione tua existentes, pecuniaria poteris pœnâ mulctare & etiam flagellis afficere, eâ moderatione adhibita, quòd flagella in vindictam sanguinis transire minimè videantur. Si verò ita fuerit gravis excessus, quod mortem vel detruncationem membrorum debeant sustinere, vindictam reserves regia potestati.*

CAP. XXV. ℣. 5.

NE Israelitarum familiæ extinguerentur, sed feliciter promoverentur ac crescerent; simul etiam pauperum viduarum statui consultum esset, & bona immobilia unius Tribus ob multiplicatas nuptias non transiret ad aliam; statuit lex divina, ut uno fratre sine liberis mortuo, ipsius frater in matrimonium sibi jungat uxorem defuncti, & filii ex ea generati, non sint ipsius proprii, sed fratris defuncti filii, qui etiam in hæreditate defuncti succedant &c. *Quando habitaverint fratres simul & unus ex eis absque liberis mortuus fuerit, uxor defuncti non nubet alteri: sed accipiet eam frater ejus, & suscitabit semen fratris sui: & primogenitum ex ea filium nomine illius appellabit, ut non deleatur nomen ejus ex Israel, &c.* Deut. c. 25. v. 5. &c. Repetitur hæc lex Ruth. c. 4. v. 5. Matth. 22. v. 24. &c. 554.

Filii generati sunt alterius.

Conformiter ad hanc legem Mosaicam dixit Terentius in Phormione.

Lex est; orba qui sunt genere proximi
Eis nubat; & illos ducere eandem hac lex
jubet.

Idem in Adelphis;

- - Hæc virgo orba est patre
Hic meus amicus illi genere est proximus.
Huic leges cogunt nubere hanc.

CAP. XXV. ℣. 11.

INter alias pœnas, à Lege determinatas, recensetur etiam abscissio manus. Casus expressè ponitur Deuteron. c. 25. v. 11. *Si habuerint inter se jurgium viri duo, & unus contra alterum rixari cœperit, volensque uxor alterius eripere virum suum de manu fortioris, miseritque manum, & apprehenderit verenda ejus: abscindes manum illius &c.* Similem pœnam sustinuit sacrilegus Nicanor, de quo lib. 2. Machab. c. 15. v. 30. *Præcepit autem Judas &c. caput Nicanoris, & manum cum humero abscissam, Hierosolymam perferri &c.* 556.

Manus abscissa.

Leges seculares ita approbant abscissionem manûs; ut, si delictum mereatur abscissionem alicujus membri, illius loco abscindatur manus. §. ult. auth. ut nulli Jud. lic &c. Et cum jubeat Constantinus C. de serv. fugit. l. 3. ut servis, fugitivis ad barbaros, abscindatur unus ex pedibus, Justinianus eam legem non approbans immediatè subjungit; *sed novo jure, si criminis qualitas membri abscissionem exigat, una sola manus abscindetur.* De hac pœna pluribus locis agunt leges §. coges. auth. de mand. princ. & in feud. tit. de pace ten. in princ. vers. si quis alium & de prohib. feu. alien. per Frid. in §. princ.

CAP. XXVIII. ℣. 28.

INter alias pœnas, adversùs inimicos Dei statutas, numeratur cæcitas tam corporis, quàm animi. Ita Deuter. c. 28 v. 28. *Percutiat te Dominus amentiâ & cæcitate, ac furore mentis & palpes in meridie sicut palpare solet cæcus in tenebris.* Huic cæcitati subjacuêre cives Sodomæ in pœ- 556.

Cæcitas pœna Dei.

nam suæ libidinis. Gen. c. 19. v. 11. ad eandem condemnatus est Saulus, tanquam rabidus persecutor novæ Ecclesiæ. Act. c. 9. v. 8. Et Elimas Magus, quia retrahebat populum à sancta fide. Act. 13. v. 11.

Ita etiam finxêre Poëtæ, quibusdam sacrilegis ablatam esse à Diis lucem oculorum; uti accidit Lycurgo, de quo Homerus lib. 6. Iliad. v. 138.

Huic quidem postea irati sunt Dii tranquilli viventes,
Et ipsum cæcum fecit Saturni filius, neque item diu vixit,
Quoniam immortalibus invisus erat omnibus Diis.

Et lib. 2. Iliadis ait de quodam Tamiride, excæcato à Musis, quòd ausus fuisset eas provocare cantu, quem mei i doni loco acceperat ab iisdem Musis.

CAP. XXVIII. ℣. 35.

557. MOdus loquendi usitatus in sacris litteris ad significandum totum corpus laudabiliter vel defectuosè constitutum, est iste, quando dicit, à planta pedum usque ad verticem capitis. In malam partem ait sacer textus Deuteron. c. 28. v. 35. *Percutiat te Dominus ulcere pessimo in genibus & in suris, sanarique non possis à planta pedis usque ad verticem tuum.* Similiter Job. 27. *Percussit Iob ulcere pessimo à planta pedis usque ad verticem.* Et Isaias 1. v. 6. *A planta pedis usque ad verticem non est in eo sanitas.* In bonam partem etiam denotantur insignes perfectiones Absalonis. 2. Reg. c. 14. v. 25. *Sicut Absalon vir non erat pulcher in omni Israël, & decorus nimis: à vestigio pedis usque ad verticem non erat in eo ulla macula.*

A capite usque ad pedem significat totum hominem.

Hoc loquendi modo etiam utuntur Gentiles. Plautus; *Usque ab unguiculo ad capillum summum.* Cicero; *Ab imis unguibus usque ad verticem.* Apulejus; *Ab imis unguibus ad usque capillos.* Neque solùm dicitur à pedibus usque ad caput; sed etiam à capite usque ad pedes, Ita Horatius;

Talos à vertice pulcher ad imos.

Petronius Arbiter; *A capillo usque ad ungues.* Et Homerus;

In pedes à capite.

Has observationes collegit Martinus del-Rio Tom. 1. Adag. 153.

CAP. XXXII. v. 6.

558. NOmini patris in præsenti textu jungitur verbum creare; quia generatio filiorum nonnunquam exprimitur nomine creationis. Occasionem subministrat Deuteron. cap. 32. v. 6. *Nunquid non ipse est pater tuus, qui possedit te, & fecit, & creavit te?*

Creare pro generare.

Horatius subscribit lib. 1. Epist. 2.

- - *Puerisque beata creandis*
Uxor.

Ita Virgilius Epigrammate de Venere & Vino;

Vina sitim sedent; gnatis Venus alma creandis
Serviat: hos fines transiliisse nocet.

lib. 10. Æneid. v. 550. describens Tarquitum, filium cujusdam Nymphæ,

Tarquitus exultans contra fulgentibus armis
Sylvicolæ Fauno, Dryope, quem Nympha creârat.

Eodem libro v. 705. loquens de Hecuba, filiâ Cissei, de qua natus est Paris canit;

Cisseis Regina Parim creat.

CAP. XXXII. ℣. 7.

TAmetsi DEUS, utpote sapientia infinita, potuisset se ipso & immediatè infundere suis fidelibus lucem doctrinæ; voluit tamen, ut adirent scholas senum ac majorum prudentum & virtuosorum, quorum magisterio ac directione proficerent. *Interroga patrem tuum, & annuntiabit tibi: majores tuos, & dicent tibi.* Deuteron. 32. v. 7. Ita Eunuchus Actor. 8. v 30. dum se ipso non intelligebat sensum Isaiæ, intellexit docente Philippo. Saulus è cœlo & à voce divinâ vocatus, missus est ad Ananiam, cujus discipulus fieret. Act. 9. v. 7. Cornelius Centurio, ut apprehenderet mysteria sanctæ fidei, jussus est accedere domum Petri, ut ibi instrueretur, Act. 10. v. 5. 559.

Magisterium senum est necessarium.

Vehementer fallitur Epicurus, quando referente Senecâ Epist. 52. opinatur; *Quosdam ad veritatem sine ullius adjutorio tendere.* Ego, inquit Seneca, non intelligo hoc modo, cùm probè norim, quòd *Nemo per se satis valet, ut emergat; oportet aliquis manum porrigat, aliquis educat* ex obscuro ignorantiæ carcere. *Quare,* teste Aristotele lib. 6. Ethic. cap. 11. *peritorum hominum & seniorum, seu prudentium pronuntiationibus & opinionibus, absque demonstratione, non minus quam demonstrationibus attendendum est. &c.* Ad hoc propositum referri potest discursus Tullii lib. 1. offic. *Ineuntis enim ætatis inscitia, senum constituenda & regenda prudentiâ est.*

CAP. XXXII. ℣. 13.

INter alias felicitates terræ Chananeæ numerabatur abundantia mellis adeò copiosa, ut ex rupium fissuris largè deflueret ad pascendos & recreandos Israelitas. *Constituit eum super excelsam terram, ut comederet fructus agrorum, & sugeret mel de petra.* Deuteron. cap. 32. v. 13. Ita de S. Joanne, habitante in desertis Palæstinæ, testatur S. Matth. c. 3. *Esca ejus erant locustæ, & mel sylvestre.* 560.

Mellis abundantia

Erasmus Stella lib. 1. de Brussiæ antiquit: scribit, quòd in illis regionibus septentrionalibus *Habent & sylva suas divitias, unde quasi sponte compendium non modicum incolis provenit, apum scilicet*

licet ingentem multitudinem, quarum duces, seu nativos intra arbores ad hoc cavas cernere est, ex quibus tanta mellis & ceræ copia provenit, ut Germaniæ, Britanniaque, ac cæteris adjacentibus insulis, commodè harum rerum usum suppeditet. Nec industria examina illa curant, nullis enim satorum floribus, aut herbis ipsa invitant: nec si longius evolent, revocant; è frondibus & sylvestribus floribus succum contrahunt, quo opera conficiunt sua, quæ compendii ingentis argumento sunt. Olaus magnus l. 22. c. 4. de Regionibus Podoliæ, subjectis Regi Poloniæ, ait; *Apes propter pascuorum ubertatem, odorem suavem, florem abundantem, ac saporem jucundum, maximas siccarum terrarum foveas favis melle plenis replent, ita ut immanes ursi in tales foveas cadentes, ob nimium mel devoratum suffocentur.*

CAP. XXXII. ℣. 29.

561. Confideratio finis. ANxiè desiderabat Moses, ut homines semper essent intenti ad finem terrenarum voluptatum, & ad supplicia præparata peccatoribus; hoc enim modo credebat cautius victuros, & ad virtutem facilius dirigendos esse. *Utinam saperent, & intelligerent, ac novissima providerent!* Deut. c. 32. v. 29.

Videri possit, adhunc scopum fuisse à Solone directum illud documentum; *Respice finem* de quo Juvenalis,

> - - *Quæ vox fæcunda Solonis*
> *Respicere extrema jussit spatia ultima vitæ.*

Aristoteles, relatus à Valerio Maximo lib. 7. cap. 2. suasit; *ut voluptates abeuntes consideremus;* cui subjungit Valerius Maximus. *Quas quidem sic ostendendo minuit: fessas enim, pœnitentiaque plenas animis nostris subjecit, quò minus cupidè repetantur.*

CAP. XXXII. ℣. 33.

562. AD exprimendam lethalem contagionem, quam secum trahunt linguæ vitiosorum Judæorum, & doctrinæ falsæ; quas scelerati illi diffundebant; utitur Moses amaritudine fellis & veneno aspidum, contra quod nullum habetur pharmacum. *Fel Draconum vinum eorum, & venenum aspidum insanabile.* Deuteron. 32. v. 33. In hunc locum Cornelius à Lapide; *Vinum, id est, doctrina ab iis tam impiis expressa, & manans, quam ipsi aliis propinant, ut in eos sua scelera transfundant, est venenata & lethifera, velut fel Draconum, & venenum crudele & insanabile.* Hoc textu usus est S. Antonius de Padua, ut indicaret irreparabile damnum, quod infamis lingua detractoria aliis inferre solet.

Doctrina falsa est venenosa.

Detractor.

Quòd insanabile sit venenum aspidum, communi calculo affirmant Scriptores. Ita Aristoteles lib. 8. Histor. Animal. cap. 29. Plinius lib. 8. cap. 23. *Colla aspidum intumescere, nullo ictus remedio.* Ælianus de Animalibus lib. 1. cap. 54. *Aspidum morsum negant curari posse, esseque omni medicinâ superiorem.* Nicander in Theriacis.

> *Aspida crudelem, cujus super omnia morsus*
> *Immedicabilis est.*

CAP. XXXII. ℣. 35.

563. Vindicta reservata Deo. IN nullius potestate sit, ex receptis injuriis sumere vindictam, cum hæc reservata sit majestati Dei, tanquam universalis Domini; vel authoritati judicariæ, quam Deus contulit suis ministris, ad hoc munus constitutis. Unde ipsemet Creator ait Deuteron. 32. v. 35. *Mea est ultio, & ego retribuam in tempore.* Vel ut scribit S. Paulus Rom. 12. v. 19. *Mihi vindicta: ego retribuam, dicit Dominus.*

Hanc doctrinam cordi suo impressam habuit M Bibulus, nobilissimus Romanus. Cùm enim à militibus Gabinii barbaro & iniquo modo occisi fuissent duo ex ipsius filiis; Cleopatra, scelus istud abominata, jussit sanguinarios illos, catenis constrictos, ad ipsummet Bibulum perferri, ut pro libitu suo rigidam de iis vindictam sumeret. At ille reddidit Cleopatræ mille gratias, suosque animi affectus refrænans; *Carnifices sanguinis sui intactos è vestigio ad Cleopatram reduci jussit: dicendo, potestatem hujus vindictæ non suam, sed senatus esse debere.* Val. Max. l. 4. cap. 1. n. 15.

CAP. XXXII. ℣. 41.

564. Gladius fulmineus. DEUS, exercituum Dominus, justitiæ suæ gladio jungit similitudinem fulminis, quod secum affert lucem, terrorem, celeritatem, & robur validissimum ac prorsus insuperabile. *Si acuero ut fulgur gladium meum, & arripuerit judicium manus mea, reddam ultionem hostibus meis.* Deuter. 32. v. 41.

Virgilius describens ferociam, qua Nisus pugnavit, attribuit ipsius gladio qualitatem fulminis. lib. 9. Æneid. v. 441.

> -- *Instat non segnius, ac rotat ensem*
> *Fulmineum.*

Concordat Homerus, Iliad. 10. loquens de ferro cujusdam hastæ;

> *Fulgebat velut fulgur patris Jovis,*

Et magis clarè Iliad. 14. de quodam gladio ait; *Ensem similem fulguri.*

CAP. XXXII. v. 42.

565. Rasura servorum. VIctoriæ, quas DEUS disposuit obtinere contra barbaros, attinguntur Deuteron. 32. v. 42. ore ipsius DEI, ubi protestatur; *Gladius meus devorabit carnes,* & potissimùm tingam gladium meum *de cruore occisorum, & de captivitate nudati inimicorum capitis;* id est, sanguine miserorum servorum, qui capite nudo & raso solebant ante victorem propelli. De hoc more Isaias cap. 3. v. 17. *Decalvabit Dominus verticem filiorum Sion,* reducendo eos in servitutem. & v. 24. *Et erit pro zona funiculus, & pro crispanti crine calvi-*

calvitium &c. & cap. 15. verſ. 2. *In cunctis capitibus ejus calvitium, & omnis barba radetur.* Ita Hieremiæ cap. 47. verſ. 5. *Venit calvitium ſuper Gazam* Ezech. cap. 29. v. 18. Amos cap. 8. verſ. 10. &c.

Si Ariſtoteles 1. Rhet. ſcribit; *Comam eſſe libertatis argumentum*; ſequitur, comam raſam eſſe ſignum ſervitutis. Ariſtophanes ſuâ exprobatione firmat hanc doctrinam; *Servus cùm ſis, comam nutris.* Et Pomponius Lætus de Triumpho Diocletiani; *Conſuetudinis fuit, liberatos captivitate currum triumphantis ſequi, abraſo capite, in argumentum præcedentis conditionis, ſcilicet ſervitutis.*

CAP. XXXIII. ℣. 17.

566. QUando deprædicantur inſignes qualitates Joſephi, dicitur, ipſius pulchritudinem fuiſſe inſtar primogenitorum; hæc enim ſupponuntur præ cæteris animalibus benè formata & pulchra. *Quaſi primogeniti tauri pulchritudo ejus.* Deut. 33. v. 17.

Primogenita magis pulchra.

Hanc doctrinam approbat Tiraquellus de Jure primogen. num. 67. ubi ait; *Primogenita pulchriora atque robuſtiora ferè ſunt.* Idque confirmat deciſione Baldi in 1. Conſtit. ff. §. itaque col. 2. *Cùm dubitatur, uter geminorum ſit primogenitus, præſumendum formoſiorem ac robuſtiorem prius fuiſſe natum.* Unde Homerus l. 15. Iliad. introducit Jovem, qui affirmat, inter cæteros fratres eſſe robuſtiorem primogenitum.

CAP. XXXII. v. 17.

567. QUia facies Joſephi erat conſpicua prærogativis & excellentiis, vero Principi propriis; idcircò deſcribitur ornata pulchritudine, non quidem debili & effœminatâ, ſed robuſtâ & vigoroſâ. *Quaſi primogeniti tauri pulchritudo ejus.* Deut. 33. v. 17.

Pulchritudo robuſta

Seneca in Hyppolito Act. 2. in Choro;

Quàm grata eſt facies torva viriliter
Et pondus veteris triſte ſupercilii! &c.

Plutarchus de Rege Demetrio in ipſius vita ait; *Formâ & faciei venuſtate adeò mirâ atque excellenti, ut plaſtes, vel pictor exprimere nullatenus imaginem ejus poſſet; eadem enim venuſtatem & gravitatem, terrorem & hilaritatem habebat. Confuſaque erat cum juvenili & feroci vultus aſpectu penè inimitabilis heroica quadam ſpecies & majeſtas regia.* Et Silius Italicus lib. 8. loquens de Scipione;

Martia frons, facileſq; coma, nec pone, retroque
Cæſaries brevior, flagrantia lumina, miti
Aſpectu, gratuſque inerat viſentibus horror.

Ita Alexander Magnus erat totus pulcher, & totus formidabilis; ut ſcribit Ælianus de Var. Hiſt. lib. 12. c. 14.

CAP. XXXIII. ℣. 25.

ILla pars terræ ſanctæ, quæ obtingebat tribui Aſer, abundabat mineralibus ferri & æris; 568.
ad differentiam aliarum, quæ abundabant paſcuis, armentis, & pellibus. Unde populi iſtius tribûs facilè poterant ſuos calceos ſolidare clavis & minutis laminis ferreis ac æreis. Unde iſte inter multos alios poteſt eſſe genuinus ſenſus horum verborum; *Ferrum & æs calceamentum ejus.* Deut. cap. 33. v. 25. ad hunc ſenſum alludit Procopius; Aſer erit robuſtus, ſuumque robur perpetuò ſervabit; perinde ac ſi ære & ferro calceatus eſſet.

Calcei armati ferro

Non ſolùm Tribus Aſer, ſed etiam antiqui milites Romani geſtabant calceos, ſolidatos clavis ferreis & æreis. Feſtus de Verb ſignificat: interpretans vocem *clavata*, ait, eam ſignificare *calceamenta clavis confixa.* Lucilius, vetus Poëta, citatus à Nonio, canit;

Clavis fulmentes quatuor addit.

quaſi diceret, quemdam quatuor clavis affixiſſe ſegmentum corii ad reſarciendos calceos. Ad hunc morem videtur alluſiſſe Juvenalis Satyr. 3.

- - Plantâ mox undique magnâ
Calcor; & in digito clavus mihi militis hæret.

Ad hujus rei intelligentiam mirificè deſervit Sanctus Auguſtinus Tractat. 10. in Joan. 5. ubi probans, offendi Chriſtum, caput noſtrum, ſi offendantur Chriſtiani, tanquam membra ipſius; ait, *Tanquam ſi velit tibi aliquis oſculari caput, & calcare tibi pedes. Fortè caligis clavatis conteret pedes tuos, volens tibi caput oſculari &c.* Ita Joſephus Hebræus lib. 7. de Bello Jud. cap. 3. de Juliano, Capitaneo Titi ait, quòd ſolus ingreſſus ſit armatâ manu, ut dimicaret in templo Hieroſolymitano; *Calceos namque habens creberrimis atque acutis clavis, ut cæteri ſolent milites, fixos; dum ſtrato ſaxeis cruſtis ſolo curreret, labitur.* De hoc argumento prolixè & eruditè diſſerit Lælius Biſciola Horar. ſubſeciu. Tomo 2. lib. 17. cap. 21. Cæterum de his metallo firmatis calceis recedere necdum licet, niſi junctâ relatione Æliani de Variar. Hiſtor. lib. 9. cap. 14. *Philetam Coum ajunt macerrimo corpore fuiſſe. Quoniam igitur quâvis occaſione facilè ſubverti poterat, ferunt, eum plumbeas habuiſſe ſoleas in calceis, ne à ventis proſterneretur, ſi paulo durius eum afflâſſent.*

CAP. XXXIV. v. 4.

MOſes, à DEO cumulatus gratiis per totum vitæ decurſum, ab eodem affectuoſiſſimos 569.

fissimos favores accepit etiam in mortis termino. Mortuus enim est *jubente Domino*; id est, ut explicat Vatablus; *Ad verbum Domini.* Et melius Cajetanus; *in osculo Domini.* Deuteron. cap. 34. vers. 5. Vult nimirum sacer textus innuere, si credamus Patri Scherlogo in cap. 2. Cant. vers. 6. sect. 1. num. 3. *Quemadmodum Genitrix filii habitum morientis in basio attrahit; sic Dominus charissimi famuli spiritum deportandum ad locum requietionis, ad sinum videlicet Abraha, collegit &c.* Erat proinde vetus mos, osculis excipere spiritum hominis moribundi; de quo ritu Sanctus Jo. Chrysostomus Tom. 1. Homil. 1. de Patientia Job; *Qui enim secundùm carnem parentes sunt, cum natum ultimo spiritu laborantem habuerint, os deosculantur ultimo parentum osculo.* Et Sanctus Ambrosius Orat. de Satyro: *Nihil mihi profuit ultimos hausisse anhelitus, nihil flatus meos inspirâsse morienti.*

Osculari moribundos.

Etiam Gentiles consueverant osculari moribundos. Testatur id Suetonius de Augusto cap. 99. *Repentè in osculis Liviæ, & in hac voce defecit; Livia nostri conjugii memor vive, & vale.* Valerius Maximus lib. 7. cap. 1. repræsentat R. Metellum; *Inter oscula, complexusque charissimorum pignorum extinctum.* Ovidius *Consolat. ad Liviam* ob mortem sui filii Drusi;

Ah miseranda parens, suprema neque oscula fixit;
Frigida nec novit membra tremente sinu.
Non animam apposito fugientem excepit hiatu.

Statius lib. 5. Sylv. Epiced. Priscillæ.

Hærentemque animam non tristis in ora mariti.
Transtulit.

Ausonius in Parental. 23. de morte Dryadiæ;

Illa manus inter genitricis, & oscula patris
Occidit.

CAP. XXXIV. ℣. 6.

570. GRatiæ, à DEO in Mosen collatæ, etiam post mortem hujus fidelis servi continuatæ sunt; dum ipsemet DEUS in se sumpsit curam, ut Angelorum manibus sepeliretur. *Et sepelivit eum.* Deuteron. 34. vers. 6. ubi Oleaster ait; *Sunt multi Principes, qui dedignantur exequiis interesse suorum; Dominus verò, ut vides, servum sepelire dignatur.*

Deus sepelit Mosen.

Homerus Iliad. 24. scribit, filios Niobe fuisse Deorum operâ sepultos;

Qui quidem novem dies jacebant in cade, neq; quis erat
Qui sepeliret, populus enim lapides fecerat Saturnius:
Nos verò decima die sepelierunt Dii Cælites.

Similiter Statius lib. 12. Thebaid. introducit Junonem Deam cum Iride, sollicitas de exequiis quorundam Belliducum;

Ipsa per adversos ducit Saturnia colles
Occultasque vias, ne plebs congressa suorum
Ire vetet, pereatque ingentis gloria casi.
Nec non functa Ducum fovendi corpora curam
Iris habet, putresque arcanis roribus artus,
Ambrosiaque rigat succis, ut longius obstent.

CAP. XXXIV. v. 6.

TAm ad auferendam à Judæis occasionem Idololatriæ, quàm ad Mosen singulari honore prosequendum, voluit DEUS, ut non hominum, sed Angelorum manibus sepeliretur; idque loco occulto & nemini hominum cognito. *Et non cognovit homo sepulchrum ejus.* Deuteron. 34. vers. 6. Eandem sollicitudinem, occultandi suum cadaver habuit S. Antonius Abbas, qui propinquus morti, suis discipulis mandavit; *Nullus ad Ægyptum meas perferat reliquias, ne vano corpus honore servetur &c. hujus enim rei gratia maximè hac sum regressus, ut nemo præter vos locum tumuli mei noverit, &c. Discipuli ergo involutum, ut præceperat, corpus humo operuerunt: & nemo interim usque ad hanc diem, præter eos ubi conditum sit, novit.* Ita refert S. Athanasius. 571.

Corpus Mosis absconditū.

Periander Tyrannnus Corinthiorum, omnem diligentiam adhibuit, ut ipsius sepulchrum & cadaver esset occultum. De hoc Diogenes Laërtius lib. 1. ait; *Illum, quum sepulchrum suum ignorari vellet, tale quippiam molitum. Duobus juvenibus viam quandam ostendisse, ac jussisse noctu per illam incederent, eumque qui primus occurrisset, interimerent ac sepelirent: postque illos, quatuor alios misisse, qui eos necarent, ac sepultura traderent: rursus contra eos misisse plures itidemque ut facerent, imperâsse; atque ita ipsum primis obvium, occisum esse.* Ita Apollonius Thianæus, teste Philostrato, charum suum discipulum misit ad Imperatorem Nervam; cum enim nollet esse præsens ipsius morti, voluit ei finem imponere, omnibus occultum.

CAP. XXXIV. ℣. 7.

TAmetsi Moses centum & viginti annis vixisset, moriturus tamen conservavit sensus adeò integros, ut oculi, soliti delectari aspectu angelico & divino, nec minimum ex acumine sui visûs amiserint; & dentes, ob diuturna jejunia parùm in comminuendis cibis exercitati, nihil penitus in ipsius ore titubârint. *Moses centum & viginti annorum erat, quando mortuus est: non caligavit oculus ejus, nec dentes illius moti sunt.* Deut. c. 37. v. 7. 572.

Senectus vigorosa.

S. An-

S. Antonius Abbas usque and annum ætatis centesimum sextum; *æqualitatem propositi tenens*, id est, à solitis suis abstinentiis & rigoribus nihil remittens, *nec vestimentum mutavit, nec pedes lavit, nec escam sectatus est molliorem: oculorum quoque aciem, & numerum dentium, licet paululum ob ætatem viderentur attriti: nec non & pedum incessum, totius etiam corporis firmitatem, ita & contra jura naturæ meritorum gratiâ custodivit, ut lavatis corporibus, quæ balneis atque delitiis confoventur, hilarior ejus caro videretur*; inquit S. Athanasius. Hanc senectutis felicitatem obtinuit etiam S. Augustinus, de quo S. Possidonius in vita cap. 31. *Verbum DEI usque ad ipsam extremam suam ægritudinem, impratermissè, alacriter, & fortiter, sanâ mente, sanoque consilio in Ecclesia prædicavit. Membris sui corporis incolumis, integro aspectu, atque auditu - obdormivit in pace cum patribus suis, &c.*

Finis Partis primæ.



LUMI-

LUMINUM REFLEXORUM

PARS SECUNDA,

Continens

LIBROS HISTORICOS,

JOSVE.
JVDICVM.
RVTH.
PRIMVM REGVM.
SECVNDVM REGVM.
TERTIVM REGVM.
QVARTVM REGVM.
PRIMVM PARALIPOMENON.
SECVNDVM PARALIPOMENON.
PRIMVM ESDRÆ.
SECVNDVM ESDRÆ.
TOBIÆ.
JVDITH.
ESTHER.
PRIMVM MACHABÆORVM.
SECVNDVM MACHABÆORVM.



LUMINA REFLEXA EX JOSUE.

CAPUT. I. v. 3.

1. GRandis certè felicitas ac gloria fuit Josue & exercitus Israëlitici, dum tot numerârunt victorias, quot prælia; nunquam vibrârunt gladium, quin fastigiaretur in sceptrum; & toties liberam ac dominatricem provinciarum possessionem obtinuerunt, quoties in eas posuerunt pedem. In ea impletur divinum promissum; *Omnem locum, quem calcaverit vestigium pedis vestri, vobis tradam.* Josue c. 1. v. 3. Utut proinde fuerint horridæ & inaccessibiles regiones deserti; duri & laboriosi saltus Libani; vasta & fluctuans immensitas Euphratis; Josue tamen ubique fixit generositatis suæ trophæa, facta heroica, & immortales victorias. *A deserto & Libano usq; ad fluvium magnum Euphratem, omnis terra Hethæorum &c. erit terminus vester.* ibid.

Josue grandis miles.

Quod sacer Textus reverà testatur in honorem Josue; id Panegyricus Maximini Imperatoris cum insigni adulatione ausus est proferre in laudem hujus Principis; *sed neq; illa fraudes locorum, neq; qua plurima inerant profugia sylvarum, barbaros tegere potuerunt, quò minus ditioni divinitatis tua omnes sese dedere cogerentur.* Simili felicitate dimicârunt Alexander Magnus, Julius Cæsar, Henricus III. Rex Galliæ, qui, quocumque moverant suos exercitus, subjugârunt provincias ac Regna. De Carolo V. Imperatore scribit Famianus Strada lib. 1. de Bello Belg. quòd recuperârit immensam gloriam, *tam multis ex omnium bellium genere victoriis, tanta felicitate reportatis, ut à nullo ferè Carolus provocatus bello fuerit quem non modò victum, sed (quod rarò legitur) vinctum etiam, captivumq; non viderit;* prout contigit Francisco Regi Galliæ, Henrico Regi Navarræ, Clementi VII. Guilielmo Duci Cliviæ, Ernesto Duci Saxoniæ, & aliis multis.

CAP. I. ỷ. 6.

2. QUando Deus dixit Josue cap. 1. v. 6. *Confortare & esto robustus;* non voluit inferre, quasi antea fuisset prostratus viribus, debilis robore, & inops spiritu; sed quòd promotus ad regimen ac principatum magni illius populi, opus habeat geminato robore, ut par sit, tanto oneri sustinendo. Ad hoc propositum Cassiodorus lib. 6. Var. 12. *Interdum assidui labores etiam ipsas ingratas faciunt dignitates, dum imbecillitas humana citò solet sustinere fastidia, & quod prius ambiisse creditur, postea vitare velle sentitur.* Unde observat Stephanus Cantuariensis, Salomonem fuisse consecratum Regem *in Gion.* 3. Reg. 1. v. 45. quod, ipso interprete, idem significat, ac *luctatio; ad notandum, quòd maxima lucta in dignitatibus sit, & magnus labor.* Proinde Joannes Pineda in Job. cap. 9. v. 13. n. 5. ait: *Reges & Principes capite gestant coronam maniis cinctam, quòd videantur suarum civitatum pondus capitibus propriis impositum gestare.*

Principatus est onus.

Sinesius Orat. de Regno. *Felicitas onus quoddam esse videtur plumbo gravius. Eum ergò subvertit ac deprimit, qui id humeris imposuerit.* Tiberius, assuetus regimini, dicebat apud Tacitum lib. 1. Annal. *Se in partem curarum ab Augusto vocatum, experiendo didicisse, quàm arduum, quàm subjectum fortuna regendi cuncta onus;* Seleucus, relatus à Plutarcho lib. An seni sit regenda Respubl. dicebat: *si sciret vulgus scribere solum tam multas epistolas, ac legere, quanti laboris sit, nollet in terram abjectum tollere diadema.*

CAP. I. ỷ. 6.

ASsumptus est Josue in Ducem & Capitaneum populi Israëlitici, ut duceret exercitum ad auspicanda prælia, expugnandas civitates, & inter mille pericula superandos barbaros; eâ tamen conditione, ut loca ab ipso recuperata non spectarent ad ipsum, sed generosè dividerentur in commodum & utilitatem subditorum. *Confortare & esto robustus: tu enim sorte divides populo huic terram. &c.* Josue 1. v. 6. Unde poterat dicere cum Cassiodoro lib. 6. Var. 23. *Ideò tot emolumentorum commoda ferimus, ut securitatem provincialium colligamus.* 3.

Princeps fatigatur in subditorum utilitatem.

Proinde laborandum est Principi, sed in commodum subditorum; debetque suos labores non ad propriam, sed aliorum utilitatem dirigere. Tullius lib. 5. de Republ. *Moderatori Reipublica beata civium vita proposita, ut ea opibus firma, copiis locu-*

locuples, gloria ampla, virtute honesta sit. Latinus Pacatus in Panegyr. Theodosii: *Nullam majorem crediderim esse Principum felicitatem, quam fecisse felicem.* Et subjungit; *itaq; Imperatori propriam majestatem aestimanti, non tam illud suum videri debet, quod abstulit, quam quod dedit.* Et Claudianus ad Honorium:

Tu civem, Patremque geras: tu consule cunctis.
Non tibi, nec tua te moveant, sed publica damna.

CAP. I. ℣. 8.

4. QUamprimùm Josue elevatus est ad populi Hebraei principatum, accepit à Deo expressum istud mandatum; *Non recedat volumen legis hujus,* id est, Pentateuchi, *ab ore tuo: sed meditaberis in eo diebus ac noctibus, ut custodias & facias omnia, quae scripta sunt in eo.* Jos. c. 1. v. 8. Proinde lex divina, veluti stella polaris, bono Principi, tanquam vigili nauclero, attentè observanda ac contemplanda est, ut ea dirigente possit effugere omne periculum, & navim reipublicae ad verae felicitatis portum deducere.

Lex Dei est directio Principum.

Cùm Spartani quemdam suorum civium ad magistratum aut regimen promoverent, ei per publicum ministrum insinuari fecerant; *ut audiens sit legibus*; prout notat Plutarchus de tarda Dei vind. Ad hoc argumentum deservit textus Imperialis L. Digna vox C. de Leg. *Digna vox est majestate regnantis, legibus alligatum se principem profiteri. Adeò de auctoritate juris nostra pendet auctoritas, & reverà majus in imperio est submittere legibus principatum.*

CAP. I. ℣. 11.

5. UT Israëlitae tantò facilius obtinerent victorias; jussi sunt opportunè providere victualia, ut absque anxietate & inquietudine possent hostes animosè aggredi. *Praeparate vobis cibaria: quoniam post diem tertium transibitis Jordanem.* Jos. cap. 1. v. 11.

Victualia exercitus.

Cautam hanc in victualibus providendis solertiam praeclarè observavit Vegetius lib. 3. c. 3. *In omni expeditione unum est, & maximum consilium, ut tibi sufficiat victus, hostes frangat inopia.* Et paulò antè: *Saepius enim penuria, quam pugna, consumit exercitum. & ferro savior fames est.* Et quòd amplius; *Reliquis casibus potest in tempore subveniri, at pabulatio & annona in necessitate remedium non habent, nisi antè condantur.* Unde Romani ordinabant; *Ut in expeditionem ituri milites, arma & vallum, nec non utrem, follem, scutum, gladium,* omnium verò maximè, *interdum plus dimidiati mensis cibaria, absq; servorum aut jumentorum ministerio humeris ferant.* Ita Alexander ab Alex. lib. 1. c. 20.

CAP. II. ℣. 1.

6. PRiusquam Josue accingeretur ad obsidendam civitatem & regionem Jericho, misit quosdam exploratores, qui sagaciter observarent, in quo statu essent barbari, idque exactè referrent Israëlitis. *Misit igitur Josue, filius Nun de Setim duos viros exploratores in abscondito: & dixit eis: ite & considerate terram, urbemq; Jericho &c.* Jos. cap. 2. v. 1.

Exploratores necessarii in bello.

Haec diligentia nullo prorsus modo praetermittenda est à prudente Archistratego. Unde Leo Imperator in Tacticis c. 13. n. 2. suos Belliduces ita hortatur; *Exploratoribus & speculatoribus sedulò hostium statum inquires, qui motus illorum, quanta multitudo, qualis acies: itaq; te adversùm eos praeparabis, ut ne subito, ac de improviso invadare ab illis.* Frontinus lib. 1. c. 2. Stratag. prolixè de exploratoribus differens, inter alia hoc exemplum adducit: *Q. Fabius Maximus, bello Hetrusco, cùm adhuc incognita forent Romanis ducibus sagaciores explorandi via, fratrem Fabium Casonem, peritum lingua Hetrusca, jussit Hetrusco habitu penetrare Ciminiam sylvam, antè militi nostro intentatam. Quod is adeò prudenter atq; industriè fecit, ut transgressus sylvam, Umbros Camertes, cùm animadvertisset non alienos nomini Romano, ad societatem compulerit.* De hoc argumento egimus suprà ad c. 13. Num. v. 3. Mihi sufficiat addidisse, quod Suetonius scribit de Caesare: *Exercitum neq; per insidiosa itinera duxit unquam, nisi perspeculatus locorum situs.*

CAP. II. ℣. 1.

CUm Josue aliquos suorum confidentium mitteret ad explorandum statum ac territorium Jericho, expressè jussit, ut id fieret occultè. *Misit igitur Josue filius Nun de Setim duos viros exploratores in abscondito* Jos. 2. v. 1. id est, *clam,* ut ait Pagninus; vel *arte quadam & occultè,* ut Vatablus; Ubi observant Interpretes, quòd non solùm occulti exploratores venerint ad Philistaeos, sed etiam ad Israëlitas; unde sollicitè curavit Josue, tanquam prudentissimus Bellidux, ut sua consilia ac machinationes bellicae non innotescerent hosti, sed altissimo silentio servarentur. 7.

Consilia bellica sint occulta.

Leo Imperator lib. de Bellico apparatu, ait; *In rebus occultis & abditis fideles adhibe tibi, & temperantes viros, & taciturnos, & qui in sua, & non in aliorum potestate sint.* Metellus, supremus Bellidux, interrogatus à quodam Capitaneo, quid destinaret aggredi? respondit, *si ejus rei scirem tunicam, mihi conscia, exutam in ignem conjecissem.* Plutarch. in Apoph. Tiberius solebat dicere; *Principis animum aut nemini, aut paucis cognitum esse oportere,* ut refert Dion:

CAP. II. ℣. 9. &c.

POpuli Chananaei, quamprimùm exercitus Israeliticus ipsorum confinia attingebat, ingenti timore perculsi sunt. Liquefiebat in corde pectus, conglaciabatur sanguis, robur ac vires ab animo recedebant. Unde Raab sincerè fatebatur Belliduci Josue c. 2. v. 9. *Irruit in nos terror vester, & elanguerunt omnes habitatores terrae.* & v. 11. *Pertimuimus, & elanguit cor nostrum, nec remansit in nobis spiritus ad introitum vestrum.* 8.

Timor tollit vires.

Timor certè, in humano pectore praevalens, enervat ac sternit infelicis hominis consilia & vires. Apprimè Pindarus:

Pavor virorum domitor,
Adimit robur praecordiis.

Et post illum Tullius Tuscul. 4. definiens timorem, ait: *Metus est, mentem decutiens, omnemq; ex animo expectorans sapientiam.*

CAP.

CAP. II. ℣. 15.

9. PRæsuppono Rahab fuisse meretricem, ut dicitur Josue c. 2. v. 1. ubi de exploratoribus scribitur; *Pergentes ingressi sunt domum mulieris meretricis nomine Rahab.* & cap. 6. v. 17. *Sola Rahab meretrix vivat.* & vers. 22. *Ingredimini domum mulieris meretricis,* & vers. 25. *Rahab vero meretricem &c. fecit Josue vivere.* Unde sicuti Rahab per funem è fenestra domus suæ, ex mæniis civitatis demisit exploratores Josue; *Demisit ergo eos per funem de fenestra; domus enim ejus hærebat muro.* Jos. 2. v. 15. ita probabile est, ab ipsa per funem in domum attractos, & demissos fuisse amasios. Nicolaüs de Lyra in hunc locum ait; *Hebræi, qui dicunt, Rahab fuisse meretricem, dicunt quod solita fuerit per funem illum recipere fornicarium, & emittere.*

Funis instrumentum libidinis.

Propertius lib. 4. describit simile artificium, usitatum à fœmina lasciva, de qua canit Eleg. 7. ad Cynth:

Jam tibi exciderunt vigilantis furta saburræ;
Et mea nocturnis trita fenestra dolis?
Per quam demisso quoties tibi fune pependi,
Alterna veniens in tua colla manu.

CAP. II. ℣. 15.

10. TAmetsi funis frequenter deserviat miseris infamis supplicii ac mortis loco; nonnunquam tamen etiam fuit instrumentum salutis. Certè Rahab videns Hebræorum exploratores manifestatos, eos subraxit furori Regis Jerichuntini, per fenestram demissos è sua domo, funis beneficio. *Demisit ergo eos per funem de fenestra.* Jos. 2. v. 15. Probabile est, eodem modo Davidem à Michol fuisse salvatum è furore Saulis; illa enim *deposuit eum per fenestram.* 1. Reg. 19. v. 12.

Funis instrumentum salutis.

Quod funis adhunc usum sæpius deservierit Gentilibus, testantur Eruditi. Græci, conclusi in equo, fuerunt introducti in Trojam. 2. Æneid. vers. 260.

- - - - - Cavo se robore promunt,
Demissum lapsi per funem.

Lucretius lib. 2.

- - - - Mortalia sæcla superne
Aurea de cœlo demisit funis in arva

Et Cedrenus;

Fugiunt ex vinculis, demittentes se fune.

CAP. II. ℣. 18.

11. RAab fili coccinei beneficio, ab Hebræis accepto, & fenestræ domus alligato, inter medias turbas & ruinas patriæ se ipsam & totam suam familiam conservavit incolumem ac vitæ securam. *Si ingredientibus nobis terram, signum fuerit funiculus iste coccineus, & ligaveris eum in fenestra &c.* Josue c. 2. v. 18. & 21. *Dimittensque eos ut pergerent, appendit funiculum coccineum in fenestra &c.* Ariadna, beneficio fili, quod accepit à Dædalo, tradiditque amasio suo Theseo, hunc ab angustiis Labyrinthi, & à terroribus mortis liberavit. Ita Virgilius lib. 5. Æneid. v. 18.

Filum instrumentum salutis.

Magnum Reginæ sed enim miseratus amorem
Dædalus, ipse dolos tecti, ambagesque resolvit,
Cæca regens filo vestigia.

Et Catullus;

Errabunda regens tenui vestigia filo.

Ovidius in Epist:

Quæ regerent passus pro duce fila dedi.

Et Propertius lib. 2. Eleg. 14.

Dædaleum lino cum duce rexit iter.

CAP. III. ℣. 3.

QUando agebatur de Jordane transeundo, & expugnanda civitate Jericho, ante totum exercitum conducebatur arca, in qua repræsentabatur Deus: sicque post eam militari ordine incedebant Hebræi, secuti Dominum exercituum. Josue cap. 3. v. 3. *Quando videritis arcam fœderis Domini Dei vestri, & sacerdotes stirpis Leviticæ portantes eam: vos quoque consurgite, & sequimini præcedentes.* In hunc locum Arias Montanus; *In expugnanda & obtinenda regionis prima occupatione primum oportuit regiam majestatem antecedere, deinde vero cæteros omnes propriis singulorum observatis ordinibus subsequi.* 12.

Exemplum Principis validi

Ad felices omnium expeditionum successus optima politica est, si Princeps præcedat. Suetonius hanc laudem defert Julio Cæsari cap. 52. in ipsius vita; *In agmine nonnunquam in equo, sæpius pedibus anteibat capite detecto, seu sol, seu imber esset.* Cornelius Tacitus l. 2. Hist. ad honorem Ottonis ait; *Nec ille segne, aut corruptum luxu iter, sed lorica ferrea usus, & ante signa pedester, horridus, & incomptus &c.* Virgilius lib. 6. Æneid.

Nec non Æneas opera inter talia primus.
Hortatur socios, paribusque accingitur armis.

Lucanus de Catone loquens lib. 6.

- - - Monstrat tolerare labores,
Non jubet.

Sidonius ad honorem Majoriani in Panegyr:

- - - - - Sic agmina voce
Erigis, exemploque levas, primusque labores
Aggrederis, quoscumque jubes &c.

Unde benè discurrebat Plinius in Panegyr: *Flexibiles quamcumque in partem ducimur à Principe: & ut ita dicam, sequaces sumus.*

CAP. III. ℣. 11.

NE populus timeret transire fluvium Jordanem; Arca in qua repræsentabatur Deus, præcedebat; *Ecce arca fœderis Domini, omnis terræ antecedet vos per Jordanem.* Jos. 3. v. 11. Itaque præcedebat arca, & tamdiu consistebat in medio flumine, donec populus, ex illius aspectu securus, ad alterum littus animosè progressus fuerit; quo facto, arca rursus ante populum portabatur. *Cumque transissent omnes, transivit & arca Domini.* Josue c. 4. v. 11. Adeoque in calamitatibus Princeps suo exemplo subditos animet, roboret, & juvet. &c. 13.

Princeps animat subditos.

Leo Imperator in Tacticis cap. 9. n. 12. supremo Belliduci ita loquitur; *Si admodum lubrica & difficilia loca fuerint, te ipsum oportet primo eò transire, deinde ibi consistere & commorari, donec omnes sine offensione transierint.* & num: 13 *Hoc enim patrem nostrum*

strum Regem Basilium fecisse cognovimus, quando contra Germanicam Syriæ civitatem copias duxerat, & Paradisum fluvium anticiparat, qui lampadibus in medio constitutis, ipse sua ipsius præsentia atque ope universum exercitum facile & sine offensione traduxit.

CAP. III. ℣. 15.

14. QUamprimum Israelitæ posuerunt animosum pedem in Jordane flumine, ipsius aquæ, instar crystallini montis ex utroque latere constiterunt veluti congelatæ ac solidatæ. *Ingressisque eis Jordanem, & pedibus eorum in parte aquæ tinctis, steterunt aquæ descendentes in loco uno, & adinstar montis intumescentes apparebant.* Cum hoc miraculo magnam habet similitudinem, quod in mari rubro contigit, ubi transierunt Hebræi; *Erat aqua quasi murus à dextra eorum & læva.* Exod. 14. v. 22.

Aquæ elevatæ instar montium.

Quod hic Spiritus Sanctus scribit de aquis instar montium elevatis, Poëtæ allaborabant suis fabulis immiscere. Virgilius lib. 4. Georg. introducit Aristæum, ita discurrentem v. 359.

- - - - Simul alta jubet discedere latè
Flumina, quà juvenis gressus inferret: ad illum
Curvata in montis faciem circumstetit unda.

Et Ovidius lib. 15, Metamorph:

Cùm mare surrexit, cumulusque immanis aquarum
In montis speciem curvari, & crescere visus.

CAP. III. ℣. 16.

15. JOrdanis fluvius aquarum cursum firmavit præsentibus Josue & Israelitis; de prodigioso hoc eventu Jos. 3. v. 16. *Steterunt aquæ descendentes in loco uno, & ad instar montis intumescentes apparebant.* Proinde aquæ, in alteram partem declives, exhibuerunt populo transeunti omnem venerationem & obsequium.

Aquæ sistunt cursum.

Similia miracula innovavit Deus in lege Evangelica ad honorem suorum Sanctorum; quorum orationibus ac meritis flumina cursum suum verterunt, & alio transportarunt. S. Gregorius Thaumaturgus *Lycum fluvium perniciosè agros inundantem, defixo ad ripam, quo sustentabatur, baculo, qui statim virentem crevit in arborem, coercuit.* Brev. Rom. 17. Novemb. Similiter S. Frigdianus Episcopus, Canonicus Regularis; *Cùm flumen Anseris agrum Lucensem inundans, frequenter afferret incolis damna non modica, ille post orationem, tractoraſtro per terram, flumen alio divertens, agrum ab inundatione liberavit.* Hoc miraculum scripsit S. Gregorius Papa in suis Dialogis, & reperitur in Officiis Canonicorum Regularium die 19. Novem.

CAP. III. ℣. 16.

16. ULtra modum mirabile & grande fuit miraculum in flumine Jordane factum, ubi contra naturalem suum impetum decurrendi versus valles, cohibitæ sunt aquæ, & non solum erectæ sunt in aëre instar montium; *Ad instar montis intumescentes apparebant.* Jos. 3. v. 16. sed insuper instar cancri retrogressæ sunt; ut canit David Ps. 113. v. 3. *Jordanis conversus est retrorsum.* Pro meritis S. Archippi, Discipuli Apostolorum, innovata sunt hæc miracula. Gentiles enim contra ipsum fremebant, quod in suo templo obtulisset vero Deo sacrificia incruenta, & aquis ex fonte propè templum haustis sanasset omnes infirmitates: unde effoderunt profundam cavernam, per quam moliebantur aquas fluminis Crisi derivare ad templum & fontem. Verum totum contrarium evenit; quia flumen, cursum suum retrotrahens, *in contrariam partem erupit, longissimè ab utroque profluens.* Metaphrast. 5. Septemb. Majolus Tom. 1. Colloq. 11.

Flumina retrogressa.

CAP. III. ℣. 16.

CUm Josue accingeretur ad expugnandam civitatem Jericho, ut negotium adeò illustre majorem sortiretur facilitatem, aquæ Jordanis fluminis partim elevatæ sunt instar montis, partim decurrerunt in loca depressa & humilia; sicque alveus fluminis remansit arenosus & siccus, ut totus exercitus facile potuerit transire. *Steterunt aquæ &c. & ad instar montis intumescentes apparebant.* Jos. 3. v. 16. *Quæ autem inferiores erant, in mare solitudinis - descenderunt. Populus autem incedebat contra Jericho &c. omnisque populus per arentem alveum transibat.* 17.

Flumen retrogressum ad expugnandam civitatem.

Non solùm Jericho, sed & aliæ civitates, sive fluminum translatorum, sive aquarum exsiccatarum beneficio, fuerunt expugnatæ ac victæ. Imprimis Semiramis, postea Cyrus, ac denique Alexander Magnus expugnârunt Babiloniam, divertendo fluvium Euphratem, qui civitatem illam præterfluebat; uti testantur Herodotus lib. 1. Xenophon lib. 7. & Frontinus l. 3. stratag. cap. 7. qui multos eventus historicos adducit de populis & civitatibus expugnatis per diversionem fluminum. Idem Frontinus l. 3. c. 9. ait; *Scipio apud Carthaginem sub discessum æstus maritimi, secutus Deum, ut dicebat, ducem, ad muros urbis accessit: & cedente stagno, quà non expectabatur, irrupit.*

CAP. IV. ℣. 9.

NE ullo ævo extingueretur memoria miraculi in Jordane patrati; quando Israelitæ omnes per illum progressi sunt, *duodecim lapides posuit Josue in medio Jordanis alveo &c. & sunt ibi*, veluti totidem superbæ columnæ, *usque ad præsentem diem*, Jos. c. 4. v. 9. Et licet Tostatus opinetur, id fecisse clarissimum illum Imperatorem ministrorum & artificum suorum manibus ac industriâ; Non tamen desunt, qui docent, *Imperatorem ipsum ad Dei cultum & suorum exemplum ad hæc opera se demisisse, suisque manibus erexisse & firmasse lapides.* Naxera in hunc locum. 18.

Exemplum Belliducis.

Proinde supremi Belliduces nonnunquam solent proprias manus deprimere ad exercitia vilia ut milites animosè & liberè iisdem operibus sese impendant. De Clearcho Archistratego scribit Xenophon lib. 2. de Cyro. *Ipsemet in cœnum cùm descendisset, ejus operis suas sibi partes deposcit. Quod cùm cæteri vidissent, dedecori sibi fore putarunt, si non fuissent illius alacritatem secuti.* Corn. Tacitus l. 15. Annal: loquens de Corbulone; *Ipse cultu levi: capite intecto in agmine, in laboribus frequens adesse: laudem strenuis, solatium invalidis, exemplum omnibus ostendere.* Et T. Livius lib. 34. de Catone ait; *Omnia maxima, minimaque per se adiret & ageret: nec cogitaret modò, imperaretque, quæ in rem essent, sed pleraque ipse per se transigeret.*

CAP.

CAP. V. ℣. 12.

19. QUemadmodum providentia divina providet suis servis omnia necessaria, ita non solet concedere superflua. Unde cœlum commutavit in cellam promptuariam, & quadraginta annorum spatio manna, angelicis manibus elaboratum, in cibum Israëlitarum dispensavit. Unde Exod. 16. v. 35. *Filii autem Israel comederunt man quadraginta annis.* At quamprimum cœperunt possidere fertilissimas terras Chanaan, earumque fructibus nutriri mox depluens manna emansit. *Defecitque manna postquam comederunt de frugibus terræ, nec usi sunt ultra cibo illo filii Israel.* Jos. c. 5. v. 12.

Deus providet necessaria.

Cum hoc successu magnam similitudinem habet, quod refert Theodoretus in Philoth. c. 10. ubi ait; *Theodosius Abbas, instar Mosis orans, & virga petram percutiens, ex ea fontem aquæ perennis elicuit, qui monasterium à se in loco arido ædificatum irrigaret. Hic fons extructo postea in Monasterico lavacro, exaruit; sed eo destructo rursus fluere cœpit, quasi necessitati succurrens, & cum ea cessante cessans.*

CAP. V. ℣. 15.

20. CUm Josue cerneret insignem quemdam militem, & non dignosceret an ex Gentilibus vel Israelitis esset generosè, ei obviam ivit, ac quis esset, interrogavit; videns autem, illum esse S Archangelum Michaëlem, *cecidit Josue pronus in terram; & adorans ait; Quid Dominus meus loquitur?* Jos. 5. v. 15. id est, profundè se inclinavit ac humiliavit, eum veneraturus & honoraturus.

Veneratio erga majores.

De honore, majoribus nostris exhiberi solito, bene discurrit Seneca Epist: 64. *Si consulem videro, aut prætorem, omnia, quibus honor haberi solet, faciam, equo desiliam, caput adaperiam, semitâ cedam.* Ita Japponenses, Chinenses, & cæteri populi Orientales, flexis genibus, depressa in terram fronte, adorant seu reverentur ac honorant suos Principes & Dominos.

CAP. VI. ℣. 17.

21. CIvitas Jericho fuit primitia victoriarum, quas Israëlitæ obtinuerunt in Chanaan; sicque tota oblata in tributum Deo, & in cineres redacta ac combusta; tum ex justo scelerum suorum supplicio, tum in terrorem, exemplum, & emendationem vicinorum barbarorum. Id quod Sacer Textus innuit Jos. 6. v. 17. *Sit civitas hæc anathema; & omnia quæ in ea sunt Domino.*

Civitas oblata Deo in anathema.

Similem anathematis, seu desolationis ac destructionis formam erga recuperatas res militares nonnunquam adhibuerunt Gentiles. Alexander ab Alex: lib. 3. Dier. Gen. cap. 22. ait; *Apud Hermonduros inter solemnia vota Belliduces sacrare adversam aciem, illamque Marti & Mercurio devovere consueverunt: quo voto, equi viri, spolia, machina, & cuncta bello quæsita, occisioni dantur.* Titus Livius lib. 8. refert, Decium Consulem in bello contra Latinos se ipsum simul cum hostibus voto consecrasse Diis inferni, ita loquendo; *Iane, Iupiter, Marspiter, Quirine, Bellona, Lares, vos precor uti populo Romano vim, victoriamque prosperetis; hostesque populi Romani terrore, morteque afficiatis; sicut verbis nuncupavi, ita pro Republica, populoque Romano, legiones, auxiliaque hostium mecum Diis manibus, tellurique devoveo.*

Spolia militaria in anathema oblata.

CAP. VI. ℣. 20.

TAmetsi mænia Jerichuntina debuissent cadere sola virtute & potentia divina; voluit tamen Deus, ut etiam populus ex parte sua aliquid operaretur, elevando scilicet sonoras voces, & inflando militares tubas. *Igitur omni populo vociferante, & clangentibus tubis &c. muri illico corruerunt; cœperuntque civitatem.* Josue cap. 6. vers. 20. 22.

Cooperati Deo.

De clamore ante prælium ab exercitibus excitari solito, agemus alio loco; Hic sufficiat præceptum Leonis Imperatoris in Tacticis cap. 20. n. 204. *Vt robur exercitui inferas, præcipe, ut si hostes cum clamore contra tuos veniant, tui statim cum silentio & taciturnitate procedant: sin illi silentes, ac tacitè ambulaverint, tum clamore ac stridore armorum, tui illos invadant.* Et eodem cap. n. 188. *Quando jam manus consertur us et, magno cum clamore vocis & armorum contra hostes contendant, itaque prælium cum hostibus ineant.*

CAP. VI. ℣. 20.

MIrabiles certè arietes fuere admoti civitati Jericho, cujus mænia dirutæ ac ruptæ sunt solo vocum sonitu, quas populus Dei versus cœlum unanimiter emisit. *Igitur omni populo vociferante &c. muri illico corruerunt.* Jos. cap. 6. v. 20. 23.

Obsessio facta vocibus.

Similes victorias aliquoties obtinuère Fideles, armorum loco sumptis vocibus orationum ac devotarum precum. Contra Britannos jubente S. Germano cantatum fuit Alleluja, ut scribit Beda l. 1. Hist: c. 20. ac victoria reportata est. Contra Albigenses ille versus ex Hymno; *Hostem repellas longius*; ut refert Historia Simonis Montfortii. Robertus Rex Galliæ cum sacerdotibus recitans Psalmos, diruit mænia cujusdam civitatis arctè obsessæ, ut narrat Justus Lipsius Exempl. polit. cap. 2.

CAP. VI. ℣. 20. &c.

ANtiqua civitas Jericho uno momento è supremo felicitatis vertice concidit in extremas miserias. Quod evaserat gladium, devoratum est à flammis. Homines & animalia, senes & juvenes, fœminæ & infantes, omnes simul proprio sanguine innatabant, & extincti jacebant. Adeoque omnes domus, omnia compita, omnesque plateæ unum erat macellum, unaque carnificina. *Ceperuntque civitatem: & interfecerunt omnia, quæ erant in ea, à viro usque mulierem, ab infante usque ad senem. Boves quoque & oves, & asinos, in ore gladii percusserunt.* Jos. c. 6. v. 20. &c. 24.

Civitas destructa.

Destructæ civitati Jericho non absimiles sunt ruinæ Trojæ, de qua Virgilius Æneid. 2. vers. 361.

Quis cladem illius noctis, quis funera fando
Explicet? aut possit lachrymis æquare labores?
Vrbs antiqua ruit multos dominata per annos.
Plurima perque vias sternuntur inertia passim

Cor-

Corpora, perque domos, & relligiosa Deorum.
Limina - - - - crudelis ubique
Luctus, ubique pavor, & plurima mortis imago.

Similem stragem describit Demosthenes de fals: Legat. *Domos dirutas, mœnia prostrata, regionem juventute desolatam.* Ita Aristides in Rhodiaca. *Cades in adibus, in templis, in foribus, in portis.*

CAP. VI. ℣. 25.

25. Rahab à ruinis servata. DEstructa ab Israëlitis civitate Jericho; *Rahab meretricem, & domum patris ejus, & omnia quæ habebat fecit Iosue vivere.* Jos. c. 6. v 25. fruebatur hac conservatione familia Rahab, utpote quæ servabat & hospitio excipiebat Hebræos, eosque instar amicorum tractabat.

Plutarchus in vita Alexandri refert, quod destructa ab exercitu Macedonico civitate Tyro, fuerint à communibus ruinis præservatæ domus, quæ Macedones recipiebant hospites; & inter illas domum Pindari; *Vrbs capta direptaque*, inquit, *Macedonum hospitibus omnibus exceptis, & Pindari stirpe &c.*

CAP. VII. ℣. 4. &c.

26. Peccatum unius nocet multis. QUamprimum Achan, miles Josue, commisit sacrilegium, usurpans certam partem spoliorum militarium, quæ voto erant oblata & consecrata Deo; mox justo supplicio ob delictum ab ipso perpetratum interfecti sunt triginta sex homines, & tria millia in turpem fugam acta; totusque exercitus Hebræus territus & vilipensus est. *Tria millia pugnatorum, statim terga vertentes, percussi sunt à viris urbis Hai, & corruerunt ex eis triginta sex homines &c. pertimuitque cor populi, & instar aquæ liquefactum est.* Jos. cap. 7. v. 4. &c.

Ita nimirum, ut ait Hesiodus;

Vnius ob culpam pœnas urbs tota rependit.

Horatius lib. 3. od. 2.

- - - - Sæpe Diespiter
Neglectus, incesto addidit integrum.

l. 3. od. 6.

Delicta majorum immeritus lues
Romane.

Et Epodon od. 7.

Sic est: acerba fata Romanos agunt,
Scelusque fraternæ necis.
Vt immerentis fluxit in terram Remi
Sacer nepotibus cruor.

CAP. VII. ℣. 13.

27. Victoria vult milites puros. CUm cerneret Josue aliquos suorum militum occisos, multos in fugam actos, & omnes insolito timore perculsos: recurrit ad Deum, ut tantis malis obtineret remedium; cui Deus respondit; *Surge, sanctifica populum, & dic eis sanctificamini in crastinum: hæc enim dicit Dominus Deus Israël: anathema est in medio tui Israël: non poteris stare coram hostibus tuis, donec deleatur ex te, qui hoc contaminatus est scelere.* Josue c. 7. v. 13. sicque suasum fuit, ut purificaretur populus à sacrilegio & scelere quo per delictum Achan erat contaminatus. Deus enim volebat suas victorias tribuere exercitui puro; non autem sacrilego & doloso.

Leo Imperator in Tacticis cap. 14. n. 1. *Hoc ante omnia præcipiendum est, ut purus ac sanctus exercitus tuus sit, ad pridie vesperi preces efficaces & diuturnæ adhibeantur, omnesque Deo consecrentur, verbis, factisque persuadeantur, se Deum adjutorem habere; atque hoc modo ad bellum puros, sinceros, alacresque procedere.*

CAP. VII. ℣. 21.

COnfitetur Achan furtum sacrilegum à se commissum, usurpando videlicet partem spoliorum militarium, quæ erant consecratæ Deo. *Vidi* inquit, *inter spolia pallium coccineum val de bonum, & ducentos siclos argenti, regulamque auream.* Jos. 7. v. 21. *gladiolumque aureum*, ut legit Andreas Masius: sic nimirum quærens argentum & aurum, reperit ferrum & gladium, qui vel ei delinquenti serviret in supplicium; vel proximis suis malè tractandis in arma offensiva. Huic versioni applaudit S. Zeno serm. 14. *Benè*, inquit, *cum quis quærit aurum, invenit gladium. Inter hæc nemo considerat conditionis fragilitatem, nemo hostem, nemo imminentes judicii flammas: solum colitur, de quo dictum est: idola gentium argentum & aurum, pro quo quis aut jugulatur, aut jugulat.* 28. Gladius inter aurum.

Quod ferrum reperiatur cum auro, observavit Seneca lib 7. de Benef cap. 10. *Video ferrum ex iisdem tenebris esse prolatum, quibus aurum & argentum: ne aut instrumentum in cædes mutuas deesset, aut pretium.*

CAP. VIII. ℣. 2.

UT Israëlitæ possent facili negotio superare civitatem Hai, Deus suasit, ut ponerent insidias è posteriore parte civitatis. *Pone insidias urbi post eam.* Jos. c. 8. v. 2. & v. 4. *Ponite insidias post civitatem. &c.* In hunc locum S Augustinus; *Cum justum bellum susceperit, utrum aperta pugna, utrum insidiis vincat, nihil ad justitiam interest.* Et S. Hieronymus in cap. 17. Ezech: *Quamdiu non jures, & pactum non ineas sub nomine Dei, prudentia est & fortitudinis vel decipere, vel fraudare adversarium, utcumque potueris.* 29. Insidiæ militares

Plato solebat dicere; *Hostes industria magis & arte vinci, quam viribus.* Xenophon in Hipparcho; *Nihil in bello utilius dolis* Agesilaus, relatus à Plutarcho; *Hostes*, inquiebat, *in bello fallere, non justum solummodo, valdeque gloriosum, sed etiam suave ac lucrosum esse.* Polibius lib. 8. ait, majorem laudem deberi iis Belliducibus, qui vincunt industria, quam qui viribus. *Facinorum militarium ea sunt minoris laudis ac momenti, quæ propalam, & per vim patrantur, his, quæ per dolum & ex occasione.* Leo Imperator in Tacticis cap. 20. n. 185. *Insidiæ omnes vehementiores habent impetus, quam cetera incursiones: eæ tamen, quæ à tergo fiunt, longe vehementissimæ.* Ariostus denique;

Fù il vincer sempre mai laudabil cosa:
Vincasi, ò per fortuna, ò per ingegno.

CAP. VIII. ℣. 5. &c.

JOsue, fugam simulans, decepit cives Hai; dum longius à civitate & propugnaculo digressi, facilè poterant trucidari, ac civitas superari. *Fugiemus & terga vertemus: donec persequentes ab urbe longius pertrahantur &c* Jos. c. 8. v. 5. *Nobis ergo fugientibus, & illis persequentibus, consurgetis de insidiis, & vastabitis civitatem &c.* 30. Fuga victoriosa.

De modo vincendi per fugam simulatam, prolixè scripsit Frontinus lib. 2. stratag. c. 5. ex quo deli-

De modo vincendi per fugam simulatam, prolixè scripsit Frontinus lib. 2. stratag. c. 5. ex quo delibabimus aliquot exempla, cum stratagemate Josue plurimum conformia. *Romulus per latebras copiarum parte disposita, cum ad Fidenas accessisset, simulata fuga temere hostes insequutos eò perduxit, ubi occultos habebat milites: qui undique adorti effusos & incautos ceciderunt. Q. Fabius Maximus Cos: auxilio Sutrinis missus adversus Hetruscos, omnes hostium copias in se converterit: deinde simulato timore, in superiora loca velut fugiens recessit, effusosque subeuntes aggressus, non aciem tantum superavit, sed etiam castris exuit. Tamyris Scytharum Regina, Cyrum Persarum Ducem, æquo Marte certantem, simulato metu elicuit ad notas militi suo angustias, atque ibi repentè converso agmine, natura loci adjuta devicit. Viriatus ex latrone dux Celtiberorum, cedere se Romanis equitibus simulans, usque ad locum voraginosum & prealtum eos perduxit; & cum ipse per solitos ac notos sibi transitus evaderet, Romanos ignaros locorum, immersosque limo cecidit.* Et cap. 9. lib. 3. *Lucius Cornelius Cos. Complura Sardiniæ cepit oppida: dum fortissimas partes copiarum noctu exponit, quibus præcipiebat, ut delitescerent, operirentque tempus, quo ipse nactus appelleret. Occurrentibus deinde adventanti hostibus, & ab ipso per simulationem fugæ longius ad persequendum avocatis, illi in relictas ab eis urbes impetum fecerunt.*

CAP. VIII. ℣. 18.

31. SCutum militare non solùm deserviebat militibus tanquam instrumentum ad defensionem, & evitandos hostium ictus; sed insuper vexilli loco, quia Belliduce scutum militare elevante, milites accipiebant signum auspicandi prælii, & animabantur ad illud promovendum usque ad obtentam victoriam. Hunc morem confirmat Josue cap. 8. v. 18. *Dixit Dominus ad Josue: Leva clypeum, qui in manu tua est, contra urbem Hai, quoniam tibi tradam eam. Cumque elevasset clypeum ex adverso civitatis, insidiæ, quæ latebant, surrexerunt &c.* & versu 26. *Josue verò non contraxit manum, quam in sublime porrexerat, tenens clypeum donec interficerentur omnes &c.*

Scutum elevatum est indicium prælii.

Simili modo suos milites concitavit Æneas, elevans in ipsorum conspectu militare scutum; de quo Virgilius lib. 10. Æneid. v. 260.

Iamque in conspectu Teucros habet, & sua castra
Stans celsa in puppi, clypeum tum deinde sinistrâ
Extulit ardentem.

Plutarchus in vita Eumenis refert, quod milites, ut se demonstrarent ad bellum paratos, *sustulerunt clypeos.*

CAP. VIII. ℣. 28.

32. MIrabilis fuit catastrophe urbis Hai; heri enim fugabat ac terrebat Israëlitas; hodie ab ipsis superatur ac destruitur. Heri ipsius Rex coronabat frontem gloriosis tæniis; hodie infami fune ejus collum cingitur; heri dextra tenebat regium sceptrum; hodie eadem dextera affigitur patibulo. *Succendit urbem, & fecit eam tumulum sempiternum. Regem quoque ejus suspendit in patibulo. &c.* Josue c. 8. v. 28.

Civitas in momento destructa.

Revolutiones ac ruinæ urbis Hai, visæ sunt in Carthagine, Spartha, Athenis, Troja &c. quæ à felicitatis apice præcipitatæ sunt in extremas desolationes. *Quod regnum est*, inquiebat Seneca, *cui non parata sit ruina, & proculcatio, & dominus, & carnifex? Nec magnis ista intervallis divisa, sed hora momentum interest inter solium & aliena genua.* Et paulo post ait de Sejano; *Quo die illum Senatus deduxerat, populus in frusta divisit: in quem quidquid congeri poterat, Dii, hominesque contulerant; ex eo nihil superfuit, quod carnifex traheret, &c.*

CAP. IX. ℣. 4.

ANtiquissimo more solet vinum deferri in utribus seu pellibus caprarum, aut similium animalium. Id quod jam tempore Josue fecerunt Gabaonitæ, qui ad eum recurrerunt, portatis in proprium usum pauculis victualibus; *Tulerunt sibi cibaria, saccos veteres asinis imponentes, & utres vinarios. &c.* Jos. c. 9. v. 4. Ita 1. Reg. c. 25. v. 18. *Festinavit Abigail, & tulit ducentos panes, & duos utres vini. &c.* Ad hunc morem allusit Salvator Matth. 9. v. 13. *Neque mittunt vinum novum in utres veteres.* Ad hoc propositum de utribus, Petrus Blessensis Epist. 44. ita exprobrat militibus sui temporis; *Si milites nostros ire in expeditionem quandoque oporteat, sommarii eorum non ferro, sed vino, non lanceis, sed caseis, non ensibus, sed utribus, non hastis, sed verubus onerantur.* 33.

Utres vini

Etiam Gentiles hunc de vino in utribus reponendo morem tradiderunt posteritati. Apulejus lib. 7. Metamor. ait; *Vinarios utres ferentes.* Varro lib. 1. de vita pop. Rom. *Antiquissimè in conviviis utres vini primò ponebant.* Et Homerus lib. 3. Iliad.

Præcones per urbem Deorum ferebant fœdera firma,
Agnos duos, & vinum lætum fructum terræ
Utre in caprino.

CAP. X. ℣. 11.

FRustra moliebantur Amorrhæi effugere generositatem militum Israëliticorum; Illi enim, qui acumine ferri non erant interfecti, conterebantur lapidum duritie, qui adversus eos è cœlo grandinabant. *Cumque fugerent filios Israël; Dominus misit super eos lapides magnos de cœlo usque ad Azeca: & mortui sunt multo plures lapidibus grandinis, quam quos gladio percusserant filii Israel.* Josue c. 10. v. 11. 34.

Grando lapidum.

Quòd sæpius è cœlo delapsa sit horribilis lapidum pluvia, complures Gentiles testantur. T. Livius lib. 23. n. 31. *Lapidibus circa id templum (videlicet Iunonis) pluit.* lib. 26. n. 23. *Anagniæ & Fregellis nuntiatum est, murum, portasque de cœlo tactas & in foro Sudertano sanguinis rivos per diem totum fluxisse, & Ereti lapidibus pluisse.* Et lib. 30 n. 38. *Frusinone murus aliquot locis, & porta de cœlo tacta: & in palatio lapidibus pluit.* De his pluviis lapideis plurima colligit Simon Majolus Tom. 1. Dier. Canicul: colloq. 1. & prior illo Plinius l. 2. Hist. Nat. c. 58.

CAP. X. ℣. 11.

Iniquitas Chananæorum, divinis oculis prorsus intolerabilis, male sperabat sibi fuga consulere è lethalibus ictibus, quos adversus ipsos intentabat exercitus Josue; cùm ipsum cœlum, propriis instructum armis, in barbarorum oppressionem vibrarit densam ingentium lapidum grandinem, ut eos lapidaret ac contereret. *Cumque fugerent filios Israël &c. Dominus misit super eos lapides magnos de cœlo usque ad Azeca; & mortui sunt multò plures lapidibus grandinis, quam quos gladio percusserunt filii Israël.* Jos. c. 10. v. 11. De hoc eventu Ecclesiasticus c. 46. v. 6. *Audivit illum* (Josue) *magnus & sanctus Deus in saxis grandinis virtutis valde fortis.* 35.

Cœlum pugnat pro servis Dei.

Etiam in lege nova voluit Deus repetere prodigia, facta tempore Josue; dum in gratiam Theodosii è cœlo contra Eugenium tyrannum projecit lapidum grandines, & ventorum impetum ad dissipandos Eugenii exercitus. De hoc Claudianus, tametsi Gentilis, cecinit l. 3. Consul: Honorii;

Te propter gelidis Aquilo de monte procellis
Obruit adversas acies, revolutaque tela
Vertit in auctores, & turbine repulit hastas.
O nimiùm dilecte Deo, cui fundit ab antris
Æolus armatas hyemes: cui militat æther,
Et conjurati veniunt ad classica venti.

Petrus Maffæus l. 15. Hist. Ind. refert, quod tempore S. Francisci Xaverii contra quosdam Barbaros, qui à Religione Christiana defecerant, è cœlo vibrata sit *tanta cineris, pumicumque & ambustorum lapidum vis*, ut ultra modum confusi ac læsi fuerint. Quod saxorum grandine infestatus sit exercitus Brenni & Gallorum, Historiæ Romanæ referunt.

CAP. X. ℣. 12.

36. CUm videret Josue, quod cœlum saxorum grandine infestaret exercitum Gabaonitarum, contra quos ille tunc dimicabat; & cùm dubitaret, an non sol, ad occasum vergens, inter noctis umbras impediturus esset, victoriam, quam invocato Dei auxilio jamjam tenebat in manibus; idcircò imperavit soli, ut cursum sisteret; *Sol contra Gabaon ne movearis &c.* Jos. c. 10. v. 12. *Steteruntque sol & luna, donec ulcisceretur se gens de inimicis suis.* Hoc ipsum commemorat Ecclesiasticus cap. 46 v. 5. *In iracundia ejus impeditus est sol, & una dies facta est quasi duo.*

Sol firmatus.

Simile prodigium recenset Lucanus lib. 6.

Cessavére vices rerum, dilataque longâ
Hæsit nocte dies; legi non paruit æther:
Torpuit, & præceps audito carmine mundus
Axibus, & rapidis impulsos Jupiter urgens
Miratur non ire polos. &c.

Joannes Boterus p. 2. Dictorum memorabilium; lib. 2. refert, quòd aliquorum opinione, illo ipso die, quo Carolus V. superavit exercitum, & captivum duxit Joannem Fridericum, Electorem Saxoniæ, sol cursum suum stiterit. Testantur id Ludovicus d'Avila, qui conflictui illi interera; Baptista Grimaldi in sua Relatione, & P. Cornelius à Lapide in loc. cit. Ecclesiastici fol. 954. col. 1.

CAP. X. ℣. 23.

37. QUinque coronati Reges, captivi facti à Josue, è supremo humanæ majestatis verticem in infimæ sortis abyssum præcipitati sunt. Illi enim, qui dominio suo premebant nobilissima aliorum capita, nunc victorum pedibus calcantur. *Eduxerunt ad eum quinque Reges de spelunca. Cumque adducti essent ad eum, vocavit (Josue) omnes viros Israël, & ait ad Principes exercitus, qui cum eo erant: Ite, & ponite pedes super colla Regum istorum.* Jos. c. 10. v. 23. id quod statim executi sunt. Ita adimpletum est, quod Deus per Mosen promiserat Deut: 33. v. 29. *Negabunt te inimici tui: & tu eorum colla calcabis.* Hebræi insigniter animati sunt ad debellandos cæteros Principes Chananæos, dum viderunt tanta felicitate pedibus suis substratos Reges coronatos; qui superbi tyranni ob enormes suos excessus dederunt commeritas pœnas.

Reges calcati.

Imperator Michaël Balbus simili modo calcavit cervicem ac collum Thomæ, rei læsæ majestatis, de quo Georgius Cedrenus Hist: Compend. 201. ait; *Thomam arreptum compedibus Imperatori tradiderunt. Is morem, qui jam pridem imperatoribus placuerat; receptusque consuetudine erat, primo omnium servans, porrectum in pavimento jacere jussit, cervicemque ejus pedibus suis calcavit.* Verum de hoc argumento agemus infrà.

CAP. X. ℣. 40.

MIrabile cogitatu est, quanta felicitate Josue à triginta & pluribus coronatis Regibus obtinuerit insignes victorias. Militaris eorum virtus, quæ aliis incusserat terrorem, maximum gloriæ incrementum huic Belliduci attulit. Hostium audacia non alio deservit, nisi ut ipsius triumphos redderet grandiores; ipsa etiam provinciarum difficultas, montibus undique conclusa, basin stravit glorioso ipsius colosso. *Percussit itaque Josue omnem terram montanam & meridianam atque campestrem, & Asedoth cum Regibus suis.* Jos. c. 10. v. 40. *Omnem terram Gossen usque Gabaon, universosque Reges & regiones eorum uno impetu cepit atque vastavit. &c.* 38.

Miles fortunatus.

Similem felicitatem Ennodius in Panegyr: tribuit Regi Theodosio; *Si bella Regis mei numerem, tot invenio, quot triumphos. Congressus tuo nullus hostium, nisi qui laudibus adderetur, occurrit. Militavit trophæis, qui restitit voluntati. Nam semper aut pietati tuæ peperit subjectus gloriam, aut qui præsumpsit, solæ virtuti. Qui te in acie conspexit, superatus est: qui in pace, nihil timuit.* Et paulò post; *Varias tibi loco principe cæli leges terrarum munimina, fluminum superba subdidisti -- Nescierunt resistere quos devictis locorum munitionibus invenisti. Adversus te nec campestris habitatio pares protulit, nec quos amplexa sunt invia, nisi extiterunt supplices, à deprædatione subduxit -- Didicisti universa subigendo, quæ nobis vix auditu patuerunt. &c.*

CAP. 11. ℣. 8.

POstquam Josue exercitum Jabin, cæterorumque fœderatorum Regum prope certas aquas profligaverat, in complementum victoriæ præcidit tibias omnium equorum, quos in suam potestatem redegerat. *Percusserunt eos, & persecuti sunt usque ad Sidonem magnam, & aquas Maserephot.* Jos. c. 11. v. 8. *Fecitque sicut præceperat ei Dominus, equos eorum subnervavit.* Simili modo fecit David, uti narratur 2. Reg. 8. v. 4. & 1. Paralip: c. 18. v. 4. 39.

Tibiæ equorum præcisæ.

Postquam Henricus IV. exercitum fœderatorum in pugna Yuriensi profligaverat; Equites fœderatorum, cum ad fluvium quemdam in fuga pervenirent, & ibi ab hoste premerentur, equorum tibias præciderunt, quæ aggeris loco deservirent, sicque decreverunt magnanimo pectore sustinere formidabilem hostium assultum. Catharinus Davila lib. 11. fol. 647. in fine.

CAP. XIV. ℣. 10.

ULtra modum robusta ac vigorosa fuit senectus Caleb, qui octoginta quinque annorum senex, de se cum veritate dicere potuit; quòd sit *sic valens, ut eo valebam tempore quando ad explorandum missus sum: illius in me temporis fortitudo usque hodie perseverat tam ad bellandum, quam ad gradiendum.* Jos. 14. v. 10. Similis fuit felicitas Pauli Concordiensis, ad quem S. Hieronymus Epist. 21. ita scripsit; *Ecce centenus ætatis circulus volvitur: & tu semper præcepta Domini custodiens, futura beatitudinem* 40.

Senectus vigorosa.

vita

vita per præsentia exempla meditatis. Oculi lumine vigent, pedes imprimunt certa vestigia, auditus penetrabilis, dentes candidi, vox sonora, corpus solidum & succi plenum, cani cum rubore discrepant, vires cum ætate dissentiunt. Non memoriæ tenacitatem, ut in plerisque cernimus, antiquior senecta dissolvit; non calli di acumen ingenii frigidus sanguis obtundit; non contractam rugis faciem arata frons asperat: non denique tremula manus per curvos cera tramites errantem stilum ducit. &c.

Cum vigorosa senectute Caleb junxerint Romani ætatem Porcii Catonis, de quo T. Livius Dec. 4. lib. 9. *Invicti cupiditatibus animi erat, & rigidæ innocentiæ, contemptor gratiæ divitiarum. In parsimonia, in patientia laboris, periculique, ferrei prope corporis, animique, quem nec senectus quidem, quæ solvit omnia, fregerit, qui sextum & octogesimum annum agens, causam dixerit, ipse pro se oraverit, scripseritque.* Ausonius Idyl. 3. introducit proprium patrem cum hac jactantia;

Nonaginta annos, baculo sine, corpore toto
Exegi, cunctis integer officiis.

CAP. XV. ỷ. 15.

41. DUm referuntur progressus & victoriæ militares Caleb, addunt sacræ litteræ, eum pervenisse ad quandam civitatem, sapientiâ & litteris insignem. *Venit ad habitatores Dabir, quæ prius vocabatur Cariath Sepher, id est civitas litterarum.* Jos. cap. 15. v. 15. Tria nomina habuit hæc civitas, quibus respondebant tria nobilissima elogia; vocabatur enim *Dabir*, id est, *oraculum sapientiæ*; *Cariath Sepher*, id est, *civitas litterarum*; & *Cariath Senna*; ut ex v. 49. desumitur, id est, *Vrbs acuminis.* Hæc proinde titulo sapientiæ litterarum, & acuminis à sacris Bibliis insignita civitas, tanquam antiquissima & nobilissima totius mundi Academia honorari debet.

Quæ fuerit prima Academia mundi?

Civitas illa, quæ est centrum & metropolis Hispaniæ, olim habuit nomen Mantuæ; occupata verò à Mauris, vocata est Africana voce Madrid, quod significat *Mater sapientiæ*, quia Mauri ibi aperuêre scholam & Academiam, ut ex Archiviis Hispaniæ collegit Serarius in c. 1. Judic. v. 12. Hanc gloriam habuêre antiquæ Athenæ in Græcia, Memphis civitas, & Elcopolis in Ægypto: Jactat etiam inter alias Italiæ civitates Bononia, quod sit *Mater studiorum*; Lutetia Parisiorum inter civitates Galliæ, Salamantica in Hispania; Lovanium in Belgio.

Civitates litteratæ.

CAP. XVII. ỷ. 16.

42. PErsuasi posteri Josephi, ut propria industria & diligentia occuparent sylvas & montes Chananæorum, timore perculsi dixerunt; *Non poterimus ad montana conscendere, cùm ferreis curribus utantur Chananæi.* Jos. c. 17. v. 16. Adeoque adusum militarem, & ad propugnandas provincias deservierunt currus falcati; qui falcibus radentibus, & acuminatis ferris instructi, in frusta secabant & metebant obvios quosvis homines, aliasque res vicinas.

Currus falcati

His curribus usus est Darius, Rex Persarum in bello contra Alexandrum Magnum; de quo Curtius lib. 4. *Ipse ante se falcatos currus habebat, quos signo dato universos in hostem effudit. Ruebant laxatis habenis aurigæ, quò plures nondum satis proviso impetu obtererent. Alios ergo hasta multùm ultra temonem eminentes, alios ab utroque latere dimissæ falces laceravêre.* De his falcatis curribus vide supra Exodi cap. 14. v. 6.

CAP. XXIV. ỷ. 13.

JAm jam moriturus Josue, congregatis ante ipsum omnibus Principibus & Majoribus populi Hebræi, compendio in memoriam ipsorum revocavit omnia beneficia quæ Deus huic populo impertitus est; victorias è multis Regibus, divina ope obtentas; occupatas civitates & provincias &c. singulariter tamen loco Dei dixit Josue c. 24. v. 13. *Dedique vobis terram, in qua non laborastis, & urbes quas non ædificastis, ut habitaretis in eis: vineas & oliveta, quæ non plantastis.* Ingressi ergo sunt vineas, ab aliis plantatas, & collegerunt fructus, ab aliis cultos; Unde David Psal. 104. v. 44. *Et dedit illis regiones gentium; & labores populorum possederunt.* In hoc argumentum Christus apud S. Joannem c. 4. v. 37. *Alius est qui seminat, & alius est qui metit. Ego misi vos metere, quod vos non laborastis; alii laboraverunt, & vos in labores eorum introistis.* 43.

Gaudere aliorum bonis.

Talis erat discursus Tullii de Senect. & Tuscul: 1. *Non dubitare agricolam, quamvis senem, quærenti, cui serat, respondere, diis immortalibus, qui se non accipere modò hæc à majoribus voluerunt, sed etiam posteris prodere.* Unde Agricola

Serit arbores, quæ alteri sæculo prosint.

Imò seminat & plantat id, quod non ipse, qui laborat, sed alius, futuris temporibus, possidebit ac fruetur. Hanc in rem conquestus est Melibæus Ecloga 1. Virgil. v. 71.

Impius hæc tam culta novalia miles habebit?
Barbarus has segetes? -- --
-- -- En queîs consevimus agros!

In hoc argumentum servit Adagium; *Alienam metis messem*; quod eruditè explicat ipsius Commentator.

CAP. XXIV. ỷ. 33.

ELeazarus, Aaronis Summi sacerdotis, filius, ipsiusque in Pontificatu successor, vitam pacificè finiit inter manus suorum filiorum, prout eam exemplariter transegit in conspectu subditorum; honores autem funebres & sepulturam accepit à propriis filiis. *Eleazar quoque filius Aaron mortuus est.* Jos. 24. 33. *Et sepelierunt eum in Gabaath Phinees filii ejus.* ubi Abulensis legit; *Et sepelivit eum in Gabaath filius ejus Phinees.* 44.

Pater sepultus à filiis.

Tametsi multa exempla sint in profanis voluminibus, ubi filii sepelierunt suos patres hic tamen illo solo utor, quod affert Valerius Maximus lib. 7. c. 1. *Quintum Metellum ultima senectutis spatio defunctum, lenique genere mortis inter oscula complexusque charissimorum pignorum extinctum, filii, & generi humeris suis per urbem latum, rogo imposuerunt.* Idipsum referunt Plinius l. 7. c. 44. Et Vellejus l. 1. cum aliis.

LUMINA REFLEXA
EX LIBRO JUDICUM.

CAP. I. ỹ. 1.

45. POstquam generosissimo Belliduci Josue defuncto à gemebundis Israëlitis persoluti sunt honores funebres; moliebantur immenso huic populo providere Principem, qui illum gubernaret; & Belliducem, qui exercitum dirigeret, ac in medio copiosorum & barbarorum hostium promoveret ad victorias; unde humilem suam fiduciam collocarunt in Deo, eumque precati sunt, ut dignaretur ipsos sua directione illustrare, ac providere. *Post mortem Josue consuluerunt filii Israël Dominum dicentes: Quis ascendet ante nos contra Chananæum, & erit dux belli?* Iudic. 1. v. 1.

Deus ante operationes nostras invocetur.

Plinius testatur, operationes nostras non posse melius dirigi, nisi favore divino à nobis invocato. Unde in suo Panegyrico ait; *Bene ac sapienter majores instituerunt, ut quemadmodum rerum agendarum, ita dicendi initium à precationibus caperetur, quod nihil ritè, nihilque providenter homines sine Deorum immortalium ope, consilio, honore auspicarentur.* Id quod omnium maximè fieri debet, quando agitur de exercitu dirigendo, cùm hoc sit summi momenti ac gravissimarum consequentiarum negotium. *Neque enim*, inquit Leo Imperator cap. 2. Tactic. n. 3. *numero hominum, neque importuna audacia, neque sola consultatione bella conficiuntur, sed secundum voluntatem Dei arte bellicâ, & Imperatoriis factis, & consiliis bene administratis, cum quadam exercitus alacritate, bella prosperè succedere solent.*

CAP. I. ỹ. 3.

46. QUamprimum Judas divino oraculo declaratus fuit supremus belli Præfectus, & nobilis Bellidux exercitus Hebræi; in honoris ac gloriæ suæ partem vocavit fratrem suum Simonem, ut aggrederetur hostem, & gauderet victoriis. *Et ait Iudas Simeoni fratri suo: Ascende mecum in sortem meam, & pugna contra Chananæum, ut & ego pergam tecum in sortem tuam.* Iudic. 1. v. 3. Ita hi boni fratres, sive sanguinis, sive amoris impulsu, mutuis brachiis & auxiliis ad omnem felicitatem & celsitudinem sunt progressi.

Fraternum & mutuum auxilium.

Stobæus de Amore fraternit: cap. 84. *Omnibus viribus annitendum est, ut fratribus decenter utamur. Magis enim, quam partes corporis ad auxilium mutuum fratris compositi esse videntur. Si quidem oculi simul aliquid intuentur, uterque alteri præsens; & manus præsenti manui subvenit: fratrum verò opera mutua multo latius patet: negotia enim communia peragunt, & commoda sua invicem promovent.*

CAP. I. ỹ. 6.

47. ADonibezeccus in prælio non solùm perdidit honorem victoriæ, sed etiam libertatem; ductus in captivitatem ab Israëlitis, qui ipsi partem manuum ac pedum detruncarunt, ac inhabilem tam ad prælium, quam ad fugam reddiderunt. *Fugit autem Adonibezec: quem persecuti comprehenderunt, cæsis summitatibus manuum ejus ac pedum.* Iudic. 1. v. 6. id est, *cæsis pollicibus* ut ex textu Hebræo desumunt Nicolaus Lyranus, Pagninus, Vatablus, & Cajetanus.

Digitorum pollices præcisi.

Hujus supplicii genere multi Gentiles usi fuerunt. Suetonius in vita Augusti c. 24. refert; *Equitem Romanum duobus adolescentibus, causâ detrectati sacramenti, pollices amputasse.* Valerius Maximus lib. 9. cap. 2. *Civitas Atheniensium, indigno gloria sua decreto, Æginensium juventuti pollices abscidit.* idque, ut ait ille, vel; *ut classe potens populus, in certamen maritimarum virium secum descendere nequiret.* Vel certe ut scribit Ælianus lib. 2. Var. Hist. *ne hastam ferre posset.* Vulcatius Gallicanus de Avidio Cassio ait; *Multis desertoribus* (militibus fugitivis) *manus excidit: aliis crura incidit, ac poplites, dicens, majus exemplum esse viventis miserabiliter criminosi quàm occisi.*

CAP. I. ỹ. 7.

EXcessiva fuit superbia Adonibezecci, qui indignissimâ contumeliâ integram Principum turmam sub mensa sua tenuit, eosque instar canum cōegit, ut projectos ante se cibos colligerent ac comederent. *Septuaginta Reges, amputatis manuum ac pedum summitatibus colligebant sub mensa mea ciborum reliquias.* Iudic. c. 1. v. 7. 48.

Antiquis temporibus, prævalente adhuc summâ simplicitate, tam Romani, quam Græci adhibebant nonnunquam servos suos ad propriam mensam. Ita docent Athenæus lib. 14 Dipnosoph: cap. 17. Macrob: lib. 1. Saturn: c. 12 Seneca Epist: 47. & alii. At crescente postea fastu, fuêre servi jussi stare ad mensas Dominorum, ac pasci reliquiis, è tabula delapsis. Unde Seneca lib. *In Sapientem non cadere injuriam*; cap. 14. ait; *Non accipiat ergò sapiens contumeliam, si obscænorum vocibus improbis per forum agitetur? si in convivio Regis recumbere infra mensam, vescique cum servis ignominiosa officia sortitis jubebitur.*

Servi ad mensam Dominorum.

CAP. I. ỹ. 7.

CUm Adonibezeccus videret manuum ac pedum suorum extremos articulos præcisos, mox recordatus est, quod etiam ipse eodem modo crudeliter mutilaverit alios Principes ac Reges; sicque justa Dei vindicta cum ipso agat eo prorsus modo, quo ipse agebat cum aliis. 49.

Pœna talionis.

Si-

Sicut feci, ita reddidit mihi Deus. Judic. 1. v. 7. Hæc nimirum est sententia Spiritûs Sancti Sap. 11. v. 7. *Per quæ quis peccat, per hæc etiam torquetur.* Jes. c. 33. v. 1. *Væ qui prædaris, nonne & ipse prædaberis? & qui spernis, nonne & ipse sperneris?* Et Apoc. c. 13. v. 10. *Qui in captivitatem duxerit, in captivitatem vadet: qui in gladio occiderit, oportet eum gladio occidi.*

Pœnam talionis frequenter videmus peccatoribus impositam. Valerianus Imperator, quia conculcavit Religionem Christianam, experiri debuit Saporis, Persarum Regis, pedes collo suo impositos, & scabelli loco deservire, quando Rex volebat conscendere equum. Constantino Imperatori fuêre ab Irene, ipsius matre, effossi oculi eo ipso die, quo ille ante quinque annos excæcaverat Nicephorum, suum avunculum, sub prætextu affectati imperii. Leontius Imperator ab Alvimaro truncatus est naso, & exutus Imperio, quia & ipse similiter Justiniano Rhinotmeto & nasum & imperium abstulit, ut refert Zonaras Tom. 3.

CAP. I. ỳ. 12.

50. CAleb, Belli dux æquè prudens ac fortis; ut suos stimularet ad auspicandum assultum & victoriam hostilis civitatis Cariath Sepher; promisit ei, qui grandi huic expeditioni se accingeret, insignis mercedis loco nuptias cum propria sua filia: probè gnarus, quòd remuneratio laboris ante oculos posita, & spes promissi præmii adipiscendi miro modo roboret ac excitet humanum pectus. *Dixitq; Caleb; qui percusserit Cariat Sepher, & vastaverit eam, dabo ei Axam filiam meam uxorem.* Judic. 1. v. 12. Nam, ut ait S. Ambrosius lib. 1. de Cain. cap. 4. *apud ignavos nulla sunt insignia virtutis, apud sapientes prima habentur.*

Spes præmii roborat.

Onosander de re militari cap. 90. *Ubi honor fortibus viris habetur, pœnaq; non negliguntur ignavorum, ibi bona spe complere exercitum necesse est: alios enim metus à peccatis deterret, alios ad fortia facinora ambitio impellit.* Cassiodorus lib. 7. Var. 30. *Æquitati convenit, ut unusquisq; ad fructum militiæ emenso tempore debeat pervenire, & laboris recipiat præmium in compensatione meritorum.* Socrates interrogatus; *Quænam civitas ritè gubernari possit?* respondit; *Cùm boni invitantur præmiis, injusti dant pœnas.*

CAP. I. ỳ. 12.

51. UT prudens Caleb generosos suos milites alliceret ad pericula & labores Martis libenti animo sustinendos, proposuit eis mercedis loco delitias & voluptates Veneris in nuptiis Axæ, nobilissimæ suæ filiæ *Qui percusserit Cariath Sepher, & vastaverit eam, dabo ei Axam filiam meam uxorem.* Judic. cap. 1. v. 12. Saul, ut stimularet suos Israëlitas ad conflictum cum temerario Goliath, promisit ei, qui illum prosterneret, inter alias mercedes etiam nuptias Principis suæ filiæ. 1. Reg. 17. v. 25. Ita nimirum faces Hymenæi deserviunt ad concitandum calorem prælii.

Nuptiæ concitant ad prælium.

Videri possit, populus Caramaniæ ex hâc scriptura collegisse suas leges; dum nulli permiserunt ducere uxorem, nisi prius Regi attulisset caput alicujus hostis, sua manu occisi. Idipsum affirmat Herodotus lib. 4. *Apud Sauromatas nulla Virgo nubit, priusquam aliquem hostium interemerit.*

CAP. I. ỳ. 13. &c.

ALiam mercedem ei, qui armis superaret civitatem Cariath Sepher, non promisit Caleb, 52.
nisi nuptias filiæ suæ Axæ; idque etiam in opus redegit, quando finita expeditione, Othoniel victor lætos hymenæos duxit cum illa Virgine. *Cumque cepisset eam Othoniel — dedit ei Axam filiam suam conjugem* Judic. 1. v. 13. insuper congruæ dotis loco accepit certam quantitatem terræ, uti legitur num. 15. Et tamen necdum contentus, interposuit preces & astutias sponsæ, ut à patre obtineret agrum magis fertilem ac pretiosum. *Quam pergentem in itinere monuit vir suus, ut peteret à patre suo agrum.* n. 14. Ita nimirum humana cupiditas nunquam satiatur primis, sed semper novis, novisque bonis inhiat.

Cupiditas humana.

Inexplebilem hujus cupiditatis passionem explicat Seneca lib. 7. de Benef. cap. 26. *Aspice quemadmodum immensæ hominum cupiditates hient semper, & poscant: non miraberis ibi neminem reddere, ubi nemo satis accipit.*

CAP. I. ỳ. 15.

CUm uxor Othonielis, Axa, dotis loco accepisset quosdam fundos, aquarum beneficio destitutos, ardentibus precibus à patre suo Caleb obtinuit alios, qui abundè irrigari poterant. 53.
Da mihi benedictionem, quia terram arentem dedisti mihi: da & irriguam aquis. Dedit ergò ei Caleb irriguum superius, & irriguum inferius. Judic. c. 1. v. 15. de quo facto Josue cap. 15. v. 19.

Aqua petita ad irrigandum.

Quod Axa petiit à suo patre; Martialis petiit à Domitiano Imperatore, cui obtulit sequens Epigramma, quod reperitur lib. 9. & est 19. in ordine.

Est mihi, sitque precor longum te Præside, Cæsar
Rus minimum, parvi sunt & in urbe Lares.
Sed de valle brevi, quas dat sitientibus herbis
Curva laboratas antlia tollit aquas.
Sicca domus queritur nullo se rore foveri,
Cùm mihi vicino Martia fonte sonet.
Quam dederis nostris, Auguste, penatibus undam,
Castalis hæc nobis, aut Jovis imber erit.

CAP. II. ỳ. 4.

POstquàm Angelus, visibiliter apparens, Israelitis exprobravit inobedientiam, quòd, transgressores divinorum mandatorum, fœdus inierint cum Gentilibus Chananæis; postquàm insuperiis insinuavit, quòd istud fœdus esset futurum summo Hebræorum detrimento, & ex idolorum veneratione gravissimus iis immineret interitus; illi tam culpæ suæ conscii, quàm pœnarum minis territi, in amarissimos planctus proruperunt. *Cumq; loqueretur Angelus Domini hæc verba ad omnes filios Israel; elevaverunt ipsi vocem suam, & fleverunt.* Judic. 2. v. 4 Proinde eo momento se conspiciendum dedit Angelus, tanquam gloriosissimus cœli Empyrei Princeps, quando populus versabatur inter planctus & suspiria. 54.

Princeps inter populum plangentem.

Huic non absimile est, quod refert Sabellicus lib. 7. cap. 4. Cùm Augustus inter Virgilium mo-

mœstum ac suspirantem; & Horatium mœrore vultûs ac oculorum lachrymis afflictum sedens repertus esset; interrogatus, *quid ageret?* respondit, *sedere se inter suspiria & lachrymas.*

CAP. III. ℣. 1. &c.

55. TAmetsi Hebræi in terra Chananæa insignes obtinuerint victorias, multasque civitates ac terras recuperârint; at verò quantumvis fuerint fortes ac validi, non tamen omnes barbaros illarum provinciarum potuerunt extinguere; quia multos eorum servavit divina providentia inter Israëlitas, sive ut servirent instar carnificum ad castigandos Hebræos, si fortè peccatum aliquod committerent, sive ut calcaris loco essent, ac Hebræos suis persecutionibus ad invocandum Deum concitarent; sive ut juvarent colere terras illas, quibus colendis populus Hebræus non sufficiebat; sive denique, & quidem singulariter, ut barbarorum illorum scholis instructi Hebræi, discerent tractare arma tam in propriam defensionem, quàm ad dilatandas provincias acquisitas. *Hæ sunt gentes, quas Dominus dereliquit, ut erudiret in eis Israëlem, & omnes, qui non noverant bella Chananæorum: ut postea discerent filii eorum certare cum hostibus, & habere consuetudinem prœliandi.* Judic. cap. 3. v. 1. &c.

Hostis est cos nostræ virtutis.

Cùm in senatu Romano consultaretur, an evertenda esset Carthago; Cato quidem suasit ut destrueretur, tanquam nimis infesta Romanis; contra verò Scipio Nasica consuluit, ut integra servaretur pro militari exercitio juventutis, & cote militis Romani. Hac enim ratione calori, frigori, fami, vigiliis, cæterisque bellicis incommodis assuefactos, quibusvis occasionibus servire posse bono publico. Ita etiam Spartani, cùm ipsorum Rex de evertenda quadam hostili civitate ageret; nullo modo id permittere voluerunt; cum dicto, *Noli abolere cotem juventutis nostræ.* Cæl. Rhodig. l. 27. c. 1.

CAP. III. v. 15.

56. INter præstantissimos viros, qui judicabant Israëlitas, fuit Aod; Iste ob multas prærogativas dignissimus princeps ac caput populi adeò grandis, à sacris litteris deprædicatur, quod fuerit ambidexter, utens nimirum æquè sinistra manu, ac dextera. *Clamaverunt ad Dominum: qui suscitavit eis salvatorem vocabulo Aod, filium Gera, filii Jemini, qui utrâque manu pro dextera utebatur.* Judic. 3. v. 15.

Ambidexter.

Hanc prærogativam, miris modis utilem militi, qui ambabus manibus dimicare potest, Homerus l. 2. Iliad. celebrat in Asteropeo; additque hanc rationem, quòd sit inditium insignis roboris ac vigoris. Unde Galenus in Aphoris. 7. Hippocratis ait: *Viri quidem ambabus manibus ut dextris utentes sæpè visi sunt, fœmina verò hactenus nulla.* Proinde Plato, referente Aristotele lib. 2. Politic. suasit, ut homines singulari studio curent fieri ambidextri, quia aptiores sunt ad exercitia militaria, impetraturos id autem consuetudine; cùm manus sinistra, multis exercitationibus agitata, tandem fiat dexteræ similis & ad militiam utilis.

CAP. III. ℣. 15.

57. CUm Israëlitæ octodecim annorum spatio durissimè opprimerentur à tyrannide Eglon, Regis Moabitarum; ex una parte recurrerunt ad Deum, implorando supremum ipsius auxilium; ex alterâ verò miserunt Regi aliqua munera, quæ essent inditium suæ subjectionis, & instrumentum ad emolliendam illius duritiem. *Miseruntque filii Israël per Aod munera Eglon Regi Moab.* Judic. c. 3. v. 15. Quòd munera afferantur Principibus in signum tributariæ obedientiæ ac servitutis, demonstratur etiam clarè lib. 3. Reg. c. 4. v. 21. ubi scribitur; *Salomon autem erat in ditione sua, habens omnia regna à flumine terræ Philistiim usque ad terminum Ægypti: offerentium sibi munera, & servientium ei cunctis diebus vitæ ejus.* Ita quoque Magi, profecti ad inveniendum Salvatorem recens natum, in suæ obedientiæ argumentum; *apertis thesauris suis obtulerunt ei munera, aurum, thus, & myrrham.* Matth. 2. v. 11.

Munera sunt inditium subjectionis.

Consuetudo afferendi Regibus munera in signum subjectionis, ubique invaluit. Leges Persiæ adstringebant cunctos subditos ad munera, Regi offerenda, quando circuibat visitans regnum; ut observat Cælius Rhodiginius lib. 13. c. 16. Unde pauper quidam bubulcus, cùm aliud non haberet, donavit urceum, plenum aqua, quam manibus hauserat è vicino fonte. Apud Parthos, ut refert Seneca Ep. 17. *Nemo Reges salutare poterat sine munere.* In Japonia singulis annis Principes ac Satrapæ provinciarum reverentur suum Monarcham, & allatis muneribus ei se subjectos declarant. Unde factum est, ut ait Eusebius Cæsariensis lib. 4. de Vita Constantini. c. 8. *Ut frequentes undique ex omnibus gentibus Legati adessent, secumque pretiosa dona ad Imperatorem afferrent.*

CAP. III. ℣. 16.

AOd, declaratus Judex & caput populi Hebræi, cùm sufferre non posset, subditos suos ab Eglon, Rege Moabitarum, tanta tyrannide affligi, decrevit per mortem illius Barbari oppressos suos Israëlitas in libertatem restituere. Unde *fecit sibi gladium ancipitem &c. & accinctus est eo subter sagum &c.* Judic. 3. v. 16. ubi notandum est, quod Aod gladium illum non comparaverit, sed ipsemet elaborârit: asserente sacro Textu; *fecit sibi*; prout etiam in hunc locum observat Cornelius à Lapide; *forte Aod ipse fuit faber, eumque sibi fabricavit.* 58.

Princeps faber.

Neque inauditum est, quòd Aod fuerit Princeps populi, & simul se oblectaverit arte fabrili; cùm notum sit, Marium, insignem Ducem Romanorum, fuisse fabrum; unde aliorum insidiis circumvento ac occiso, dictum fuit ab occisore; *Hic est gladius, quem ipse fecisti.* Ita narrat Trebellius Pollio l. de triginta Tyrannis c. 7.

CAP. III. ℣. 27.

INsignis fuit victoria, quam Aod, Princeps Israëlitarum à Moabitis obtinuit, occisis circiter decem millibus; & certè videri possit, quòd milites fuerint ad vincendum animati ab exemplo supremi sui Belliducis, qui liberè è fronte sui exercitus progrediens, eos ad prælium incitavit. *Descenderuntque cum eo filii Israël, ipso in fronte gradiente. Qui dixit ad eos, sequimini me.* Judic. 3. v. 27. Similimodo Gedeon, superaturus Madianitas, primus aggressus est hostium propugnacula; sicque Hebræos coëgit, ut ipsius exemplum sequerentur. *Quod me facere videritis, hoc facite. Ingrediar partem castrorum, & quod fecero, sectamini.* Judic. 7. v. 17. Ita Abimelechus, incensurus quam- 59.

Exemplum Principis multùm operatur.

quamdam turrim Sichemitarum; *Arreptâ securi præcidit arboris ramum, impositumque ferens humero, dixit ad socios; quod me vidistis facere, citò facite.* Judic. 9. v. 48. Sicque priusquam mandaret, quid alii deberent laborare; ipsemet laboravit; ut milites eum promptius imitarentur, stimulumque acciperent non tantùm voce commendantis, sed longè magis exemplo ac opere Belliducis.

Omnes Belliduces, qui seriò cupiebant insigniri victoriis, milites suos incitârunt exemplo. Adrianus, referente Dione Cassio, animosè præcedabat suos milites. Alexander Severus, ut notat Lampridius, progrediebatur ante suum exercitum. Cato cum exercitu degens in Africa, teste Lucano lib. 9. ita exhortabatur suos milites;

— — — Primus arenas
Ingrediar, primusque gradus in pulvere ponam.
Me calor æthereus feriat: mihi plena veneno
Occurrat serpens; fatoq; pericula vestra
Pratentate meo. &c.

Et quod se facturum promiserat, executus est exactè; cui subjungit Poëta;

Ipse manu sua pila gerens, præcedit anheli
Militis ora pedes; monstrat tolerare labores,
Non jubet. &c.

CAP. III. ℣. 31.

60. SAmgar, tertius in ordine, paucorum mensium spatio sustinuit munus Judicis & principis apud populum Hebræum; nihilominus se præclarum reddidit mirabili expeditione; dum propria manu, ut observat Abulensis, occidit sexcentos hostes, nullis aliis armis usus, nisi vomere aratri, quo secabat & volvebat terram. *Percussit de Philisthiim sexcentos viros vomere.* Judic. cap. 3. v. 31.

Vomer instrumentum prælii.

Quod vomer, aratri ferrum, etiam Gentilibus servierit instrumenti loco ad prælium, demonstrat vetus proverbium; *Infige plagam ab aratro*; id est, *impinge vomerem.* Unde Pausanias Heliacorum lib. 6. refert, quemdam Glaucum, cùm in ætate juvenili araret terram, & subitò vomer ab aratro decideret, dextera manu usum esse instar mallei, sicque vomerem pristino loco restituisse. Hoc videns ipsius pater, cogitavit juvenem ducere ad certamina Olympica; ubi tamen, cùm artis gymnasticæ parùm peritus, ab adversario vinceretur; pater ad ipsum clamavit; *Impinge vomerem*; qua voce animatus juvenis, obtinuit non tantùm illam, sed plures alias insignes victorias. Ita refert Collector Adagiorum, ex quo id desumpsit P. Cornelius à Lapide in hunc locum.

CAP. V. ℣. 14.

61. INter generosissimas & resolutissimas actiones, quæ unquam de fœminis antiquis jactari poterant, fuit illa Jahelis; quæ virili brachio, & leonino pectore malleum incussit ferreo clavo, & Sisaræ caput perforavit, sicque supremum exercitus Ducem interfecit; qua morte à tyrannide & militaribus violentiis redemit tremebundos suos Israëlitas. Et tamen grandis hæc Amazon, post factum adeò heroicum, nec ambit triumphos, nec aspirat ad publicas ostentationes aut laudes populares; sed conclusa in tabernaculo suo, gaudet solitaria quiete. *Benedicta inter mulieres Jahel uxor Haber Cinæi, & benedicatur in tabernaculo suo.* Judic. 5. v. 14.

Victrix modesta.

Cum modestia Jahelis optimè convenit Aretaphila, de qua Plutarchus lib. de Virtut. Mulierum. Hæc enim, cùm patriam suam Cyrenem liberâsset à sanguinariis violentiis truculentissimi tyranni Nicocratis, in numerum magistratus recepta est, potuitque particeps esse publicorum negotiorum, ac primis Reipublicæ dignitatibus gaudere; *Tanquam si variam, & multis constantem partibus in theatro fabulam usq; ad coronæ donationem peregisset. simulatq; liberam esse vidit civitatem, continuò in Gynæceum sese recepit, omniq; rebus tractandis se admiscendi repudiato studio, reliquum ætatis inter stamina cum amicis & familiaribus exegit.*

CAP. V. ℣. 30.

62. OLim solebant supremi Belliduces ex fœminis in bello captis omnium nobilissimam & pulcherrimam seligere concubinam. De Sisara, Capitaneo prælii, scribitur Judic. c. 5. v. 30. *Pulcherrima fœminarum eligitur ei*; ubi textus Hebræus ait; *puella puellarum capiti viri*; id est, *lectissima & elegantissima Duci virorum*: ubi clara fit allusio ad Deuteronomii cap. 21. v. 10. dum omnium præstantissima inter captivas mulieres concessa fuit hostium victori, ut eam duceret uxorem.

Captivæ desponsatæ victoribus.

Horatius lib. 2. ode 4. cumulat multa exempla magnatum, qui fœminas captivas duxerunt uxores.

Serva Briseis niveo colore
Movit Achillem.
Movit Ajacem Telamone natum
Forma captivæ dominum Tecmessa.
Arsit Atrides medio in triumpho
Virgine raptâ.

Plutarchus summè commendat continentiam Alexandri Magni, qui filias Regis Darii, factas suas in bello captivas, ne quidem intueri volens, se ipsum privavit potissima rerum acquisitarum parte.

CAP. VI. ℣. 24.

63. CUm Gedeon videret se ab Angeli præsentia adjutum & confortatum, sibique ab eo promitti pacem ac salutem; gratissimo affectu in æternæ memoriæ tesseram construxit altare, illudque vocavit *Pacem Domini.* Verba sacri Textûs sunt; *Ædificavit ergò ibi Gedeon altare Domino, vocavitq; illud; Domini pax.* Judic. 6. v. 24. Simili affectu Jacob, liberatus timore fratris Esau, gloriæ Dei, sui liberatoris, fabricatus est altare. *Et invocavit super illud fortissimum Deum Israël* Gen. cap. 33. v. 20. id est, dedicavit ac consecravit illud Deo forti, Deo protectori, qui eum juvabat ac liberabat.

Altaria erecta gratitudinis loco.

Simili prorsùs modo videntur egisse Gentiles, dum ad honorem falsorum Deorum erexerunt altaria, eaque vanis illis Deitatibus *consecrârunt, cum hac inscriptione; Jovi victori, Minervæ sospitæ, Æsculapio servatori. &c.*

CAP.

CAP. VI. ℣. 32.

64. Gedeon, zelosus honoris divini, destruxit nocturno tempore tam altare, quàm lucum, plantatum in honorem idoli Baal Judic. 6. v. 27. Cùm verò factum istud innotesceret Idololatris, & scirent, Gedeonem esse illius authorem, locuti sunt ipsius patri, eumque rogârunt, ut Gedeonem, filium suum, ipsis traderet, occidendum, tanquam inimicum Deorum; quibus respondit pater; si Baal iste est verus Deus omnipotens, defendat propriam causam, & ipsemet vindictam sumat de suis hostibus. *Ulciscatur se de eo Baal, qui suffodit aram ejus.* Judic. c. 6. vers. 32.

Idola nihil valent.

Gentiles jactant divinitatem & potentiam idoli Tostani unde Wolfredus, postea clarissimus Sueciæ Martyr, Idololatrarum copiosis turbis prædicans, dixit; *si potens est Deus vester Tostan, se vindicet;* unaque apprehendens securim, simulachrum in centum frustra comminuit. unde à circumstantibus confossus innumeris ictibus, vitam heroicè terminavit. Cranzius Metropol. lib. 4. c. 8.

CAP. VI. ℣. 36.

65. Nemo in sacris litteris adeò est alienigena, qui nabundè sciat duo signa, quæ Gedeon, plenus fiducia & gaudio, à Deo petiit; imprimis ut lana seu vellus, in medio areæ positum, impleatur rore, & totâ terra circumfusa maneat sicca & pulverulenta. Dein ut solum vellus maneat aridum & siccum, totaque circumfusa terra sit roscida. *Si salvum facis per manum meam Israël, sicut locutus es, ponam hoc vellus lanæ in area &c.* Judic. 6. v. 36.

Vellus Gedeonis.

Quemadmodum sacræ litteræ celebrant vellus Gedeonis, ita profani jactant aureum Jasonis vellus; finguntque, illum cum aliis validis heroibus, Castore, Polluce, Hercule, Orfeo &c. in Argonavi profectos esse in Colchidem, ut inde auferrent vellus aureum, seu lanam ac pellem arietis; de qua fabula prolixè disserit Natalis Comes in Mygthologia lib. 6. cap. 8. Simili modo tam ad vellus Gedeonis, quàm Jasonis respexisse videtur Philippus Bonus, Dux Burgundiæ, qui Anno 1430. instituit augustissimum Ordinem Equitum Aurei velleris; fuitque legibus ab eo sancitum, ut se opponerent machinationibus Maurorum & Mahumetanorum. De hoc S. Ordine agunt Annales ac Chronica Burgundiæ.

CAP. VII. ℣. 17.

66. Ad obtinendam contra Madianitas certam victoriam, non fuit contentus Gedeon, ut seligeret certum numerum generosorum militum, eisque provideret tubas & hydrias, repletas flammis; sed proposuit se ipsum imitandum cunctis, persuasitque suis asseclis, ut idipsum facerent, quod à se fieri cernerent. *Quod me facere videritis, hoc facite.* Judic. 7. v. 17. idest; si ego inflavero meam tubam, etiam vos inflate vestras: si elevavero sonoras voces, etiam vos clamate; si vas meum fregero, etiam vestra confringite; si manu mea sinistra sustulero lampadem, etiam vestras faces levate; si contra hostem progressus fuero, etiam vos audacter illum aggrediamini. Huc reflectens S. Ephræm Syrus Epist. ad Joannem Monachum dicebat; *Rectè agis, exemplum bonorum operum te ipsum præbens, & potissimùm fratribus, qui tecum habitant, secundum eum qui habet: A me videbitis, & sic facietis.*

Exemplum majorum.

Non est machina magis valida ad subditos in quocumque negotium pertrahendos, quàm exemplum Principis. *Vita principis censura est, eaq; perpetua;* inquit Plinius in Paneg. *ad hanc dirigimur, ad hanc convertimur; nec tam imperatore nobis opus est, quàm exemplo.* Onosander Stratag. cap. 42. *Si quid subitò confici optet: imperator primus ipse manu operi admota conspiciatur. Neque enim militum vulgus adeò potentiorum comminationibus cogitur, atq; præstantium dignitate virorum exemplo verecundiam pulsantibus. Conspiciens enim aliquis ducem suum in re attrectanda, omnium principem, festinandum esse animadvertit, cessare erubescit, imperatuq; non parere videtur: nec jam ut servus, aut imperio subditus, sed commilitonis instar ad opus quoq; provocatus accedit.*

Unde Claudianus in 4. Consul. Honorii introducit Imperatorem Theodosium, principi suo filio ita suadentem;

Calcatur si nigra palus, tuus antè profundum
Pertentet sonipes; fluvios tu protere cursu
Hærentes glaciæ, liquidos tu scinde natatu.
Nunc eques, in medias equitum te confere turmas.
Nunc pedes assistas pediti; tum promptius ibunt
Te socio.

CAP. VII. ℣. 18.

Gedeon durante prælio persuasit suis militibus, ut alta voce invocarent Deum, & pronuntiarent nomen illius Belliducis, qui à Domino Exercituum erat constitutus minister; hoc enim modo habituros certum victoriæ præsagium. *Quando personuerit tuba in manu mea, vos quoq; per castrorum circuitum clangite, & conclamate Domino, & Gedeoni.* Judic. 7. v. 18. 67.

Deus invocatus ante prælium.

Eodem modo utuntur Poloni & Hungari, qui, veluti milites Gedeonis, priusquam ad prælium accingantur, invocant nomen Jesu Salvatoris; & Hispani nomen S. Apostoli Jacobi; sicque recurrendo ad auxilium Dei ac sanctorum, sæpius obtinent ab hostibus suis raras & insignes victorias.

CAP. VII. ℣. 19.

Madianitarum numerus in prælio erat quasi innumerabilis; & tamen Gedeon, nonnisi trecentis militibus stipatus, omnes illos turbavit ac interfecit. Nam inter media noctis silentia illorum castra ingressus, aëremque trecentarum tubarum sonitu, & totidem collisarum hydriarum fragore replens, barbaris persuasit, se inundari gravissimo militum Hebræorum exercitu. *Incipientibus vigiliis noctis mediæ, & custodibus suscitatis, cœperunt buccinis clangere, & complodere inter se lagenas.* Judic. 7. v. 19. 68.

Strepitus militaris ad terrendum hostem.

Astutia Belliducum sæpius docuit, magis terreri & fugari hostem strepitu & fragore excitato à paucis, quos numerabant in campo, quàm magnanimitate multorum sine illo. Priusquam Pompejus exercitum Mithridatis aggrederetur, referente Dione lib. 36. *Primùm tubicines omnes ex composito simul bellicum cecinerunt; tum milites, & reliqua omnis turba conclamârunt: isti*

(id est,

(id est, provisores annonæ, & servi stabularii) *lapides etiam ad ærea vasa* Simili stratagemate usa est Phredegundis Regina Galliæ; dum pro Clotario, suo filio, adhuc in tenera ætate constituto, bellum iniret; Illius enim milites singuli, ex mandato Landrici Belliducis, tenebant in manibus ramos arborum, & tintinnabulorum sonitu excitato, nocturno tempore terruerunt hostem ac in fugam egerunt. Aymonius l. 3. c. 81.

CAP. VII. ℣. 20.

69. QUando Madianitæ audierunt tubas clangentes, & collisarum hydriarum strepitum; terror non solùm pervasit illorum aures, sed etiam oculos; dum inter noctis umbras subitò viderunt in trecentorum hostium manibus trecentas ardentes faces seu fumigantes titiones; ut putàrint, totidem esse ex inferno prorumpentes furias, armatas flammis, & in ipsorum excidium concitatas. *Tenuerunt sinistris manibus lampades.* Judic. 7. v. 20. *Omnia itaq; castra turbata sunt, & vociferantes, ululantesq; fugerunt.* num. 21.

Exercitus vanis larvis fugatus.

Octavianus, postea Imperator, simili stratagemate territus à civibus Salonicensibus, cogebatur solvere hujus civitatis obsidionem. Ita refert Dion. lib. 42. *Mulieres demissis capillis, vestitu nigro indutæ, acceptis facibus, denique quàm maximè terribili habitu composita, media nocte ad castra oppugnantium accesserunt: metuq; exanimatis excubitoribus (quippe Dæmonum speciem illis exhibebant) omnibus simul locis castrorum ignem injecerunt, eas subsecuti viri multos & tumultu excitatos, multos etiam dormientes occiderunt: ita & castra, & stationem navium, quam Octavianus tenebat, confestim occupavêre.*

CAP. VII. ℣. 21.

70. EXercitus Madianitarum, in aciem progressus contra Hebræos, numerabat centum, triginta quinq; millia militum; & tamen Gedeon, magis armatus fide ac spe in Deum, quàm instrumentis militaribus; tenens in manibus festivas tubas, & hydrias ludicris ignibus plenas, solummodò cum trecentis militibus illos est aggressus, & fugavit, destruxitque. *Omnia itaque castra turbata sunt, & vociferantes, ululantesq; fugerunt, & nihilominus insistebant trecenti viri buccinis personantes.* Judic. 7. v. 21. adeoque experientia docuit, quòd *Non in multitudine exercitus victoria belli, sed de cœlo fortitudo est*; uti protestatur Judas Machabæus. 1. Mach. 3. v. 19.

Trecenti contra mille.

In historiis Gentilium celebratur valor Leonidæ, qui, veluti alter sæculi sui Gedeon, stipatus trecentis solummodò Spartanis, ad Thermopilas aggressus est numerosissimum exercitum Xerxis, factaque ingenti strage, eum generosè in fugam egit; dignus proinde, qui omnium Historicorum calamis deprædicetur.

CAP. VIII. ℣. 21.

71. FAstu adeo solemni ac superbo progressi sunt Barbari ad pugnæ campum; ut etiam cameli, ad vilissima officia, & sarcinas, aliaque impedimenta portanda destinati, exornati fuerint aureis medaliis, & cincti pretiosis monilibus. Unde Gedeon, victis Madianitis; *Tulit ornamenta, ac bullas, quibus colla regalium camelorum decorari solent.* Judic. 8. v. 21. Insuper militaris mercedis loco acquisivit ingentem cumulum aureorum inaurium, *absq; ornamentis & monilibus, & veste purpurea, quibus Reges Madian uti soliti erant, & prater torques aureas camelorum* v. 26.

Ornamenta pretiosa camelorum.

Pretiosa hæc ornamenta camelorum, à profanis calamis celebrantur in equis; qui erant exornati tapetibus purpureis, catenis è collo gemmeis; freno & lupato ex argento & auro factis. Virgilius. 7. Æneid. v. 476.

- - - - jubet ordine duci
Instratos ostro alipedes, pictisq; tapetis.
Aurea pectoribus demissa monilia pendent:
Tecti auro; fulvum mandunt sub dentibus aurum.

Athenæus lib. 4. repræsentat *argenteis ornamentis instructos equos.* Euripides, describens quosdam equos, canit:

Aurea autem bulla collum jugalium
Equorum claudebat nive candidiorum.
Pelta verò in humeris, figuris junctis aureis
Fulgebat. Gorgon verò veluti in Palladis clypeo
Ferrea, fronti equorum illigata,
Cum multis tintinnabulis terribilem sonitum edebat.

Claudianus in Epigram. conversus ad equum Theodosii, ita canit:

Accipe regales cultus, & crine superbus
Erecto virides spumis perfunde smaragdos.
Luxurient tumido gemmata monilia collo.
Nobilis auratos jam purpura vestiat armos. &c.

Aulus Gellius lib. 5. c. 5. de exercitu Regis Antiochi ait; *Equitatumque frenis, ephipiis monilibus, phaleris, præfulgentem.* S. Joan. Chrysostomus Hom. de Eleemos. *Equis aurea colli monilia circumdamus.* Et S. Basilius Hom. in Divites avaros; *Freni & cingula, & collaria, omnia argentea, omnia inaurata; tapetis purpureis ornantes equos velut sponsos.*

CAP. IX. ℣. 5.

PLus deplorandæ calamitatis, quàm festivæ satisfactionis reperiebatur in numerosa Gedeonis prole. Tametsi enim ex legitimo thoro genuerit septuaginta filios; alium tamen habuit illegitimum, è concubina natum, Abimelechum nomine, qui regnandi ambitione agitatus, thronum suum stabilire moliebatur supra fratrum cadavera, quos omnes impiissimè occidit. *Occidit fratres suos filios Jerobaal septuaginta viros* Jud. 9. v. 5. 72.

Fratricidium ex ambitione.

Hâc maximâ utuntur Imperatores Turcarum, soliti purpuram suam regiam tingere omnium fratrum sanguine. Inter alios Mahumetes, nominis hujus tertius, cùm regium sceptrum acciperet, octodecim fratres, & quadraginta concubinas Amuratis miserrimè interfecit. Simillimus tamen Abimelecho fuit Fraates, Regni Parthici usurpator, obscuris natalibus ortus ac etiam spurius, qui regnandi cupiditate occidit suos triginta fratres ac proprium patrem. Theatrum. Tit. Frater.

CAP. IX. ℣. 9.

OLea arbor, introducta ad celebrandas suas prærogativas, nullam aliam jactat, nisi insignem pinguedinem, qua non solum benefacit hominibus, quibus cibi, medicinæ, ac luminis loco deservit; sed etiam ipsimet Deo, ardens in lampadibus coram sacris altaribus. *Nunquid possum deserere pinguedinem meam, qua & Dii utuntur, & homines.* Judic. c. 9. v. 9. 73.

Olea pinguis.

Tametsi multis epithetis celebrari possit olea; Virgilius tamen singulariter ei attribuit

pin-

pinguedinem, & ficuti de arbore canit lib. 2. Georg. verſ. 85.

Nec pingues unam in faciem naſcuntur olivæ.

Ita de fructu olivæ Eclog. 5. v. 68.

Craterasq; duos ſtatuam tibi pinguis olivi.

CAP. IX. ℣. 10.

74. FRuctus fici tantam continent ſuavitatem, ut ex melle, ſaccharo, & nectare videantur compoſiti; unde arbor iſta non ſine ratione cognominatur mater partuum dulciſſimorum & ſuaviſſimorum. *Dixeruntq; ligna ad arborem ficum: veni, & ſuper nos regnum accipe: quæ reſpondit eis; Numquid poſſum deſerere dulcedinem meam, fructusq; ſuaviſſimos? &c.* Judic. c. 9. v. 10. &c.

Ficus fructus ſuaviſſimus.

Huc accommodatiſſima ſunt encomia, quæ Julianus Imperator dedit ficui. Epiſt. 24. ad Serap. *Homerus ille ſapiens cæteros fructus, partim ob magnitudinem, partim ob colorem, pulchritudine laudat, ſoli fico dulcedinis nomen attribuit: at ficus non ſolùm ſenſu eſt dulcis, verùm etiam odore antecellit &c.* & paulò poſt; *Quin & regales menſas ornat, atq; ad omnium conviviorum ornatum adhibetur: neque intritum, aut ſcriblita, aut panis dulciarius, aut denique aliud condimenti genus pari ſuavitate unquam reperitur: adeò mirabilis iſte cibus præ aliis omnibus.*

CAP. IX. ℣. 13.

75. MAgna eſt prærogativa vitis, quòd vinum, ab ipſa productum, non tantum in lege Moſaica oblatum ad victimas, ſed inſuper in nova lege transſubſtantiatum in ſanguinem Salvatoris, deſerviat laudi ac delectamento Dei; ſimulque humanas venas repleat vivaci calore, totumque hominem reſtauret, ac lætificet. *Numquid poſſum deſerere vinum meum, quod lætificat Deum & homines?* Judic. 9. v. 13. De eo dixit Eſdras lib. 3. c. 3. v. 20. *Omnem mentem convertit in ſecuritatem & jucunditatem, & non meminit omnem triſtitiam.*

Vinum lætificat.

Quòd vinum lætificet corda, dixit Virgilius Eclog. 5. v. 69.

Et multo imprimis hilarans convivia Baccho.

Horatius lib. 1. Carm.

- - *Vino pellite curas.*

Anacreon;

Ludam, ridebo, ſaltabo unà cum Baccho.

Eluit enim curas, inquit Seneca de Tranquill. c. 15. *& ab imo animum movet, & ut morbis quibusdam, ita triſtitiæ medetur: Liberq; non ob licentiam linguæ dictus eſt inventor vini, ſed quia liberat ſervitio curarum animum, vegetiorem & audaciorem in omnes conatus facit.*

CAP. IX. ℣. 23.

76. AD caſtiganda peccata Abimelecchi, hominis crudelis, facinoroſi, inimici Dei, & interfectoris fratrum; diſpoſuit Deus, ut inter ipſum & cives Sichem, à quibus communi conſilio erat electus princeps, concitarentur graviſſimæ diſcordiæ, ſicque ambo deſtruerentur. Id quod facet Textus innuere voluit his verbis: *Miſitque Dominus ſpiritum peſſimum inter Abimelech & habitatores Sichem: qui cœperunt eum deteſtari.* Judic. 9. v. 23. S. Auguſtinus quæſt. 44. Cajetanus, & alii opinantur; hunc ſpiritum fuiſſe Dæmonem, à Deo miſſum, ut inſtar carnificis caſtigaret iniquitatem hominum illorum ſceleratorum.

Dæmon ſeminat diſcordias.

Frequenter apud Poëtas reperiuntur furiæ infernales, miſſæ à Diis, ad turbandam mortalium pacem, eoſque ad bella concitandos. Hic ſufficiat allegare Virgilium lib. 7. Æneid. v. 324. ubi Juno;

Luctificam Alecto dirarum ab ſede ſororem
Infernisq; ciet tenebris: cui triſtia bella,
Iræque, inſidiæque, & crimina noxia cordi.

Et paucis interjectis;

Quam Juno his acuit verbis, ac talia fatur.
Disjice compoſitam pacem, ſere crimina belli,
Arma velit, poſcatque ſimul, rapiatque juventus.

CAP. IX. ℣. 45.

ABimelecchus, fatali odio cōtra civitatem Sichem concitatus, eam crudeliſſima obſidione infeſtavit, eamque armis ad deditionem cogens, non ſolùm omnes incolas interfecit, ſed in contemptûs, abominationis, & rabiei inditium, totam civitatem ſolo æquavit, ac ſale conſperſit. *Abimelech omni die ille oppugnabat urbem: quam cœpit, interfectis habitatoribus ejus, ipsâq; deſtructâ, ita ut ſal in ea diſpergeret.* Judic. cap. 9. v. 45. 77.

Civitas conſperſa ſale.

S. Hieronymus in Matth. cap. 5. ſcribit; *Urbes quaſdam ira victorum ſale ſeminatas, ut nullum in ipſis germen oriretur.* Abulenſis quæſt. 45. in Judic. refert, aliquot Hiſpaniarum Regna fuiſſe conſperſa ſale, utpote læſæ majeſtatis rea. Mediolanum, mea patria, ut ſcribit Sigonius de Regno Italiæ lib. 13. & 14. Anno Domini 1162. à Friderico Barbaroſſa fuit occupatum, everſum, ac ſale conſperſum; poſtea tamen ſtatim iterum plus quàm antea reſurrexit generoſum ac validum.

CAP. IX. ℣. 48.

ABimelecchus, turrim quandam Sichemitarum accenſurus, exercitum ſuum duxit ſupra vicinum montem, undique conſitum arboribus: *Et acceptâ ſecuri, præcidit arboris ramum, impoſitumq; ferens humero, dixit ad ſocios; Quod me videtis facere, citò facite.* Judic. c. 9. v. 48. Et certè hoc exemplum Belliducis ita fuit validum, ut omnes milites; *certatim ramos de arboribus præcedentes, ſequebantur ducem.* v. 49. 78.

Exemplum Belliducis.

Nunc me non detineo, ut demonſtrem, quantùm valeat exemplum Principis ad concitandos ſubditos in ſui imitationem: hic enim ſolùm agam de reciſis ramis, & diſſectis in ſylva arboribus. Et dum huic actioni unicè inhæreo, memini Virgilii, qui lib. 6. Æneid. v. 179. de conſtruendo Miſeni rogo canit:

Itur in antiquam ſylvam, ſtabula alta ferarum,
Procumbunt piceæ, ſonat icta ſecuribus ilex,
Fraxineæq; trabes, cuneis, & fiſſile robur
Scinditur: advolvunt ingentes montibus ornos;
Nec non Æneas opera inter talia primus
Hortatur ſocios, paribusq; accingitur armis.

Claudianus in 4. Conſul. Honorii, introducit Theodoſium Imperatorem, filio ſuo ita loquentem;

- - - *Solabere partes*
Æquali ſudore tuas: ſi collis iniquus,
Primus ini: ſylvam ſi cædere provocat uſus,
Ne pudeat ſumptâ quercum ſtraviſſe bipenni.

CAP. IX. ℣. 52. &c.

NIhil prorſùs juvabant Abimelecchum omnes proſperitates & gloriæ mundanæ, per totum 79.

totum vitæ cursum obtentæ. Postquam enim aquisivit Ducatum, suis fratribus debitum; postquàm promulgatus est Princeps, & supremus Belli Præfectus; postquàm denique armorum viribus expugnavit munitissimas civitates, obtinuitque stupendas victorias; annos suos conclusit indignissimo termino, occisus cujusdam miserabilis ac imbellis mulierculæ manu, & quidem eo tempore, quo expugnans aliquam turrim, putabat famam suam super æthera evehere. *Accedensq; Abimelech juxta turrim, pugnabat fortiter: & appropinquans ostio, ignem supponere nitebatur: & ecce una mulier fragmen molæ desuper jaciens illisit capiti Abimelech, & confregit cerebrum ejus.* Jud 9. v. 52. &c.

Abimelechus mortuus est, ex saxi frusto, à fœmina in caput ejus projecto. Simili modo Pyrrhum, celebrem Epirotarum Regem, occidit quædam mulier in Argo, jacto quodam tegulæ frusto in ejus caput. His jungi potest Hermannus Rex Saxoniæ, qui sub alieno habitu attendens expugnationi cujusdam propugnaculi, saxi ictu, per fœminam facto, exanimis cecidit, ut refert Aventinus lib. 5.

CAP. IX. ℣. 53. &c.

80. PRostratus lethali ictu Abimelecchus, non ita doluit, quòd impeditum cerneret victoriæ cursum, & violento jactu abreptum vitæ thesaurum, quam præ omnibus aliis æstimabat; sed ideò potissimùm erat afflictus, nulloque solatio mitigandus, quòd fœminæ manu interiret: unde armigerum suum anxiè rogavit, ut sua manu illum interficeret, sicque infamiam istam effugeret. *Una mulier fragmen molæ desuper jaciens, illisit capiti Abimelech, & confregit cerebrum ejus. Qui vocavit citò armigerum suum, & ait ad eum: evagina gladium tuum, & percute me: ne fortè dicatur, quòd à fœmina interfectus sum.*

Dedecus est vinci à fœmina.

Quantum dedecoris & ludibrii afferat, victum esse à fœmina, docet Virgilius lib. 11. Æn. v. 732. ubi Camilla ferociter pugnante, & contra milites Æneæ gloriosos progressus faciente, introducit Tarcontem, Belliducem Æneæ, in hæc verba suis militibus exprobrantem;

Quis metus, o nunquam dolituri, o semper inertes
Tyrrheni, quæ tanta animis ignavia venit?
Fœmina palantes agit, atq; hæc agmina vertit?
Quo ferrum? quidve hæc geritis tela irrita dextris?

De qua versu 789. in persona alterius belliducis subjungit;

Da pater hoc nostris aboleri dedecus armis.

CAP. X. ℣. 14.

81. IN pœnam idololatriæ fuerunt Israëlitæ subjecti barbaræ ac superbæ Philistæorum & Ammonitarum superbiæ. Cùm verò supplicarent Deo, ut eos gravi huic jugo subtraheret, ironica concessione & amaro sarcasmo respondit; *Ite & invocate Deos, quos elegistis, ipsi vos liberent in tempore angustiæ.* Judic. 10. v. 14.

Sarcasmus.

Talis omnino forma fuit observata l. 4. Æn.

I sequere Italiam ventis, pete regna per undas;
Et Juvenalis Sat. 12.

I nunc & ventis animam committe dolato
Confisus ligno.

CAP. XI. ℣. 3. &c.

82. JEphte in ætate juvenili ejectus à suis fratribus, potuit quidem amittere domum paternam, non verò generositatem ac spiritum, in pectore conceptum. Tametsi enim, utpote filius illegitimus, ab hæreditate paterna esset exclusus; propria tamen virtute ac magnanimitate ita factus est terribilis, ut congregaret ingentes cumulos militarium spoliorum: factus Dux hominum inopum at latrociniis deditorum, tantam sibi famam cum ipsis comparavit, ut tandem assumeretur in supremum Israëlitarum principem. *Congregati sunt ad eum viri inopes & latrocinantes, & quasi principem sequebantur.* Judic. 11. v. 3. & v. 5. *Majores natu de Galaad — dixerunt ad eum: Veni & esto princeps noster.* Etiam majestas regia Davidis innixa fuit hujusmodi sortis principio; Cùm enim ipsum persequeretur Saul, fugitivus & vagus in speluncis deserti occultabatur. *Et convenerunt ad eum omnes, qui erant in angustia constituti, & oppressi ære alieno, & amaro animo. & factus est eorum princeps, fueruntq; cum eo quadringenti viri.* 1. Reg. c. 22. v. 2.

Principia exigua habent magna incrementa.

Complures, ab Historiis deprædicati, cœperunt ab eventibus calamitosis ac desperabundis, perducti tandem ad supremam felicitatem. Arsaces ex principe latronum, factus est Rex Parthorum. Tamerlanes initia sua sumens à latrociniis, creatus est Rex Tartarorum. Viriatus, postquam ovium pastorem egerat, cum multis afflictis, exercuit in publicis viis latrocinia; tandem plurimis sociis congregatis, occupavit vastissimas provincias, & Dux exercituum quatuordecim annis bella gessit contra Romanos, semper ferè victor. Et licet Fabius Maximus concluserit cum Viriato pacem, hæc tamen absque ulla senatus utilitate erat. S. Antonin. in Chron.

Latrones erecti ad Regnum.

CAP. XI. ℣. 5. &c.

NUlla prorsus consideratione facta ad generositatem & insignem virtutem Jephte; 83.
non tantùm à fratribus ejectus fuit paterna domo, sed etiam à civibus Galaad, qui erant de tribu Manasse, coactus est è patria sua exulem agere; vagabatur innocens aliquo tempore proscriptus; cum vero Hebræi ab exercitu Ammonitarum graviter infestarentur, solemni legatione supplicârunt Jephte, ut conterraneorum defensionem susciperet, unaque eum declarârunt principem populi, & supremum exercitûs Præfectum. *Perrexerunt majores natu de Galaad, ut tollerent in auxilium sui Jephte.* Judic. 11. v. 5. *Dixeruntq; ad eum: Veni, & esto princeps noster, & pugna contra filios Ammon. Quibus ille respondit; Nonne vos estis, qui odistis me, & ejecistis de domo patris mei, &c.*

Exul revocatus.

Coriolanus, heroicarum virtutum miles, à Romanis indignè fuit in exilium ejectus. Cùm verò à Volscis armata manu opprimerentur; *Fastidiosus ille in æstimandis bonis suis populus, qui reo non pepercerat, exuli coactus est supplicare. Missi ad eum deprecandum Legati. Missi deinde sacerdotes &c.* Ita Valerius Maximus lib. 5. cap. 4. Idipsum contigit cum Furio Camillo, de quo Plutarchus de Fortun. Rom. circa finem ait: *Et quem antè rebus utens secundis, atque cristas erigens populus abjecerat atque oppresserat, eum conservatus & fractus à clade repetiit.* Simili modo homines mundani, quemadmodum tempore prosperitatis recedunt à Deo, eumque è cordibus suis proscribunt; ita in calamitatibus & angustiis anxiè ipsum quærunt & implorant. *In tribulatione sua manè consurgent ad me.* Oseæ cap. 6. v. 1.

CAP. XI. ℣. 15. &c.

84. Bellidux Jephte electus populi Hebræi bellidux, priusquam ad bellum progrederetur contra Regem Ammonitarum, legationem ad eum misit, & ut omni culpa immunis esset, nationis suæ nomine ei dici jussit; *Non tulit Israël terram Moab, nec terram filiorum Ammon.* Judic. 11. v. 15. Illa provincia, quam possidemus, non fuit à nobis ablata Ammonitis aut Moabitis, sed Regi Amorrhæorum Sehon, qui eam occupaverat, & postea nobis armorum vi cesserat. Quòd si ergò tu, O Rex, omne illud, quod possides, à Deo Chamos accepisse fateris; longè magis, *quæ Dominus Deus noster victor obtinuit, in nostram cedent possessionem.* v. 24. Tandem si jam trecentis annis habeamus pacificam possessionem, dominenturq; Israëlitæ *in cunctis civitatibus juxta Jordanem per trecentos annos.* v. 26. nec quisquam fuerit, qui nobis hanc possessionem turbaverit; cur tu nunc prætendis eam nobis eripere?

Legatio Jephte.

Præscriptio.

Cum hoc discursu Jephte magnam affinitatem habet responsum Lacedæmoniorum apud Isocratem in Archid. *Hanc colimus terram, ab Herculis posteritate datam. Delphico oraculo confirmatam, & incolis ejus bello superatis. Non vos latet, possessiones sive privatas sive publicas, præscriptione longi temporis confirmari. Messanam tenuimus amplius quatuor centum annos.*

CAP. XI. ℣. 30.

85. PRiusquam Jephte exercitum duceret contra Ammonitas, solemni voto se obstrinxit, offerendi Deo, si victoriam reportaret, illud vivens, quod ei in reditu ad patriam omnium primò veniret è domo sua obviam. *Votum vovit Domino dicens: si tradideris filios Ammon in manus meas, quicumq; primus fuerit egressus de foribus domûs meæ, mihiq; occurrerit revertenti cum pace à filiis Ammon, eum holocaustum offeram Domino.* Judic. 11. v. 30. &c. Et quia omnium prima ei occurrit unica ipsius filia, nihilominus decrevit, eam sacrificare.

Votum Jephte.

Huic eventui admodùm simile est, quod Ulysses Aldrovandes *in Asino* refert de Alexandro Macedone. Hic ab oraculo jussus offerre in sacrificium, quod ei primò veniret obviam; cùm videret pauperculum, qui ante se pellebat asinum, mox ad obedientiam oraculo præstandam, mandavit occidi hominem: at miser iste, causam edoctus, respondit, mortem hanc spectare ad asinum, non ad se, cùm jumentum illud præcessisset, & prius occurrisset Alexandro. Historiam, Jephte non absimilem, describit Plutarchus *in Parallelis.* Eriteus, bellum gerens contra Eumolphum, cùm certior fieret, se obtenturum victoriam, si propriam filiam victimæ loco interficeret; accepto ab uxore consensu, supra profanum altare jugulavit filiam. Candiæ populi ejecerunt Regem suum Idumæum, quòd è bello Trojano reversus, voluerit filiam suam, instar Jephte, offerre Diis in sacrificium.

CAP. XI. ℣. 39.

86. ADeò commiseratione ac dolore plenus fuit acerbus finis filiæ Jephte, ut in memoriam hujus innocentis virginis, quæ proprio sanguine tinxit altaria, omnes fœminæ totius provinciæ in lachrymas & planctus effusæ, statuerint quotannis celebrare anniversarium hujus dolendæ tragœdiæ. *Exinde mos increvit in Israël, & consuetudo servata est, ut post anni circulum conveniant in unum filiæ Israël, & plangant filiam Jephte Galaaditæ diebus quatuor.* Judic. 11. v. 39.

Planctus anniversarius.

Planctus harum virginum Israëliticarum non solùm occasionem dedit Samaritanis, Manasses, & Sichem, ut, teste S. Epiphanio Hæres. 55. & 78. adorarent filiam Jephte tanquam Deam, eique singulis annis offerrent sacrificia; sed videtur etiam incitâsse Gentiles ad plangendum Adonidem; cùm enim audirent, à puellis Hebræis in medio planctu sæpius repeti *Adonai*, seu nomen Dei; illæ hujus vocis significationem minus edoctæ, crediderunt, nominari Adonidem, & sic consueverunt plangere Adonidem.

CAP. XI. v. 39.

MEritis filiæ Jephte videbatur tributum nimis exiguum, si solus mortis ipsius dies perageretur inter affectuum demonstrationes; unde omnes puellæ Hebrææ decreverunt, singulis añis solemni ac funebri ceræmonia contribuere virgini adeò præclaræ, & fine tantoperè acerbo extinctæ, copiosas lachrymas. *Mos increvit in Israël, & consuetudo servata est, ut post anni circulum conveniant in unum filiæ Israël, & plangant filiam Jephte Galaaditæ* Judic. 11. v. 39. 87.

Lachrymæ anniversariæ.

De anniversariis his lachrymis, quas amicorum pietas debet defunctis, Ausonius canit in Parental. carm 24.

Qui latum ingenium, mores qui diligit æquos,
Quiq; fidem sancta cum pietate colit.
Paulini manes mecum veneratus, amicis
Irrores lachrymis, annua vota ferens.

Ab hoc more non recedit Ovidius lib. 3. Trist. Eleg. 3. loquens mulieri;

Tu tamen extincto feralia munera semper,
Deq; tuis lachrymis humida serta dato.
Quamvis in cinerem corpus mutaverit ignis,
Sentiet officium mœsta favilla pium.

CAP. XII. ℣. 3.

AD demonstranda gravissima pericula, quibus Jephte se ipsum exposuit, dum pro salute populi Hebræi occurrit furibundis Ammonitarum agminibus; ait, se eò deductum fuisse, ut portaret animam suam in manibus. *Posui animam meam in manibus meis, transiviq; ad filios Ammon, & tradidit eos Dominus in manus meas.* Judic. 12. v. 3. Hæc loquendi forma, ut docet S. Hieronymus apud Roam Singul. loc. 1. l. 1. c. 18. demonstrat evidens vitæ periculum; *quia quod manu gestatur, aut excidere facilè potest, aut in promptu est, ut eripiatur.* In hunc sensum Psal. 118. v. 109. *Anima mea in manibus meis semper, & legem tuam non sum oblitus.* veluti diceret; tametsi vivam in continuo periculo amittendi vitam per manum inimicam, non tamen possum distrahi à lege divina. 88.

Anima portata in manibus.

Idem loquendi modus fuit usitatus Xenarcho apud Athenæum. Hic exprobrans quorundam temerariæ impudicitiæ, qui non contenti fœminis gregariis, student abuti nobilioribus & in dignitate constitutis, nullis parcendo laboribus, sumptibus, ac periculis ad eas obtinendas; ait,

Quas nec licet videre, nec videntibus
Palam videre, semper & trementibus
Parentibus, in manuque animam gestantibus.

CAP. XII. ℣. 8.

CUm hac misera conditione in mundum nascuntur fœminæ, ut gaudeant paterna domo usque ad tempus nuptiarum; postea coguntur semper esse exclusæ, Sacer Textus Judic. 12. v. 8. clare id demonstrat; *Judicavit Israël Abesan de Bethleem, qui habuit triginta filios, & totid. m filias, quas emittens foras, maritis dedit: & ejusdem numeri filiis suis accepit uxores, introducens in domum suam.* 89.

Fœminæ excluduntur paterna domo.

Adeo

Adeoque permanserunt omnes masculi in paterna domo, fœminis ad alias exeuntibus. Ad hunc morem alludit psalmus 44. v. 11. *Audi filia &c. & obliviscere populum tuum, & domum patris tui.* Unde Sophocles in Tereo introducit pauperes, puellas, quæ communem hanc miseriam in hæc verba deplorant;

Cùm ad pubertatem devenimus hilares,
Ejicimur foras, atque divendimur,
Procul à Diis patriis, atque parentibus.

CAP. XIII. ℣. 5.

90. SAmson non solum grandis fuit in ætate adulta, quando se celebrem fecit prodigiis suæ fortitudinis; sed etiam grandis fuit, priusquam natus erat, utpote in cujus laudes Angeli composuêre encomia & panegyres. Inter primas ipsius prærogativas ista recensetur, quòd forfex aut novacula nunquam nocuerit illi comæ. quæ instar insignis coronæ semper debebat ipsius vultum cingere. *Concipies & paries filium, cujus non tanget caput novacula.* Judic. c. 13. v. 5. id quod etiam scribitur de Samuele 1. Reg. c. 1. v. 11. *Novacula non ascendet super caput ejus.*

Coma nutrita.

Ornamentum capillorum, pro majestate consecratorum Deo Nazaræorum reservatum, plurimum etiam à Gentilibus æstimabatur. Unde pro decore nutriebantur à Gallis, à quibus dicta est *Gallia comata*; à Græcis, quos Homerus cognominabat *crinitos Achæos*. Et à Romanis, qui ab origine suæ civitatis usque ad tempora Scipionis Africani vixerunt absque ulla rasura. Unde Plinius lib. 7. c. 59. scribens, tonsores è Sicilia perductos esse in Italiam Anno 454. post conditam Romam, clarè innuit, prioribus annis semper nutritam fuisse comam. Lycurgi expressa fuit lex, ut Spartani se conspiciendos præberent cum ornamento capillorum.

CAP. XIV. ℣. 6.

91. CApite 14. Judicum & sequentibus, describuntur operationes Samsonis, quarum initium sumpsit à ferocissimo leone, inermi manu discerpto. *Et dilaceravit leonem, quasi hœdum in frusta discerpens, nihil omninò habens in manu.* Judic. cap. 14. v. 6.

Samsonem imitantur Gentiles.

Complures autores testantur fabulas Herculis apud Gentiles desumtas fuisse ex operibus Samsonis. S. Philastrius lib. de Hæres. cap. 8. *Pagani fortes viros, ex Samsonis figura usurpantes, Hercules nuncupârunt.* S. Augustinus lib. 18. de Civit. Dei. c. 19. *Hebræorum judex Samson, cum mirabiliter fortis esset, putatus est Hercules.* Pererius in cap. 49. Gen. Prophetia 6 *Fuit talis revera Samson, robore corporis ac fortitudine animi, qualem fuisse Herculem ambitioso mendacio finxerunt Græci.* Et certè sicuti Samson occidit leonem, ita victor leonis fingitur Hercules. sicuti ille decipiebatur à Dalila, ita iste insaniebat apud Omphalem. Sicuti Samson obtinuit multas victorias contra Ascalonitas, Gazenses, & Philistæos; ita Hercules superavit hydras, Centauros, & stymphalides. Sicuti Samson repræsentatur cum columnis, ita ad Herculis gloriam jactantur duæ columnæ &c.

CAP. XIV. ℣. 8.

92. FUit certe admiratione digna observatio, quod apes aliàs horreant cadavera, ut scribunt Physici; & tamen examen apum diverterit in faucibus mortui, putridi, ac fœtentis leonis. *Declinavit* (Samson) *ut videret cadaver leonis, & ecce examen apum in ore leonis erat, ac favus mellis* Jud. c. 14. v. 8 Multi scriptores testantur, apes mellificasse in ore Platonis, Pindari, & S. Ambrosii, dum adhuc erant infantes & vivi. De S. Ambrosio in specie canit Baptista Mantuanus;

Apes in faucibus cadaveris.

Cùm puer in cunis olim dormiret, apertis,
Fortè labris, examen apum super illius ora
Sedit, & ingrediens buccas, tenerumque palatũ
Invenisse favis tectum se credidit.

Iisdem tamen alvearis loco deservierunt etiam crania, & capita mortuorum. Ita, teste Herodoto, in capite Onesili, Regis Cypri, fecêre apes suos favos. In sepulchro Hippocratis mel construxerunt apes, ut in ejus vita refertur. Similiter Augustinus Gallus in sua Agricultura narrat, quod Veronæ in Ecclesia S. Crucis Anno 1558. & 1562. mellificarint apes intra quoddam sepulchrum, ubi jacebant duæ virgines sorores, filiæ cujusdam Doctoris Legum, cui nomen Bartholomæi Vitalis; penetraruntque apes in sepulchrum illud per quamdam fissuram muri, quæ respondebat horto. &c.

CAP. XIV. ℣. 12.

CUm celebrarentur nuptiæ Samsonis, inter jubilos convivii proposuit suis convivis, 93.
magno numero accumbentibus, gratiosum ænigma seu problema; mos enim apud Hebræos erat, ut convivia condirent non tantum exquisitis cibis, sed etiam acutis quæstionibus. *Proponam vobis problema: quod si solveritis mihi intra septem dies convivii, dabo vobis triginta sindones.* Judic. c. 14 v 12.

Problema in convivio.

Non solum Hebræi, sed etiam Græci & Romani consuevere in conviviis proponere gratiosas quæstiones, ut quemadmodum corpus cibis, ita mens recrearetur eruditionibus; testantur id Plutarchus lib. 1. Sympos: quæst. 1. Quintilianus lib. 1. Instit. Tullius lib. 1. Tuscul: Plato in sermon: convival: Athenæus in Dipnosophistis; & Macrobius lib. 7. Saturnal: cap. 1. ait; *Non minus quam dulcedo vini, hilarant verba convivium. Et crateri liquoris ad lætitiam nati adhibenda non modo Nympharum, sed Musarum quoque admixtione, temperies.*

CAP. XIV. ℣. 18.

QUando Samson audivit solutum ænigma, à se propositum, statim advertit, se proditum ab infideli & impudica sua uxore Dalila; unde ad eam alludens respondit; *Si non arâssetis in vitula mea, non invenissetis propositionem meam* Judic. c. 14. v. 18. ubi nomine vitulæ exprimit mulieris illius impudicitiam; & verbo *arare* modeste insinuat actum inhonestum & carnalem.

Vitula est fœmina lasciva.

Authores profani nomine vitulæ, juvencæ, & vaccæ exprimunt fœminas lascivas. Ovidius Epist: 5. Oenone loquente de Helena;

Grata juvenca venit, quæ te, patriumque, domumque
Perdat: Io prohibe, grata juvenca venit.

Horatius lib. 2. ode 5. de quadam juvencula, necdum ad ætatem nubilem deducta, recurrit ad istam metaphoram;

Nondum subacta ferre jugum valet
Cervice: nondum munia comparis
Æquare, nec tauri ruentis
In Venerem tolerare pondus.
Circa virentes est animus tuæ
Campos juvencæ: nunc fluviis gravem

Solantis æstum, nunc in udo
Ludere cum vitulis salicto
Prægestientis &c.

Etiam verbo *arare* reperitur expressus actus venereus. Unde Plautus, agens de marito concubinario, dixit;

Fundum alienum arat, incultum, familiarem deserit.

CAP. XV. ℣. 4.

94. Vulpes copiosæ in Judæa. QUod Samson ceperit trecentas vulpes, non excedit humanam fidem; Imprimis enim supponi debet, Palæstinam his bestiis abundare (ut apparet ex multis locis S. Scripturæ) quæ sunt ita fœcundæ, ut teste Olao lib. 18 c. 37. in regionibus septentrionalibus reperiatur illarum numerus quasi infinitus: adhæc cum notabile damnum inferant illis terris, probabile est, Hebræos, & ipsum etiam Samsonem, calluisse artem quandam peculiarem, ac facilitatem eas capiendi; deinde credibile est, huic vulpium venationi interfuisse cum Samsone quosdam socios. His præsuppositis, mirum non est, quòd *cepit trecentas vulpes*. Judic. c. 15. v. 4.

Multæ venationes huic similes, imò magis copiosæ, reperiuntur peractæ à Principibus Romanis. Plinius l. 8. c. 16. ait, Lucium Silium in uno spectaculo produxisse Romæ centum jubatos leones, & postea Pompejum sexcentos, ac Cæsarem quadringentos. Vopiscus scribit, quòd Probus Imperator, triumphans de Germania, in circum deduxerit ac populo donarit *mille struthiones, mille cervos, mille apros, mille damas; ibices, oves, feras, & cætera barbarica animalia quanta vel ali potuerunt, vel inveniri*. Lampridius de Heliogabalo refert. *Jubebat sibi & decem millia murium exhiberi mille mustelas, mille sorices &c.*

CAP. XV. ℣. 4. &c.

95. SAmson cum trecentis vulpibus, à se captis, non solùm suæ provinciæ attulit notabile beneficium, præservando vineas à damno, quod vulpes iis intulissent; sed insuper vulpium caudis cum ardentibus facibus colligatis, gravissimum damnum creavit Philistæis, comburendo per hanc artem in eorum campis flavam ac jamjam maturam messem; imò non solum segetes, sed & vineas ac oliveta. *Cepit trecentas vulpes, caudasque earum junxit ad caudas, & faces ligavit in medio. quas igne succendens dimisit.* Judic c. 15. v. 4. &c *Quæ statim perrexerunt in segetes Philistinorum. &c*

Vulpes comburunt messem.

Romani inter alia festa mensis Aprilis, ubi in circo celebrabant ludos equestres, solebant etiam jungere vulpes, easque admotâ ardenti face comburere; idque ideò, quia aliqua vulpes ob occisas gallinas Carseoli condemnata ab illo ad rogum, inde se liberavit, & per campos circumcurrens, combussit spicas.

Tertia post Hyadas cùm luxerit orta remotas
Carcere partitos circus habebit equos.
Cur igitur missæ junctis ardentia tædis
Terga ferant vulpes, causa docenda mihi est.
Frigida Carseolis, nec olivis apta ferendis
Terra, sed ad segetes, ingeniosus ager.

Et post sedecim versus;

Filius hujus erat primo lascivus in ævo
Addideratque annos ad duo lustra duos.
Is capit extremi vulpem convalle salicti,
Abstulerat multas illa cohortis aves.
Captivam stipulâ, fœnoq; involvit: & ignes
Admovet, urentes effugit illa manus.
Qua fugit, incendit vestitos messibus agros,
Damnosis vires ignibus aura dabat.
Factum abiit, monumenta manent: nam dicere certam,
Nunc quoq; lex vulpem Carseolana vetat.
Utque luat pœnas hoc, Cerealibus ardet:
Quoque modo segetes perdidit: illa perit.

CAP. XVI. ℣. 3.

VAriis modis Samson heroicam suam fortitudinem demonstravit. Præcæteris tamen memorabile fuit, quando portas civitatis Gazæ sustulit, in quibus à Philistæis reclusus erat, easque in roboris sui trophæum supra vicini montis apicem humeris portavit. *Apprehendit ambas portæ fores cum postibus suis & sera, impositasque humeris suis portavit ad verticem montis*. Judic. 16 v. 3. 97. Portæ sunt tropheum militare.

Nicephorus Phocas Imperator, expugnatis Agarenorum civitatibus Tarso & Mopsvestiâ, reversus Constantinopolim, *portas earum urbium, artis excellentiam testantes, secum duxit, quas in arce sua, & ad ortum, & ad occasum statuit.* Laurent: Beyerlinck Theatr: Vit Human. Tit Spolia. Ex bellis, inter civitatem Paviam & Ravennam concitatis, Pavio ostentat equestrem statuam æream, nomine Regisolem, Ravennatibus ablatam; è contra Ravenna trophæi sui loco ostentat portas, è civitate Papiensi in suas plateas translatas.

CAP. XVI. ℣. 13.

QUantumvis importuna fuerit Dalila, ut ex Samsone intelligeret, qua corporis parte consisteret insignis ipsius fortitudo, & quo modo vinci ac enervari posset. Ille tamen semper admodum cautus ac providus, studuit ei illudere. Inter alia responsa etiam hoc illusorium ei dedit; *Si septem crines capitis mei cum licio plexueris, & clavum his circumligatū terræ fixeris, infirmus ero* Jud c. 16. 13. 98. Capilli licio ligati.

Apud Petronium Arbitrum reperitur historia adeò similis, ut videri possit, profanum illum authorem desumpsisse loquendi occasionem ex his sacris litteris *Illa de sinu*, inquit in suo Satyrico, *licium protulit varii coloris filis intortum, cervicemque vinxit meam.*

CAP. XV. ℣. 17.

REcepit quidem Samson à divina bonitate donum illud mirabilis fortitudinis, qua omnes naturæ vires superabat; eâ tamen conditione illam accepit, ut capillos suos nunquam submitteret incisionibus ferri. At cum arcanum istud revelaret Dalilæ; *Si rasum fuerit caput meum, recedet à me fortitudo mea, & deficiam.* Quamprimum à proditoria hac fœmina fuerunt ei præcisi *crines, statim ab eo fortitudo discessit.* v. 19. 99. Crines præcisi tollunt fortitudinem.

Quemadmodum Dalila præscindendo crines Samsonis, eum privavit forditudine, ac hostibus tradidit; ita Scylla, Nisi filia, abscindendo patris sui crines, in quibus reconditum erat donum immortalitatis, eum tradidit inimicis. Hanc fabulam succosè refert Natalis comes Mythol. l. 8. c. 12. *Scyllam fuisse olim filiam Nisi, Regis Megarensium, quæ capta amore Minois patris, purpureum capillum, quo incolumi ille mori non poterat, ut responderat oraculum, clam abscidit, patremque ipsum, & Nisæam civitatem Atheniensibus prodidit.* De hac fabula agunt Pausanias l. 1. Martin: Roa Tom. 5. c. 7. & alii.

CAP.

CAP. XVI. ℣. 21.

100. Horribilis fuit casus Samsonis, qui unico momento ex formidabili Heroë factus est Judicum mancipium; & qui portentum erat fortitudinis, transformatus est in jumentum, coactus versare molendinum. *Nam Philistai duxerunt Gazam vinctum catenis, & clausum in carcere molere fecerunt.* Judic. c. 16. v. 21.

Molendinum à Samsone versatum.

Inhumana barbaries sæpius coëgit homines, etiam insignes natalibus, ut instar jumentorum versarent molendina. Affirmat id S. Augustinus Epist. 50. *Quidam Patres familias honesto loco nati, generoso cultu educati, vix vivi post eorum cades ablati sunt, vel vincti ad molam, & eam in gyrum ducere, tanquam jumenta contemtibilia verbere adacti sunt.* Teste Oleastro in cap. 47. Isaiæ, id Saracenis in more positum erat. *Solent Saraceni usque hodie captivos, quos ex nostris capiunt, ad molas destinare, ut molant.* Ad volvendam molam condemnatus fuit Apulejus, qui lib. 9. suæ Metamorph. ait; *Mola, quæ proxima videbatur, matutinus adstituor, & illicò velata facie propellor ad incurva spatia flexuosi canalis, ut in orbe termini circumfluentis, reciproco gressu, mea recalcans vestigia vagarer errore certo.* Aulus Gellius lib. 3. cap. 3. de Plauto refert; quòd consumptis omnibus expensis, quas fecerat è suis comædiis, debuerit pro mercede laborare in pistrinis & versare molas.

CAP. XVI. ℣. 23.

101. Non poterant Philistæi majore perfundi satisfactione, quàm dum viderunt Samsonem, hostem ipsorum molestissimum & perniciosissimum, in suam servitutem redactum. Unde Satrapæ totius provinciæ congregati sunt in templo, tum ut Diis suis redderent gratias, eosque honorarent solemnibus oblatis victimis; tum ut celebrarent sumptuosa & lautissima convivia. *Principes Philisthinorum convenerunt in unum, ut immolarent hostias magnificas Dagon Deo suo, & epularentur, dicentes; Tradidit Deus noster inimicum nostrum Samson in manus nostras.* Judic. 16. v. 23. In hac historia sunt sacrificiis conjuncta convivia, manducatæque sunt carnes sacrificiorum in ambitu templi.

Sacrificiis junguntur convivia.

Confirmat hunc morem Virgilius lib. 7. Æneid. vers. 170. ubi canit;

Tectum augustum, ingens, centum sublime columnis
Urbe fuit summa Laurentis Regia Pici.
Horrendum sylvis, & relligione parentum.
Hinc sceptra accipere, & primos attollere fasces
Regibus omen erat: hoc illis Curia templum;
Hac sacris sedes epulis: hic ariete caso
Perpetuis soliti Patres considere mensis.

Verum de conviviis, unitis sacrificiis, egimus in Genes: cap. 31. v. 54. in Numer: cap. 22. v. 40. & cap. 25. v. 1.

CAP. XVI. ℣. 26.

102. Cum miser Samson, à Philistæorum crudelitate excæcatus, non posset propriorum oculorum directione circuire; debuit duci oculis alienis, illius videlicet juvenis, qui ipsum inter graves suas calamitates inseparabiliter comitabatur. De hoc Judic. c. 16. v. 26. *Qui dixit puero regenti gressus suos: Dimitte me, ut tangam columnas. &c.*

Cæcus ducitur ab infante.

Asclepiades, captus cæcitate, mox exiguum solatium inter sua mala ex ea consideratione accepit, quod tali modo semper à puerili innocentia adjuvaretur ac individuam comitem haberet. *Quòd cæcus effectus, uno puero comitatior graderetur.* uti refert Petrarcha l. 2. de Remed. cap. 96. in fine.

CAP. XVI. ℣. 29. &c.

Sustulere quidem Pharisæi à Samsone lucem oculorum, at non animæ, cujus beneficio ad heroicum & fortissimum aliquod opus perduceretur; unde diruit theatrum, supra quod tria millia suorum hostium congregati erant; tametsi etiam ipsemet in suo proprio triumpho sepeliri debuerit, ut refertur Judic. 16. v. 29. &c. 103.

Cæcus vigor generosus.

Joannes, Rex Bohemiæ, filius & pater Imperatoris Romani, tametsi in senectute perdiderit visum pectoris tamen generositatem plus quam alias unquam conservavit. Cùm enim interesset prælio inter Regem Angliæ & Galliæ, cujus partes ipse sequebatur; & videret, hostem jamjam prævalere, jussit se à suis Capitaneis perduci ad eam exercitus partem, ubi Rex Angliæ nervum suorum militum collocaverat; contra hos equum suum calcaribus incitans, *non fortiter modo, sed horrificè pugnans, ruit; ipsis mirantibus, qui vincebant.* Petrarcha lib. 2. de Remed. cap. 96. in fine.

CAP. XVI. ℣. 30.

Certum quidem est, fortem Samsonem in vitæ suæ cursu intulisse Philistæis ingentem stragem; at in extremo articulo insolitum prodigium commisit, dum in unico instanti occidit omnes Principes Philistæorum cum tribus millibus hominum, qui singuli sub templi ruinis contriti ac extincti sunt. *Multoque plures interfecit moriens, quàm antè vivus occiderat.* Judic. 16. v. 30. Hæc laus etiam debetur Judæ Machabæo, qui in ultimo prælio cum paucissimis militibus contra immensum exercitum Græcorum progressus, tot occidit, quot unquam in toto præcedente decursu suæ vitæ. 104.

Samson plures occidit moriens, quàm vivus.

Græci testantur, eodem modo egisse Achillem; nam Apollinis manu lethaliter vulneratus, geminato impetu Trojanos invasit, multosque occidit, & multis in fugam actis, eos ita terruit, ut non auderent propinquare ipsius cadaveri. Unde tametsi mortuus, videbatur spirare sanguineas strages & horribiles terrores.

CAP. XVI. ℣. 31.

Tametsi Philistæi artificiosis insidiis curarint occidere Samsonem adhuc viventem, unaque eum captum privarint thesauro oculorum, & ad vilissimum munus versandæ molæ condemnarint; quando tamen fuit mortuus, ultrò concesserunt, ut ipsius cadaver à conterraneis ex media templi ruina traheretur, fratrum ac parentum manibus solemni pompâ in progenitorum tumulo sepeliretur. *Descendentes autem fratres ejus, & universa cognatio, tulerunt corpus ejus, & sepelierunt inter Saraa & Esthaol in sepulchro patris sui Manue.* Judic. 16. v. 31. 105.

Cadavera sepulta cum progenitoribus.

Sicuti exanime Samsonis corpus à proximis consanguineis fuit deportatum ad tumulum; ita multarum nationum mos tulit, ut cadavera transferrentur ad sepulchrum *per suos fratres, cognatos, amicos, familiares,* ut testatur Macarius senior Hom: 15. Alexander ab Alex: lib. 3. cap. 7. ait; *Deferendi verò feretrum propinquioribus virilis sexûs dabatur munus.* Servius commentans in verba 6. Æneid: v. 222. ubi agitur de exequiis Miseni;

Pars

-- -- *Pars ingenti subiêre feretro Triste ministerium.*

Subjungit; *Propinquioribus enim virilis sexus hoc dabatur officium.* Alexander Sardus l. 1. c. 27. de exequiis Romanorum inquit; *Rogum aqua extinguunt, affinitate conjunctus legit cineres, qua vino lavantur, & redduntur nono die sepulchro.* Sophocles in Ajace repræsentat, quòd filius defuncti Ajacis, & ipsius frater Teucrus, portarint eum ad tumulum. Neque tacenda est Historia Q. Metelli, cujus feretro humeros supposuere ipsius filii, ut supra dixi ad cap. 24. v. 33 Josue.

CAP. XIIX. ỳ. 19.

106. Certi Juvenes, cùm è domo Michæ abstulissent idola & simulachra, audirentque sacerdotem, statuarum illarum custodem, id ipsis exprobrare, dixerunt; *Tace & pone digitum super os tuum.* Judic. c. 18. v. 19. Adeoque digitus, applicatus labiis, erat commune taciturnitatis & silentii inditium.

Digitus supra labia indicat silentium.

Ad hunc morem præclarè alludit Ovidius lib. 9. Metamor:

Quique premit vocem, digitoque silentia suadet.

107. Martianus Capella lib. 1. *Quidam redimitus puer, ad os compresso digito salutari, silentium componebat.* Apulejus lib. 1. de Asino aur: *At illi digitum à pollice proximum ori suo admovens, & in stuporem attonitus: Tace, tace inquit, &c.* Unde simulachrum Harpocratis, qui credebatur Deus silentii, in templis Ægypti figuratus erat indice ad os applicato; veluti aliis imperaret silentium; teste Plutarcho de Iside & Osiride; *Itaque & digitum ori admotum habet, quod signum præsefert taciturnitatis & silentii.*

CAP. XX. ỳ. 5.

108. Brutalis, & ultra omnem fidem execrabilis fuit libidinosus Benjamitarum furor in Gabaa, qui iteratis & violentis actibus carnalibus uxorem pauperis Levitæ immatura & acerba morte peremerunt. *Ecce homines civitatis illius circumdederunt nocte domum, in qua manebam, volentes me occidere*; inquit gemebundus & viduus Levita Judic. c. 20. v. 5. *Et uxorem meam incredibili furore libidinis vexantes, denique mortua est.*

Mulier occisa actu Venereo.

Similem barbariem refert Herodotus lib. 8. Thessali, ut conceptum suum contra Phocenses odium gravi contemptu ac insolentia prosequerentur, interceperunt aliquot eorum uxores, iisque intemperantia adeò impudica & frequenti sunt abusi, ut pauperculæ, cùm se contra assultus harum bestialium furiarum tueri non possent fuerint oppressæ ac mortuæ. Ita refert P. Gaspar Sanctius in cap. 9. Oseæ. v. 9.

CAP. XX. ỳ. 16.

109. Tanta fuit excellentia Gabaaitarum in tractandis fundis, & lapidibus adversus metam jaciendis, ut Spiritus Sanctus iis istud encomium formarit. *Erant viri fortissimi, ita sinistra ut dextra præliantes: & sic fundis lapides ad certum jacientes, ut capillum quoque possent percutere.*

Funditores excellentes.

Philostratus lib. 2. Vitæ Apollon: Thianæi de exercitibus Indorum ait; *Fundâ adeò subtiliter jaculantur, ut emisso lapide aut glande, pueri extremos duntaxat capillos attingant.* In tractandis fundis ultra modum exercitati erant populi Majoricæ & Minoricæ, de quibus L. Florus lib. 3. c. 8. De bello Balearico ait; *Tribus quisque fundis præliatur. Certos esse quis miretur ictus, quum hæc sola genti arma sint, id unum ab infantia studium. Cibum puer à matre non accipit, nisi quem, ipsâ monstrante percussit.*

CAP. XX. ỳ. 16.

Adeo grandis erat Gabaaitarum peritia in lapidibus è funda jaciendis; ut certatim ad præfixam metam jaculari soliti, nullus unquam aberraret. *Sic fundis lapidem ad certum jacientes, ut capillum quoque possent percutere, & nequaquam in alteram partem ictus lapidis deferretur.* Judic. 20. v. 16. 110.

Peritia funditorum.

Suetonius in Domitiano c. 19. celebrat hunc Imperatorem ob admirandam certitudinem in scopo feriendo. *Sagittarum vel præcipuo studio tenebatur. Centenas varii generis feras sæpe in Albano secessu conficientem spectavêre plerique, atque etiam ex industria ita quarundam capita figentem, ut duobus ictibus quasi cornua effingeret. Nonnunquam in pueri procul stantis, præbentisque pro scopo dispansam dextræ manus palmam, sagittas tantâ arte direxit, ut omnes per intervalla digitorum innocuè evaderent.* De Imperatore Commodo ait Herodianus; *Cervos & Damnas inter cornigera alia, præter tauros, currens pariter ipse, atque insequens impetebat, ac præventâ fugâ certissimis ictibus prosternebat.* Et de leonibus ac pantheris sagitta trajiciendis, subjungit; *Ut primum se fera concitaverat, statim illam vel in fronte, vel in corde sauciabat, nullo præterea usus scopo, neque ad aliam corporis partem telo destinato, sic ut pariter cum vulnere ipso conficeretur.*

CAP. XX. ỳ. 26.

Hebræi gravissima clade à Benjamitis cæsi; doloris pleni & afflicti accesserunt templum ad victimas & holocausta Deo offerenda, ubi amarè planxerunt, & rigorosum jejunium usque ad occasum solis observarunt. *Venerunt in domum Dei, & sedentes flebant coram Domino: jejunaveruntque die illo usque ad vesperam &c.* Judic. cap. 20. v. 26. Ita David, & ipsius socii, *planxerunt & fleverunt, & jejunaverunt usque ad vesperam super Saul & super Jonathan.* 2. Reg. 1. v. 12. 111.

Jejunium usque ad occasum solis.

Hanc jejunandi formam usque ad occasum solis observarunt etiam Saraceni, qui juxta cap. 2. Alcorani, diebus jejuniorum non sumunt cibum, nisi quando ingruente nocte vident stellam Veneris, quam colunt; Eundem morem tenent Judæi, qui, ut scribunt S. Hieronymus lib. 2. Cont. Jovinian; & Tertullianus l. contra Psychicos, nihil comedunt usque ad noctem.

CAP. XXI. ỳ. 23.

Benjamitæ, quasi ad extremum deducti, ad conservandam propriam tribum non poterant ducere mulieres aliorum Israëlitarum, qui jurarunt, nullam ipsis in matrimonium dare. Unde occasionem cujusdam festi captarunt, ad quam puellæ Hebrææ concurrebant; & *rapuerunt sibi de his, quæ ducebant choros, uxores singulas: abieruntque possessionem suam.* Judic. cap. 21. v. 23. 112.

Raptus sponsarum.

Sicuti Benjamitæ rapuerunt puellas Silo; ita Romani septingentis annis post illum eventum, rapuerunt Sabinas. Raptus Benjamitarum factus est in Septembri, ut testatur P. Cornelius à Lapide, & Romanorum die 14. Septembris. Benjamitæ rapuerunt ducentas, Romani plures sexcentis. Benjamitæ rapuerunt ob necessitatem, Romani ob libidinem. De his raptibus S. Hieronimus in Epitaph: Paulæ. *Quid narrem Silo, in qua altare dirutum, hodieque monstratur; & raptum Sabinarum, à Romulo Tribus Benjamitica præcurrit,*

LU-

LUMINA REFLEXA EX RUTH.

CAPUT. I. v.9.

113. Mni solatio destituta Noëmi, non solùm permansit vidua, post mortem sui conjugis Elimelecchi, sed insuper orba duobus filiis. Cùm valediceret duabus nuribus, integro affectu ipsis à Deo precata est, ut in nuptiis novorum maritorum reperirent omnem excogitabilem felicitatem ac quietem. Det vobis invenire requiem in domibus virorum, quos sortituræ estis. Ruth. cap. 1. v. 9.

Felices nuptias aliis precari.

Infelix Canace, jamjam moritura, dum proprias angustias & miserias deplorabat, sororibus suis precabatur omnem excogitabilem felicitatem Hymenæi; ita Ovidii ore *Epist. Canacis ad Macaræum* ait,

Nubite felices Parcâ meliore sorores.

CAP. I. ỷ. 19. &c.

114. Cùm Noemi reverteretur Bethlehemum in suam patriam, unde aliquot annis aberat; & ipsius conterranei ac singulariter fœminæ gratularentur insigni ejus venustati, dicendo; *Hac est illa Noëmi.* Ruth. cap. 1. v. 19. Illa tantundem modesta, quantùm pulchra; magis volebat acclamari titulo infelicitatis ac mæroris, quàm pulchritudinis. Ah! inquiebat v. 20. *Ne vocetis me Noëmi (id est, pulchram) sed vocate me Maria (id est, amaram) quia amaritudine valde replevit me omnipotens.*

Titulus humilis desideratus.

Ejusdem sententiæ cum Noëmi fuit S. Digna Virgo & Martyr, quæ triumphum duxit in Hispania Anno Christi 853. sub Maomad Saraceno, de quo S. Eulogius, ipsius synchronus, & in eâdem persecutione Martyr, ita scribit Memor. Sanct. lib. 3. cap. 7. *Hac puella cum pro summa humilitate atque obedientia inter convirginales ultimam se judicaret, essetque incomparabili apparatu obsecundatrix, nunquam tamen appellari se dignam patiebatur, dicebatque cum lachrymis: Nolite me dignam vocare, sed magis indignam, quia cujus meriti sum, etiam nomine debeo insigniri.*

CAP. II. ỷ. 9. &c.

115. Booz benigno affectu excepit puellam Ruth, quæ in ipsius agris collegit spicas, à messoribus residuas; obtulit enim ei potum inter fervores æstatis, & cibum inter labores messis; dixitque, *si sitieris, vade ad sarcinulas, & bibe aquas, de quibus & pueri bibunt.* Ruth. c. 2. v. & v. 14. *Quando hora vescendi fuerit, veni huc, & comede panem &c.* Illa verò acceptans beneficum hunc favorem; *sedit ad messorum latus, & congessit polentam sibi, comeditque & saturata est,* ibid.

Polenta & aqua sufficiunt ad cibum humanum.

Ita nimirum natura humana paucis est contenta. Sola aqua sufficit extinguendæ siti, & polenta saturandæ fami. In hoc argumentum Seneca Epist. 111. *Disce parvo esse contentus, & illam vocem magnus atque animosus exclama. Habeamus aquam, habeamus polentam, Jovi ipsi de felicitate controversiam faciamus.* Et Epist. 18. *Non injucunda res est aqua, & polenta, aut frustum hordeacei panis sed summa voluptas est posse capere etiam ex his voluptatem.*

CAP. II. ỷ. 16.

Booz insignem adhibuit methodum succurrendi alterius indigentiæ. Cùm enim videret puellam Ruth indigam alimentorum, non est eam allocutus, sed mandavit messoribus, ut studio relinquerent quasdam spicas, quas illa pro sua necessitate absque rubore posset colligere. Eandem ob causam Tobias pater & ipsius filius, cum dimidiam partem suarum divitiarum vellent offerre Archangelo Raphaeli, duxerunt eum seorsim à familia, ne cogeretur in iis acceptandis erubescere. Quod fecère Booz & uterque Tobias; prorsus conforme est iis, quæ Seneca de Arcesilao refert. *Quæ occurrunt infirmitati egestati, ignominiæ, tacitè danda sunt: ut nota sit solis, quibus prosunt. Interdum & ipse, qui juvatur, fallendus est: ut habeat, nec à quo acceperit, sciat.* 116.

Et subjungit hanc historiam. *Arcesilaus, ut ajunt, amico pauperi, & paupertatem suam dissimulanti, ægro autem, & nec hoc quidem confitenti, deesse sibi in sumptum ad necessarios usus, cum clam succurrendum judicâsset, pulvino ejus ignorantis sacculum subjecit ut homo inutiliter verecundus, quod desiderabat, inveniret potius, quàm acciperet.* De Tobia dicunt sacræ Litteræ; cap. 12. v. 5. Toh. *Tulerunt eum in partem, & rogare cœperunt, ut dignaretur dimidiam partem omnium, quæ attulerant, acceptam habere.*

CAP. III. v. 3.

Cùm Noëmi vellet puellæ Ruth persuadere nuptias Booz; jussit, ut se lavaret, poliret, & ungeret. *Lavare igitur, & ungere, & inducere cultioribus vestimentis.* Ruth. cap. 3. v. 3. Ita enim tulit consuetudo provinciæ ac decorum, ut tam sponsæ, quàm sponsi se perfunderent odoriferis & aromaticis unctionibus. Quantùm ad sponsas, clarus est textus Esther c. 2. v. 12. *Cùm autem venisset tempus singularum per ordinem puellarum, ut intrarent ad Regem, expletis omnibus, quæ ad cultum muliebrem pertinebant, mensis duodecimus vertebatur ita duntaxat, ut sex mensibus oleo ungerentur myrrhino, & aliis sex mensibus quibusdam pigmentis & aromatibus uterentur.* Quantùm ad sponsum; David, formans Salomoni Epithalamium nuptiale, ad eum conversus, ait Psalm. 44. v. 9. *Myrrha, & gutta, & casia à vestimentis tuis, à domibus eburneis,* id est, à vasibus & pyxidibus eburneis, *ex quibus delectaverunt te filiæ Regum in honore tuo.* 117.

Unguentum usitatum sponsis.

Etiam Gentiles tempore nuptiarum adhibuerunt aromata & pretiosa unguenta. Cydippe, jam desponsata marito, ab Ovidio *Epist. ad Acontium*, ita introducitur loquens;

Sæpè coronaris stillant unguenta capillis,
Et trahitur multo splendida palla croco.

Claudius *Epist. ad Serenam*, describens dona, quæ volucres & belluæ attulerunt Orpheo, celebranti suas nuptias; canit,

Venit, & extremo Phœnix longævus ab Euro,
Apportans unio cinnama rara pede.

Et in Epithalamo Palladii ac Serenæ;

Gemmatis alii per totum balsama tectum
Effundere cadis: duro quæ saucius ungue
Niliacus pingui desudat vulnere cortex.

CAP. III. ℣. 9.

118. Cùm pulchra Ruth aspiraret ad nuptias Booz, invitavit eum, ut ipsam acciperet sponsam, & supra ipsam extenderet proprium pallium, in signum authoritatis maritalis. *Expande pallium tuum super famulam tuam, quia propinquus es.* Ita enim erat antiquis Hebræis in more positum, ut sponsus contracturus nuptias, in signum seu possessionis seu protectionis, supra caput sponsæ extenderet fimbriam seu limbum sui pallii. Adhunc morem respexit Ezechiel c. 16. v. 8. cujus ore Deus, veluti sponsus, loquens synagogæ, ait; *Expandi amictum meum super te*; uti interpretantur S. Hieron. Lyranus, & alii.

Pallium extentum super caput sponsæ.

Videtur, etiam Gentilibus fuisse usitatum hunc ritum. Unde Euripides apud Stobæum, in persona cujusdam patris, volentis dare nuptui suam filiam, dicebat; *Cùm sub egregii viri pallium veneris, reliqua studia viro finito.* In hoc argumentum non possum non adjungere, quòd Gentiles in stabiliendis nuptiis soliti sint cooperire sponsos velo Junonis, cùm Dea ista crederetur præsidere matrimoniis. Unde Propertius Junonis ore ait;

Commissas acies ego possum solvere, nupta
Vos medium pallâ fœdus inite meâ.

CAP. IV. v. 2.

119. Cùm ageretur de cujusdam hæreditatis ac bonorum cessione, Booz se contulit ad locum judicii, ubi congregatis decem expertissimis totius civitatis viris, coram iis, judicibus magis, quàm testibus, voluit exponi ac deduci speciem facti, causamque definiri. *Tollens autem Booz decem viros de senioribus civitatis, dixit ad eos; sedete hîc &c. causam cessionis*, ut subjungit Fevardentius, *coram decem senatoribus peragens.*

Decemviri judices.

Inter varias formas, observatas à Romanis in regimine politico, etiam fuit illa Decemvirorum; de quibus expressè meminit T. Livius lib. 3. *Anno trecentesimo altero, quam Roma condita erat, iterum mutatur forma civitatis ab Consulibus ad Decemviros, quemadmodum ab Regibus antè ad Consules venerat.* Ita serenissima Respublica Veneta supremum suum tribunal constituit in consilio Decemvirorum, qui dirigunt gravissimas causas totius status.

CAP. IV. v. 11.

120. Cùm stabilitæ essent nuptiæ Booz cum Ruth; incolæ Bethlehemi grandi jubilo applauserunt Hymenæis adeò dignis, ac sponsis precati sunt felices ac copiosos liberos. *Faciat Dominus hanc mulierem, quæ ingreditur domum tuam, sicut Rachel & Liam, quæ ædificaverunt domum Israël*; dando Jacobo numerosam & gloriosam prolem. Ruth. cap. 4. v. 11. Ita fratres Rebeccæ optârunt sorori numerosos filios, quando nuptura erat Isaaco. *Crescas in mille millia, & possideat semen tuum portas inimicorum suorum.* Gen. 24. v. 60.

Proles optata sponsis.

Quisquis aliorum nuptiis format epithalamium, semper concludit apprecando sponsis generationem nobilis prolis. Theocritus in Epithal. Helenæ Idyl. 18.

Salve O sponsa, salve O nobilissimi socri gener!
Latona quidem, det Latona alma vobis
Bonam sobolem &c.

Catullus in Epithalamio, ubi celebrat nuptias Julii & Manliæ;

Torquatus volo parvulus
Matris è gremio suæ
Porrigens teneras manus
Dulce rideat ad patrem,
Semihiante labello,
Sic suo similis patri.

Statius Sylvarum lib. 1. celebrans Hymenæos Stellæ cum Violantilla, canit;

Acceleret partu decimum nova Cynthia mensem,
Sed parcat Lucina, precor, tuque ipse parenti.
Parce puer., ne mollem uterum, ne stantia lædas
Ubera.

Haud aliter Sidonius Apollinaris in Epithalamio Dicti & Hibericæ;

- - - - Feliciter ævum
Ducite concordes, sint nati, sintq; nepotes;
Cernat & in proavo sibimet quod pronepos optet.

CAP. IV. ℣. 11.

Sponsis Jacobi tribuitur hæc laus, quòd ædificârint domum Israëlitarum. *Faciat Dominus hanc mulierem* Ruth *sicut Rachel & Liam, quæ ædificaverunt domum Israël*, cap. 4. v. 11. quâ phrasi Hebræa significatur generatiò filiorum; nam sicuti multi lapides, sibi invicem accumulati, construunt domos, ita multi filii, è lumbis ac sinu Jacobi, suarumque quatuor uxorum producti, ædificârunt domum & familiam Israelis. Hâc metaphorâ etiam utitur Isaias c. 51. v. 1. *Attendite ad petram, unde excisi estis, & ad cavernam laci, de qua præcisi estis. Attendite ad Abraham patrem vestrum, & ad Saram, quæ peperit vos.* In hoc argumentum expressus est textus Deuteronomii cap. 25. v. 9. *Sic fiet homini, qui non ædificat domum fratris sui*, id est, qui non generat prolem, ut jubet lex Mosaica. 121.

Filii ædificant domum.

Hâc metaphorâ utitur Plautus in Mostellaria Act. 1.

Novarum esse ædium arbitror similem ego (hominem,
Quando hic natus est.

Et paulò inferius;

- - - - nunc etiam volo
Dicere, ut homines ædium esse similes arbitremini,
Primùm dum parentes fabri liberûm sunt,
Et fundamentum substruunt liberorum.

CAP.

CAP. IV. ℣. 16.

122. NOemi suam nurum Ruth affectu singulari complexa est; unde cùm marito suo Booz enixa esset speciosum infantem; Noemi plena gaudio, amplexata est hunc legalem nepotem, illius nutriendi curam suscepit, & brachiis suis eum circumferens, demonstravit, se illum plus amare, quàm si foret proprius ipsius filius, *susceptumque Noëmi puerum posuit in sinu suo, & nutricis ac gerulæ fungebatur officio*, Ruth. 4. v. 16.

Infantes aliorum amati.

Quod affectuosa hæc matrona fecit cum infante Obed; hoc S. Pater Hieronymus obtulit facere cum infantula Paula, filiâ Lætæ; ad quam in hæc verba scripsit; *Ipse si Paulam miseris, & magistrum & nutricium spondeo, gestabo humeris, balbutientia senex verba formabo, multò gloriosior mundi Philosopho, qui non Regem Macedonum Babylonio periturum veneno, sed ancillam & sponsam Christi erudiam, regnis cœlestibus offerendam.*

LUMINA REFLEXA EX LIBRO I. REGUM.

CAPUT. I. v. 4.

123. POstquam finitum erat sacrificium certæ cujusdam victimæ, oblatæ & consecratæ ab Elcana; & cum jam esset assignata pars conveniens obsequio Dei, & altera sustentationi sacerdotum; tertiam partem (quæ ad offerentem spectabat juxta legem Mosaicam Levit. c. 3. v. 9. & cap. 7. v. 16. Deut. c. 12. v. 12. & cap. 16. v. 12.) Elcana *dedit Phenennæ uxori suæ, & cunctis filiis ejus, & filiabus partes.* Adeoque Elcana propriam partem distribuit inter dilectas uxores & filios.

Cibi donati.

Suetonius in vita Caligulæ meminit cujusdam convivii, ab illo Imperatore celebrati; ait, quòd Cajus *in illa epulatione Equiti Romano, contra se hilarius avidiusque vescenti, partes suas misit.*

CAP. I. ℣. 11.

124. ANna, desiderans ac flagitans favores & beneficentias divinas, utitur verbo *respicere. Domine exercituum, si respiciens videris afflictionem famulæ tuæ & recordatus mei fueris* 1. Reg. 1. v. 11. nam dicere, Deus respiciat; idem est, ac Deus sit propitius & favorabilis. Ita patet ex Genes. 4. v. 4. *Respexit Dominus ad Abel.* Exod. 32. v. 13. *Respice populum tuum gentem banc.* Deut. 26 v. 15. *Respice de sanctuario tuo, & de excelso cœlorum habitaculo.* Psal 9. seu 10. v. 9. *Oculi ejus in pauperem respiciunt.* Psal. 101. v. 18. *Respexit in orationem humilium &c.*

Respicere idem est ac protegere.

Hâc loquendi formâ utitur Virgilius Eclogâ 1. vers. 38.

Libertas: quæ sera tamen respexit inertem
Candidior postquam tondenti barba cadebat,
Respexit tamen, & longo post tempore venit.

Et lib. 2. Æneid. v. 689.

Jupiter omnipotens, precibus si flecteris ullis,
Aspice nos, hoc tantùm: & si pietate meremur,
Da deinde auxilium pater &c.

Plautus in Bacch. dicebat; *Tace modò, Deus respiciet nos aliquis.* Et Pindarus ode 6. Pyth. proponit hanc loquendi formam, usitatam in precibus; *Precor, me aspicias.*

CAP. I. ℣. 11.

125. ANna, sollicitè cupiens esse felix mater cujusdam filii, supplicavit Deo, ut eam post multos annos sterilitatis efficeret fœcundam, unaque voto se obstrinxit, quòd pariens masculum, vellet illum semper offerre ac consecrare Deo. *Votum vovit, dicens; Domine exercituum, si &c. dederis servæ tuæ sexum virilem: dabo eum Domino omnibus diebus vitæ ejus.* 1. Reg. c. 1. v. 11. Huic voto assensus est Elcana, ipsius maritus, qui obtento filiolo Samuele, accessit templum, ut offerret Deo non solùm *hostiam solemnem*, sed *& votum suum.* v. 21. id est, filium, quem Deo promiserat per votum.

Filii oblati Deo per votum.

S. Gregorius Nazianzenus, instar Samuelis, fuit à Deo imperatus matris suæ voto, à qua, vix natus, fuit Deo oblatus, ut ipsemet scribit *Carm. de Vita sua.* S. Nicolaus Tolentinas, voto à parentibus ad S. Nicolaum Bariensem facto, fuit impetratus; unde etiam nomen Nicolai sortitus est. Eodem voto se S. Francisco Assisiati obstrinxerunt Parentes S. Francisci de Paula, & post diuturnam sterilitatem eum impetrârunt, qui postea mille virtutibus conspicuus, instituit ordinem Minimorum.

CAP. I. v. 12.

QUantùm erant ardentia orantis Annæ desideria, tantundem humiles ac demissæ erant formæ orandi, cum vix moveret labia, & nec minima vox articulata emitteretur. *Cùm illa multiplicaret preces coram Domino loquebatur in corde suo, tantumque labia illius movebantur, & vox penitus non audiebatur.* 1. Reg. 1. v. 12. &c. Eodem modo oravit Judith, de qua Jud 13. v. 6. *Stetitque Judith ante lectum, orans cum lacbrymis, & labiorum motu in silentio.* 126.

Orare sine voce.

Seneca lib. 2. de Benef. cap. 1. *Deos, quibus honestissimè supplicamus, tacitè malumus, & intra nosmet ipsos precari.* Persius Sat. 2.

At bona pars procerum tacitâ libavit acerrâ.
Haud cujus promptum est murmurq; humilesq; susurros
Tollere de templis, & aperto vivere voto.

CAP. I. ℣. 15.

MUltis virtutibus, quibus Anna, mater Samuelis, exornata erat, singulariter adjunxit temperantiam & abstinentiam à vino; unde de se ipsa testabatur; *Vinum, & omne quod inebriare potest non bibi.* 1. Reg c. 1. v. 15. 127.

Vinum non gustatum à fœminis.

Abstinentia vini mulieribus injuncta fuit à Romanis, Milesiis, & populis Marsiliæ, ut videri potest apud Dionysium Halicarnassæum l. 2. Polybium lib. 6, Athenæum lib. 10. cap. 3. Cice-

Ciceronem lib. 3. de Nat. Deorum. *Vini usus*, inquit Val. Max. l. 2. c. 1. *Olim Romanis fœminis ignotus fuit, ne scilicet in aliquod dedecus prolaberentur: quia proximus à Libero patre intemperantia gradus ad inconcessam Venerem esse consuevit.* Plinius l. 14. c. 13. prolixè de hac materia differens, inter alia inquit; *Egnatii Mecennii uxorem, quòd vinum bibisset è dolio interfectam fuisse à marito, eumque cadis à Romanis absolutum.* Videatur Tiraquellus in 9. leg. Connub. num. 2. 6. ubi copiosè tractat hanc materiam.

CAP. I. ℣. 20.

118. INfanti, quem Anna calidis & religiosis precibus à bonitate divina obtinuerat, datum est nomen Samuelis; ut hoc nomine, quo significatur *postulatus à Deo*, conservaretur æterna memoria beneficii, quo Deus sterilitati matris indulsit, & filium adeò præclarum concessit. *Vocavitque nomen ejus Samuel, eò quòd à Domino postulásset eum.* 1 Reg. 1. v. 20.

Samuel obtentus à Deo.

Theodoretus *in Philoteo c.* 13. de se ipso scribit, se accepisse nomen, quod significat *donum Dei*; quia à matre per preces Macedonii Anachoritæ erat divinitus impetratus. Philippus II. Rex Galliarum, habuit etiam nomen Adeodati; quia Ludovicus ipsius pater, gravidus annis, eum à Deo impetravit, quando jam omnis spes successionis evanuerat. Haud aliter filio Aristonis, Regis Spartanorum, impositum fuit nomen Demarati, quo significatur *populi precatio, devotio, votum*; quia totus populus anxiè supplicabat cœlo, ut Aristoni, Regi optimo, nasceretur similis filius; ut refert Herodotus lib. 6.

CAP. I. ℣. 23.

119. INfans, quem Anna extremè desideraverat, fuit ab ea nutritus extremo affectu & diligentiâ. Quæ fuit mater, voluit simul esse nutrix, non fidens exteris diligentiis, suamque propriam curam adhibens. *Et lactavit filium suum, donec amoveret eum à lacte.* 1. Reg. 1. v. 23. Ex eodem capite laudatur Sara, quæ lactavit suum Isaacum. Gen. 21. v. 7. & mater Machabæorum quæ suismet uberibus nutrivit tenellos suos infantes. 2. Mach. c. 7. v. 27.

Matres nutrices filiorum.

Hecuba, magna sui temporis Regina, laudatur ab Homero Iliad. 22. quòd uberum suorum lacte nutriverit filiolum Hectorem. Idem Poeta lib. 11. Odyss. celebrat Penelopen, quòd lactaverit filium suum Thelemachum. Claudianus de 4. Consul. Honorii, affirmat, quòd Honorius infans acceperit prima alimenta ab Imperatricis uberibus.

Ipsa Quirinali parvum te cinxit amictu
Mater, & ad primas docuit reptare curules
Uberibus sanctis.

Ob hanc causam Cornelius Tacitus applaudit moribus Germanorum, quia apud ipsos quævis mater lactat proprios filios, & non committit exteris nutricibus. lib. *de Claris Oratoribus* ait de antiquis Romanis; *Jam pridem suus cuique filius ex casta parente natus, non in cella empta nutricis, sed gremio ac sinu matris educabatur.* Et Plutarchus lib. de educat. liberorum ait; *Oportet, ut matres filios educent, eisque ubera porrigant: quoniam majori cum charitate, majorique diligentiâ nutrient.*

CAP. I. ℣. 24.

SAmuel, vix ab uberibus matris semotus, fuit applicatus ad ubera devotionis; & ductus ad templum, ibique consecratus servitio Dei, didicit viam innocentiæ, & sanctitatis, perducendus tandem ad summæ perfectionis apicem. *Adduxit eum secum, postquam ablactaverat & adduxit eum ad domum Domini in Silo* 1. Reg. cap. 1. vers. 24. *Sic erudienda est anima*, inquit S. Hieronymus Epist. 7. ad Lætam de Instit. filiæ; *quæ futura est templum Dei. Nihil aliud discat audire, nisi quod ad timorem Dei pertinet.* Et paulò post; *Nutriatur in monasterio, sit inter virgines choros jurare non discat, mentiri sacrilegium putet, nesciat sæculum, vivat angelicè; sit in carne sine carne &c.* 120.

Infantes educati in locis sacris

Ad normam Samuelis, S. Maurus Abbas, S. Placidus Martyr, S. Thomas Aquinas sub directione S. Patriarchæ Benedicti & Monachorum Cassinensium fuêre educati in monasterio, ubi facti sunt giganthes sanctitatis. Similiter meus Con-Canonicus S. Ubaldus, Episcopus Eugubinus, in ætate infantili *traditus est nutriendus sub disciplina Ecclesiastici Ordinis, & oblatus est Priori Ecclesiæ sanctorum Martyrum Mariani & Jacobi*; uti refert S. Theobaldus Episcopus in ipsius vita.

CAP. II. ℣. 8.

GRande omninò opus est tam potentiæ, quàm bonitatis divinæ, quòd creaturas suas trahat ex infima vilitate, easque collocet in celsissimæ dignitatis & majestatis fastigio. Hac de re loquitur Anna 1. Reg. c. 2. v. 8. *Suscitat de pulvere egenum, & de stercore elevat pauperem: ut sedeat cum principibus, & solium gloriæ teneat.* sed quod repetit Psalmus 112. v. 7. *Suscitans à terra inopem, & de stercore erigens pauperem.* Tales mutationes, teste Eliâ Cretensi in Orat. 1. Greg. Naz. *quotidie fieri consuevimus. Sic enim Joseph in servitutem prolapsum, in regio throno collocavit: sic Moysen ex ovium pastore, populi gubernatorem, ac Pharaonis Deum creavit: sic Davidem, cum pastor esset; & minimus inter filios Jesse, Regem subitò effecit.* 121.

Mutatio è statu vili ad sublimem.

Ita etiam Alcinous Rex elevavit è pulvere Ulyssem, quem ipse ante se prostratum ac supplicem, promovit ac recensuit inter Principes sui Regni, de quo Homerus;

Tum Rex Alcinous parens erexit Ulyssem
Insignem facibus belli, clarumque sub armis
Consilio: & cinere exceptum super alta locavit
Scamna throni nitidi, quæque are sedilia lucent,

Alexander Magnus ad majestatem Regni promovit Abdolonymum, pauperem hortulanum, qui re ipsâ faciem in terram deprimens, eradicandis herbis intentus, sublevatus est ad thronum & coronam. *Cum Regia vestis insignibus hortum intrant, quem fortè steriles herbas eligens Abdolonymus repurgabat.* Ita Curtius lib. 4. de ministris Alexandri.

CAP. II. ℣. 9.

REprobi, si aliquando ad tenebricosas inferni cavernas detrusi fuerint, partim oppressi dolore & angustiis, partim obruti confusione & ve- 122.

& verecundiâ, perdent loquelam, eruntque penitus muti. Unde Anna 1. Reg. c. 2. v. 9. *Impii in tenebris conticescent*, id quod etiam colligitur ex Psalmo 30. v. 18. *Erubescant impii, & deducantur in infernum, muta fiant labia dolosa.* & ex Psal. 93. v. 17. ubi legimus nos; *Paulò minus habitasset in inferno anima mea!* Hebræus legit, *in silentio.* S. Gregorius in illud Jobi c. 5. v. 16. *Tunc enim iniquitas contrahet os suum*; subjungit; *Loqui contra bonos, non vacat, quia malorum suorum dignâ retributione, linguam tormenta ligant.*

Damnati muti.

Titulus taciturni, silentis, & muti, à tota Gentilitate fuit Inferno attributus: Virgilius 6. Æneid. vers. 246.

Dii, quibus imperium est animarum, umbræque silentes:
Et chaos, & Phlegeton, loca nocte silentia latè.

Valerius Flaccus lib. 3.

-- *Stygiæ devexa silentia noctis.*

Ovidius lib. 5. Fast.

Mox etiam Lemures animas dixere silentum.

Seneca in Hippolyto

Adiit silentem nocte perpetuâ domum.

Et Pluto à Martiale l. 7. vocatur

- - *Taciti regnator Averni.*

CAP. II. ℣. 11.

133. MAxima concipiebatur spes, Samuëlem annorum progressu in perfectione religiosa miro modo promotum iri; spei hujus secura fundamenta stabiliebantur in eo; *Puer autem erat minister in conspectu Domini ante faciem Heli sacerdotis.* 1. Reg. c. 2. v. 11. Adeoque non solum serviebat ac ministrabat in templo, faciendo omne id, quod spectabat ad officium Levitarum; sed insuper id totum operabatur in conspectu & præsentia Principis, Judicis, & summi sacerdotis Heli, cujus præsentia deserviebat efficacis incitamenti loco, ut exactè gubernaretur ad omnia opera absque defectu peragenda.

Præsentia majorum utilis.

Seneca præclarè attigit istud punctum morale Epist. 10. *Sic vive cum hominibus, tanquam Deus videat: sic vive cum Deo, tanquam homines audiant* Et Epist. 11. *Aliquis vir bonus nobis eligendus est, ac semper ante oculos habendus, ut sic tanquam illo spectante vivamus, & omnia tanquam illo vidente faciamus. Magna pars peccatorum tollitur, si peccaturis testis assistat. Aliquem habeat animus, quem vereatur, cujus authoritate secretum suum etiam sanctius faciat. &c.*

CAP. II. ℣. 19.

134. DUm Samuel extra paternam domum versabatur in servitio templi; Anna, semper ipsius memor, propriâ manu ei confecit vestes, quibus amiciretur & ornaretur, *Et tunicam parvam faciebat ei mater sua &c.* 1. Reg 2. v. 19.

Vestes filiis factæ à matre.

Mater Euriali, deplorans ipsius mortem, commemorat vestem, quam ei propria manu texebat; lib. 9. Æneid.

- - *Nec te tua funera mater*
Produxi, pressive oculos, aut vulnera lavi,
Veste tegens, tibi quam noctes festina, diesque
Vrgebam, & telâ curas solabar aniles.

S. Paulinus Epist. 42. de Citherio, magno Dei servo, ait, quod instar Samuelis, in tenera ætate fuerit consecratus templo, & à matre acceperit elaboratas vestes, quibus exornaretur;

Samuel & iste crevit in templo Dei,
Nunc agnus & pastor: dehinc
Contexat (id est, contexuit) *illi sedula matris manus*
Ephod statura congruum.

Cum S. Edmundus, adhuc juvenis, versaretur in Universitate Parisiensi; ipsius mater ei misit vestes ex lino, & inter istas etiam cilicium, ut coleret tam munditiem, quam mortificationem sui corporis. Surius 16. Novemb.

CAP. II. ℣. 29.

CÙm Heli, Judex & Pontifex Israelitarum, haberet pessimæ vitæ filios, excæcatus amore paterno, eos vel non correxit, vel ita frigidè correxit, ut Deus justam habuerit causam conquerendi. senem illum malè providum exhibere majorem respectum erga immorigeros suos filios, quam erga ipsummet Deum. *Et magis honorâsti filios tuos, quàm me.* 1. Reg. 2. v. 29.

Affectus immoderatus.

Aristotele teste lib. 7. Ethic. cap. 4. grande vituperium merentur illi homines, qui amando proprias res, demonstrant peculiarem affectum aut excessum. *Vt illi*, inquit, *qui circa honorem magis, quam oporteat, student: vel circa filios & parentes. Bona enim hæc sunt, & qui circa ea student, laudari consueverunt. Sed in his tamen excessus quidam est, si quis, quemadmodum Niobe, adversùs Deos pugnaret.* Iste omninò fuit inordinatus affectus, in Heli tantoperè castigatus & condemnatus.

CAP. II. ℣. 33.

CÙm prædicerentur Heli omnia supplicia, quæ imminebant ipsius familiæ; nimirum quòd partim acumine ferri, partim infirmitatum violentiis etiam vigorosâ adhuc ætate consumi, & ex supremâ dignitate ad vilissimum ministerium tabernaculi præcipitari deberent; promisit tamen Deus, se non velle eam prorsùs extinguere, sed Levitam aliquem relinquere superstitem in mundo, non quidem in ipsius solatium, sed ad augendam acerbitatem malorum, dum videret, se ex apice dignitatis ad infimum profundum miseriarum dejectum. *Non auferam penitus virum ex te ab altari tuo: sed ut deficiant oculi tui, & tabescat anima tua.* 1. Reg. c. 2. v. 33. Adeoque præsens calamitas longè magis affligit, quando cum præterita felicitate confertur. 135.

Felicitas perdita dolorem cau sat.

Flaccus, civis Romanus, à Cajo condemnatus in exilium, catenis constrictus, per easdem civitates ductus fuit, per quas paulò antè superbus & fastuosus transibat. *Vt civitates*, inquit Philo in libro, quem contra ipsum scripsit, *quæ fortunâ tumidum spectabant, rursum spectarent affectum ignominiâ: & ille commonstratus digitis prætereuntium propter mutationem repentinam, graviori dolore premeretur &c.*

CAP. III. ℣. 4. &c.

CÙm inter noctis silentia resonaret vox Dei in auribus Samuelis, & iste crederet, esse vocem summi sacerdotis, promptè ad eum accessit, ut ei obediret ac serviret. *Vocavit Dominus Samuelem: qui respondens, ait: Ecce ego. Et cucurrit ad Heli, & dixit, ecce ego, vocâsti enim me.* 1. Reg. c. 3. v. 4. &c. 136.

Vox Dei est vox superioris.

Hoc factum possit videri innovatum in palatio S. Antonini Archiepiscopi Florentini; in cujus vita die 2. Maji de quodam ipsius ministro ita narratur; *Nocte quâdam ad quandam vocem, ut videbatur, quòd putâsset, se à Præsule vocatum, lecto repente prosiliisse: cum accurrisset sublatum eum longè à terra, ac multo illustratum lumine vidisse: expectâsseque dum orare (orare namque existimavit, qui sensibus excesserat) desiisset. Quærenti mox quid vellet: & cur se advocâsset: respondit, non modò non vocâsse: sed quod venerat, molestè nimiùm tulisse.* Ex his colligitur, Deum formare voces suas, similes vocibus superiorum, ut subditus in voce & persona superioris cognoscat & revereatur personam ac vocem Dei.

CAP. III. ℣. 18.

137. INsignis certè, & æterno applausu digna fuit conformitas Heli ad omnes dispositiones voluntatis divinæ; audiens enim destructionem suæ domûs, mortem filiorum, depressionem nepotum &c. quietissimo animo respondit; *Dominus est, quod bonum est in oculis suis faciat,* 1. Reg. c. 3. v. 18. quo affectu etiam Job, omnibus divitiis spoliatus, dixit; *Dominus dedit, Dominus abstulit. sit nomen Domini benedictum.* Job. 1. v. 21. Et David, à barbaris & potentissimis inimicis in fugam actus Psalm 118. v. 137. *Iustus es Domine, & rectum judicium tuum.* Jonas in ventre balænæ c. 2. v. 10. *Ego autem in voce laudis immolabo tibi.*

Resignatio in Deum.

Quòd voluntas nostra inter quosvis mundanos casus resignari debeat in voluntatem Dei, ac cum ea conformari, docuit etiam Seneca Epist. 107. *Optimum est pati, quod emendare non possis: & Deum, quo auctore cuncta proveniunt, sine murmure comitari.* Et paulò post; Sic alloquemur Jovem, cujus gubernaculo moles ista dirigitur, quomodo Chleantes noster versibus disertissimis alloquitur;

Duc me parens, celsique dominator poli
Quocunque placuit, nulla parendi mora est.
Adsum impiger &c.

Neque solum Philosophus iste, sed etiam antiqui Gentiles habuerunt in ore has voces; *Deum sequere; Noli cum Diis pugnare; Id superis curæ; Viderit Jupiter;* quæ omnes demonstrant animum, Deo conforem, & in ipsius dispositiones resignatum.

CAP. IV. ℣. 1.

137. CÙm Israelitæ militari ordine exirent contra exercitum Philistæorum, inquit sacer textus 1. Reg. c. 4. v. 1. eos castra posuisse in loco, qui vocabatur Petra adjutorii. *Egressus est Israël obviam Philisthiim in prælium, & castrametatus est juxta lapidem adjutorii.* Non quod tempore illius prælii habuerit illud nomen, sed quia illud postea obtinuit, quando Samuel ibi à Deo impetravit insignem victoriam contra Philistæos, ut refertur cap. 7. v. 12. Ejusmodi anticipationes adhibentur frequenter in sacris litteris. Gen. cap 7. 8. aliqua animalia vocantur immunda, & alia munda; quæ munditiès & immunditiès postea determinata fuit tempore Mosis. Genesis cap. 12. v. 8. scribitur, Abrahamum erexisse suum tabernaculum, habens Bethel versùs occidentem; & tamen istud nomen Bethel, fuit ei longè post à Jacobo impositum; ut patet ex Gen cap. 28. v. 19. Agar dicitur Gen. 21. v. 14. commorata in deserto Bersabee, cum tamen istud nomen longo post tempore acceperit, ut dicitur Gen. 26. v. 23.

Anticipatio seu prolepsis.

Hæc figura anticipationis, quæ à Græcis vocatur *Prolepsis*, reperitur frequenter apud Poetas. Virgilius 1. Æneid. vers 6. de Ænea dicit;

Italiam fato profugus, Lavinaq; venit
Littora.

Cùm tamen littora illa in adventu Æneæ necdum habuerint nomen Lavini, quod multis annis postea accepit à Lavinia, filia Regis Latini. Ita lib. 6. Æneid. dicitur

Chalcidicaque levis tandem superadstitit
arce.

Et tamen colonia ista Chalcidinensis necdum erat illo tempore. similiter Palinurus, rogans Æneam, ut ipsius cadaver sepeliret, ait;

- - - Tu mihi terram
Injice, namque potes, portusque require Velinos.

Et tamen, ut scribit Aulus Gellius lib. 10. c. 16. *Velia oppidum, à quo portum, qui in eo loco est, Velinum dixit, Servio Tullio Romæ regnante, post annum sexcentesimum, quàm Æneas in Italiam venit, conditum in agro Lucano, & eo nomine appellatum est.*

CAP. IV. v. 8. &c.

INgenti timore obruti sunt Philistæi, quando ipsis innotuit, Arcam Dei portatam esse in campum Hebræorum; & cum non viderent refugium contra hujus Dei potentiam, qui pro Hebræis sæpius jam stupenda miracula operatus est, ex desperatione sumpserunt consilium ac geminatas vires, animando sese mutuò ad prælium constanter subeundum. *Væ nobis; quis nos salvabit de manu Deorum sublimium istorum? Hi sunt Dii, qui percusserunt Ægyptum &c.* 1. Reg. c. 4. v. 8. *Confortamini & estote viri Philisthiim confortamini & bellate.* v. 9. Similes eventus militares, ex desperatione accensos & geminatos, reperimus lib. 2. Reg. 2. v. 26. lib. 1. Mach. c. 4. v 35. & c. 12. v. 50. 138.

Desperatio animat.

In hoc argumentum copiosè discurrunt Historici, Philosophi, & Politici. Justinus Historicus l. 20. refert, quindecim millia Locrensium prævaluisse contra centum viginti mille Crotonienses; *Quia omissâ spe victoriæ in destinatam mortem conspirârunt; tantusque ardor ex desperatione singulos cepit, ut victores se putarent, si non multi morerentur. Sed dum mori honestè quærunt, feliciter vicerunt. Nec alia victoriæ causa fuerat, quàm quod desperaverant.* Q. Curtius lib. 5. *Ignaviam necessitas acuit: & sæpè desperatio spei causa est.* Seneca l. 2. de Nat. quæst. c. 29. *Nullus perniciosior hostis, quàm quem audacem angustiæ faciunt; longeque violentius semper ex necessitate, quàm ex virtute corripimur.* Sallusthius; *Gravissimi sunt morsus irritatæ necessitatis.* Et Vegetius l. 3 de Re milit. c. 21. *Ex desperatione crescit audacia; & cum spei nihil sit, sumit arma formido.*

CAP. IV. ℣. 9.

PHilistæi, sese mutò ad prælium animaturi, dixerunt, se velle esse viros. & instar virorum pugnare. *Confortamini, & estote viri Philisthiim.* 1. Reg cap. 4. v. 9. *Confortamini & bellate.* Hàc ipsa loquendi formâ ad Davidem dixit Saul; *Esto vir fortis, & præliare bella Domini.* 1. Reg. 18. v. 17. David Galaaditis dixit; *Confortentur manus vestræ, & esto-* 140.

Viriliter agere significat generosè.

& estote filii fortitudinis. 2. Reg. 2. v. 7. id est, ut traducit Chaldæus; *Estote in viros robustos.* Joab ad Abisai, fratrem suum; *Esto vir fortis, & pugnemus pro populo nostro.* 2. Reg. 10. v. 12. & innumeris aliis locis.

Nomine *Vir*, Gentiles non tantùm intellexêre sexum virilem, sed longè magis generositatem & fortitudinem. Inter Græcos erat paræmia; *Sola Lacæna viros pariunt.* Herodotus in Polymnia; *Multi*, inquit, *sunt homines, viri pauci.* Ad propositum præsentis textus libri primi Regum, Philo in lib. *Quod omnis probus sit liber*; versùs finem ait; *Imperatores nullam cohortationem habent efficaciorem in præliis, quàm; Estote viri.*

CAP. IV. ℣. 12.

141. Omninò gravis & dolorosa fuit clades, illata Israelitis; dum in prælio interière triginta millia hominum, interfecti Principes Sacerdotum, Arca Dei capta &c. unde nuntius, aufugiens è turbata acie, & tristissima hæc nova in Silo perferens, comparuit scissis vestibus. *Currens vir de Benjamin ex acie, venit in Silo die illâ, scissa veste.* 1. Reg. c. 4. 12. Ita enim mos tulit, ut tempore casuum luctuosorum scinderentur vestes. prout fecère amici Job, qui, cùm se miseriis oppressos cernerent; *Exclamantes ploraverunt, scissisque vestibus sparserunt pulverem super caput suum.* Job. 2. v. 12. Ipsemet Job, audiens tristem ruinam suæ domûs; *scidit vestimenta sua.* Job. 1. v. 20. David, perceptâ acerbâ morte Saulis & Jonathæ; *vestimenta sua scidit, omnesque viri, qui erant cum eo.* 2. Reg. 1. v. 11. & plurimæ aliæ scripturæ.

Vestes scissæ in miseriis.

Non tamen minus fœcundæ & numerosæ in approbando hoc ritu sunt profanorum pennæ. Virgilius lib. 5. Æneid.

Tum pius Æneas humeris abscindere vestem.

Et lib. 12. Æneid.

- - it scissâ veste Latinus,
Conjugis attonitus fatis, urbisque ruinâ.

Seneca in Octavia,

- - scindit vestes
Ægesta suas, laceratque comas.

Silius;

Huc tristis lachrymas, & funera acerba suorum
Fama tulit, duris quamquam non cedere suetus
Pulsato lacerat violenter pectore amictus.

Ita homo Tyrius, afferens Dario Regi triste nuntium, de ipsius uxore defuncta; *ingressus est ad illum veste discissâ*; ut refert Q. Curtius lib. 4. Cleopatra, videns Antonium vulneratum & moribundum, scidit vestes, ut notat Plutarchus in Antonio.

CAP. IV. ℣. 12.

142. Antiquus mos erat, tempore calamitatis spargere super caput cineres ac pulveres. Certè nuntius ille, qui è prælio aufugiens, tulit tristia nova in Silo de clade Hebræorum; comparuit *conspersus pulvere caput.* 1. Reg. 4. v. 12. Nuntius, perferens Davidi mortem Saulis & Jonathæ, venit *veste scissa, & pulvere conspersus caput.* 2. Reg. 1. v. 2. Judith inter angustias Bethuliæ, patriæ suæ, durâ obsidione constricta; *induens se cilicio, posuit cinerem super caput suum.* Judith. cap. 9. v. 1. &c.

Pulvis super caput ob dolorem.

Frequens apud Ethnicos fuit iste usus. Virgilius 10. Æneid. de Mezentio canit;

Canitiem multo deformat pulvere.

Et lib. 12. v. 609.

- - it scissâ veste Latinus
Conjugis attonitus fatis, urbisque ruina,
Caniciem immundo perfusam pulvere turpans.

Seneca in Troade;

Sparsitque cinis fervidus ora.

Et Homerus lib. 18. Iliad. loquens de Achille,

Corripiens manibus cinerem, nigramque favillam
Inspersit capiti, & faciem fædavit honestam.

CAP. IV. ℣. 17.

Quando sub Heli terminatum fuit memorabile prælium inter Israelitas & Philistæos, cum primorum interitu; miles ille, fugâ sibi consulens, factus est infelix nuntius, attulitque summo Pontifici quatuor pessima nova, semper magis & magis dolorosa ac tristia; videlicet Hebræos è campo fugitivos, maximo numero trucidatos, duos ipsius filios mortuos in prælio, & Arcam Dei à barbaris Idololatris captam. *Fugit Israël coram Philisthiim, & ruina magna facta est in populo: insuper & duo filii tui mortui sunt, Ophni & Phinees; & Arca Dei capta est.* 1. Reg. 4. v 17. 143.

Mala semper pejora.

Ni fallor, malis his novis non absimile est artificium, adhibitum à quodam milite Caroli V. dum retulit, quomodo successerit prælium prope Papiam. Admissus enim ad audientiam suæ majestatis, imprimis exposuit, quid contigerit in prælio Papiensi, postea quòd exercitus Imperialis vicerit; dein exercitum Gallicum esse ad internecionem deletum; & tandem, Franciscum I. Regem Galliæ, esse captum.

CAP. IV. ℣. 19.

Nurus Heli, uno momento obruta tribus vel quatuor pessimis novis; videlicet arcam Dei esse à barbaris captam; summum sacerdotem, suum socerum, repetina morte è mundo abreptum; Phinees, maritum suum in prælio interfectum; statim deducta est ad extremum; cùm enim esset gravida, & atrocissimis doloribus violenter oppressa, peperit infantem immaturum, qui è languentibus & laxatis visceribus non absque gravi tortura separatus, in lucem prodiit; mater verò, dum vitam dedit filio, perdidit suam, & mortua est in partu. *Nurus autem ejus, uxor Phinees, prægnans erat, vicinaque partui: & audito nuntio, quòd capta esset arca Dei, & mortuus esset socer suus, & vir suus, incurvavit se, & peperit &c.* 1. Reg. c. 4. v. 19. *In ipso autem momento mortis ejus* &c. v. 20. 144.

Parere ex terrore.

Nihil similius in hanc rem afferre possum, quàm si repetam verba Valer. Max. lib. 4. c. 6. *Consimilis affectus* (Nurûs Heli) *Julia C. Cæsaris filia annotatus est. Quæ cum adilitiis comitiis, Pompeji Magni, conjugis sui, vestem cruore conspersam, è campo domum relatam vidisset; territa metu, ne qua ei vis esset allata, exanimis concidit, partumque, quem utero conceptum habebat, subitâ animi consternatione, & gravi dolore corporis ejicere coacta est.*

CAP V. v. 4. &c.

Cùm arca Dei; collocaretur propè idolum Dagon, istud divina virtute percussum, è 145.

basibus suis in terram corruit, & manus pedesque ipsius è trunco avulsi, reperti sunt sparsi supra limen templi, ut à quovis intraturo illud templum, calcaretur ac pessumdaretur. 1. Reg. 5. v. 4. *Invenerunt Dagon jacentem super faciem suam in terra, coram arca Domini, caput autem Dagon, & duæ palmæ manuum ejus abscissæ erant super limen.* Quod cùm vidissent sacrilegi ipsius sacerdotes, mox ordinârunt, ut in venerationem illius loci, quem caput & manus illius Dei tetigerant, nemo auderet unquam ponere pedem, sed transiret intacto limine in signum reverentiæ v. 5. *Propter hanc causam non calcant sacerdotes Dagon: & omnes, qui ingrediuntur templum ejus super limen Dagon in Azoto.*

Limen templi honoratur.

Non sunt soli Philistæi, qui honorant & reverentur limen templi, nam etiam Romani & alii populi idipsum fecère. Plautus in Comædia Mercator;

Limen superûm, inferûmque salve simul, & vale.

Juvenalis Satyr. 6.

- - *Tarpejum limen adora.*

Virgilius lib. 2. Æneid. v. 365. vocat

- - *Religiosa Deorum*
Limina.

Quo libro de fœminis Trojanis vers. 489. canit;

Tum pavidæ tectis matres ingentibus errant,
Amplexæque tenent postes, atque oscula figunt.

Unde Eruditi quærunt; cur nova sponsa non calcârit limen domus, ubi ingrediebatur; sed portata fuerit? ubi Plutarchus Quæst. Rom. n. 29. diversimodè respondet. At Varro ita resolvit; *Ne sponsa à sacrilegio conjugium inchoaret, si calcaret limen Vestæ castissimo Numini consecratum.*

CAP. V. ℣. 6.

146. PHilistæi, numerosis peccatis contaminati, justo Dei judicio subjacuère etiam numerosis suppliciis. Inter hæc erat unum, plenum verecundiâ & dolore; nimirum quòd in posteriore corporis parte fuerint vel ab hæmorroidibus, vel ab excrescentia carnei tumoris, vel ab effusione viscerum, acerrimè afflicti & cruciati. *Et percussit in secretiori parte natium Azotum & fines ejus.* 1. Reg. 5. v. 6. De hac pœna David Psalm. 77. v. 66. *Et percussit inimicos suos in posteriora: opprobrium sempiternum dedit illis.*

Hæmorroides pœna Dei.

Herodotus lib. 1. versus medium (qui fortè ex illo S. Scripturæ loco desumpsit argumentum, tametsi, Gentilium more, illum corruperit) ait; Ascalone reperiri templum Veneris, ubi aliqui, cum illud deprædari vellent, in pœnam fuère miraculosè puniti hæmorroidum morbo. De Theseo narrant fabulæ, quòd contra Deos Tartareos machinatus, fuerit ab ipsis affixus saxo, ubi æternum sederet; à quo supplicio ipsum liberavit Hercules, eâ tamen conditione, ut una natium pars remaneret illi saxo agglutinata. Supplicium istud prorsùs simile est illi Philistæorum, prout hoc loco describitur.

CAP. V. ℣. 6. &c.

NOn minus turpe, quàm noxium fuit supplicium, à Deo illatum Philistæis, dum eorum campos ac villas inundavère innumeri mures, qui destruxerunt, quidquid ad victum humanum creverat. *Ebullierunt villæ, & agri in medio regionis illius, & nati sunt mures.* 1. Reg. 5. v. 6. de quibus subjungitur cap. 6. v. 5. *Qui demoliti sunt terram.* Ad hoc propositum præclarè refert Antonius Magirus in sua Palæstina fol. 41. *Nonnullis in locis Palæstinæ agri sunt penè deserti ob murium & sericum abundantiam.* 147.

Mures destruunt provincias

Murium damnis etiam subjacuère aliquot populi Italiæ, quorum campi ab his abominabilibus bestiis fuère destructi, & ipsimet etiam homines coacti sunt fugere è propriis regionibus, nimiùm quantùm à muribus undique occupati & infestati. Ælianus lib. 17. c. 41. ait. *De patriis sedibus quosdam Italiæ populos incursio murium agrestium perniciosa expulit. atque in fugam compulit. Quod sanè fic segetes & plantas tanquam summa siccitas, aut teterrimum frigus, aliave intempestiva tempestas vastarent, non modò seminibus & superficie arrosis, sed radicibus quoque succisis.* Aristoteles lib. de Histor. Animal. c. 37. refert; quod quidam agricolæ certo die determinaverint metere frumentum; manè verè alterius die repererint totum illud à muribus vastatum & devoratum. Idipsum narrat Plinius lib. 10. c. 65.

CAP. V. ℣. 6.

QUamprimùm recensetur innumerabilis murium numerus, in pœnam Philistæorum à Deo immissus; mox subjungitur horribilis terror mortis, infestans civitatem Azotum. *Ebullierunt villæ & agri in medio regionis illius, & nati sunt mures, & facta est confusio mortis magnæ in civitate.* 1. Reg. 5. v. 6. Unde Philo Hebræus in Antiquit. S. Gregorius Papa in hunc locum. Severus Sulpitius l. 1. Hist. Sacræ, Hugo Cardinalis, Dionysius Richelius, & alii opinabantur, humana corpora fuisse à dentibus murium infestata, & ipsa etiam intestina arrosa ut, quemadmodùm scribit Abulensis, dolorosâ morte obire debuerint. 148.

Mures mordent homines.

Martinus Cromerus l. 2. Rerum Polonicarum ait, Popielum, principem Poloniæ, devoratum esse à muribus, egressis è cadaveribus suorum patruorum, quos veneno iniquè occiderat. Trithemius in sua Chronologia ad Annum 967. & Genebrardus ad Annum 970. scribunt, Hattonem, Archiepiscopum Moguntinum, fuisse vivum à muribus usque ad ossa devoratum, tametsi id neget Serarius in sua Moguntia. Joannes Nauclerus Gener. 36. Anno 1071. scribit: *Quidam præpotens vir, dum ad mensam sederet in convivio, repentè à muribus circumvallatus, ab ipsis penè est consumptus, reliquis mensæ convivis sine læsione dimissis.*

CAP. V. ℣. 9.

TAntò magis dolorifera erat pœna, immissa Gethæis, quanto magis erat abscondita & secreta. Tormina acutissima cruciabant ipsorum sinum, quibus, cum nullum remedium scirent, successit effusio putrescentium & ruptorum viscerum, quæ prominebant *per secessum.* Sacer textus ait: *computrescebant prominentes extales eorum.* 1. Reg 5. v 9. id est, interprete P. Cornelio à Lapide, *Exta sive intestina & viscera putrida per anum defluebant.* 149.

Viscera effusa.

Justi-

Justitia divina hanc pœnam innovavit in supplicium Arrii, sceleratissimi Hæresiarchæ; de quo Beda in 1. Reg c. 5. ad illa verba, *Computrescebant prominentes &c.* scribit; *Arrius fusis per posteriora visceribus cunctis, finem hæretica docendi; & hæreticis digna supplicia subeundi principium, misere invenit.* de quo Sedulius admodum eleganter canit;

Arrius infelix, qui curva per avia rectum
Flecter nisus iter, foveam delapsus in atram,
Corruit, & tetri mersus petit ima profundi,
Tam vacuus sensu, justæ quam tempore pœnæ,
Visceribus fusis, vacuus quoque ventre remansit.

Et S. Ambrosius lib. 1. de Fide cap. 9. *Cui credemus, Joanni in Christi pectore recumbenti, an Arrio, inter effusa se sua viscera volutanti?*

CAP. V. ℣. 12.

150. Clamor ascendens in cœlum. CUm non esset ulla Philistæorum civitas, quæ recepta arca Dei, non recepisset gravissima supplicia, ut barbari illi partim opprimerentur morte, partim insanabilibus morbis torquerentur. Unde ex omnibus partibus resonabant voces versus cœlum, plenissimæ commiserationis, terroris, & doloris. *Et ascendebat ululatus uniuscujusque civitatis in cœlum.* 1. Reg. cap. 5. v. 12. hyperbolica hæc loquendi forma significat altum & acutissimum clamorem. Poëtæ frequenter utuntur hoc loquendi modo; mihi sufficiat nunc Virgilius, qui lib. 2. Æneid. v. 222. de Laocoonte ait;

Clamores simul horrendos ad sidera tollit.

Et rursus v. 487.

- - Cava plangoribus ædes
Fœmineis ululant. Ferit aurea sidera clamor.

Denique lib. 12. vers. 409.

- - It tristis ad æthera clamor
Bellantûm juvenum, & duro sub Marte cadentûm.

CAP. VI. ℣. 2.

151. Sacerdotes æstimati. CUm ageretur de gravissimis & summi momenti negotiis totius provinciæ; Philistæi, ut malis suis reperirent temperamentum, & consilium saluti publicæ ac privatæ caperent, mox recurrerunt ad sacerdotes, quorum existimatio & authoritas apud ipsos summi fiebat. *Vocaverunt Philisthiim sacerdotes & divinos, dicentes; quid faciemus? &c.* 1. Reg. c. 6 v. 2.

Multæ etiam nationes Gentiles maximam habuere de sacerdotibus æstimationem. Æthiopes, teste Strabone l. 17. Geograph: ad arbitrium sacerdotum creabant ac deponebant Reges. In Ægypto, ut refert Ælianus l. 14. sacerdotes, veluti Judices, decernebant singulas controversias publicas & privatas. In Persia ad Regnum promovebantur soli sacerdotes, ut refert Eusebius in Chronico. Judices in Atheniensium Areopago erant omnes sacerdotes, uti desumitur ex Josepho l. 14. Antiquit. c. 16. Cæsar lib. 6. de Bello Gallico scribit. Druides apud Gallos fuisse judices omnium causarum civilium & criminalium, publicarum & privatarum.

CAP. VI. ℣. 3.

QUando arca Dei morabatur in terris & civitatibus Philistæorum; infirmitates, desolationes, & mortes ex omni parte inundabant. Unde prudentiores censuerunt, arcam restituendam esse Israëlitis; unaque Deo Israëlis optima munera offerenda; sic enim promittebant, certò obtentum iri sanitatem & vitam. *Si remittitis arcam Dei Israël; nolite dimittere eam vacuam; sed quod debetis ei, reddite pro peccato; & tunc curabimini.* 1. Reg. 6. v. 3. 152. Munera placant Deos.

Cùm pastor quidam apud Virgilium lib 4. Georg. v. 532. multùm affligeretur ob ingentem ac mortiferam contagionem apum; consilium accepit, ut reparando tanto malo offerret Napæis obsequiosa munera;

Hæc omnis morbi causa, hinc miserabile Nymphæ
Exitium misêre apibus. Tu munera supplex
Tende petens pacem, & faciles venerare Napæas,
Namque dabunt veniam votis, irasque remittent.

CAP. VI. ℣. 12.

VAccæ junctæ currui, in quo vehebatur arca Dei, directa via progrediebantur ad civitatem Israëlitarum, quo perduci debebat; & simul tristes mugitus repetebant, veluti dolorem suum demonstraturæ, quod à vitulis & armentis propriis separarentur. *Ibant autem in directum vaccæ per viam, quæ ducit Bethsemes, & itinere uno gradiebantur pergentes & mugientes.* 1. Reg. 6. v. 12. 153. Vaccæ mugiunt ob absentiam vitulorum.

Virgilius lib. 8. Æneid agens de Hercule, qui furto sublatis certis bobus, jamjam volebat eos alio ducere; v. 213. ait;

Interea cùm jam stabulis saturata moveret
Amphitryoniades armenta, abitumque pararet:
Discessu mugire boves, atque omne querelis
Impleri nemus, & colles clamore relinqui.

In hunc locum P. La Cerda adducit verba Livii; *Inde, cùm actæ boves, quædam ad desiderium, ut fit, relictarum mugissent.* Et Lucretius lib. 2. loquens de quadam vacca;

-- -- Complet que querelis
Frondiferû nemus assistens, & crebra revisit
Ad stabulum, desiderio præfixa juvenci.

Ita Ovidius lib. 4. Fast: loquens de Cerere, afflicta ob raptum Proserpinæ;

Ut vitulo mugit sua mater ab ubere rapto,
Et quærit fætus per nemus omne suos.

CAP. VI. ℣. 14.

POstquam arca Dei perducta fuit in terras Israëlis, saxum quoddam, jacens in campo Josue Bethsamitæ, assumebatur loco altaris; ubi currus dissolvebatur, & ligna illius, à ministris scissa, in rogi formam construebantur; supra quem occiderunt, & Deo in holocaustum obtulerunt vaccas, quæ currum illum traxerunt. *Et conciderunt ligna plaustri; vaccasque imposuerunt super ea holocaustum Domino.* 1. Reg. c. 6. v. 14. idque ideò factum est, ut ait P. Franciscus Mendoza; *ut combusto illo plaustro, & immolatis illis vaccis, quæ arcam tulerant, feliciter sibi ominarentur Bethsamitæ, arcam nunquam amplius ex Judæa avehendam esse, & ad exteras gentes exportandam.* 154. Currus combustus.

Currus sponsæ combustus.

Similis consuetudo fuit olim in Bæotia; ubi, teste Plutarcho in quæst: Roman: n. 29. sponsa perducenda ad domum mariti, sedebat super currum, descendente autem sponsa, mox ante domum solebat comburi currus; *innuentes sponsa, manendum esse, sublato avehendi instrumento*; ut ait citatus Plutarchus. Simili argumento refert P. Famianus Strada lib. 1. de Bello Belgico quod Carolus V. postquam renuntiaverat Regnis ac imperio, perductus fuerit è Flandria in Hispaniam, ubi subjungit; *Vix descenderat è prætoria navi Cæsar; quum fœda illuc exorta in portu tempestas, classem impetu disjecit, Prætoriam hausit: quasi non vectura amplius Cæsarem, Cæsarisque fortunam.*

CAP. VII. ℣. 12.

155. Cum Principes Hebræorum ex improviso in civitate Masphat, undique dura obsidione à Philistæis constricti, congregarentur; recurrerunt ad intercessionem Samuelis, ut obtineret auxilium divinum, cùm deficerent vires humanæ. Unde Deus grandi fragore tonitruorum terruit barbaros, & animavit Israëlitas, qui generoso animo è civitate egressi, consternatos Philistæos ingenti clade obruerunt. Ad æternam memoriam dignissimi hujus successus, & in authenticum testimonium suæ gratitudinis erga Deum salvatorem ac liberatorem, Samuel erexit lapidem instar columnæ, eumque vocavit lapidem divini auxilii. *Tulit autem Samuel lapidem unum, & posuit eum inter Masphat & inter Sen; & vocavit nomen loci illius, lapis adjutorii.* 1. Reg. 7. v. 12.

Monumentum victoriæ.

Cum Deus Carolo Magno concessisset miraculosam victoriam; locus, in quo feliciter præliabatur, & gloriosè vincebat, ab eo cognominatus fuit *mons adjutorii*; ut testatur Crantzius lib. 2. Saxoniæ. cap. 4.

CAP. VII. ℣. 16.

156. Nunquam satis deprædicari potest pastoralis vigilantia & laboriosa diligentia Samuelis Prophetæ, qui, cùm esset Judex supremus, & Princeps populi Hebræi, licet habitaret in Ramatha, tres tamen alias civitates determinavit, in remotissimis confiniis Judeæ sitas, ad quas statis temporibus cujusvis anni proficiscebatur, ut subditos suos visitaret, eosque solaretur, necessaria provideret, dissolutiones auferret, controversias componeret, & undique justitiam administraret. *Et ibat per singulos annos circuiens Bethel, & Galgala, & Masphat, & judicabat Israëlem in supradictis locis. Revertebaturque in Ramatha: ibi enim erat domus ejus &c.* 1. Reg cap 7. v. 16.

Civitates deputatæ ad visitationes.

Ita Romani in Bethica Hispaniarum provincia designarunt quatuor civitates, in quibus residebant Judices, ad causas decidendas & justitiam administrandam delegati. Unde Plinius lib. 3. cap. 1. *Bethica juridici conventus quatuor, Gaditanus, Cordubensis, Astigitanus Hispalensis.* Quantùm verò ad sollicitudinem visitandi; P. Franciscus Mendoza succosum hoc elogium tribuit cuidam Archiepiscopo Lusitano; *Ille Bracharensis, notæ sanctitatis Archipræsul, & Hispaniarum Primas, Bartholomæus à Martyribus, tanquam alter Samuel, totos viginti annos suæ Diœcesi præfuit: quam ubi senio confectus non potuit de more suo annuatim perlustrare, tanquam alter Samuel repudiavit. &c.*

CAP. VIII. ℣. 3.

157. Samuel venerandissimis dotibus ad invidiam usque instructus, ex una parte fuit commiseratione dignus, quòd videlicet habuerit filios degeneres & immorigeros. Adeoque prodigiosum ac mirum videri possit, quòd columba generarit milvos, & ovicula serpentes. *Non ambulaverunt filii illius in viis ejus: sed declinaverunt post avaritiam, acceperuntque munera & perverterunt judicium.* 1. Reg. 8. v. 3. Similis infelicitas accidit Davidi, qui fuit pater Absolonis, seditiosi ac perduellis fratricidæ. Salomoni, qui, tametsi sapientiæ prodigiis dotatus, filium tamen generavit stultum, Roboamum. Ezechiæ, Regi sancto, genitori tamen Manassis scelerati. Josiæ inculpabili, cujus filii ruerunt in delicta adeò execranda, ut Justitia divina jusserit, eos privari regno, & Judæam subjici aliis gentibus.

Filii degeneres.

Ælius Spartianus in vita Alexandri Severi demonstrat, eandem infelicitatem accidisse multis Principibus sæcularibus. *Reputanti mihi, Diocletiane Auguste, neminem propè magnorum virorum optimum & utilem filium reliquisse, satis claret. Denique aut sine liberis viri interierunt, aut tales habuerunt plerique, ut melius fuerit de rebus humanis sine posteritate discedere.* Et paulò post; *Quid de Cæsare? Quid de Tullio, cui soli melius fuerit liberos non habere? Quid de Augusto, qui nec adoptivum bonum filium habuit? Quid Marco felicius fuisset, si Commodum non reliquisset heredem? Quid Severo Septimio, si Bassianum non genuisset? &c.*

CAP. VIII. ℣. 11. &c.

Cum videret Samuel, populum Hebræum 158.
obstinate in eo persistere, ut ipsis eligeretur Rex; ille ad eos absterrendos describit futuras operationes Regis; nimirum quòd sub titulo Regis esset exercitaturus tyrannidem, seu oppressiones subditorum in emolumentum suorum redditúum, quod populos instar mancipiorum esset tractaturus, affligendo & coarctando illos mille modis; quòd ipsis violentâ manu ablaturus esset fundos & alia bona, distribuendo inter partiales suos amicos, quæ innocentibus iniquè abripuisset &c. *Hoc erit jus Regis*, id est, mos & possessio illius hominis violenti, *qui imperaturus est vobis. Filios vestros tollet, & ponet in curribus suis &c.* 1. Reg cap. 8. v. 11. *Filias quoque vestras faciet sibi unguentarias &c. Agros quoque vestros, & vineas, & oliveta optima tollet, & dabit servis suis, &c.* Ita sanè has actiones exercuit Achab & Jezabel, qui non sine tyrannide abstulerunt vineam & vitam Naboth, 3. Reg. c. 21 Adeoque in hoc discursu Samuelis genuine exprimitur indoles Tyranni, de quo Sinesius de Regno ita loquitur. *Qui per luxum potestate abutitur & imperium voluptate ac deliciis conterit, suas omnes cupiditates explendas sibi esse ducens &c & ut uno verbo dicam, qui gregem non saginare, sed à grege saginari vult. Eum inter pecora coquum appello, eum tyrannum esse censeo.*

Tyranni genius.

Iisdem coloribus à Gentilium penicillis repræsentatur effigies tyranni. Claudianus de Bello Gildonico canit;

.. — *Pars tertia mundi*
Unius prædonis ager. Distantibus idem
Inter se vitiis cinctus, quodcumque profunda
Traxit avaritia, luxu pejore refundit.
Instat terribilis vivus, morientibus hæres:
Virginibus raptor: thalamis obscænus adulter.

Nulla

Nulla quies : oritur prædâ cessante libido,
Divitibusque dies; & nox metuenda maritis;
Quisquis vel locuples, pulchrâ vel conjuge notus
Crimine pulsatur falsò &c.

Inexplebilis cupiditas Tyranni semper est sollicita ad subditos spoliandos, ut se ipsum repleat; unde Latinus Pacatus in Paneg: ad Theodos: cupiditatem illam in persona Maximi ita exaggerat. *Spes inter hæc nulla prædonis explendi. Nec enim (ut natura fert) copiam satietas sequebatur, crescebat indies habendi fames, & parandi rabiem parta irritabant.* Et paulo post; *Comportabantur interim spolia provinciarum, exuviæ exulum, bona peremptorum. Hic aurum matronarum manibus extractum, illic rapta pupillorum cervicibus bullæ, istic Dominorum cruore perfusum appendebatur aurum;* quod mirâ eloquentia prosequitur De hoc argumento multa colligit Joannes Stobæus serm: 47. & complura exprimit Petrarcha lib. I. de Remed: cap. 95.

CAP. VIII. ℣. 15. &c.

159. Samuel, explicans Israëlitis *jus Regis*, seu potestatem Regis & Monarchæ, ait; quòd vineas, campos & oliveta sit oneraturus certis contributionibus, ac exactionibus decimarum & tributorum. *Sed & segetes vestras, & vinearum redditus addecimabit.* 1. Reg 8. v. 15. *Greges quoque vestros addecimabit.* v. 17 In hanc rem S. Paulus Rom: 13 v. 1. ait; *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit.* additque expresse v. 7. *Reddite ergò omnibus debita: cui tributum, tributum: cui vectigal, vectigal.*

Onera imposita à Principibus.

Itaque Princeps sibi soli reservat facultatem imponendi subditis onera & gabellas; id quod centeni testes legales confirmant. Hermogen: ff. de publican l. 10. *Vectigalia sine Imperatorum præcepto, neque Præsidi, neque curatori, neque curiæ constituere, nec præcedentia reformare, & his vel addere, vel diminuere licet.* Severus Imperator C. Vectigal nov. instit. non poss: l. 2. *Vectigalia nova, nec decreto civitatum institui possunt.* Gallienus l. seq: *Non solent nova vectigalia inconsultis principibus institui.* Lælius Mancinus l. 2. Collatorum cap. 165. has & alias doctrinas ingeniosè accumulat.

CAP. VIII. ℣. 18.

160. Cum Israelitæ obstinatè vellent Regem; Samuel prophetico spiritu prædicit fore, ut eos pœniteat; & quòd ipsius violentiis ac injuriis oppressi, frustrà postea suas voces levaturi sint ad cœlum,, prorumpendo in vanas & inutiles querelas. *Et clamabitis in die illa à facie Regis vestri, quem elegistis vobis & non exaudiet vos Dominus &c.* I Reg. c. 8 v. 18 id est, ut interpretatur Vatablus, *propter injurias, quibus afficiet vos Rex vester.*

Fabri propriorum malorum.

Ita cum columbæ, ut fabulæ referunt, Regem elegissent accipitrem, ut eos defenderet contra milvum à rapaci suo Principe receperunt grandia damna & sanguineas strages; Unde Poëta canit;

Accipitrem milvi pulsurum bella columbæ
Accipiunt Regem, qui magis hoste nocet.

Etiam subjungere placet fabulam de Ranis, quæ supplicabant Jovi, ut ipsis concederet Regem; *Jupiter stultis earum precibus motus, Hydrum illis dedit in Regem.* Sed quid? *Is in diem, cum ranas devoraret, Jovem ranæ precantur, ut regem sævum atque immanem ab eis amoveret. Tum inquit Jupiter. Quem tot precibus regem exorâstis, eum vobis perpetuum habetote.* Æsop:

CAP. VIII. ℣. 20.

Tametsi Rex Israëlitarum à subditis exigeret multa & gravissima obsequia, ut habetur 1. Reg 8. à n. 11. usque ad 18. subditi tamen nihil aliud à Rege prætendunt, nisi ut sit ipsorum Judex; quod simul importat, ut tempore belli exercitum præcedat, primusque sit ad labores & pericula. *Iudicabit nos Rex noster, & egredietur ante nos, & pugnabit bella nostra pro nobis* ibid. num. 20. 161.

Rex debet præcedere.

Quòd Rex teneatur præcedere subditos, eosque proprio exemplo confortare, & ad operandum stimulare, documentum est gravissimi momenti. Hanc laudem Dion Cassius tribuit Adriano Imperatori, qui non solùm exercitavit suos milites in omnibus functionibus militaribus, sed etiam exemplo præcessit. Lampridius describit Alexandrum Severum, qui pedes progrediebatur ante exercitum, veluti esset gregarius miles. Claudianus in 4. Consul: Honor: introducit Theodosium Imperatorem, Principi filio ita loquentem;

— -- *Si collis iniquus*
Primus ini;

Et paulò post;

Calcatur si pigra palus, tuus antè profundum
Pertentet sonipes; fluvios tu protere curru
Hærentes glacie, liquidos tu scinde natatu. &c

CAP. IX. ℣. 2.

Sacer Textus non solùm recenset genealogiam Saulis, electi in novum & primum Regem Hebræorum; sed insuper refert proprias ipsius qualitates; dum ait, *Erat ei* (videlicet Cis, homini præstanti è tribu Benjamin) *filius nomine Saul, electus & bonus.* 1. Reg. 9. v. 1. *Electus*, id est, ut interpretatur Chaldæus, ætate robustus & juvenis, *juvenis pulcher.* Unde Josephus lib. 6. Antiquit: cap 4. loquens de Cis; *Hujus filius*, inquit, *jam erat juvenculus, formaque pulcherrimus, & corpore valde procerus, qui multos mente ac prudentiâ præcederet, vocabaturque Saul.* 162.

Juventus prudens.

Alii fuêre, qui, instar Saulis, ætati juvenili junxerunt senilem prudentiam, & ad regendum optimè accommodatam. Persius Sat: 4.

Sunt, quibus ingenium, & rerum prudentia velox
Ante pilos venit.

Homerus dicit, Diomedem inter omnes Reges Argivos fuisse annis minimum, & maximum prudentia. Plutarchus in Alexandri, adhuc juvenis, vita scribit; *Gloriæ cupiditas ejus supra ætatem spiritus habebat solidos & celsos.* Sophocles;

Perdidi herum, qui vir, & puer.
Puer quidem ætate, vir autem prudentiâ,

Virgilius, loquens de Ascanio Æneid: l. 9. v. 11.

Ante annos, animumque gerens, curamque virilem.

Ovidius de celebri Germanico l. 2. Pont. Eleg 2.

Præterit ipse suos animo Germanicus annos.

Et in alio in loco;

Ingenium cæleste suis velocius annis
Currit.

CAP. IX. ℣. 2.

163. INter alios præstantiores titulos, quibus Saul celebrabatur dignus corona, præcipuus fuit ille, quod fuerit bonus, id est, homo benevolus, justus, & integerrimus. *Erat ei (Cis) filius nomine Saul, electus & bonus.* 1. Reg. 9. v. 2. In hunc sensum Tertullianus lib. de Præscriptionibus adversus Hæreticos cap. 3. *Saul bonus præ cæteris, livore postea evertitur.* Et Cardinalis Bellarminus lib. 3. de justificat: cap. 14. *Saul initio bonus & justus fuit; & tamen non solum peccavit, sed etiam reprobus & damnatus creditur.*

Rex sit bonus & integer.

Titulus boni fuit à prudente antiquitate tributus Regibus; ut semper recordarentur, nomen debere respondere factis; Virgilius lib. 1. Æneid. vers. 198.

-- -- *Socios partitur in omnes*
Vina bonus, quæ deinde cadis onerârat Acestes &c.

Martialis de suo Domitiano;

Et bonus æthereo lætatur nectare Cæsar

Et rursus lib. 12. Epigr: 6. inter correcta de Nerva Trajano;

Temporibusque malis ausus es esse bonus.

Similiter Horatius lib. 4. Carm: od. 5.

Divis orte bonis, optime Romule.

CAP. IX. ℣. 2.

164. SAul repræsentatur pulchritudine insignis, & statura conspicuus ac majestate plenus; veluti ob has prærogativas omnibus aliis excellentior, & consequenter aliis ad coronam capacior & dignior. *Erat ei filius vocabulo Saul, electus & bonus; & non erat vir de filiis Israel melior illo: ab humero & sursum eminebat super omnem populum.* 1. Reg. 9. v. 2. Unde Severus Sulpitius lib. 1. Sacr. Hist. *Saul modestus animi, forma excellenti erat, ut meritò dignitati regiæ conveniret.*

Præsentia digna sceptro.

Aristoteles lib. 4. Politic: cap. 4. scribit, Æthiopibus fuisse in more positum; *Ut secundùm magnitudinem, aut secundùm pulchritudinem, magistratus, honoresque publici distribuerentur.* Lucretius, vicinus illis sæculis, lib. 5. canit;

Præsidum Reges ipsi sibi, perfugiumque,
Et pecudes, & agros divisêre, atque dedere
Pro facie cujusque, & viribus, ingeniisque
Nam facies multùm valuit &c.

CAP. IX. ℣. 2.

165. SAul, qui dignitatis celsitudine debebat eminere supra alios, & majestate regia honorari; deprædicatur omnibus superior ob celsitudinem staturæ, monstrans majestatem verè elevatam, dignamque imperio. *Non erat vir de filiis Israël melior illo: ab humero & sursum eminebat super omnem populum.* 1. Reg. c. 9. v. 2.

Altitudo staturæ digna imperio.

Historici & Poëtæ, quando agunt de personis grandibus & ob potentiam & authoritatem, simul describunt illas grandes sublimitate corporis. Herodotus lib. 7 affirmat, Xerxen in omnibus suis numerosis & infinitis exercitibus non habuisse ullum, qui ipsum superasset statura. Plutarchus describit Romulum celsitudine eminentem. Suetonius de Cæsare ait, *Fuisse traditur excelsa staturâ.* Et Tiberius; *statura fuit, quæ justam excederet.* Plinius, celebrans Trajanum in Panegyrico dicit; *Tu sola corporis proceritate altior aliis & excelsior.* Hector, Priamus, Ajax, & Eurialus, ab Homero repræsentantur membris sublimes & conspicui. Virgilius lib. 6. Æneid.

Aspice ut insignis spoliis Marcellus opimis
Ingreditur, victorque viros supereminet omnes.

Et lib. 7.

Ipse inter primos præstanti corpore Turnus
Vertitur, arma tenens, & toto vertice supra est.

Et lib. 8.

Mirabarque duces Teucros, mirabar & ipsum
Laomedontiadem: Sed cunctis altior ibat
Anchises.

CAP. IX. ℣. 7.

CUm Saul deberet recurrere ad oraculum & Prophetiam Samuelis, secum consultabat, quo modo posset se exhibere gratum versus bonum illum Dei servum; Affligebatur ergò, quòd non haberet sportulas, id est, interprete Budæo, munera ciborum aut nummorum, quæ solebant intra parvulas sportas circumferri. *Et sportulam non habemus, ut demus homini Dei.* 1. Reg. 9. v. 7. 166.

Sportulæ ad quid deserviant.

Sportulæ, quantùm continebant parvulam quantitatem ciborum, commemorantur à Suetonio in Domitiano cap. 4. *Senatui, Equitique panariis & plebejis sportellis cum obsonio distributis.* quantùm verò serviebant portandis paucis pecuniis, eas commemorat Martialis;

Dat Bajana mihi quadrantes sportula centum

CAP. IX. ℣. 9.

REvelationes internæ, quibus Deus dignatur suos servos, erant tantæ certitudinis, ut Prophetæ res revelatas actu viderentur aspicere, ac propriis oculis subjectas habere. Unde Prophetæ vocabantur *Videntes.* Nam, ut 1. Reg. cap. 9. v. 9. explicatur; *Qui Propheta dicitur hodie, vocabatur olim videns.* 167.

Propheta videns.

Magis & Sibyllis tribuunt Mythologi Poëtæ hanc prærogativam, finguntque, ipsos actualiter vidisse, quod prædicebant. Ita Virgilius lib. 6. Æneid. Sibyllæ ore canit;

— — *Bella horrida, bella,*
Et Tyberim multo spumantem sanguine cerno

Et lib: 7.

Continuò Vates, externum cernimus, inquit,
Adventare virum.

Petronius Arbiter ita introducit loquentem Fortunam;

Cerno equidem gemina jam stratos morte Philippos,
Et Lybiæ cerno tua, Nile, gementia castra.

CAP. IX. ℣. 12.

ADeò magna & insignia erant merita ac virtutes Samuelis, ut etiam puellæ, *egredientes ad hauriendam aquam*; 1. Reg c. 9. v. 11. eum digito monstrarint Sauli, dum dixere; *Hic est, Ecce ante, &c.* v. 12. hac loquendi forma S. Bernardus Serm: 168.

Homines eminenti monstrantur digito.

Serm. 12. in Cant. celebrat personas beneficas, & publicè amatas; *Monstratur*, inquit, *digito, & dicunt de eo omnes: hic est fratrum amator &c.*

Demosthenes, referente Tullio l. 5. Quæst. Tuscul. n. 79. gloriabatur hac aura & applausu populari: *Leviculus noster Demosthenes; qui illo susurro delectari se dicebat, aquam ferentis muliercula, ut mos in Græcia est, insusurrantisque alteri; Hic est ille Demosthenes.*

Eodem modo Horatius reddebat Musis gratias,

Quòd monstror digito prætereuntium
Romanæ fidicen Lyræ.

Martialis lib. 9. loquens de suo Æmulo;

Rumpitur invidiâ, quod turbâ semper in omni;
Monstramur digito; rumpitur invidiâ.

Ad hoc propositum Persius Satyr. 1.

At pulchrum est digito monstrari, & dicier; Hic est.

CAP. IX. ℣. 12.

JUvenis Saul, sequens vestigia Samuelis Prophetæ; qui negotiorum causa accesserat civitatem, quasdam puellas, egressas civitate ad hauriendam, interrogavit ubinam esset Samuel; quæ ei responderunt; *Festina nunc, hodie enim venit in civitatem.* 1. Reg. 9. v. 12. Quæ verba clarè innuunt, illum servum Dei habitâsse solitarium, & ab aliis separatum; *Quia*, ut inquit S. Gregorius lib. 4. in 1. Reg. c. 9. *rarò videbatur in civitate; videlicet tardè veniens, citò recedens.* Et subjungit; *Quo nimirum magisterio sanctæ Ecclesiæ Doctor instruitur, ut videlicet raro sit in publico, frequens in secreto: ut quò tardius aspicitur, devotius veneretur.* Istud documentum cuivis bono religioso tribuunt sancti Patres, inter quos S. Petrus Damianus in

Solitudo æstimata.

Apolog. c. 26. *Apud seculares religiosus quisque veluti pictura est. Pictura namque si procul assistat, inhianter & cum aviditate prospicitur: si juxta sit, contemptibilis judicatur. Et spiritualis quisque carnalibus absens quidem timeri, præsens autem videtur esse despectui.* Ita Herodes, absentem Christum videre summè desiderans, præsentem contemptui habuit. Luc. 23. vers. 11.

Familiaritas nocet.

Maximus Tirius serm. 29. *Ea mentis humanæ impudentia est, ut, quæ exposita sunt, minoris faciat: quæ abstrusa, vehementer admiretur.* Apulejus lib. de Deo Socratis. *Parit conversatio contemptum: raritas conciliat ipsis rebus admirationem.* Et Seneca lib. de Tranquill. animi c. 15. *Sunt, qui fastidiant, quidquid propius adierunt.*

CAP. IX. v. 15.

169. CUm sacer Textus insinuare vellet, quòd Deus revelaverit Samueli adventum Saulis, usus est hac loquendi forma; *Dominus autem revelaverat auriculam Samuelis. &c.* 1. Reg. c. 9. v. 12.

Revelare aurem.

Haud aliter 1. Reg. 20. v. 13. Jonathas Davidi loquens; *si perseveraverit patris mei malitia adversum te, revelabo aurem tuam.* Et ubi nos legimus 1. Reg. 22. v. 8. quòd Saul servis suis dixerit; *Non est, qui mihi renuntiet;* Septuaginta traducunt; *Non est qui revelet auriculam meam.*

Ab hac loquendi forma non multùm recedit Virgilius Eclog. 6. v. 3.

Cùm canerem Reges, & prælia, Cynthius aurem
Vellit, & admonuit. &c.

Hanc loquendi formam postea imitatus est Calfurnius in suis Buccolicis;

— — Vellit nam sæpius aurem
Invida paupertas, & dicit, vilia cura.

In hoc argumentum Valerius Maximus lib. 1. cap. 5. *Consentaneo vocis jacta Caji Cassii aurem fortuna pervellit.*

CAP. IX. ℣. 24.

UT Saul præ omnibus convivis honoraretur, Samuel expressè jussit ei apponi armum victimæ, paulò ante occisæ. *Levavit autem cocus armum, & posuit ante Saul.* 1. Reg. 9. v. 24. 170.

Armus appositus honoris causa.

Eodem modo soliti sunt antiqui Gentiles honorare suos Magnates. Athenæus lib. 1. scribit. *Sunt & optimatibus in convivio honores. Diomedes enim & carnibus, & plenis poculis honoratur: & Ajax honestatur longis tergoribus;* alludens ad lib. 8. Iliadis tam quoad Diomedem, quàm quoad Ajacem. Ad eundem locum Homeri reflectens Dion Chrysostomus Orat. 2. *Ajacem post victoriam accipit dorso bovis.* In hunc locum scribit Eustatius; *Apponendas carnes ex humeris victimarum his, qui præstant dignitate.* Ad istum morem alludit Virgilius lib. 8. Æneid. v. 182.

Vescitur Æneas, simul & Trojana juventus
Perpetui tergo bovis, & lustralibus extis.

CAP. X. ℣. 1.

ANtiquissimo more ungebantur Reges. Unde in libro Judicum c. 9. v. 8. scribitur; *ierunt ligna, ut ungerent super se Regem.* Primus Rex, consecratus unctione, fuit Saul, de quo 1. Reg. 10. v. 1. *Tulit autem Samuel lenticulam olei, & effudit super caput ejus: & deosculatus est eum, & ait: Ecce, unxit te Dominus super hereditatem suam in principem &c.* Post hunc à Samuele fuit in Regem unctus David; 1. Reg. 16. v. 13. à Sadoc sacerdote Salomon; 3. Reg. 1. v. 39. ab Elisæo Jehu. 4. Reg. 9. v. 6. &c. 171.

Unctio Regis.

Hic mos transiit ad Principes Christianos, qui solent Reges & Imperatores suos ungere, ut apparet ex Lege Canonica C. *Venerabilem, Extra. De Electione.* Et Cap. *Cùm venisset. De sacra Unctione* Petrus Gregorius de Republ. l. 8. c. 2. n. 11. ait: *Unguntur Reges Francorum Rhemis ab Archiepiscopo & Patritio Rhemensi: aliqui tamen consecrati alibi, & uncti sunt;* ut S. Ludovicus Suessione, & alii Aureliani. Ita *Rex Angliæ*, subjungit idem Petrus Gregorius, *ungebatur à primate Cantuariensi, rem divinam faciente. &c.*

CAP. X. ℣. 11.

PRodigium videbatur Hebræis, quòd Saul, cùm non fuisset Levita, sed Benjamita, à Propheta sit applicatus, ad cantandas videlicet laudes divinas; & quòd tanta felicitate composuerit hymnos & versus, cùm tamen antea nunquam didicisset poësin. Unde attoniti dicebant; *Num & Saul inter prophetas?* 1. Reg. c. 10. v. 11. qui modus loquendi postea assumptus est proverbii loco, ad designandas personas, quæ funguntur aliquo officio aut munere, ad quod antea videbantur inepti. 172.

Saul inter Prophetas.

Talia sunt illa adagia, communiter usitata; *Asinus ad lyram. Asinus inter apes. Graculus, seu Corvus inter musas. Anser inter olores*, de quo Virgilius Eclog. 9. v. 35.

Asinus ad lyram.

Nam neq; adhuc Varo videor, neque dicere Cinna
Digna, sed argutos inter strepere anser olores.

Et Theocritus Idil. 5. *Non licitum Lacon ad Luscinias picas contendere, neq; upupas cum Cycnis*; & rursus: *Bombylans vespa cum cicada.*

CAP. X. ℣. 11.

173. QUotidiana experientia docet, vix orto ad illustrandum aliquod corpus lumine, mox è vicino videri excitatam umbram. Quamprimùm Saul factus est socius Prophetarum, cœpitque, prorumpendo in voces propheticas, & sacra cantica decantando, insignes suas dotes ostendere; mox populus ei illusit ac hoc dicterio excepit; *Quænam res accidit filio Cis? Num & Saul inter Prophetas?* Unde S. Ambrosius lib. 1. Offic. c. 43. *Saul, vallatus choro Prophetarum, etiam ipse prophetavit: & de solo quasi indigno memoratum est: Etiam Saul inter Prophetas.*

Virtus illusa.

Contra hanc malignitatem mundanam insigne antidotum præbet Epictetus Philosophus cap 22. *Si Philosophiam cupis, prepara te continuò. ut irridearis. ut subsanneris à multis; ut dicant, repente nobis Philosophus emersit: & unde nobis hoc supercilium? Tu verò supercilium quidem non habe, quæ verò tibi optima videntur, ita retine, tanquam sis à Deo in hac acie collocatus. &c.*

CAP. X. ℣. 22.

174. QUamprimum Saul animadvertit, se invitari ad coronam & Regnum, tanta dignitate se indignum æstimans, aufugit & se abscondit. *Ecce absconditus est domi.* 1 Reg. 10. v. 22. Ubi Abulensis; *Abscondebat se Saul ex humilitate, quia judicabat se indignum ad tantum principatum.* In hunc sensum etiam scribunt Cajetanus, Nicolaus de Lyra, Richelius. Hugo Cardinalis, Procopius, Theodoretus &c.

Fugere dignitates.

Modestiam Saulis imitatus est Constantinus Imperator, de quo Eumenius; *Diceris Imperator, ardorem te deposcentis exercitus fugere conatus, equum calcaribus excitâsse.* De Imperatore Theodosio Latinus Pacatus ait; *Illud præ cæteris mirum, quòd cùm omnia faceres. ut imperare deberes; nihil tamen faciebas, ut imperares. Argumento est dies ille. quo, cùm ad suscipiendum imperium vocabaris, oblatum imperium deprecatus es. Audite parricidæ: repulsam patitur principatus; & unus est ambitus candidati, ne declaretur.* Valerius Maximus l. 4. c. 1. ad honorem Scipionis Africani ait; *Cùm Respublica ei continuum per omnes vitæ annos consulatum, perpetuamque dictaturam tribuere vellet, neutrum sibi conferri passus est. Atq; ita penè tantùm in recusandis honoribus gessit, quantùm gesserat in emerendis.* His addi possent exempla S. Gregorii Papæ, qui longo tempore, mansit absconditus in spelunca, ne promoveretur ad summum Pontificatum. S. Augustini, qui è civitate aufugit, in qua advertit, se invitari ad dignitatem Episcopalem. S Ubaldi, Canonici regularis, qui constanter recusavit Episcopatum Perusinum; S. Antonini, qui inter diluvia lachrymarum coactus fuit ad Archiepiscopatum Florentinum. &c.

CAP. X. ℣ 23.

175. SAul, recens ad Regnum electus, toto populo excelsior & eminentior apparuit. *Stetitque in medio populi & altior fuit universo populo ab humero & sursum.* 1. Reg. 10. v. 23. ut significetur, verum Principem debere tam altitudine staturæ, quàm sublimitate virtutis ac meriti reliquos antecellere. Ita S. Gregorius Papa lib. 4. in Reg. 4. *Hac quippe specie corporis præsignantur acta virtutis, ut qui altior esset in populo, capite usque ad humerum Regis pertingeret: futurus verò Rex collo & capite altitudinem omnium superaret.* In hoc argumentum S. Joannes Chrysostomus Hom. 13. in Luc de perfecto Principe ait; *Non ideò sit melior quia major, sed ideò major, quia melior.*

Princeps sit melior subditis.

Aristoteles lib. 5. Polit. c. 10. exactè juxta qualitates, in Saule deprædicatas, describit personam Regis. *Rex constituitur ex idoneis, aptuq; ob eminentiam virtutis, aut actionem, quæ ex virtute.* Ita Isocrates ad Nicoclem Regem exprimit, qualis debeat esse verus Princeps: *Hac itaque reputantem adniti decet, ut, quantùm cæteros antecellis honoribus, tantumdem & virtutibus eos præcedas.* Imò ipsemet Cyrus, referente Xenophonte lib. 8. Cyropæd. *Non censebat convenire cuiquam imperium, qui non melior esset iis quibus imperaret.*

CAP. X. ℣. 24.

PRomotionem Saulis ad Regnum immediatè secuta est popularis acclamatio, qua novo Regi augurabantur longam vitæ felicitatem. *Clamavit omnis populus, & ait: Vivat Rex.* 1. Reg. 10. v. 24. Idipsum contigit in unctione Salomonis ad Regnum; nam *Dixit omnis populus: vivat Rex Salomon.* 3. Reg. 1. v. 39. Et in promotione Joæ ad coronam; *feceruntque eum Regem, & unxerunt: & plaudentes manu, dixerunt: Vivat Rex.* 176.

Acclamatio novi Regis.

Festivi hi applausus reperiuntur frequentes apud Profanos. Lampridius ad honorem Alexandri Severi ait; *Acclamatùm. Auguste innocens, Dii te servent. Alexander Imperator, Dii te servent. Dii te nobis dederunt, Dii conservent, Dii te perpetuent.* Julius Capitolinus *lib. De rebus Gestis Gordianorum* refert istas acclamationes. *Gordiane Auguste, Dii te servent feliciter. Imperator es, cum filio imperes.* Et in vita Maximi & Balbini; *Post hac acclamatum est uno consensu Maxime & Balbine Augusti Dii vos servent, Dii vos principes fecerunt, Dii vos conservent. &c.*

CAP. X. ℣. 27.

QUantumvis populus Hebræus prosecutus fit novum Regem Saulem lætis acclamationibus; non tamen defuère homines protervi, seditiosi, & diabolici, qui rebelli contumacia murmurârunt; *Filii Belial dixerunt: Num salvare nos poterit iste? & despexerunt eum.* At Saul tantundem prudens, quantùm ipsi temerarii, *dissimulabat se audire.* 1. Reg. 10. v. 27. In hoc argumentum præclarè S. Isidorus l. 3. sentent. c. 50. *Plerumque Princeps justus etiam malorum errores dissimulare novit: non quòd iniquitati eorum consentiat: sed quod aptum tempus correctionis expectet &c.* Hoc consilium dedit S. Bernardus suo Eugenio, recens ad summum Pontificatum promoto; *Pauca castiges, multa dissimules* 177.

Dissimulatio Principis.

Hæc injuriarum dissimulatio fuit celebrata in Octaviano Augusto, de quo Seneca l. 1. de Clement. c. 10. *Bonum Principem Augustum, & benè illi convenisse Parentis nomen fatemur ob nullam aliam causam, quàm quòd contumelias quoque suas nullâ crudelitate exequebatur; quòd probrosis in se dictis*

dictis arrisit &c. Cicero lib. 9. Epist. docuit; *Eos, quibus commissa est Respublica, ut ad effectum suorum consiliorum veniant, oportere ut multa simulent inviti, multa dissimulent cum dolore.* Alphonsus Rex Neapolis & Arragoniæ solitus est dicere; *Regium esse, non solum benefacere, sed & mala etiam patienter audire.* vulgatissimum est axioma, sæpius repetitum à Ludovico XI. Rege Galliarum; *Qui nescit dissimulare, nescit regnare.*

CAP. XI. ỷ. 5.

178. TAmetsi Saul receptus & insignitus applausibus regiis; non tamen intermisit solita sua exercitia civilia & rustica; Ita 1. Reg. 11. v. 5. *Et ecce Saul veniebat sequens boves de agro.* id est, revertebatur domum fatigatus arando & secando terram; ut explicant Josephus Hebræus, Richelius, Cajetanus, Abulensis, & alii; neque mirum videri debet, quòd Rex se applicaverit agriculturæ, cùm eidem intenderit Adamus, juxta illud Gen. c. 2. v. 15. *Posuit eum in paradiso voluptatis, ut operaretur. &c.* Et Noë Gen. 9. v. 20. *Cœpitq; Noë vir agricola exercere terram.* Eidem deditus fuit Samgar, princeps populi, qui multos Philistæos occidit aratro. Judic. c. 3. v. 31. illo videlicet instrumento, cui assueverat. &c.

Principes agricolæ.

Romulus, Remus, Curius, Fabricius, aliique veteres Romani, simul erant Principes & agricolæ. Testantur id Plinius lib. 18. cap. 3. *Ipsorum manibus Imperatorum colebantur agri; gaudente terra vomere laureato, & triumphali aratro.* Et Valerius Maximus lib. 4. c. 4. *Illi prædivites, qui ab aratro accersebantur, ut consules fierent, voluptatis causa solum versabant &c.* De hoc argumento Columella in præfat. lib. 1. de Re Rustica. Silius Italicus lib. 1. Et Claudianus l. 4. de Consulatu Honorii.

CAP. XI. ỷ. 7.

179. VIolenta tyrannide Naas, Regis Ammonitarum, vehementer concitatus Saul, decrevit, cum eo generosè confligere: unaque duos boves in frusta concidens, eorumque sanguinea frusta in omnes Judeæ angulos mittens, rigoroso edicto jussit, ut ipsum omnes armatis manibus ad bellum sequerentur, secus enim, minabatur ipsorum armentis similem stragem. *Et assumens utrumq; bovem, concidit in frusta, misitq; in omnes terminos Israël, per manum nuntiorum, dicens; quicumq; non exierit, & secutus fuerit Saul, & Samuel, sic fiet bobus ejus.* Simile fuit factum Levitæ Judic. cap. 19. v. 29. cùm enim reperisset uxorem interfectam à brutali intemperantia Benjamitarum; *Arripuit gladium, & cadaver ejus, cum ossibus suis, in duodecim partes ac frusta concidens misit in omnes terminos Israël*; ut invitaret omnes ad severam & justissimam tantæ iniquitatis vindictam.

Membra concisa ad minitandum.

Similis, sed tamen longè atrocior fuit crudelitas Medeæ, de qua referunt Gentiles, & inter alios Ovidius lib. 5. Trist.

Membra soror fratris dissecuisse sui;

Spargendo frusta in publicis plateis, ut vel proprium patrem horrendi illius spectaculi acerbitate retineret, ne eam persequeretur; vel ipsi simile supplicium minaretur, si eam insequeretur, aut vindictam quæreret.

CAP. XII. ỷ. 3.

CUm Samuel resignaret regimen populi in manus Saulis, novi Regis, seipsum posuit ad Syndicatum Israëlitarum, eosque in conspectu omnium allocutus est in hæc memorabilia verba; *Loquimini de me coram Domino &c. utrùm bovem cujusquam tulerim aut asinum — si de manu cujusquam accepi munus, & contemnam illud hodie. &c.* 1. Reg. 12. v. 3. ad cujus honorem Ecclesiasticus cap. 46. v. 22. hoc elogium formavit; *Pecunias & usq; ad calceamenta ab omni carne non accepit, & non accusavit illum homo.* 180.

Munera recusata.

Samuelis protestationi non absimilis est illa C. Gracchi, de quo Aulus Gellius lib. 14. cap. 12. *C. Gracchus, quum ex Sardinia rediit, orationem ad populum in concione habuit: ea verba hæc sunt; ita versatus sum in provincia, ut nemo possit vere dicere assem, aut eo plus in muneribus me accepisse; aut mea opera quemquam sumptum fecisse.* Valerius Maximus l. 4. c. 3. summoperè laudat Marcium Coriolanum, Curium Dentatum, Fabricium Luscinum, & alios; quorum manus à munerum fuligine prorsus fuerunt alienæ & incontaminatæ.

CAP. XII. ỷ. 3.

PRotestationes Samuelis, coram populo Hebræo factæ. 1. Reg. c. 12. v. 3. *Loquimini de me coram Domino, & coram Christo ejus, utrùm bovem cujusquam tulerim aut asinum*; ex sententia P. Francisci Mendoza continent cujusdam proverbii formam, quo significatur, nullam alteri molestiam, injuriam, aut gravamen illatum fuisse. *Adverte videri formam proverbialem, nemini bovem aut asinum surripere; quæ significet, nemini injuriam inferre.* 181.

Auferre bovem est proverbium.

Usus est hoc loquendi modo Homerus lib. 1. Iliad. ubi Achilles, dicturus, se à Trojanis non accepisse ullam injuriam, quæ ipsum contra eos concitare potuisset, versu 154. recurrit ad hanc metaphoram;

Non enim unquam meas boves abegerunt
aut equos.

Simili modo S. Gregorius Nazianzenus, ut inferret, ab Antimo Episcopo usurpatam fuisse jurisdictionem cujusdam civitatis, spectantis ad S. Basilium, recurrit ad hujus proverbii formam, dum Epist. 31. seu 32. ad Basilium scribit; *Mulas ei arripuisse.*

CAP. XII. ỷ. 17.

PRæsupposito, quòd tempore messis in Palæstina nunquam soleat pluere; ut testatur S. Hieronymus in Amos c. 4. v. 7. idcircò insigne miraculum operatus est Samuel, quando è cœlo impetravit pluvias in medio summæ siccitatis. *Nunquid non messis tritici est hodie? invocabo Dominum, & dabit voces & pluvias. &c.* 1. Reg. 12. vers. 17. 182.

Pluviæ miraculosæ.

Ex hac historia desumpsit Græcia occasionem fingendi, quòd precibus Æaci fuerint è cœlo impetratæ abundantes pluviæ, quæ deserviebant ad recreandas spicas, jamjam languentes, adustas, & semimortuas. Observavit id S. Clemens Alexandrinus lib. 6. Strom. post initium; *Convincuntur ea imitari, quæ apud nos divinâ virtute fiebant mirabiliter; ea tanquam Græcas fabulas prodigiose narrantes.* Huic assentitur Eusebius lib. 10. de Præparat. Evangelica.

CAP.

CAP. XIII. ℣. 6.

183. IMmenso Philistæorum numero longè superati Hebræi, cùm viribus suis diffiderent resistere tanto exercitui, salutem quæsiverunt in cavernis & antris montium, intra quæ se receperunt. *Cùm vidissent viri Israël, se in arcto positos — absconderunt se in speluncis, & in abditis, in petris quoq; & in antris.* 1. Reg. 13, 6. Idipsum alia vice sunt soliti; cum enim viderent se à Madianitis oppressos; *fecerunt sibi antra & speluncas in montibus.* Judic. 6. v. 2. Quando Antiochi barbaries infestabat Palæstinam, Matathias & ipsius filii in cavernis montium se absconderunt. 1. Mach. 2. v. 28.

Montes loca receptaculi.

De Caracitanis, populis Tarraconensibus, affirmat Plutarchus in vita Sertorii; quod exercitu Romano sub Belliducis illius directione ad eos expugnandos conducto; ipsi confugerint ad horridas montium cavernas, ibique insuperabilibus vallis ex rupium copia constructis, & ipsius naturæ manu perforatis, hostilium armorum terrorem ludibrio habuerunt.

CAP. XIII. ℣. 14.

184. POstquam à Deo reprobatus fuit infelix Saul, protestabatur Samuel, quòd Deus studiosè quæsiverit, & exquisita providentia invenerit hominem, virtute eminentem, qui mereretur eligi in Regem; *Quæsivit Dominus sibi virum juxta cor suum, & præcepit ei Dominus, ut esset Dux super populum suum.* Ad hoc propositum S. Joannes Chrysostomus Hom. de David & Goliath; *Dominus Deus cùm Davidem Regem populo destinâsset, cumq; primò singulos homines & diversos attingeret, examinaret cunctos, plurimosq; pervideret, è quorum numero eligeret Regem, Rectorem præponeret, Ducem populo præficeret, invenit David, cujus meritum transiri non potuit.*

Virtus est character proprius Regis.

Quòd Rex debeat omnes præcedere meritis, sicuti eos præcedit gradu ac dignitate, dixit Basilius Imperator, exhortans filium suum Leonem c. 10. *Cave, ne regni malus custos degeneris aliquid, atque indigni committas, sed cùm cæteris prælatus es ut omnibus imperes, ita contende, ut virtute quoque cæteris antecellas.* Et subjungit; *Ne sis ergò veluti suppositiitius, atque adulterinus Dominus, cùm te alius præstantior; sed verus Imperator, cum cæteris omnibus virtute antecellas.*

CAP. XIII. ℣. 19.

185. CUm Israelitæ habitarent in terris Philistæorum, hi severo edicto illis interdixerunt, ne tenerent arma; ut nimirum tali modo iis subtraherent omnem occasionem tumultuandi, & jugum servitutis per rebelliones excutiendi. *Porrò faber ferrarius non inveniebatur in omni terra Israël: caverant enim Philisthiim, ne fortè facerent Hebræi gladium aut lanceam.* 1. Reg. 13. 19.

Arma ablata servis.

Aristoteles docet l. 2. Polit. c. 2. in republica benè gubernata debere servis auferri arma, ne habeant occasionem tumultuandi, & contra suos Dominos insurgendi. De Romanis referunt Valerius Maximus lib. 7. c. 6. & Alexander ab Alexandro lib. 6. c. 22. quòd arma solùm concesserint civibus, non autem servis, nisi fortè in extrema necessitate, prout fecerunt post cladem Cannensem. Ita etiam Cyrus, redactis ad obedientiam Lydis, qui contra eum tumultuabantur, arma & equos iis abstulit, ne ullam perduellionis cogitationem imposterum habere possent, ut scribit Justinus lib. 1. Justinianus Imperator, post conjurationem contra se factam, publicavit constitutionem Novell. 85. in qua jussit auferri personis privatis omnia arma. *Ne quis privatus esset armifactor, ac ne, qui publicè operi in armis faciendis inservirent, venderent ea privatis.* Idipsum refert Baronius ad Ann. 531.

CAP. XIV. ℣. 1.

JOnathas, accingendus ad impugnandos Philistæos, comitem elegit suum armigerum, cujus assistentia & adminiculo liberè eos est aggressus, & feliciter superavit. *Accidit quadam die, ut diceret Jonathas, filius Saul ad adolescentem armigerum suum. Veni, & transeamus ad stationem Philisthinorum &c.* 1. Reg. 14. v. 1. 186.

Socius utilis.

Huc reflectens Virgilius, heroëm suum Æneam semper introducit fido suo Achate comitatum; de quo lib. 6. Æn. v. 158.

> - - - - *cui fidus Achates*
> *It comes, & paribus curis vestigia figit.*

Ita Plutarchus in vita Catonis scribit, quod mater celeberrimi istius Herois simul cum Catone infante educaverit alium similis ætatis puerum, qui postea ei deserviret affectuosi, sinceri, & amici comitis loco in toto vitæ progressu; eiq; assisteret ac cooperetur in omnibus casibus.

CAP. XIV. ℣. 4.

CUm sacer Historicus describeret situm, in quo castra posuerunt Philistæi; ait, duas horridas & saxeas rupes ex utroque latere reperiri, quæ, veluti duo scopuli ex rigidis & acutis petris conglutinati, essent. *Erant autem inter ascensus per quos nitebatur Jonathas transire ad stationem Philisthinorum. eminentes petræ, & quasi in modum dentium scopuli hinc, & inde prærupti.* 1. Reg. cap. 14. vers. 4. 187.

Scopuli prærupti.

Huic descriptioni prorsus convenit illa Virgilii de quodam Africæ portu, ad quem appulit Æneas cum suis navibus; ita canente Virgilio lib. 1. Æn. v. 166.

> *Hinc atq; hinc vastæ rupes, geminique minantur*
> *In cælum scopuli.*

CAP. XIV. ℣. 4.

UT Philistæorum castra essent secura ab infestationibus hostium, posuerunt illa in loco inaccessibili supra præruptas & horrendas rupes, ibique vixerunt absque ullo vitæ timore. Jonathas tamen cum suo armigero, superatis omnibus difficultatibus, altitudinem illam conscendit, & inopinatos memorabili strage obruit. *Erant autem inter ascensus, per quos nitebatur Jonathas transire ad stationem Philisthinorum, eminentes petræ ex utraque parte. &c.* 1. Reg. 14. v. 4. 188.

Rupes superatæ.

Cùm Alexander Magnus reperiret hostes suos castrametatos supra excelsam rupem, ubi asperitate & sublimitate situs ac montium facti temerarii, ei illudebant, cum probroso hoc dicterio; an non haberet animum volandi? at ille expedivit trecentos cordatissimos juvenes, qui à tergo inopinantium conscenderunt saxeos tramites, eosque tanta magnanimitate constrinxerunt, ut victi ac trucidati fuerint. Ita Q. Curtius.

CAP.

CAP XIV. v. 9. &c.

Provocatores superati.

189. Cùm decrevisset Jonathas obruere agmina Philistæorum, nullo alio comitante, nisi solo suo armigero; jamjamque heroico ardore superâsset præcipitis rupis fastigium; accepit omen victoriæ, ex divino instinctu & inspiratione in hæc verba conceptum; *Si taliter locuti fuerint ad nos: manete, donec veniamus ad vos: stemus in loco nostro, nec ascendamus ad eos. Si autem dixerint: Ascendite ad nos: ascendamus, quia tradidit eos Dominus in manibus nostris.* 1. Reg. 14. v. 9. &c.

Simile prorsus omen ab Oraculo acceperunt Pæones, ut scribit Herodotus in principio lib. 5. *Pæones, qui sunt à Strymone, admoniti divino responso, ut bellum Perinthiis inferrent: & si quidem à Perinthiis ex adverso considentibus provocarentur, nominatim compellantibus eos invaderent: sin minus, ab invadendo abstinerent. Ita fecerunt & vicerunt.* Adeoque utrimque cessit victoria iis, qui erant provocati; superatis & trucidatis provocantibus.

CAP. XIV. ℣. 43.

Mel mortiferum.

190. Querelæ Jonathæ, condemnati ad mortem ob gustatum paululùm mellis, dignæ sunt attentâ consideratione. *Gustans gustavi in summitate virgæ, quæ erat in manu mea, paululum mellis, & ecce ego morior.* 1. Reg. 14. v. 43. Ita miro quodam fœdere, in mellis dulcedine reperitur amarities mortis; & cibus ille, quem ad capiendam refocillationem gustavit contra prohibitionem patris; eum præcipitavit ad extremum deplorandum supplicium.

Quòd nonnunquam in melle repertum sit fel amaræ mortis, testantur multi Scriptores. Galenus lib. 10 Simpl. Medic. refert, duos Medicos ex manducato melle occisos fuisse. De Glauco refert Chlearchus Solensis lib. 7. vitarum; quod in vas melle plenum præcipitatus, ibique suffocatus perierit. Ad hoc propositum Claudianus de Bello Gildonico;

Dulcia mella necem, vitam dedit horridus anguis.

Ita apud Græcos mel erat symbolum mortis; solebantque illud spargere in rogum defunctorum, ut notat Euripides in Tauris.

Et apis populatricis montium
Liquorem floreum tuo infundam rogo.

Sufficeret observatio Plinii lib. 21. cap. 13. & Simonis Macoli lib. 1. Dierum Canicul. Collon. 17. quòd reperiatur mel, naturâ suâ venenatum & lethiferum.

Ejusdem sortis est voluptas carnalis, quæ sub schemate dulcedinis, amarissimè torquet. Unde de ea pronuntiatum est;

Cùm palpat, sævit voluptas; cùm blanditur, enecat.

Et S. Bernardus Opusc. de Charitate cap. 15. *Quàm fallax & delusoria sit illa perniciosa felicitas, quam plerique in carnis voluptate constituunt, in libro experientiæ legitur incessanter, dum citò præterit, quod delectat, & permanet sine fine quod cruciat.*

CAP. XIV. ℣. 44.

Imprecatio.

191. Saul, ut demonstraret animum resolutissimum ad exequendam capitalem sententiam contra filium suum Jonatham, prorupit in hanc imprecationem; *Hæc mihi faciat Deus, & hæc addat, quia morte morieris Jonatha.* 1. Reg. c. 14. v. 44. Eodem modo Abner iratus dicebat 2. Reg. 3. v. 9. *Hæc faciat Deus Abner, & hæc addat ei, nisi quomodo juravit Dominus David, sic faciam cum eo &c.* Ita David ib. n. 35. *Hæc faciat mihi Deus, & hæc addat.* & 2. Reg. cap. 19. v. 13. *Hæc faciat mihi Deus, & hæc addat, si non magister militiæ fueris.* &c. & multis aliis locis.

Cum Hebraicis imprecationibus admodùm conveniunt illæ Gentilibus usitatæ execrationes, *Me conveniat Janus iratus* seu; *Nolo mihi Jovem propitium.* Nonnunquam prehenso in manibus saxo, ita protestabantur; *Si sciens fallo, me Jupiter, salvâ urbe, arceque, bonis ejiciat, uti ego lapidem hunc ejicio.* De his imprecationibus prolixè agit Alexander ab Alexandro l. 5. Genial. cap. 10.

CAP. XIV. ℣. 44.

Ex inobedientiæ titulo Saul ad mortem condemnavit filium suum Jonatham, utut in eo 192.
procinctu obtinuerit Jonathas grandem ac miraculosam victoriam. *Hæc mihi faciat Deus, & hæc addat; quia morte morieris Jonatha;* 1. Reg. 14. v. 44. De hoc facto S. Ambrosius Serm. 36. *Videte quanta apud Saul Regem fuerit Religionis observantia, qui offensum Deum optavit etiam parricidio mitigare &c.*

Filii inobedientes occisi à patre.

Titus Manlius, Consul Romanus, publicavit hoc edictum; *Ne quis extra ordinem in hostem pugnaret.* Et cum reperisset suum filium hujus transgressorem, eum ad se vocatum, præsentibus multis, in hæc verba est allocutus; *Quandoquidem tu T. Manli, neque imperium consulare, neque majestatem patriam veritus, adversum edictum nostrum extra ordinem in hostem pugnasti &c. nec te quidem, si quid in te nostri sanguinis est, recusare censeam, quin disciplinam militarem culpâ tuâ prolapsam, restituas pœnâ. I lictor, liga ad palum.* Et sic eum mox capite plecti fecit. Ita T. Livius lib. 8. n. 7. Valerius Maximus l. 5. c. 8. refert, Junium Brutum, Cassium Viscellinum & Aulum Fulvium propriis filiis abstulisse vitam.

CAP. XV. ℣. 5.

Quantumvis admirandæ multitudinis & 193.
fortitudinis fuerit exercitus Saulis, conscriptus ad expugnandos Amalecitas; utpote cujus numerus excreverat ultra ducenta millia peditum, & aliorum decem millium è tribu Juda præ cæteris intrepidorum ac generosorum militum; nihilominus, ut expeditionem faceret faciliorem, recurrit ad stratagemata militaria, magnamque exercitûs sui partem abscondit in caverna cujusdam torrentis, & sic curavit insidiis superare hostem. *Cumque venisset Saul usque ad civitatem Amalec, tetendit insidias in torrente,* 1. Reg. 15. v. 5.

Stratagemata militaria.

Insidiæ adversùs hostes à variis scriptoribus approbantur; Homerus Odyss. lib. 11. canit;

- - - *Hostes*
Confice, sive dolo, seu stricto cominus ense.

Insidiæ in bello laudantur.

Virgilius lib. 2. Æneid.

- *Dolus, an virtus, quis in hoste requirat?*

Xenophon in Hipparcho *Nihil utilius in bello dolis.* Antigonus interrogatus, quo modo aggre-

diendus esset hostis? respondit; *Aut dolo, aut vi; aut apertè, aut insidiis.* Agesilaus apud Plutarchum dicebat; *Hostes in bello fallere non justum solummodò, valdeque gloriosum; sed etiam suave, & lucrosum esse.* Brasidas, ingentis valoris Capitaneus, teste Thucidide l. 5. solebat dicere; *Illa belli furta pulcherrimam laudem habere, per quæ hostes maximè decipiuntur, & amici plurimum juvantur.* De hoc argumento egi in cap. 8. Josue v. 2.

CAP. XV. ℣. 12.

194. Victoria à Saule contra Amalecitas obtenta, adeò fuit insignis & magna, ut Saul, posteritati transmissurus æternam memoriam, statuerit erigere arcum triumphalem, uti refertur 1. Reg c. 15. v. 12. Simili modo videtur egisse David, de quo 2. Reg 8. v. 13. *Fecit quoque sibi David nomen, cum reverteretur captâ Syria in valle Salinarum*; id est, ut interpretatur Tostatus in 1. Reg. 15. v. 12. erexit arcum triumphalem, in quo ipsius nomen descriptum erat.

Arcus triumphalis.

Non solùm Hebræi, sed etiam aliæ nationes Gentiles ad propriam gloriam erexêre arcus triumphales. Romæ, teste Francisco Albertino *de mirabilibus novæ & veteris Urbis*, reperiebantur triginta sex, inter quos præclarissimi erant arcus Romuli ob antiquitatem; Augusti, Domitiani, Titi, Gallieni, Severi, Constantini Magni, Gordiani, & aliorum, ob nobilitatem tam materiæ, quàm triumphantium. In regno Chinensi civitas Canton ita est insignis, ut inter alia ejus prodigia referat Melchior Nugnez; *Esse in ea urbe plures quàm mille triumphales arcus eximiè ædificatos.* Videatur Simon Majolus Tom. 1. Dier. Canicul. Colloq. 23.

CAP. XV. ℣. 21.

195. Postquam capta & destructa fuit civitas Amalec; populus Hebræus è pinguibus & copiosis prædis obtulit Deo primitias, ut ei tali modo in acceptis referret victoriam, & expeditionis felicitatem. *Tulit autem de præda populus oves, & boves, primitias eorum quæ cæsa sunt, ut immolet Domino Deo suo in Galgalis.* 1. Reg. 15. v. 21.

Primitiæ spoliorum militarium

Etiam Gentiles consuevêre, Deo offerre primitias spoliorum militarium, ut desumitur ex Herodoto lib. 8. Heliodoro lib. 9. & 10. Histor. Æthiop. & Pindaro od. 2. Olymp. Ad hunc morem referri potest locus Ovidii lib. 3. Fastorum;

Te memorant, Gange, totoque oriente subacto,
Primitias magno supposuisse Jovi.

De his primitiis militaribus eruditè discurrit Andreas Tiraquellus in præfatione de Jure Primogenitorum. n. 72.

CAP. XVI. ℣. 5.

196. Quando agitur de victimis, infinitæ sanctitati offerendis, exigitur summa sanctitas, puritas, & mundities tam in ministris, qui offerunt, quàm in fidelibus, qui interveniunt. Ita Samuel hortatus est Bethlehemitas; *Ad immolandum Domino veni, sanctificamini, & venite mecum ut immolem. Sanctificavit ergò Isai, & filios ejus, & vocavit eos ad sacrificium.* 1. Reg. c. 16. v. 5. Eâdem cautelâ usus est Jacob, quando suis filiis & subditis dixit; *Abjicite Deos alienos, qui in medio vestri sunt, & mundamini, ac mutate vestimenta vestra. Surgite, & ascendamus in Bethel, ut faciamus ibi altare.* Sanctitas autem ista procurabatur per abstinentiam à commercio carnali, & certis balneis ac lavacris, ordinatis Num, cap. 19.

Puritas in sacrificiis.

Etiam Gentiles in suis sacrificiis, tametsi impuris & abominabilibus, requirebant puritatem & munditiem. Unde ante sacrificium quidam minister altâ voce intonabat; *Procul este profani.* Hunc morem exprimit Virgilius lib. 6. Æneid. vers. 258.

- - Procul, o procul este profani,
Conclamat Vates, totoque absistite luco,

Et si nocturno tempore ipsis accidisset aliqua immunditiies, curabant eam auferre ablutionibus; Unde Persius Sat. 2.

Hæc sanctè ut poscas, Tyberino in gurgite mergis;
Manè caput bis, terve, & noctem flumine purgas.

Illud ipsum intelligebatur de vestimentis; unde Tibullus lib. 2. Eleg. 1.

Casta placent superis, pura cum veste venite.

CAP. XVI. ℣. 11.

Ingressus Samuel domum Isai, ut illum ex ipsius filiis consecraret Regem, quem Deus esset demonstraturus; mox absque exhibitione honoris præteriit Eliabum primogenitum, staturâ insignem & eminentem; uti & Aminadabum, Semma, ac omnes reliquos. Quando autem mentio facta est de filio natu minimo, & actualiter in vilibus officiis pascendi gregis occupato; *Reliquus est parvulus & pascit oves.* 1. Reg. 16. v. 11. *Tulit Samuel cornu olei; & unxit eum.* v. 13. Adeoque ubi erat major humilitas & demissio; ibi major fuit divinarum gratiarum & favorum profusio. 197.

Gratiæ divinæ dantur humilibus.

Carolus Magnus cum suis filiis Carolo, Pipino, & Ludovico peregrinatus ad sepulchrum S. Martini, tum ut Deo calidas offerret preces; tum ut gaudere posset colloquio B. Alcuini, doctissimi sui magistri; filiis manu prehensis, interrogavit ex B. Alcuino; *Domine magister, quem de his filiis meis videtur tibi in isto honore, quem indigne quamquam mihi Deus dedit, habere me successorem?* Ille fixis in Ludovicum oculis, minorem quidem ætate, animi tamen humilitate insignem, cujus causâ à multis habebatur contemptui; respondit Carolo: *Habebis Ludovicum humilem, successorem eximium.* Cùm istud Caroli auribus secretò fuisset insinuatum; magnus hic Princeps, observans, duos filios Carolum & Pipinum simul fastuosos & elatos incedere, Ludovico interea prorsus humili ac benigno flexis genibus ad orandum prostrato, dixit ad circumstantes. *Cernitis, Ludovicum fratribus suis humiliorem? Certè videbitis hunc patris celsissimum successorem.* Prout etiam reipsâ contigit, depositis enim illis, qui videbantur Cedri; elevatus est, qui repræsentabat humilem oleam. Ita refertur in vita B. Alcuini, seu Albini Flacci.

CAP.

CAP. XVI. ℣. 11.

198. QUando agebatur de Juvene Davide ad regnum promovendo, expressa fit mentio, quòd fuerit intentus pascendis pauperculis *gregibus*. *Reliquus est parvulus, & pascit oves*. 1. Reg. 16. v. 11. *& ait Dominus, surge & unge eum, ipse est enim*. v. 12. Eò reflectens David Psal. 77. v. 70. de se ipso in tertia persona canit, quòd Deus *Elegit David servum suum, & sustulit eum de gregibus ovium: de post fœtantes accepit eum. Pascere Iacob servum suum &c.*

Pastores promoti ad regnū.

Prodigia, quæ contigêre Davidi, promoto à pellicula ad purpuram, à pedo ad sceptrum, & à curis ovium ad regimen populorum; etiam in aliis Personis observata sunt. Gyges ab arte pastoritia transiit ad regnum Lydiæ. Tamerlanes, antea bubulcus, promotus fuit ad regimen Tartarorum. Tullius Hostilius primam ætatem transegit pascendis armentis, postea factus Rex Romanorum. Maximus Imperator ante erat pauperculus pastor. Justinus I. aliquo tempore impendebatur pascendis porcis, & postea custodiendis bobus; inde deditus artibus fabrilibus & lignis elaborandis; donec adscriptus militiæ, pertigerit ad majestatem Imperialem. Ovidius, loquens de antiquis Romanis, reperit in illis junctam authoritatem & dignitatem Senatoriam ac prætoriam cum vita rustica & pastoritia. lib. 1. Fast.

Jura dabat populis posito modò prætor aratro,
Pascebatq; suas ipse Senator oves.

CAP. XVI. ℣. 12.

199. VIlitas & asperitas vestium pastoralium, quibus indutus erat David, à Samuele ungendus in Regem, prorsus nihil adimebat pulchritudini ac venustati vultus, cujus ornamenta quàm maximè emicabant inter horridas lacernas. Unde quamprimum fuit dictum; *Reliquus est parvulus, & pascit oves*. 1. Reg. 16. v. 11. mox subjungitur; *Erat autem rufus, & pulcher aspectu, decoraque facie*. v. 12.

Pulchritudo in vili veste.

Paris, ætate Juvenis, & natalibus princeps, tametsi indutus habitu pastoritio, traluxit tamen splendor propriæ nobilitatis, & longè magis resplenduêre radii congenitæ pulchritudinis. Unde Epist. ad Helen. ap. Ovidium;

Forma, vigorq; animi, quamvis de plebe videbar,
Judicium tectæ nobilitatis erat.

Torquatus Tassus in Gerus. Liberata. Canto 7. st. 17. de Herminia canit;

La fanciulla regal di roze spoglie
S'ammanta, e cinge il crin ruvido velo;
Mà nel moto de gli occhi, e de le membra
Non già di boschi habitatrice sembra.
Non copre habito vil la nobil luce,
E quanto è in lei d'altro, e di gentile
E fuor la maestà regia traluce
Per gli atti ancor de l'essercitio humile.

CAP. XVI. ℣. 14.

200. QUando Saul in pœnam sui delicti fuit à Deo reprobatus, & David unctus in Regem; referunt sacræ litteræ, quòd *spiritus Domini recessit à Saul*. 1. Reg. 16. v. 14. id est, spiritus fortitudinis, magnanimitatis, prudentiæ, & bonitatis regiæ illum dereliquit ut reversus ad primævam suam vilitatem & miseriam, ab eo momento nullam amplius actionem insignem & illustrem exercuerit.

Spiritus bonus deserit Saulem.

Suetonius in vita Domitiani cap. 15. scribit, quòd, cùm esset ultra modum crudelis & sceleratus; deberetque in pœnam atrocium suorum delictorum proximè perire, in somno ei apparuerit Minerva Dea, ipsum deserens. *Minervam quam superstitiosè colebat, somniavit, excedere sacrario, negareque, se ultra tueri eum posse &c.*

CAP. XVI. v. 18.

PRæclara duo encomia simul tribuuntur Davidi; quòd nimirum sit exquisitus Cytharædus, & fortissimus miles; aptus ad recreandos animos suavitate suorum concentuum; & ad transfigenda copora robore sui brachii. *Ecce vidi filium Isai Bethlehemitem; scientem psallere, & fortissimum robore, & virum bellicosum*. 1. Reg. cap. 16. v. 18. 201.

Musicus & miles.

Aristonicus, miles Alexandri Macedonis, ob duas illas prærogativas meruit Historicorum calamis fieri immortalis. Fuit enim simul generosæ fortitudinis miles, & insignis excellentiæ Cytharædus. Plutarchus de Fort Alexandri Orat. 2. *Aristonicus in pugna quadam, cùm ad auxilium ferendum accurrisset, strenuè præliatus cecidit. Huic æream statuam fieri, & Pythiis collocari jussit Alexander, Cytharâ & hastâ porrectâ conspicuam, non virum modò honorans, sed & musicam &c.*

CAP. XVI. ℣. 18.

PRæsente Saule, non defuit quidam aulicus, prorumpens in stupendas laudes ac elogia meritorum & vitutum Juvenis Davidis. *Ecce vidi filium Isai Bethlemitem, scientem psallere, & fortissimum robore, & virum bellicosum & prudentem in verbis, & virum pulchrum: & Dominus est cum eo*. 1. Reg. 16. v. 18. S. Hieronymus Quæst. Hebr. in hunc locum ait, si credamus Rabbinis, encomia ista fuisse pronuntiata à Doëg Idumæo, ut tantorum applausuum excessu redderet Davidem exosum livido & maligno Sauli; eumque tali modo præcipitaret in acerbam & immaturam mortem. *Puer iste Doeg Idumeus fuisse perhibetur, inimicus David, & omnia, quæ de David in laudem dixisse videtur, in odium ejus dixisse dicitur, quia volebat inimicitiæ causâ, & invidia livore, ut ad Saul veniret: quatenus ibi quâlibet occasione necaretur.* Hanc doctrinam etiam approbat Lyranus, qui addit; *Sic enim faciunt homines malitiosi, commendando illos, quos odiunt, ut in aliquo casu illos confodiant.* 202.

Maligni laudant ut offendant.

Infamem hunc modum esse usitatum in aulis, demonstrat Polibius lib. 4. Hist. *Novus modus calumnia inventus est, non vituperando, sed laudando, famæ ac commodis hominum insidiari. Quod vitium in aulis Principum ortum, usque adeò inolevit: ut ea loca tanquam proprias sedes sibi elegisse videatur.* Ita Æmuli Juliani Imperatoris, cum eum vellent exosum reddere Constantio, & nullius vitii arguere possent, abominabilem reddiderunt enumeratis ipsius gloriosis virtutibus. Mamertinus scribit; *Callido nocendi artificio, accusatoriam diritatem laudum titulis peragebat in omnibus contentiosis, quasi per benevolentiam illa jactantes; Julianus Alemanniam domuit; Iulianus urbes Galliæ*

Aulici dum laudant, offendunt.

Gallia ex favillis & cineribus excitavit; illa provincia obsessa expugnata, ferro, igni que vastata, beatiores sunt his oppidis, quæ habet sine hoste Constantius. Hæ voces fuerunt ad inflammanda odia, probris omnibus potentiores.

CAP. XVI. ℣. 23.

203. Calamitosis cruciatibus, quibus turbatus & exagitatus erat miser Saul, David cytharæ suæ pulsibus attulit suavissimum levamen. *Tollebat David cytharam, & percutiebat manu suâ, & refocillabatur Saul, & levius habebat &c.* 1. Reg. 16. v. 23. Proinde cithara ista deserviebat ad eum recreandum, dum illo sonitu diminuebantur melancholia, angustiæ, & passiones animi, quibus vehementer opprimebatur. De hac proprietate naturali Cassiodorus lib. 2. Var. Ep. 40. ait; *Musica tristitiam noxiam jucundat, tumidos furores attenuat, cruentam sævitiam efficit blandam; excitat ignaviam, soporantemque languorem vigilantibus reddit saluberrimam quietem, sanat mentis tædium &c.*

Musica sanat varia mala.

Cytharæ sonus non tantùm Saulis infirmitati, sed etiam centenis aliis attulit medicum sublevamen. Qui mordentur à Tarantula, per musicalium instrumentorum harmoniam concitantur ad saltus & tripudia, ex quibus commoventur ad sudorem membrorum, & tali modo sanantur ac purificantur. Asclepiades Medicus solebat passiones & morbos animi curare certis symphoniis. Seneca lib. 3. de Ira. cap. 9. ait; *Pythagoras perturbationes animi lyrâ componebat. Quis autem ignorat, lituos & tubas concitamenta esse; sicut quosdam cantus, blandimenta quibus mens resolvatur?* De his naturalibus miraculis videatur S. Basilius de Legend. Gentilium libris; & Alexander ab Alex. l. 2. Genial. cap. 17. & P. Cornelius à Lapide in hunc locum; Et Gaspar Sanctius cap. 6. Tobiæ v. 8.

CAP. XVII. ℣. 5.

204. Quando describuntur singillatim omnia arma, quibus instructus erat gigas Goliath; tam galea, lorica, & ocreæ, quàm scutum erant confecta ex ære. *Cassis ærea super caput ejus, & lorica squamatâ induebatur. Porrò pondus loricæ ejus quinque millia siclorum æris erant: & ocreas æreas habebat in cruribus: & clypeus æreus tegebat humeros ejus.*

Arma ex ære.

Antiquis sæculis usitata erant arma, non elaborata ex chalibe aut ferro, sed solummodò ex ære. Lucretius lib. 5. loquens de inventione ferri & aliorum metallorum;

Arma antiqua manus, ungues, dentesque fuerunt,
Et lapides, & item sylvarum fragmina, rami,
Et flammæ, atque ignes, postquam sunt cognita primùm,
Posterius ferri vis est, ærisque reperta.
Et prior æris erat, quàm ferri cognitus usus,
Quò facilis magis est natura, & copia major,
Ære solùm terra tractabant, æreq; belli
Miscebant fluctus, & vulnera vasta ferebant.

Hesiodus in lib. cui titulus; *Opera & dies.* v. 150. canit;

Ære operabantur, nec ferrum præsto erat atrum,

Alceus Poëta, relatus ab Athenæo lib. 14. c. 11. commemorans antiqua arma ex ære facta, ait; *Splendet magna domus ære, omniaque tecta Marti sunt ornata splendidis galeis, equinaque cristæ in hominum capitibus super imaginibus nutant; ærea tibialia abditis vallis splendida circumposita juxta arti enses &c.* Concordat Homerus Iliad. lib. 7.

Splendor aheneus lucentium galearum.

Pindarus centenis locis; præsertim od. 1. Olymp. str. 3.

- - - - *Age*
Neptune, si quid suavia dona Veneris
Sunt in gratia,
Impedi hastam,
Oenomai æream.

Ode 9. Olymp. Epod. 2.

- - - - *Erant*
Æreis clypeis instructi vestri majores.

Et Isthm. ode 5. Epod. 2.

- - - - *Musa*
Memora, quinam Cygnum, quinam Hectorem interfecerunt,
Et ducem exercitus Æthiopum intrepidum,
Memnonem, ære armatum &c.

Virgilius lib. 2. Æneid. v. 469.

- - - *primoq; in limine Pyrrhus*
Exultat telis, & luce coruscus ahenâ.

De hoc argumento Balthasar Bonifacius Ludycræ Historiæ lib. 18. cap. 1.

CAP. XVII. ℣. 8.

Grandis est temeritas illorum, qui nec curant propriam vitam, nec macellum proximorum, audentque ad singulare certamen provocare aliquem suorum hostium; at non minus considerabilis est providentia divina, quæ plerumque permittit, ut superbi isti provocatores vincantur, sternantur, & trucidentur. Antesignanus duellantium fuit fastuosus Goliath, qui insolenti arrogantiâ dixit Israelitis; *Eligite ex vobis virum*, & descendat ad singulare certamen. 1. Reg. c. 17. v. 8. at paulò post justo Dei judicio, à Juvene Davide prostratus & occisus est. 205.

Duellantes provocatores occisi.

Similes provocationes fuerunt Gentilibus frequenter usitatæ fuitque plerumque ille victus, qui provocator. Ita testatur Valerius Maximus lib. 3. cap. 2. n. 6. *Titus Manlius Torquatus, & Valerius Corvus, & Æmilianus Scipio. Hi ultrò provocantes hostium duces interemerunt.* T. Livius l. 8. n. 7. describit duellum inter Metium Capitaneum Latinorum, & Manlium equitem Romanum, filium Torquati; ubi Metius, qui ad certamen provocavit, fuit trucidatus. Virgilius lib. 12. Æneid. describit Turnum, qui Æneam provocavit ad singulare certamen, quod suo sanguine ac morte luere debuit. &c. Videatur Laurentius Beierlinck in Theatro vitæ humanæ, Titulo *Duellum*, ubi diversa historica & curiosa exempla adducit.

CAP. XVII. ℣. 11.

Dum Goliath insolente fastu proprium ostentans robur, Israelitas provocavit ad singulare certamen; isti, ingenti timore perculsi, nec vires nec animum habuêre, ut se ei à fronte opponerent, aut cum eo congrederentur. *Audiens autem Saul, & omnes Philistæi hujuscemodi, stupebant, & metuebant nimis.* 1. Reg. 17. v. 11. 206.

Provocatores superbi timentur.

Virgilius, describens ostentationem & jactantiam

tiam juvenis Daretis, ait, nullum fuisse repertum, qui ausus esset cum ipso luctari. Idem lib. 5. Æneid. v. 375. canit;

- Prima Dares caput altum in prælia tollit;
Ostenditq́; humeros latos, alternaq́; jactat
Brachia, protendens, & verberat ictibus auras,
Quæritur huic alius, nec quisquam ex agmine tanto
Audet adire virum.

CAP. XVII. ℣. 34.

107. Animum verè imperterritum ac generosum demonstravit David, qui in ætate juvenili ausus est persequi famelicos ac prædatrices leones; & robustos ac terribiles ursos, eosque jugulare, suffocare, & non minus prodigiosam, quàm immortalem victoriam de iis referre. *Veniebat leo vel ursus, & tollebat arietem de medio gregis: & persequebar eos, & apprehendebam mentum eorum, & suffocabam, interficiebamque eos.* 1. Reg. 17. v. 34. Similis fortitudo celebratur in Banaia, de quo 2. Reg. 23. v. 20. *Percussit duos leones Moab, & percussit leonem in media cisterna in diebus nivis.*

Juventus generosa.

Occisores leonum.

Pausanias lib. 6. refert de Polidamante, quòd adhuc juvenis inermi brachio leonem occiderit. Plin. lib. 8. cap. 16. narrat, quòd Lysimachus, condemnatus ab Alexandro Magno, ut leonibus objiceretur devorandus, imperterrito pectore superbam feram prostraverit & interfecerit. Diodorus lib. 15. æternâ memoriâ dignam ait generositatem Terebazi, quòd prostraverit & occiderit duos leones, qui regium currum sunt aggressi, & duos equos dilaniârunt. Statius 2. Achill. v. 407. scribit, Achillem ausum fuisse generoso pectore persequi non tantùm damas aut linces, sed etiam ursos, apros, tigrides, & leænas.

Nunquam ille imbelles Ossæa per avia lynces
Sectari, aut timidos passus me cuspide damas
Sternere, sed tristes turbare cubilibus ursas,
Fulmineosque sues, aut sicubi maxima tigris
Aut subducta jugis fœta spelunca leænæ.

De illo longè antea cecinit Pindarus Nemeæ Ode 3.

Flavus autem Achilles - -
Puer existens, ludendo
Faciebat magna opera manibus crebro.
Brevis ferri jaculum vibrans,
Et par ventis, præliando leonibus
Agrestibus moliebatur cædem,
Aprosq́; interficiebat &c.

Joannes Franciscus Niger in prima Cruciata n. 99. scribit; Cùm Godofredus, postea Rex Hierosolymitanus, in campis minoris Antiochiæ, videret quemdam fabrum lignarium jamjam devorandum ab urso, accurrit, ut eum liberaret; quia verò gladio vix poterat penetrare durum corium, & hirsutam feræ pellem, furibundus eum occidit pugione; tametsi à sæviente bestia pluribus vulneribus affectus.

CAP. XVII. v. 40.

108. David, assuetus custodiendis gregibus, solebat semper in manibus circumferre baculum, qui dirigendis ac defendendis ovibus deserviebat. Unde duello aggressurus gigantem, tametsi baculus nihil conferre posset ad victoriam, tamen eum secum deferre voluit; *tulit secum baculum*; idque ex consuetudine & habitu eum semper gestandi, ut declarat sacer textus, mox subjungens; *quem semper habebat in manibus,* 1. Reg. 17. v. 40.

Consuetudo.

Diogenes Cynicus, ex infirmitate paululùm convalescens, viribus tamen adhuc debilis, languentia membra sustentabat beneficio baculi. Longo tempore assuetus huic sustentaculo, tametsi pristinis viribus esset restitutus, & nullo amplius baculo indigeret, semper tamen illum manibus circumferre perseveravit. De hoc Laertius lib. 6. *Baculo quidem primùm innitebatur, quum infirmus esset, deinceps autem eum semper ferebat.* Tanti interest, rebus assuefieri.

CAP. XVII. v. 42.

Goliath, defixis in suum antagonistam oculis, vidensque delicatum moribus, tenellum annis, & armis malè instructum; ignarus insuper, quomodo in Davide conciliari posset mollities carnis & tenera pulchritudo vultûs cum robore militari, eum contempsit, & nihili æstimavit. *Cumque inspexisset Philistæus, & vidisset David, despexit eum. Erat enim adolescens rufus, & pulcher aspectu.* 1. Reg. 17. v. 42. In hunc locum Isidorus Clarius; *Despexit eum, quòd non esset vir bellicosus, & pugnis assuetus; nam cernebat eum juvenem rubicundum, & pulchro aspectu; quales martiales homines esse non solent, quos radii solares, & assidua defatigatio deformes reddunt.* 109.

Pulchritudo videtur malè convenire fortitudini.

Seneca in Hippol. requirit in militibus rigorem, non verò venustatem vultûs;

Quàm grata est species torva viriliter.

Aristoteles in Ethicis inter primas pulchritudinis partes requirit, *ut corpus aptum sit ad ferendos labores,* porrò requirit; *in vultu ferociam, ut hostibus terribilis videatur.* Helena apud Ovidium de pulcherrimo vultu Paridis dicebat, eam magis convenire teneritudini amoris, quàm rigoribus belli.

Quod benè te jactes: & fortia facta loquaris:
A verbis facies dissidet ista tuis.
Apta magis Veneri, quàm sunt tua corpora Marti:
Bella petant alii: Tu Pari semper ama.

CAP. XVII. ℣. 49.

Tria nunc observari possunt in victoria, quàm David à prostrato gigante obtinuit; videlicet, quòd usus sit fundâ; quòd eam in gyrum contortam destinaverit adversùs superbum monstrum; & denique quòd vasta moles immodici illius corporis ceciderit in terram prostrata. *Tulit unum lapidem, & fundâ jecit, & circumducens percussit Philistæum in fronte & cecidit in faciem suam super terram.* 110.

Funda instrumentum mortis.

Istæ considerationes exactè observantur in Virgilio lib. 9. Æn. ubi repræsentatur Mezentius, superaturus & occisurus Arcentem, v. 586.

Stridentem fundam, positis Mezentius armis
Ipse ter adductâ circùm caput egit habenâ,
Et media adversi liquefacto tempora plumbo
Diffidit, ac multâ porrectum extendit arenâ.

CAP. XVII. ℣. 49.

211. GOliath, totus coopertus armis intravit singulare certamen; instructus videlicet galeâ, loricâ, ocreis, scuto, lanceâ &c. at lapillus, jactus à Davide, infixus est fronti, quæ omni munimine destituta, permansit patens, & exposita lethali ictui, *Et infixus est lapis in fronte ejus.* 1. Reg. 17. v. 49.

Pars inermis & percussa.

Bonifacius secundus, Dux Montferratensis, cum deberet inire prælium, muniit generosum pectus loricâ; omni modo renuens galeam, ut liberius & expeditius posset ex omni latere videre ac disponere exercitum. At graviter in capite vulneratus, cum periculo cecidit, mox exhalaturus vitam, nisi chirurgi præstantiâ restitutus esset. Marcellinus de Pisis Tom. 4. Encyoclop. fer. 5. Dom. Pass. docet Christianum, ne ullam partem relinquat nudam & inermem; quia hostis ibi percutit, ubi deficit munimen ac tutela.

CAP. XVII. ℣. 49.

212. DAvid certam facturus suam victoriam adversùs Gigantem, directè studuit, illum nullâ aliâ parte, nisi vultu ac fronte ferire. *Et infixus est lapis in fronte ejus, & cecidit in faciem suam.* 1. Reg. 17. v. 49.

Ferire in fronte.

Cæsar in Bello Pharsalico, altâ voce suos milites animans, clamabat; *Miles, faciem feri;* quasi diceret, interprete Lucano;

Sed cùm tela micant, non vos pietatis imago
Ulla, nec adversa conspecti fronte parentes
Commoveat, vultus gladio turbate verendos.

Germanicus suis militibus suasit; *Densarent ictus, ora mucronibus quærerent.* Corn. Tacit. Annal. 2.

CAP. XVII. ℣. 49.

213. GOliath, lethaliter percussus, directè cecidit facie in terram prostratâ, veluti animam consignare vellet inferno, cum totus vitæ decursus, mille vitiis immersus, semper fuerit à cœlo aversus. *Et cecidit in faciem suam super terram.* 1. Reg. 17. v. 49. id quod etiam observat Josephus Hebræus; *quo ictu sopitus Goliathus, in faciem est prostratus.*

Mori facie in terram conversâ.

Militibus, violento ictu interemptis, hic jacendi situs est frequenter usitatus. Unde Virgilius l. 10. Æneid. v. 489.

Et terram hostilem moriens, petit ore cruento.

Et lib. 11. Æneid. v. 418.

Procubuit moriens, & humum simul ore momordit.

Ita Seneca in Hercul. furent:

Ultrice dextrâ fusus adverso Lycus
Terram petivit ore.

Apud Homerum ex magnatibus quidam ab Ulysse occisus, *Fronte terram percussit,* Et apud Horatium lib. 2 Od. 7.

Turpe solum tetigere mento,

214. ## CAP. XVII. ℣. 54.

NOn sufficiebat Davidi. prostravisse & occidisse monstruosum giganthem; sed insuper ad victoriæ complementum, arrepto manibus terribili capite, illud instar trophæi ex loco prælii portavit Hierosolymam, ubi omnes illud contemplarentur & admirarentur. *Assumens autem David caput Philisthæi, attulit illud in Jerusalem.* 1. Reg. 17. v. 54. Etiam caput Saulis, è trunco recisum, circumferebatur ad civitates Philistæorum. 1. Reg. c. 31. v. 9. Et caput Holofernis suspensum fuit supra mœnia Bethuliæ. Judith. c. 14. v. 1.

Capita occisorum circumferuntur.

Justinus lib. 14 de Ptolomæo, à Gallis interfecto, scribit; *Ptolomæus multis vulneribus saucius capitur; caput ejus amputatur, & lanceâ fixum totâ acie ad terrorem hostium circumfertur.* De Pisone & Galba, ab Otone superatis, refert Cornelius Tacitus lib. 17. Annal. *Præfixa contis capita gestabantur inter signa cohortium.* Caput Casseni, Regis Antiochiæ, à trunco præcisum, circumtulerunt supra lanceam, illudque tandem præsentârunt Boëmundo. Jo. Franciscus Niger in prima Cruciata n. 141. Verùm de hoc argumento reservamus plurima ad lib. 1. Mach. c. 7. v. 47.

CAP. XVIII. ℣. 1. 215.

EXpressura sacra scriptura tenerrimum affectum, quo Jonathas ferebatur erga virtutem & meritum Davidis, ait, animam unius fuisse conglutinatam & quasi identificatam cum alterius anima. *Anima Jonathæ conglutinata est animæ David, & dilexit eum Jonathas quasi animam suam.* 1. Reg. 18. v. 1. In hunc locum Tostatus q. 1. *Cùm aliqui veri amici sunt, tanta est in eis colligatio, quòd jam non sunt ut duo homines, sed ut unius per unitatem affectionis, quia vera amicitia est, idem velle, & idem nolle.* Aristoteles lib. 2. magn. moral cap. 14. *Cùm voluerimus impensè amicum dicere, una mea, & hujus anima est, dicere solemus.* Hoc loquendi modo usus est Horatius lib. 1. od 3.

Amor ex duobus facit unum.

Navis, quæ tibi creditum
Debes Virgilium, finibus Atticis
Reddas incolumem precor.
Et serves animæ dimidium meæ.

Ad hunc Poëtam allusit S. Augustinus l. 4. Confess. c. 6. ubi de suo intimo amico, jam defuncto, ait; *Benè quidam dixit de amico suo; Dimidium animæ meæ. Nam ego sensi animam meam, & animam illius, unam fuisse animam in duobus corporibus, & ideò mihi horrori erat vita, quia nolebam dimidius vivere, & ideò fortè mori metuebam, ne totus ille moreretur, quem multùm amaveram.* S. Gregorius Naz. Orat. 20 in funere S. Basilii, loquens de se ipso & de S. Basilio, ait; *Una utrique anima videbatur, duo corpora ferens.*

CAP. XVIII. v. 6. 216.

EAdem fortitudo Davidis, quæ potuit è venis occisi gigantis elicere sanguinem, potuit è festivorum Israëlitarum visceribus eruere innumeros applausus; & sicuti fugavit agmina Philistæorum, territa è prodigiis Davidicæ fortitudinis; ita attraxit infinitos populos, qui acclamârunt insigni ipsius victoriæ. *Cùm reverteretur percusso Philistæo David, egressæ sunt mulieres de universis urbibus Israël cantantes, chorosque ducentes in occursum &c.* 1. Reg. 18. v. 6.

Obviare & recipere victorem.

Claudianus de 3. Consulatu Honorii, describit innumerum populi concursum, qui obviam ibat glorioso cuidam victori.

Quanti tum juvenes, quantæ sprevere pudorem
Spectandi studio matres: puerisq. severi

Certa-

Certavêre senes: cum tu genitoris amico
Exceptus gremio, mediam veherêre per urbem:
Velaretq; pios communis laurea currus.

Idem lib. 2. de Laud. Stilic. loquitur clarissimo quodam Capitaneo, quem ingens populi numerus excipiebat, tantamque ejus virtutem admirabatur.

Quæ tunc Flaminiam stipabunt millia vulgi?
Spectabunt cupidæ matres, spargentur & omnes
Flore viæ &c.

Josephus Hebræus lib 7. de Bello cap. 24. describens reditum Titi victoris in Urbem Romanam, ait; *Die, quo futura erat pompa victoriæ, nemo ex tam infinita civitatis multitudine domi remansit &c.* & c. 22. testatur; *Pauciores fuisse, qui in civitate remanserant, quàm qui obviam processerant.*

CAP. XVIII. ℣. 6.

217. Victoria impetrata contra Gigantem tantos in Judæa jubilos excitavit; ut non solùm homines in publicis plateis comparere soliti; sed etiam fœminæ, aliàs abditissimæ, in publicum prodierint; & se continere nequiverint, quin prorumperent in solemnes applausus, & jucundissima triumphantium cantica; *Cùm reverteretur percusso Philisthæo David, & ferret caput ejus in Jerusalem, egressæ sunt mulieres de universis urbibus Israel cantantes, chorosque ducentes, in occursum Saul Regis, in tympanis lætitiæ, & in sistris &c.* 1. Reg. cap. 18. vers. 6.

Applausus fœminarũ factus victoribus.

Similis concursus & applausus à Gentilibus deferebatur viris virtute ac insolito merito illustribus. Hunc morem insinuat Seneca Epist. 19. *Cæterùm si te videro celebrem secundis vocibus vulgi; si intrante te, plausus & pantomimica ornamenta strepuerint; si totâ civitate fœminæ, puerique laudaverint.* Silius Italicus loquens de Magone, qui nova certi cujusdam triumphi Carthaginem tulit, lib. 11. canit;

- - *Illum undiq; matres;*
Illum turba minor, moniti laudare nepotes,
Et senior manus & juxta populusq; patresq;.

Et Plutarchus in vita Lycurgi; *Sequebantur hinc grex juvenum collaudantium eum & extollentium; hinc caterva mulierum, carmine virtutem celebrantium, & vitam ejus in cœlum ferentium.*

CAP. XVIII. v. 7.

218. David, interfecto superbo gigante, ita turbavit Philisthæorum exercitum, ut ab Hebræis fugatus & trucidatus fuerit; Proinde justam rationem habuêre fœminæ, illius gloriæ cantandi hæc encomia; *Percussit Saul mille, & David decem millia.* 1 Reg. 18 v. 7. Hæc verba haud dubiè fuerunt solummodò unius versiculus illius cantici triumphalis, quod longè prolixius esse debuit.

David occidit decem millia

His applausibus Davidis non absimiles sunt illæ Aureliani Imperatoris, in cujus vita refert Flavius Vopiscus; *Aurelianum manu sua Sarmatico bello una die quadraginta & octo interfecisse. Plurimos autem, & diversis diebus ultra nongentos quinquaginta. Adeò ut etiam balistea pueri, & saltatiunculas in Aurelianum tales componerent, quibus diebus festis militariter saltitarent.*

Mille, mille, mille, mille, mille, mille decollavimus.
Unus homo mille, mille, mille, mille decollavimus,
Mille, mille, mille vivat, qui mille, mille occidit.
Tantùm vini habet nemo, quantùm fudit sanguinis.

Postea subjungit; *Idem apud Maguntiacum tribunus legionis sextæ Gallicanæ, Francos irruentes cùm vagarentur per totam Galliam, sic afflixit, ut trecentos ex his captos, septingentis interemptis sub corona vendiderit; unde iterum de eo facta est cantilena; Mille Francos, mille Sarmatas semel occidimus.*

Mille, mille, mille, mille, mille Persas quærimus.

CAP. XVIII. ℣. 9.

Ut sacer Historicus exprimeret invidiam Saulis, quâ lividus ipsius animus erat occupatus, cum audiret applausus, victoriæ causâ decantatos; ait, quòd Saul ex illo die nunquam amplius aspexerit Davidem oculis bonis, sed semper obliquis & iracundis. *Non rectis ergò oculis Saul aspiciebat David à die illa & deinceps.* 1. Reg. 18. v. 9. Hunc locum interpretantur septuaginta; *Fuit Saul invidens David à die illa.* Et Pagninus; *Torvè aspiciebat Davidem* adeoque Heroem illum aspiciebat iracundè, rabiosè, & cum extrema nausea. 219.

Invidus aspicit oculo obliquo

Hâc exprimendi formâ usus est Ovidius, 1. Metamorph. ita describens invidiam;

Pallor in ore sedet, macies in corpore toto,
Nusquam recta acies.

Ab hoc proposito non recedit Ecclesiasticus c. 14. v. 8 *Nequam est oculus lividi.* id est, obliquus acerbus, malignus,

CAP. XVIII. ℣. 9.

Saul, videns non tantùm amœnam & elegantem Davidis faciem; quàm audiens exquisitam cytharæ pulsandæ artem, declaravit se omni modò inclinatum & deditissimum Davidi. unde 1. Reg. 16 v. 21. scribitur; *Venit David ad Saul, & stetit coram eo: at ille dilexit eum nimis &c.* imò ipse Rex protestatus est; *Invenit enim gratiam in oculis meis.* v. 22. at quamprimùm illum vidit occisorem gigantis, auditque festivis applausibus honoratum; mox amor desiit in odium, & ipsius præsentiam sufferre non poterat. *Non rectis ergo oculis Saul aspiciebat David à die illa & deinceps.* 1 Reg. c. 18. v. 9. Adeoque David ob nullam aliam causam habebatur odio, nisi quòd instructus esset eminente virtute & excelso merito. 220.

Virtus exosa.

Huc faciunt protestationes Sallustii de Conjurat. Catilin. *Regibus boni, quàm mali suspectiones sunt, semperque iis aliena virtus formidolosa est.* De Nerone scribit Suetonius c. 37. *Crimen erat publicum in omnibus virtus.* Cornelius Tacitus lib. 15. Annal. de Virginio Ruffo, quem Nero in exilium egit, ait; *Virginium Ruffum claritudo nominis expulit.* De Caligula Corn. Tacitus lib. 1. Hist. *Nobilitas, opes, omissi, gestique honores pro crimine, & ob virtutem certissimum exitium.* Et in vita Agricolæ pungens malignitatem Domitiani, ait, *Causa periculi, non crimen ullum, aut querela læsi cujusquam, sed infensus virtutibus Princeps.*

Princeps odiens virtutem.

CAP. XVIII. ℣. 10. &c.

Invidia & odium, conceptum à Saule contra Davidem, imprimis manifestatum est in aspectibus obliquis, turbidis, & iracundis, quibus eum intuebatur; postea in actibus hostilibus, violen-

violentis, & tyrannicis, adversùs Davidem adhibitis; dum videlicet contra ipsum projecit lanceam, ut eum suæ crudelitati ac morti offerret victimam. *Tenebatque Saul lanceam, & misit eam, putans, quòd configere posset David &c.* 1. Reg. 18. v. 10. &c. hanc malitiam repetiit c. 19. vers. 10. &c.

Invidus occidit.

Barbara Principis ferocia, quæ lanceam adversùs plures domesticos aulicos projiciebat, repræsentatur à Seneca l. 3. de Ira. cap. 21. in persona Alexandri, qui erat Nepos Antigoni, Regis Macedoniæ; *qui lanceam in convivas suos torquebat.* At pro nostro argumento non possum non subnectere, quod Xenophon l. 4. Cyripædiæ refert de quodam Rege Assyriorum, qui venatum exivit cum vivaci quodam Juvene, desponsato cum Regis illius filia. Videns ergo Rex, quòd juvenis imprimis ursam, & postea leonem, sibi obviam factos jugulârit, frustra id antea conante Rege; *non amplius homo nefarius invidiam compescuit, sed arreptâ lanceâ à sequentium quodam equo percusso in pectus adolescente, huic animam abstulit.*

CAP. XVIII. v. 12. &c.

222. Cùm Saul timeret generosam virtutem, & heroicam magnanimitatem Davidis, eum promovit ad officia militaria; ut objectus bellorum periculis, vitam infeliciter perderet. *Timuit Saul David.* 1. Reg 18. v. 12. *Amovit ergo eum Saul à se, & fecit eum tribunum super mille viros.* v. 13. & v. 17. ei promisit filiam in uxorem, dicens; *tantummodò esto vir fortis, & præliare bella Domini. Saul autem reputabat dicens; non sit manus mea in eum, sed sit super eum manus Philisthinorum.*

Honores collati ad nocendum

Amurathes, Turcarum Imperator, vehementer timebat Georgium Castriottum. Tametsi enim iste protestaretur, se sibi ingentis honoris loco ducere, quòd ei servire posset. Amurathes tamen, videns eum ex bellicis expeditionibus semper redire munitum victoriis & applausibus, gravissimam concepit suspicionem. Proinde cùm decrevisset, bellum inferre Georgio, Domino Misiæ, promovit Castriottum ad supremi Ducis munus, non quòd non habuisset alium magis sufficientem, sed ut eum è medio tolleret; existimans, promptam & ardentem ipsius naturam adeò involutum iri periculis, ut iis sese extricare non amplius posset. Petrus Matthæi in vita Ludovici XI. vol. 1. lib 4. Simili modo Gubernator Edessæ procurabat, ut Balduinus, ipsius in eo regimine Collega, fieret Capitaneus Generalis; sicque militaturus contra Turcas, objiceretur periculis, & occideretur in bello. Jo. Franc. Niger in Cruciata. num. 106.

CAP. XVIII. ỷ. 16.

223. Ultra modum amabilis evasit David apud Israelitas, quia in omnibus periculis & expeditionibus bellicis ipse cunctos anteibat instar generosi leonis, eosque ad pugnam animabat. *Omnis autem Israel & Juda diligebat David: ipse enim ingrediebatur & egrediebatur ante eos.* 1. Reg 18. 16.

Princeps præcedat.

Catoni fuit à Lucano lib. 9. attributum hoc encomium, quod sacræ litteræ dederunt Davidi, solito præcedere cunctos, & labores omnium primò aggredi;

- - *Monstrat tolerare labores,*
Non jubet.

De Imperatore Otone Cornelius Tacitus l. 2. Histor. *Nec ille segne aut corruptum luxu iter, sed loricâ ferreâ usus, & ante signa pedester, horridus, incomptus &c.* Et de Theodosio Pacatus; *Ne tum quidem, cum in altiorem provectus gradum, jubere tantùm & dividere cum negotiis otium, & parta gloria, velut reposito frui posses honore, operam remisisti quin omnium castrensium munerum numeros, primus, aut cum primis obire, stare pro signis, excubias sorte agere, vallum ferre, locum bello ante capere, speculatum egredi, castra metari, in prælium primus ire, prælio postremus excedere, dux esse consilio, miles exemplo.*

CAP. XVIII. ỷ. 25.

Præsupposito antiquo more, quòd mariti 224.
suomet oblato pretio debuerint comparare sponsas, uti suprà dixi ad cap. 34. Gen. v. 12. &c. idcircò David, audiens sibi oblatas nuptias cum Michole, regia Saulis filia, protestabatur, quòd esset *vir pauper & tenuis.* 1. Reg. 18. v. 23. id est, constitutus in paupere fortuna, neque habens proportionatas tantæ doti divitias. Cui Saul respondit; dotis titulo, ac divitiarum loco se exigere centum præputia Philisthæorum. *Non habet Rex sponsalia necesse, nisi tantùm centum præputia Philisthinorum.* 1. Reg. c. 18. v. 25. Horum præputiorum loco Josephus Hebræus lib. 6. Antiq. c. 11. posuit *capita*, mutans centesimum numerum in sexcentesimum. *Poscere autem pro nuptiis filiæ non aurum aut argentum, quod è paternis ædibus afferat, sed cladem Palæstinorum, & sexcenta ejus gentis virorum capita.*

Præputia data loco dotis.

Ad hunc morem admodùm alludit, quòd Strabo lib. 15. de populis Carmaniæ refert; *Nemo uxorem ducit, nisi prius hostis caput amputatum ad Regem pertulerit: atque ille præclarus est, cui multa capita sunt allata.*

Capita hostium in dotem.

CAP. XVIII. ỷ. 27.

Mirus est ille modus contrahendi nuptias, 227.
propositus Davidi; ut nimirum periculo mortis exponat vitam, ac contra Philistæos pugnet; talique occasione cum extremo discrimine acquirat sponsam. Et tamen David hâc agendi ratione stabilivit suos hymenæos. *Et percussit ex Philisthiim ducentos viros, & attulit eorum præputia: & annumeravit ea Regi, ut esset gener ejus.* 1. Reg. 18. v. 27. Eodem modo Othoniel armatâ manu, & heroicè dimicans, obtinuit nuptias cum Axa, ut refertur Josue c. 15. n. 16. & Jud. c. 1. v. 12.

Sponsa acquisita præliando.

Etiam aliis nationibus fuit hic mos, ut testatur Claudianus de Laudibus Serenæ.

Antiquos loquitur Musarum pagina Reges,
Quod dura sub lege procos certare juberent
Empturos thalamum dulcis discrimine lethi,
Et sua crudeles gauderent pignora mortis
Ambitione peti.

CAP. XX. ỷ. 3.

Periculis adeò gravibus, tantisque timoribus 226.
coarctabatur miser David, ut ipsius vita videretur in confiniis mortis consistere. Unde loquens Jonathæ, dixit; *Vivit Dominus, & vivit anima mea, quia uno tantùm (ut ita dicam) gradu ego, morsque dividimur.* 1. Reg c. 20. v. 3.

Homo in confinio mortis.

Navigantium vita, fragili consistens ligno, in proximo pereundi periculo dicuntur. Juv. Sat. 12.

I nunc, & ventis animam committe dolato
Confisus ligno, digitis à morte remotus
Quatuor, ad septem si sit latissima tæda.

CAP.

CAP. XX. ℣. 8.

117. CUm Davidem implacabili odio persequeretur Saul, ejusque vitæ continuas strueret insidias; fidissimum amicum suum Jonatham precatus est David, ut ipsum sua manu occideret, si aliquid dignum mortis in eo sciret. Tolerabiliorem enim credidit mortem, provenientem ab amica manu, quàm à crudelitate irati persecutoris. *Si autem est iniquitas in me, tu me interfice, & ad patrem tuum ne introducas me.* 1. Reg. 20. v. 8. Eodem modo Rex Saul, timens horrorem mortis, hostium manibus sibi inferendæ, voluit occidi gladio chari sui armigeri. *Dixitq; Saul ad armigerum suum: evagina gladium tuum, & percute me.* 1. Reg. 31. v. 4.

Mors è manu amici minus horrida.

Itaque mors ex amicorum manibus est minus acerba, quàm si ab inimicis proveniat. Sic Virgilius lib. 3. Æneid. v. 604. introducit Achemenidem, promptum ad mortem per manus Trojanorum, dummodò subtraheretur crudelitati Cyclopum, & barbaris injuriis Polyphemi.

- - Si sceleris tanta est injuria nostri,
Spargite me in fluctus, vastoq; immergite ponto.
Si pereo, manibus hominum periisse juvabit.

Haud aliter Phædra apud Senecam in Hippol. Act. 2. cùm videret Hippolytum, quem ardenter amabat, stricto gladio ad eam occidendam adstare; dixit:

Hippolyte, nunc me compotem voti facis,
Sanas furentem, majus hoc voto meo est.
Salvo ut pudore manibus immoriar tuis.

CAP. XX. ℣. 35.

118. CUm Princeps Jonathas moraretur in sylvarum amœnis sitibus; tempus suum non transegit otiosè, sed occupabatur jaciendis sagittis, ut etiam inter respirationis otia exercitaretur in illis operationibus, quæ plurimùm conducunt ad serias expeditiones bellicas. *Venit Jonathas in agrum juxta placitum David, & puer parvulus cum eo, & ait ad puerum suum. Vade & affer mihi sagittas, quas jacio. Cumq; puer cucurrisset, jecit aliam sagittam trans puerum* 1. Reg. 2 , v. 35.

Otium non otium

His ipsis encomiis celebratur Avitus ab erudita Musa Sidonii Apollinaris, qui in panegyri, ad ipsius honorem facta, canit:

Jam præfectura perfunctus culmine tandem
Se dederat ruri: nunquam tamen otia, nunquam
Desidia imbellis, studiumq; & cura quieto
Armorum semper.

CAP. XXI. ℣. 8 &c.

119. INterfecto Gigante Philistæo, David victor ipsius gladium trophæi loco obtulit templo, suspensum ibidem ad honorem Dei, qui erat largitor victoriæ, ut advertunt Abulensis, Serarius, & alii. Cùm verò David esset constitutus in gravi necessitate ac præsenti periculo; iterum repetiit illum gladium, utut jam sacræ domui consecratum. *Dixit autem David ad Achimelech: si habes hic ad manum hastam aut gladium? & dixit Sacerdos: Ecce hic gladius Goliath Philistæi; quem percussisti in valle Terebinthi, est involutum pallio post Ephod: si istum vis tollere, tolle. Neq; enim hic est alius absque eo. Et ait David: Non est huic alter similis. da mihi eum.* 1. Reg 21. v 8 &c.

Arma oblata templo repetuntur.

Etiam Romani offerebant templis arma; quibus in prælio spoliaverant suos hostes; at cùm post cladem Cannensem reperirentur in gravibus angustiis, ad suam defensionem usi sunt iis armis, quæ ad pompam templorum suspensa erant ex parietibus. Valerius Maximus lib. 7. c. 6. *Cannensis autem clades adeò urbem nostram vehementer confudit, ut M. Junii opera dictatura rempublicam administrantis spolia hostium affixa templis, Deorum Numini consecrata, instrumento militiæ futuræ convellerentur.* L. Florus lib. 2. cap. 6. ait, quod post cladem Cannensem *Arma non erant, detracta sunt templis.*

CAP. XXI. ℣. 13.

DAvid in aula Regis Achis certissimò timebat, se occidendum; unde ad salvandam vitam, fingebat se stultum; monstruosè torquebat oculos ac labia; inordinatè extendebat brachia, & pedes; caput impellebat januis; è labiis versabat spumantem salivam: & tali modo salvabat vitam. 1. Reg. 21 v. 13. &c. 130.

Stultitia simulata.

Ulysses, prudentissimus Græcorum, ut subtraheretur periculis belli Trojani, finxit se stultum; & aravit arenas littoris, sparsitque salem loco seminis. Solon, unus ex septem Græciæ sapientibus, & clarissimus Atheniensium Legislator, simulavit se delirum, ut tali modo persuaderet illis populis recuperationem Insulæ Salaminæ, de qua loqui, erat sub pœna mortis interdictum. Unde Horatius l. 4. Carm. od. 12. in fine canit:

— Misce stultitiam consiliis brevem,
Dulce est desipere in loco

Et Cato:

Insipiens esto, cùm tempus postulat, aut res,
Stultitiam simulare loco, prudentia summa est.

CAP. XXII. ℣. 1.

DAvidis vita continuum fuit patientiæ & fortitudinis exercitium, maximè in ætate juvenili, ubi nunquam defuêre hostes, à quibus se vel defenderet fugiendo, vel liberaret occidendo. Odio habitus à Saule, se recepit in aulam Regis Geth; verùm & hic vitæ suæ timens, consultum censuit, securitatem suam quærere in cavernis belluarum, cùm inter homines non reperiret nisi inhumanitatem; ac proinde abscondit se in spelunca Odolla. *Abiit ergò David inde, & fugit in speluncam Odollam.* 1 Reg 22. v. 1. Est autem hæc spelunca, ut scribunt Eruditi, circumdata rupibus montium, benè munita, & secura, ubi nulli sunt timendi hostium insultus aut injuriæ. 131.

Spelunca est refugium.

Illa ipsa spelunca, quæ Davidi infestato serviit refugii loco, etiam Christianis asylum præbuit, quando eos Turcarum barbaries insequebatur. De ea Adrichomius in Tribu Juda num. 201. *Habuit eundem usum spelunca hac tempore Christianorum;* (loquitur de spelunca Odolla) *Nam Turca, cùm ad ea loca populabundi devenissent, fugerunt habitatores vicinorum locorum & sese cum uxoribus, liberis, armentis, & gregibus huc contulerunt.*

CAP. XXIV. ℣. 5.

232. UTique enormium delictorum reus fuerit Saul, quòd David, ab ipso graviter offensus, potuisset illum instigantibus generosis militibus interficere. Nihilominus gladio suo noluit attingere Barbarum hunc tyrannum, sed solummodò ipsius vestem. *Et præcidit oram chlamydis Saul silenter.* 1. Reg. cap. 24. v. 5.

Vestes punitæ.

Plutarchus in Apopht. scribit; *Artaxerxes Longimanus instituit, ut cùm principes viri supplicio afficerentur, non corpora, sed vestes, quibus se exuissent, flagellarentur, & non crines capitis evellerentur, sed tiara deponeretur.*

CAP. XXIV. ℣. 17.

233. VIdebatur implacabilis furor, conceptus in pectore Saulis contra Davidem; & tamen prudens iste Juvenis, contentus fuit præscindere particulam purpuræ, cùm potuisset vitam; adhibuit insuper cum barbaro isto tantæ humanitatis, submissionis, & teneritudinis verba, ut ipsius pectus commoveret, & ex tyranno mutatus in patrem, in hos affectus proruperit; *Numquid vox hæc tua est, fili mi David, & levavit Saul vocem suam, & flevit: dixitq; ad David: Justior es tu quàm ego: tu enim tribuisti mihi bona: ego autem reddidi tibi mala.* 1. Reg. 24. v. 17. &c. De hoc facto S. Joannes Chrysostomus Hom. de Davide & Saule Tom. 1. ait; *Quid esse possit hoc Prophetà beatius, qui brevis temporis momento sic hostem è furore ad sobrietatem composuit, & animum nactus sanguinis ac cædis sitientem, repentè ad lamenta & ejulatus compulit.* Et paulò post; *Est quidem & illud laude, summâq; admiratione dignum, quòd ensem non tinxerit sanguine, nec caput illud hostile resecuerit, sed longe majore corona dignum erat, quòd ipsum inimici propositum immutavit, eumque reddidit meliorem.*

David vincit clementia.

Eandem victoriam, quam David ex adhibita clementia à Saule retulit; etiam Augusthus obtinuit à L. Cinna, complectens eum benignitate. Cùm enim adversus Augusti vitam conspirâsset, & iste resolutissimus esset ad vindictam; Livia Imperatrix, ut refert Seneca lib. 1. de Clement. c. 9. ita eum est allocuta; *Fac quod medici solent, qui ubi usitata remedia non procedunt, tentant contraria. Severitate nihil adhuc profecisti: nunc tenta, quomodò tibi cedat clementia. Ignosce L. Cinnæ. deprehensus est. Jam nocere tibi non potest, prodesse famæ tuæ potest.* Placuit Augusto consilium, neque solùm ei condonavit pœnam, quam erat promeritus; sed *posthac detulit ultrò consulatum, questus, quòd non auderet petere.* id quod optimè successit; nam: *Amicissimum, fidelissimumque habuit, hæres solus fuit illi. Nullis amplius insidiis ab illo petitus est.*

Clementia vincit inimicos.

CAP. XXIV. ℣. 18.

234. OPerationes Davidis fuerunt è diametro oppositæ operationibus Saulis; ubi enim impius iste nihil aliud moliebatur, nisi stragem & mortem innocentis: David econtra totis studiis protegebat vitam furibundi sui persecutoris; insidiis ac offensis Saulis semper opponens obsequia ac beneficentiam. Unde ipsemet Saul coactus fuit in has voces prorumpere. *Justior tu es, quam ego: tu enim tribuisti mihi bona: ego autem reddidi tibi mala, &c.* 1. Reg. cap. 24. vers. 18.

Reddere bona pro malis.

Eodem prorsus modo egit Cicero; ut proinde accommodatissima hic sint verba Valerii Maximi lib. 4. c. 2. *Hujusce generis humanitas etiam in M. Cicerone præcipua apparuit; Aulum namque Gabinium repetundarum reum, summo studio defendit, qui eum in consulatu suo urbe expulerat. Idemque P. Vatinium dignitati suæ semper infestum duobus publicis judiciis tutatus est*; subjungitque, *Quia speciosius aliquando injuriæ beneficiis vincuntur, quàm mutui odii pertinacia pensantur.* Haud aliter Porsena, Rex Tuscus, vitam & libertatem donavit C. Mucio, qui ipsius vitæ insidiabatur asserens; *Revertere ad tuos, Muti; & eis refer, te, cùm vitam meam peteris, à me vita donatum.* Val. Max. lib. 3. c. 3.

CAP. XXV. ℣. 1.

MEritum Samuelis ita fuit grande, & beneficia ab ipso in Judæam collata tanti ponderis, ut Israëlitæ omnes, percepta ipsius morte, in tenerrimas lachrymas effusi, exequias infinita concurrentium multitudine honorârint, ac cadaver in propria ipsius domo tumulârint. *Mortuus est autem Samuel, & congregatus est universus Israël, & planxerunt eum, & sepelierunt eum in domo sua in Ramatha.* 1. Reg. 25. v. 1. Ex quo colligitur; *quòd apud majores; omnes homines suis domibus sepeliuntur*; ut loquitur Tertullianus lib. *de Resurr. carnis.* 235.

Sepulchra in domibus.

Quòd antiquis fuerit consuetudo sepeliendi defunctos in propriis domibus, meminit Plato l. 7. de Leg. in Minoë; *Nos quoque audivisti, quales quondam leges circa inferias ser vaverimus, hostias jugulantes antequam efferretur cadaver; præficasq; accersentes: & qui iis antiquiores, etiam domi defunctos sepelibant.*

Ad hunc ritum reflectens Statius lib. 3. *in Lachrymis Hetrusci* canit;

Non totus rapière tamen, nec funera mittam.
Longius, hic manes, hic intra tecta manebo.

Eundem morem rigorosè observarunt Ægyptii; de quibus Tullius 1. Tuscul. ad fin. *Condunt Ægyptii mortuos, & eos domi servant.* Et Pomponius Mela lib. 1. c. 5. de Ægyptiis differens; *Mortuos nec cremare, nec fodere fas putant: verùm arte medicatos intra penetralia collocant.*

CAP. XXV. ℣. 15. &c.

ABigail, loquens de modo, quo tam David, quam ipsius socii tractabant domum Nabal, ait; *Homines isti boni satis fuerunt nobis, & non molesti.* 1. Reg. c. 25. v. 15. Et expressius declarans accepta beneficia, subjungit num. 16. *Pro muro erant nobis, tam in nocte, quàm in die*; id est, ut commentatur P. Cornelius à Lapide, *nos defendebant ab incursu hostium*; fueruntque veluti animata propugnacula, & viventia valla. 236.

Murus symbolum defensionis.

De Hectore canit antiquus quidam Poëta;

Defensor patriæ juvenum fortissimus Hector,
Qui murus miseris civibus alter erat.

Et Seneca in Troade, eidem Hectori loquens;

Tu præsidium Phrygibus fessis,
Tu murus eras, humerisq; tuis
Stetit illa decem fulta per annos;
Tecum cecidit.

CAP.

CAP. XXV. v. 18.

237. Solebant antiqui Principibus & Magnatibus emeritis exigua offerre munuscula. Abigail remunerata est Davidem, *& tulit ducentos panes, & duos utres vini — & centum ligaturas uvæ passæ, & ducentas massas caricarum.* 1. Reg. 25. v. 18. Simile donum ei attulit Siba, comparens coram eo *cum duobus asinis, qui onerati erant ducentis panibus, & centum alligaturis uvæ passæ, & centum massis palatharum &c.* 2. Reg. 16. v. 1.

Parva munuscula facta Principibus.

Cùm Godofredus, Rex Hierosolymitanus, occuparetur obsidione Antipatridæ, aliquot Samaritani, Domini Castellorum, ipsius fama ac gloriosis actionibus incitati, advenerunt, ut ejus personam viderent; obtuleruntque ei suppetias panis, vini, uvæ passæ, ficuum, & similium rerum. Jo. Franc. Niger in prima Cruciata num. 276.

CAP. XXV. ℣. 22.

238. David certior factus de injuriis, quibus Nabal tam ipsum, quàm ipsius ministros affecerat; mox furore juvenili ac militari concitatus & excæcatus, in hoc juramentum prorupit; *Hæc faciat Deus inimicis David, & hæc addat, si reliquero de omnibus, quæ ad ipsum pertinent usq; manè, mingentem ad parietem.* 1. Reg. 25. v. 22. quasi diceret, se gladio interempturum totam illam domum; quod tamen postea executus non est, placatus & mitigatus operâ Abigailis.

Canes occisi ob destructionem totalem.

Non multum ab hoc recedit, quod narrat Vopiscus in vita Aureliani. Iste, videns à civibus Thianensibus in conspectu suo obseratas portas civitatis, plenus iracundia, dixit; *Canem in hoc oppido non relinquam.* Capta dein civitate, cùm milites peterent, ut eam ipsis diripiendam daret; respondit; *Agite: canem negavi me relicturum; canes omnes occidite.* Ita satisfecit suis promissis, & hostibus suis impertivit Imperialem clementiam.

CAP. XXV. ℣. 27. &c.

239. Tametsi in pectore Davidis vehementer exardescerent flammæ furoris & iracundiæ, concitatæ contra Nabal & ipsius domum ob graves injurias, in Davidem sparsas. Quando tamen prudens Abigail coram ipso comparuit cum aliquibus suppetiis ac muneribus, rogans, ut benevolum hoc donum dignaretur acceptare; *Suscipe benedictionem hanc, quam attulit ancilla tua tibi Domino meo: & da pueris qui sequuntur te Dominum meum.* 1. Reg. 25. v. 27. Mox Davidem reddidit tranquillum ac sedatum, ut ibidem describitur. v. 35.

Munera placant.

In muneribus hanc agnoscunt efficaciam omnes eruditi; quòd videlicet componant aliorum furorem, utut immensum ac concitatum. Unde Plato l. 3. Polit. producit hunc versum;

Cum Divis flectunt venerandos munera Reges.

Ovidius lib. 3. Fast.

Sæpè Jovem vidi, cum sua mittere vellet
Fulmina, thure dato sustinuisse manus.

Et Horatius;

Aurum per medios ire satellites,
Et perrumpere amat saxa, potentius
Ictu fulmineo.

CAP. XXV. ℣. 37.

Ita vehementer territus est Nabal, quando in mentem revocavit ex una parte propriam temeritatem, usurpatam adversus Davidem; & ex altera justum furorem, quo generosus David poterat ac volebat totam ipsius familiam funditus evertere; ut sanguis fuerit intra ipsius venas conglaciatus, & cor instar petræ stupefactum. *Et emortuum est cor ejus intrinsecus, & factus est quasi lapis.* 1. Reg. c. 25. v. 37. 240.

Cor præ timore factum ut lapis.

Hac loquendi forma usus est Pachuvius, relatus à P. Martino del-Rio Adag. 81. exprimens angustias cujusdam hominis miseri.

— — — *Me*
Terit fames, pavore fama concutit,
Lapit (id est, lapidescit) *cor cura;*
& ærumna corpus conficit.

CAP. XXV. ℣ 41.

Abigail, invitata ad nuptias Davidis, profunda humilitate respondit; se suam personam offerre, ut ei ancilletur, & lavet pedes infimorum servorum Davidis. *Ecce famula tua fit in ancillam, qua lavet pedes servorum Domini mei.* 1. Reg. 25. v. 41. Ex hoc responso colligitur antiquus mos, quo fœminæ lavabant pedes virorum. Idipsum requirebat S. Paulus 1. Timoth. c. 5. v. 10. in viduis sui temporis. *Si hospitio recepit, si sanctorum pedes lavit.* 241.

Pedes loti à fœminis.

De hoc more loquitur Homerus Odyss. 3. propè finem.

Interea Telemachum lavit pulchra Polycarte;
Porrò postquam lavit, & unxit pingui oleo,
Circum ipsum indusium pulchrum jecit. &c.

Idem Homerus Odyss. lib. 19. ait; Ulyssem, quando audivit, destinatam à Penelope aliquam mulierem ad lavandos ipsius pedes; respondit,

— *Neq; fœmina tangat pedes meos,*
Nisi aliqua vetula antiqua.

Unde Athenæus lib. 1. *Introducit Homerus puellas, & mulieres, quæ lavant hospites, quasi neque inflammationem, neq; intemperantiam patiantur. Antiqua hæc autem consuetudo.*

CAP. XXV. ℣. 42.

Invitata Abigail ad nuptias Davidis, pedissequas habuit quinque puellas, quæ eam summa decentia comitatæ sunt ad thalamum sui sponsi. *Et surrexit Abigail — & quinq; puellæ ierunt cum ea, pedissequæ ejus, & secuta est nuntios David: & facta est illi uxor.* 1. Reg. c. 25. v. 42. Similiter apud S. Matth. c. 25. quinque virgines prudentes secutæ sunt sponsum in celeberrimis illis nuptiis. 242.

Quinarius numerus convenit nuptiis.

Plato lib. 5. de Leg. refert; *Amicos quinq;, aut totidem amicas ad nuptiale convivium convocari solitas.* Addit Plutarchus Problem. 2. quòd Romani *in nuptiis quinq; faces (cereos ipsi vocant) non plures his, aut pauciores accendunt:* adeoque variis congruentiis & rationibus probat, numerum quinarium esse convenientissimum nuptiis, uti apud eundem videri potest.

CAP. XXVIII. ℣. 3.

Samuel, ab omnibus amatus in vita, plangitur ab omnibus in morte; & sicuti omnes concurrerunt ad ipsius tribunal, ita concurrunt omnes ad ipsius exequias, ut summa majestate ac hono- 243.

Exequiæ cum ingenti concursu.

honore peragerentur. *Samuel autem mortuus est, planxitq; eum omnis Israël.* 1. Reg. 28. v. 3. de quo paulò supra c. 25. v. 1. dictum est, quòd post ipsius mortem *congregatus universus Israël, & planxerunt eum.* Ita totus populus à Rege Davide fuit invitatus ad comitandum funus Abneris 2. Reg. 3. v. 31. &c. Secuta morte Josiæ, *universus Juda, & Jerusalem luxerunt eum.* 2. Paral. 35. v. 24. Cùm ad tumbam efferretur filius viduæ Naimi, videbatur *Turba civitatis multa cum illa.* Luc. 7. v. 12.

De concursibus numerosis ad exequias Magnatum, referta sunt volumina. In præsenti adduco Apulejum l. 8. Metam. ubi de Lepolemo defuncto scribit; *Funus verò, toto feralem, pompam prosequente populo, deducitur ad sepulturam.* Homerus, agens de morte Hectoris, canit Iliad. 24.

Neq; aliquis illic in civitate relictus est vir,
Neq; mulier, omnes enim irretentibilis occupavit luctus.

CAP. XXIX. ℣. 6.

Achis, Rex Geth, non reperit titulum digniorem, quo Davidis, ad aulam suam confugientis, virtutibus ac meritis texeret sublimia encomia, nisi ut eum vocaret bonum. *Vivit Dominus, quia rectus es tu, & bonus in conspectu meo.* 1. Reg. 29. v. 6. Et rursus v. 9. *Scio, quia bonus es tu in oculis meis, sicut angelus Dei.* Confert hic titulus personis Principum & Regum gloriosa ac grandia encomia.

Bonus est titulus nobilissimus Regum.

Phocion apud Athenienses sortitus est titulum Chresti, id est, boni, ob beneficas suas prærogativas, ut refert Plutarchus. Postquam Trajanus ab Armenis & Parthis retulit clarissimas victorias; Senatus Romanus ei tribuit Parthici, & insuper optimi titulum, quo, utpote maximè conveniente mansuetissimis suis moribus, præ omnibus aliis ultra modum gavisus est. Philippo III. Regi Navarræ, mortuo Anno 1349. datus est titulus boni; uti & Philippo Duci Burgundiæ, Brabantiæ, ac Comiti Flandriæ, mortuo Anno 1467. Guilielmus, cognominatus bonus, fuit vigesimus secundus Comes Hollandiæ & Zelandiæ. Alphonsus VIII. Rex Asturiæ, Lusitaniæ & Castellæ, prometitus est titulum boni.

CAP. XXX. ℣. 4.

144. Tanta barbarie debacchati sunt Philistæi in civitatem Siceleg, fabricas destruendo incendiis, & populos opprimendo catenis; ut David cum sociis in amarissimas querelas prorupe-

Dolor nimius exsiccat lachrymas.

rit. *Levaverunt David & populus, qui erat cum eo, voces suas, & planxerunt, donec deficerent in eis lacrymæ.* 1. Reg. 30. v. 4. seu ut legit Hebræus; *Non erant vires ad plorandum.* veluti diceret, multis lachrymis fuisse exhaustos & exsiccatos fontes lachrymarum. Ad hoc propositum servit dictum Isaiæ 21. v. 4. *Omnem gemitum ejus cessare feci;* quia nimirum ab extrema calamitate deficiunt lachrymæ & ipsi etiam oculi.

Hanc loquendi formam adhibent non solùm Poëtæ, inter quos Ovid. lib 1. Pont. Eleg. 2.

Fine carent lachrymæ nisi cùm stupor obstitit illis;
Et similis morti corpora languor habet.

Sed etiam Oratores; unde Cicero Orat. 2. in Antonium; *Heu mihi, consumptis enim lachrymis, infixus tamen pectori haret dolor.*

CAP. XXX. ℣. 16.

David, factus certior, ubinam exercitus Madianitarum post factas ingentes prædas in terris Philisthæorum, & post incendia urbis Siceleg, morarentur; mox eos insecutus, reperit in suis domibus immersos crapulis & ebrietatibus; omnesque ad internecionem dedit. *Ecce illi discumbebant super faciem universæ terræ, comedentes & bibentes &c. Et percussit eos David à vespere usq; ad vesperam alterius diei, & non evasit ex eis quisquam* &c. 1. Reg. 30. v. 16 &c. 145.

Milites ebrii occisi.

Filius Thomiridis, Scytharum Reginæ, cum suis turmis ingressus castra Cyri, ibique reperta grandi copia victualium & vini, permisit suis militibus, ut indulgerent crapulis ac lætitiis; Verùm nocturno tempore à Cyro oppressi, ac trucidati sunt. Justin. lib. 1. Hannibal studiose exposuit Romanis aliquot armenta; & cum hi crederent se esse adeptos opimam prædam, carnibusque illis replerentur, à Carthaginensibus obruti & occisi sunt. *Reducto nocte exercitu, securos eos, & in semicruda graves carne, majorem in modum vexavit.* Frontinus l. 2. c. 5. qui addit; *Tiberius Gracchus in Hispania, certior factus, hostem inopia laborare, instructissima castra omnibus esculentis deseruit, quæ adeptum hostem, & repertis intemperanter repletum, gravemque, reducto exercitu subitò oppressit.*

CAP. XXX. v. 24.

Cum militares turmæ circuirent ad deprædandas terras ac greges hostium; pruden- 146.

Spolia militaria in quos distributa?

ter disposuit David, ut spolia æqualiter dividerentur tam in illos, qui castra & terras peragrarunt, quàm qui custodiendis sarcinis militum invigilabant. Nam etiam isti, qui sarcinas custodiebant, concurrerunt ad acquirendam victoriam; quia milites liberius infestabant hostem, cum scirent, sarcinas suas esse benè custoditas. *Æqua pars erit descendentis ad prælium, & remanentis ad sarcinas. & similiter divident.* 1. Reg. 30. v. 24.

Polybius lib. 10. testatur, Romanos divisisse prædas non solùm iis, qui actionibus militaribus ac periculis intererant, sed etiam illis, qui custodiebant tentoria ac stationes, ubi castra erant posita; imò etiam infirmis, & ob bonum publicum ab exercitu remotis. *Neq; enim* inquit Seneca de Tranquill. c. 3. *ille solus militat, qui in acie stat, & cornu dextrum, lævumq; defendit, sed & qui portas tuetur, & statione minus periculosa, non otiosa tamen, fungitur, vigiliasq; servat, & armamentario præest.* Videatur Onosander l. 10. Strategic. c. 34. cum aliis, qui de re militari agunt.

CAP. XXXI. ℣. 4.

Cum videret afflictus Saul, suas turmas aperto campo superatas, filios miserè occisos, & se ipsum à Philisthæis vehementer infestatum; animum prorsus despondens, decrevit potiùs se ipsum interficere, quam hostis victoris arbitrio subjacere. Et cum ab armigero suo non posset impetrare mortem, proprias sibi manus intulit, factus sui met barbarus ac violentus homicida. *Arripuit itaq; Saul gladium, & irruit super eum.* 1. Reg. c. 31. v. 4. 147.

Homicida sui ipsius.

Hanc ipsam resolutionem cepit Cato Romanus, qui ne incideret in manus Cæsaris victoris, cogereturque, illum rogare, aut eidem debere suam vitam; decrevit, illam finire proprio gladio, quem pectori infixit. Et licèt hanc actionem, tanquam generosæ fortitudinis plenam, sum-

summis laudibus extollat, uti patet tum ex lib. de Provid. tum ex Epist: 71. nihilominus prudentiores eam abominantur, veluti è pusillanimi, barbaro, & iniquo corde profectam. Similiter Brutus & Cassius, interfectores Cæsaris, cùm ab Octaviano, Cæsaris nepote, vincerentur, se ipsos occiderunt, ut effugerent pœnas, sibi à victore paratas.

CAP. XXXI. ℣. 5.

Milites se occidunt ad exemplum Ducis.

248. QUamprimum Saul, ob exercitum suum dissipatum ac interfectum vehementer afflictus, infelicem vitam finiit, gladio pectori infixo; mox ipsius armiger, proprio gladio irruens, Regem suum comitatus est moriendo. *Quod cùm vidisset armiger ejus, videlicet quòd mortuus esset Saul irruit etiam ipse super gladium suum, & mortuus est cum eo.* 1. Reg. c. 31. v. 5.

Otho Imperator, audito nuntio cladis, à suo exercitu toleratæ, similis Sauli, *in ferrum pectore incubuit.* Cùm postea ipsius exequiæ celebrarentur; *Quidam militum juxta rogum interfecêre se, non noxâ, neque ob metum, sed æmulatione decoris, & charitate Principis;* uti loquitur Cornelius Tacitus lib. 2. Histor: Cujus conspectu cadavere, inquit Suetonius in vita n. 12. *Multi præsentium militum, cum plurimo fletu, manus ac pedes jacentis exosculati, fortissimum virum, unicum Imperatorem prædicantes, ibidem statim, nec procul à rogo, vim suæ vitæ attulerunt.* Tantùm potest exemplum superioris, qui subditos etiam allicit ac persuadet ad amittendam vitam, quâ nihil est pretiosius aut charius.

Exemplum majorum.

CAP. XXXI. ℣. 10.

249. POstquam Philistæi terminârunt grandem illum diem, quo superarunt exercitum Israëlitarum, subsecuta morte Saulis, omniumque filiorum; repererunt cadaver Regis, exanime in terra jacens; quod truncarunt capite, suisque ornamentis spoliarunt; arma verò ipsius suspenderunt in templo Astaroth, cui idolo acceptam ferebant victoriam, sicque etiam ipsius honori consecrabant regia ac gloriosa illa spolia. *Et posuerunt arma ejus in templo Astaroth.* 1. Reg. 31. v. 10. Ita gladius Goliath suspensus fuit in templo, ut colligitur 1. Reg. 31. v. 10. Etiam de Judith scribitur; *Porrò Judith universa vasa belli a Holofernis, quæ dedit illi populus, & conopeum, quod ipsa sustulerat de cubili ipsius, obtulit in anathema oblivionis.* Judith. c. 16. v. 23. id est, *ad templum obtulit,* ut interpretatur Gaspar Sanctius. Et lib. 1. Mach. 6. v. 2. de civitate Elymaide in Persia dicitur; *Templum in ea locuples valde: & illic velamina aurea, & lorica, & scuta, quæ reliquit Alexander. &c.*

Arma oblata templis.

Etiam Gentiles meminêre hujus moris, quo suspendebantur in templis arma & spolia, ab hoste in bello recuperata. Virgilius lib. 3. introducit Æneam, consecrantem in templo Apollinis sua spolia militaria;

Ære cavo clypeum magni gestamen Atlantis
Postibus adversis figo, & rem carmine signo.

Idem lib. 7. pergit;

Multaque præterea sacris in postibus arma.
Captivi pendent currus, curvæque secures,
Et cristæ capitum, & portarum ingentia claustra,
Spiculaque, clypeique, ereptaque claustra carinis.

Illum imitatus Silius lib. 1. Punic.

In foribus sacris, primoque in limine templi,
Captivi currus, belli decus, armaque rapta,
Pugnantûm Ducibus, sævaque in Marte secures,
Perfossi clypei, & servantia tela cruorem.

CAP. XXXI. ℣. 12.

QUantus fuit contemptus, quo barbaries Philisthæa prosecuta est cadaver Saulis; 250.
tantus fuit honor, quem pietas Israëlitica eidem deferre conata est. Fortissimi ac generosissimi milites, qui habitabant in Jabes, tota nocte ambularunt, illudque sustulerunt è mœniis Bethsan, ubi indignissimè suspensum erat; & delatum ad civitatem suam, honestissimis exequiis celebrarunt. *Surrexerunt omnes viri fortissimi, & ambulaverunt totâ nocte, & tulerunt cadaver Saul, & cadavera filiorum ejus de muro Bethsan, veneruntque, Jabes Galaad &c.* 1. Reg. c. 31. v. 12.

Milites sepeliunt defunctos.

Quod fecêre milites Hebræi, portando cadavera Regis Saulis & Principum filiorum; fecêre etiam milites Gentilium, ferendo cadavera suorum Principum. Dion Cassius lib. 55. de cadavere Drusi ait; *Romam corpus defuncti attulit, portantibus id principio usque ad hyberna centurionibus, ac tribunis militum.* Alexander ab Alexandro lib. 3. cap. 7. *Sæpè Imperatoris, aut Ducis, qui occubuisset in acie funus; quilibet, quantum poterat, militaribus studiis celebrârunt.* Cælius Rhodiginius lib. 17. cap. 19. *Macedonibus vix ullum militiæ tam solemne munus est, quàm suos sepelire.*

CAP. XXXI. ℣. 12.

CAdavera Saulis & filiorum ipsius, aliquod 251.
abhinc diebus mortuorum, provida diligentia fuêre è civibus Jabes combusta, ne redderentur proprio fœtore abominanda & exosa in conspectu mundi. Ob hanc causam *combusserunt ea,* 1. Reg. c. 31. v. 12. Ita cadaver Regis Asa fuit combustum inter multa aromata. 2. Paral: 16. v. 4. Et ut vult P. Cornelius à Lapide in hunc locum, ordinariè *Hebræi Regum suorum cadavera comburebant.*

Cadavera combusta.

Trojanis erat usitatus hic ritus comburendi cadavera. Unde Virgilius l. 11. Æneid: vers. 184. canit;

Jam Pater Æneas, jam curvo in littore Tarchon,
Constituere pyras: huc corpora quisque suorum
More tulere patrum, subjectisque ignibus atris
Conditur in tenebras altum caligine cœlum.

Et paulò post;

-- -- *Tum littore toto*

Ardentes spectant socios, semustaque servant
Busta, nec avelli possunt.

Romani etiam concremabant cadavera. Suetonius; loquens de Julio Cæsare defuncto, ait; *Funere indicto, rogus extructus & in campo Martio juxta Iuliæ tumulum.* Et de Tiberio scribens, ait, ipsius cadaver *Romam per milites deportatum est, crematumque publico funere.* De Græcis Silius Italicus lib. 13.

Cecropidæ ob patriam Mavortis sorte peremptos
Decrevere simul communibus urere flammis.

CAP. XXXI. ℣. 13.

152. ANtiquo populi Hebræi more, tædiosis jejuniis comitabantur mortem & exequias suorum Magnatum. Populi Jabes Galaad, certiores facti de morte Saulis & ipsius filiorum; *tulerunt ossa eorum, & sepelierunt in nemore Iabes.* Et in doloris, affectusque sui inditium, *jejunaverunt septem diebus.* 1. Reg. 31. v. 13. Simili modo David in morte Abneris observavit rigorosum jejunium usque ad solis occasum. 2. Reg. 3 v. 35. id quod etiam fecit post mortem Saulis. 2. Reg. 1. v. 11.

Jejunium in morte.

De Ægyptiis refert Diodorus Siculus lib. 1. cap. 3. quod in morte sui Regis; *Cibis animantium, coctisque, ac vino, omnique mensæ apparatu abstinent.* De Alexandro Magno Justinus lib. 12. ait; *Tunc Parmenion & Philotas, tunc Amyntas consobrinus, tunc noverca, fratresque interfecti --- alii que Macedoniæ extincti Principes occurrebant. Ob hæc illi quatriduo perseverata inedia est.* Philippus Beroaldus in lib. 8. Apuleji observat, quod *Sisigambis, Darii mater, auditâ Alexandri Magni morte, succumbens dolori, cibo pariter abstinuit.*

LUMINA REFLEXA
EX LIB. II. REGUM.

CAPUT. I. v. 11.

153. Nimus, ex alterius morte dolens ac mœstus, ab antiquis solebat demonstrari scindendo vestimenta. Id quod David, & omnes ipsius milites fecêre, audita Saulis, filiorum morte. *Apprehendens David vestimenta sua, scidit, omnesque viri, qui erant cum eo.* 2 Reg. cap. 1. v. 11. Prius tamen id fecerat Jacob ob supposititiam mortem Josephi. Gen. 37. v. 34. Et Job in morte suorum filiorum. Job. 1. v. 20. Unde quando S. Matthæus cap. 27. v. 51. ait, in morte Christi; *Velum templi scissum est in duas partes, à summo usque deorsum.* Theophilactus commentatur; *Templum scidit velum suum, significando, quod propter absurdum & irrationabile spectaculum lugeret; lugentium enim est, vestem scindere.* His concordat Sedulius lib. 4. operis Paschal:

Vestes in morte scissæ.

Illud ovans templum, ritu plangentis alumni,
Saucia discusso nudavit pectora velo.

Hunc morem in centenis Authoribus observant Eruditi. Alemannus vetus Poëta canit;

Quid fiet, Cytherea, tuus decumbit Adonis?
Plangite vos teneræ, & tunicas lacerate puellæ.

Juvenalis Sat: 10.

-- -- *Hectore funus*
Portante, ac reliquis fratrum cervicibus inter
Iliadum lachrymas, ut primos edere planctus
Cassandra inciperet, scissâque Polyxena pallâ.

Apulejus lib. 8. Metamorph: *Adhuc flentem maritum, adhuc vestes lacerantem, adhuc capillos distrahentem, non dubitavit de nuptiis convenire.* Ubi Philippus Beroaldus; *Maxima dolentis indicia vestem in luctu lacerare &c.* Sed de hoc ritu vide suprà ad cap. 37. Genes. v. 30.

CAP. I. ℣. 11.

CAlamitates Saulis adeò fuerunt deplorandæ, ut ad effusissimas lachrymas coëgerint etiam illos, quos antehac gravissimè offenderat. David, quem horribili barbarie persequebatur, non potuit continere fletum; *Apprehendens autem David vestimenta sua scidit, omnesque viri, qui erant cum eo, & planxerunt, & fleverunt. &c.* 2. Reg. 1. v. 11. Et rursus v. 17. *Planxit autem David planctum*; componens ad ipsius exequias elegiam, commiseratione plenam. Similimodo bonus iste Rex planxit mortem Abneris, tametsi fuerit Archistrategus hostium ipsius 2. Reg. 3. v. 32. uti & mortem Absalonis, hominis sanguinarii, perduellis, & parricidæ. 2. Reg. 18. v. 33. 154.

Mors hostium deplorata

Julius Cæsar, cernens truncatum caput Pompeji, sui inimici, non potuit cohibere lachrymas commiserationis & teneritudinis. *Vt eum id Cæsar aspexit*, inquit Valerius Maxmus lib. 5. cap. 1. *oblitus hostis soceri sui vultum induit, ac Pompejo tum proprias, tum etiam filiæ suæ lachrymas reddidit.* Ita Antigonus, Rex Macedoniæ, sceptrum posuit supra faciem Alcionis, sui filii, qui ipsi attulit caput Pirrhi, sui inimici; unaque copiosis lachrymis prosecutus est ipsius calamitatem.

CAP. I. ℣. 14. &c.

CUm Saul confligeret contra Philisthæos, perdidit honorem victoriæ & simul vitam; quam imprimis ipsemet sibi propria manu auferre 155.

Occisor Regis punitur morte. ferre conatus est, finitam postea ab uno suorum subditorum. Cùm autem David nuntium illud ab eo ipso accepisset, qui Saulem occiderat, in vicem remunerationis ob interfectum fatalem suum inimicum, condemnatus est ad mortem; existimans David, indignum esse vita, qui violentas manus intulisset majestati regiæ. *Quare non timuisti mittere manum tuam, ut occideres Christum Domini? Vocansque David unum de pueris suis, ait; accedens irrue in eum. Qui percussit illum, & mortuus est.* 2. Reg. 1. v. 14.

Rex Persiæ, tertia vice à militibus Alexandri aperto prælio profligatus, fugæ beneficio consuluit suæ vitæ. At frustra; nam infestatus à Besso, tametsi suo consanguineo, fuit comprehensus & occisus. Postea in manus victoris incidens Bessus, dixit, se vitam abstulisse Dario in gratiam Alexandri; iste abominatus enorme delictum, jussit illum pedibus ligari ad duos arborum apices, violenter inflexos usque ad terram, quibus mutuò diruptis, in duas partes horribiliter discissus est. Bapt: Fulgos: lib. 6. seu ut refert Q. Curtius lib. 7. sententiam tulit Alexander; *Ut cruci affixum, mutilatis auribus & naribus, sagittas configerent Barbari, asservarentque corpus, ut ne aves quidem contingerent.* Octavianus nunquam acquievit, donec è medio sustulisset interfectores Cæsaris. *Et multa Antonio tunc, dum interfectores patris ulcisceretur, multa lepido concessit.* Tacitus lib. 1. Annal: ait, Claudium inter prima negotia retulisse, ut occideret Colonellos & Capitaneos, qui ad mortem Caligulæ cooperabantur. *Tribunis modò, ac centurionibus è conjuratorum in Cajum numero interemptis, exempli causâ.* Sueton: in Claud: cap. 21. Vitellius, loco præmii, quod petierant interfectores Galbæ, puniit eos morte. *Non honore Galbæ, sed tradito Principibus more: munimentum ad præsens, in posterùm ultionem.* Tacit: Hist. 1.

CAP. I. ỷ. 21.

256. Ira contra res inanimatas. DAvid ob mortem Saulis in has imprecationes prorupit; *Montes Gelboe, nec ros, nec pluvia veniant super vos, neque sint agri primitiarum.* 2. Reg. 1. v. 21. ubi non voluit maledicere montibus eosque ad perennem sterilitatem condemnare: Sed ut crederemus, inquit P. Cornelius à Lapide, *lusisse militariter, ut animi dolorem significaret.* Volebat enim exprimere ingentem dolorem internum, quem senserat ob Saulis stragem, factam supra illos montes, cui ipsæ etiam creaturæ inanimatæ compati potuissent.

Xerxes Rex, audiens, classem à tempestate maris prorsus esse conquassatam, ita fuit turbatus animo, ut jusserit, Hellesponto infligi trecentos ictus; & in ipsius profundum projici unum par compedum; ut refert Herodotus lib. 7.

CAP. I. ỷ. 21.

257. Scuta animata sunt homines fortes. DAvid, apostrophe ad montes facta, in quibus Saul interfectus est, acerbè conqueritur, *quia ibi objectus est clypeus fortium, clypeus Saul.* 2. Reg. 1. v. 21. id est, interpretatur Gaspar Sanctius, *quod defuerit patria clypeus & murus; viri nempe fortes, qui impavidi pectoris oppositu, arcebant hostilem vim.* Adeoque clypei nomine, inquit ille, possumus intelligere ipsummet Saulem, & alios fortes milites, qui Judææ serviebant instar scuti, & muri animati.

Fœminæ Trojanæ, cùm plangerent mortem Hectoris apud Senecam in Troade Actu I. usæ sunt hac ipsa metaphora.

Columen patriæ, mora fatorum,
Tu præsidium Phrygibus fessis,
Tu murus eras, humerisque tuis
stetit illa decem fulta per annos;
Tecum cecidit: summusque dies
Hectoris idem, patriaque fuit.

CAP. I. ỷ. 22.

AD demonstrandam insignem generositatem ac virtutem militarem tam Saulis, quàm Jonathæ; dicitur, ipsorum arma nunquam fuisse usurpata frustrà, sed tam sagittas unius, quàm gladium alterius semper attigisse scopum, ac hostibus nunquam non prodigiosos ictus, ipsamque etiam mortem, intulisse. *Sagitta Ionathæ nunquam rediit retrorsum, & gladius Saul non est reversus inanis.* 2. Reg. cap. 1. v. 22. In hunc sensum Hieremias cap. 50. v. 9. de exercitu, contra Babylonios conducto, ait; *Sagitta ejus quasi viri fortis interfectoris, non revertetur vacua.* 258.

Si de sagittis loquamur, illis Jonathæ non absimiles sunt sagittæ Alcidis; quas Seneca in Hercul. Oeteo ita celebrat;

— — *Munus Alcide cape,*
Has Hydra sensit: his jacent Stymphalides,
Et quidquid aliud eminus vici malum:
Victure felix, has enim nunquam irritas
Mitte in hostes.

Si de gladio, quem Saul cum assidua Barbarorum clade stringebat, Torquatus in Jerusal: Liber: Cant: 9. st. 23. simili modo jactat gladium Solimanni:

Non cala il ferro mai, à pien non colga,
Ne coglie à pien, che piaga anco non faccia,
Ne piaga fà, che l' alma altrui non tolga.

CAP. I. ỷ. 26.

NOn poterat David majore expressione significare intensum affectum, quo ferebatur erga Jonatham, nisi recurrendo ad amorem matris erga unicum suum filium. *Sicut mater unicum amat filium suum, ita ego te diligebam.* 2. Reg. 1. v. 26. Hac ipsa emphasi Hieremias c. 6. v. 26. *Luctum unigeniti fac tibi planctum amarum.* Et Amos cap. 8. v. 10. *Et ponam eam quasi luctum unigeniti.* 259. Amor filii unigeniti.

Ad hanc similitudinem recurrit Homerus: imprimis lib. 9. Iliad.

Et me dilexit, tanquam pater suum filium diligit,
Solum, unicum in multis possessionibus.

Et postea lib. 16. Odyss:

Sicut autem pater suum filium amicabilis amplectitur,
Venientem ex longinqua terra decimo anno
Unicum.

Plautus sub initium Asinariæ.

Sicut

Sicut tuum vis unicum gnatum tua
Superesse vita sospitem, & superstitem.

CAP. II. ℣. 5.

260. POst mortem Saulis, misit David nuntios ad viros Jabes Galaad, dixitque ad eos; *Benedicti vos à Domino, qui fecistis misericordiam hanc cum Domino vestro Saul, & sepelistis eum.* 2. Reg. 2. v. 5. In hunc locum Tostatus; *Misit nuntios ad viros Iabes, referendo gratias pro honore impenso Saul: ut per hoc totus Israël, & illi qui restiterant de stirpe Saul magis placarentur.* Adeoque affectus, quem David demonstrabat versùs mortuum Saulem; & pietas, in illis populis à Davide laudata, quòd ei dederint benignam sepulturam; deservijt ad alliciendos & conciliandos ipsosmet etiam populos, ut magis afficerentur Davidi, & in ipsius partes concederent; dum vivente adhuc Saule erant ipsius inimici.

Pietas erga mortuos conciliat benevolentiam.

Theodosius Imperator omni splendore possibili celebravit exequias Atanarici, Gothorum Regis, mortui Constantinopoli, ubi eum tractavit, non ut hostem, sed ut singularissimum amicum; quâ agendi ratione ita sibi devinxit affectum Gothorum, ut ex crudelissimis inimicis emolliti versùs ipsius pietatem, omnes accurrerint, ut se ei subjicerent, & sub gloriosis ipsius vexillis militarent. Ita Bonfinius lib. 2. Decadis 1. *Athanarico Rege Gothorum, Byzantii mortuo, Theodosius Imperator eum magnâ pompâ ad rogum usque secutus, cumulatissimè amico justa persolvit, funebres ludos in ejus honorem edidit: & hoc ipso Visigothorum animos ita sibi conciliavit, ut auspiciis deinceps Theodosii ultrò militârint.*

CAP. II. ℣. 14.

261. CUm exercitus Isbosethi consisteret è fronte exercitus Davidis; duo supremi Belliduces Abner & Joab consenserunt, ut duodecim electi milites ex utraque parte instituerent duellum, & militares ostentationes propriæ generositatis facerent, cùm quilibet crederet, adversam partem à se redditum iri attonitam & perterritam. *Dixitque Abner ad Joab: Surgant pueri, & ludant coram nobis: & respondit Joab: surgant &c.* 2. Reg. 2. vers. 14.

Experimentum factum de hoste.

Multùm prodest, ut Duces exercituum perspectam habeant fortitudinem, vires, aliasque hostium suorum qualitates: ut prudenter possint vel infestare, vel declinare arma ac prælia. Unde Vegetius l. 3. c. 9. *Ad rem pertinet, nosse, qualis ipse adversarius, vel ejus comites, optimatesque sint, utrùm temerarii, an cauti, an audaces, an timidi, scientes artem bellicam, an ex usu temerè pugnantes &c. quos animos illius copiæ, quos habeat noster exercitus;* subjungens, quòd prudens Bellidux, *si adversarium intelligit potiorem, certamen publicum vitet.* Cum his præventionibus circumspectè agebat Julius Cæsar, qui lib. 2. de Bello Gallico de se ipso, tametsi in tertia persona, ait; *Quotidie equestribus præliis, quid hostis virtute posset, & quid nostri auderent, periclitabatur.* Id quod ob eundem finem etiam solebat Maximus, ut scribit Appianus de Bello Hispano.

CAP. II. ℣. 15.

262. DUodecim milites electi ex exercitu Isbosethi, & totidem ex Davidis exercitu, tantô ardore ac obstinatia conflixerunt, ut omnes simul in singulari illo prælio interfecti sint. *Surrexerunt ergò, & transierunt numero duodecim de Benjamin, ex parte Isboseth filii Saul, & duodecim de pueris David &c. & ceciderunt simul.* 2. Reg. 5. v. 15 &c.

Duellantes occisi.

Huic Historiæ similis est fabula Cadmi, filii Regis Phœniciæ, qui post seminatos dentes Draconis, vidit duas armatas turbas ex seminibus illis egressas, quæ mutuis cædibus sese trucidarunt. Hanc fabulam prolixè narrat Ovidius l. 3. Metamor: & Alciatus Embl: 186. paucis versibus restrictam.

Vipereos Cadmus dentes ut credidit arvis
Sevit, & Aonio semina dira solo.
Terrigenûm clypeata cohors exorta virorum est,
Hostili inter se qui cecidere manu.

CAP. IX. ℣. 2.

TAmetsi milites Abneris & Joabi fuerint dissimiles genio & factione; in modo tamen prosequendi duellum fuêre prorsùs uniformes. Nam inter se congressi, quilibet sinistra manu arripuit alterius, sibi è fronte oppositi, capillos; & dextra infixit gladium intra ipsius viscera: unde omnes æqualiter cecidêre trucidati. *Apprehensoque unusquisque capite comparis sui, defixit gladiû in latus contrarii & ceciderunt simul.* 2. Reg. 2. v. 16. Virgilius repræsentans infaustum Priami finem, ait, quòd Pyrrhus ipsius capillos arripuerit manu sinistra, & dextera infixerit visceribus gladium. lib. 2. Æneid. v. 552. 263.

Capilli arrepti ab occisoribus.

Implicuit que comam levâ: dextraq; coruscum
Extulit, ac lateri capulo tenus abdidit ensem.

Similiter l. 10. Æneid: v. 535. describens Æneam, dum occidit Magonem, ait,

Sic fatus, galeam levâ tenet, atque reflexâ
Cervice, orantis capulo tenus abdidit ensem.

Verùm de hac eruditione dicemus Judith c. 13. v. 9

CAP. II. ℣. 18.

AsaËl, frater Joabi, tantæ fuit agilitatis, ut currendo certaverit cum damis & capris. *Asaël cursor velocissimus fuit, quasi unus de capreis, quæ morantur in silvis.* 2. Reg. 2. v. 18. De quibusdam militibus, à Juvene Davide conductis, similis velocitas refertur. 1. Paralip. 12. 8. *De Gaddi transfugerunt ad David, cùm lateret in deserto, viri robustissimi, & pugnatores optimi, tenentes clypeum & hastam: facies eorum, quasi facies leonis: & veloces quasi capreæ in montibus.*

Cursor velocissimus.

De Polymnestore Milesio scribit Solinus c. 6. quòd in ætate adhuc puerili pascens capras, *cursu leporem consecutus est.* De Perseo fingunt Poetæ, quòd currendo æquaverit velocissimas feras; unde ejus humeris appinxêre alas. Oppianus l. 2. de Venatione. *Ethus Rex Scotiæ ita fuit agilis currendo, ut penè cervos & venaticos canes cursu aquaret.* H. Boëthius l. 10. De Achille canit Pindarus Nem: Ode. 3.

Eum obstupescebant
Diana, & audax Minerva
Interficientem cervos sine canibus,
Dolosisque retium septis,
Pedibus enim, cursuque illos superabat.

CAP. II. ℣. 22.

ABner, Isbosethi supremus belli dux, homo insignis magnanimitatis, videns insequentem 264.

Culpa facit demittere caput & oculos. at Abner nonnihil se retraxit, rogavitque insequentem, ut recederet; ne constitutus in necessitate ipsum occidendi, cogeretur postea coram Joabo apparere plenus rubore ac confusione. *Recede noli me sequi*, inquiebat, *ne compellar confodere te in terram, & levare non potero faciem meam ad Joab fratrem tuum*. 2. Reg. 2. v. 22. Sicuti ergò innocentia liberè elevat oculos; ita culpa commissa non permittit comparere apertos; sed cogit ad demittendum caput, & oculos in terram figendos.

Ovidius lib. 6. Metamor: loquens de quadam fœmina, commissi sceleris rea ac convicta, plenaque confusionis, ait;

-- -- *Sed non attollere contra*
Sustinet hæc oculos.

Et de alia fœmina, eodem loco canit;

Erubuit gremioque pudor dejecit ocellos,

CAP. II. ℣. 24.

165. TAmetsi Judæa ultra modum fuerit natura sua fertilis ac delitiosa, diligentia tamen humana pro majori commodo, ei addidit quosdam aquæductus, ut magis ac copiosius irrigaretur. Unius meminit lib. 2. Reg. cap. 2. v. 24. *Persequentibus autem Ioab & Abisai fugientem Abner &c. venerunt usque ad collem aquæductus*. Hierosolyma fuit aquæductibus instructa à Salomone, qui de se ipso ait; *Extruxi mihi piscinas aquarum*. Eccles. 2. v. 4. Ad honorem Ezechiæ scribitur; *Quomodò fecerit piscinam, & aquæductum, & introduxerit aquas in civitatem*. 1. Reg. c. 20. v. 20. Etiam Bethulia gaudebat beneficio aquæductuum, quos destruxit Holofernes. Judith c. 7. v. 6.

Aquæductus.

A Romanis tam antiquis, quàm modernis, tantis laboribus & expensis fuêre extructi aquæductus, ut Plinius lib. 36 v. 15. eos vocet miracula mundi & proidgia architecturæ. Bruxellis, civitate Flandriæ, jactatur aquæductus, qui porrigitur usque ad Scaldim, & conductus Antuerpiam, inferius transvehit merces per omnia regna, non tantum Hispaniarum, sed totius mundi. Ita Mediolanum, mea patria, potest gloriari duobus nobilissimis aquæductibus; quorum unus derivatur ex flumine Addua, & & alter ex Ticino, qui protensi viginti & trecentis milliaribus, ad hanc civitatem, Lombardiæ metropolim, advehunt omnem abundantiam & commoditatem.

CAP. II. ℣. 26.

166. ABner disuadens Joabo, ne ipsius copias nimia crudelitate persequeretur; addidit hanc doctrinam; *Quod periculosa sit desperatio*. 2. Reg. 2. v. 26. Animi enim desperati postremas exerunt vires, ut vel hostem vincant, vel propriam vitam multo aliorum sanguine vendant; Unde desperatio sæpius fuit fœcunda victoriarum parens.

Desperatio animat.

Vegetius l. 3. cap. 21. benè ait; *Clausis ex desperatione crescit audacia, & cùm spes nihil est, sumit arma formido*. Et paulò post; *Clausi, licet exigui numero, & infirmi viribus, hoc ipso tamen sunt hostibus pares, quia desperantes sciunt, aliud sibi licere non posse, sed una salus victis nullam sperare salutem*. Conformiter ad hoc dixit Sallusthius; *Gravissimi sunt morsus irritatæ necessitatis*. Et Seneca lib. 2. Nat: Quæst: cap. 59. *Nullus perniciosior hostis, quàm quem audacem angustia faciunt: longeque violentius semper ex necessitate, quàm ex virtute corripimur*.

CAP. III. ℣. 31.

ABnero, proditoriè à Joabo occiso & mortuo, David non solùm amarissimè flevit, sed etiam exequias fortissimi illius Belliducis in propria persona comitatus est, volens eum honorare usque ad tumulum. *Porrò Rex David sequebatur feretrum*. l. 2. Reg. c. 3. v. 31. 167.

Princeps comitatur exequias.

Quam laudem hic tribuunt sacræ litteræ Davidi; etiam Gentiles suis Principibus attribuerunt. Suetonius in vita Tiberii cap. 32. scribit, quòd ille Monarcha *quorundam illustrium exequias usque ad rogum frequentavit*. De Imperatore Augusto narrat Dion lib. 54. *Simul ac de casu Agrippæ cognovit, properato ex urbe profectus, mortuum eum invenit, corpus ejus in urbem advexit, ac in foro propositum funebri laudatione decoravit*. De exequiis Severi dixit Herodianus lib. 4. *Præibant igitur Principes cum purpura Imperatoria, post sequebantur Consules, urnam cum Severi reliquiis portantes &c.*

CAP. III. ℣. 34.

DEplorans Rex David mortem Abneris, proditoriè occisi; saltem ex eo capite illi gratulatus est, quòd nec ipsius manus fuerint constrictæ catenis, nec pedes compedibus. *Manus tuæ ligatæ non sunt, & pedes tui non sunt compedibus aggravati*. 2. Reg. 3. v. 34. adeoque perdidit vitam, non tamen libertatem; & ob hanc causam potuit dici felix. 168.

Servitus pejor morte.

Hecuba apud Senecam in Troade Act. 1. deplorans mortem Priami, crudeliter occisi, cum Virginibus Trojanis ita canit;

Non est Priami miseranda mei
Mors, Iliades. Felix Priamus
Dicite cunctæ. Liber manes
Vadit ad imos, nec feret unquam
Victa Grajum cervice jugum; --
Non assuetas ad sceptra manus
Post terga dabit.

Andromacha, videns, se è grandi Principe reductam ad miserum ancillæ statum cum Polyxena gaudebat, quæ quidem mortis ictui, non tamen infamiæ catenarum subjacuit; & lib. 3. Æneid: ita discurrit;

O felix una ante alias Priameia virgo,
Hostilem ad tumulum Trojæ sub mœnibus altis
Jussa mori. Quæ sortitus non pertulit ullos,
Nec victoris heri tetigit captiva cubile.

CAP. III. ℣. 35.

QUamprimum Rex David suo & totius populi interventu contulit Abnero postremos sepulturæ honores; mox subjungitur; *Cumque venisset universa multitudo cibum capere cum David &c.* 2. Reg. 3. v. 35. adeoque singuli, qui interfuêre exequiis, post has finitas non redière domum, sed ad Regis prandium. Ex quo infertur mos ille antiquus, quo in exequiis Magnatum celebrabantur publica convivia; ut in hunc locum observat P. Gaspar Sanchez; *Colligo, in parentali alicujus honore publicum populis exhiberi convivium*. 196.

Convivium in exequiis.

Hic ritus pluribus modis comprobatur; Plin. l. 10. c. 10. *Nihil tamen esculenti unquam ex funerum ferculis.*

ferculis. Apuleius 4. Metamor: *Cenam feralem à tumulo ad mensam referrent.* T. Livius lib. 39. *Ludi funebres per triduum facti; post ludos epulum.* Suetonius in Julio Cæsare cap. 26. *Munus populo, epulumque pronuntiavit in filiæ memoriam, quod ante eum nemo.* Et Homerus l. ult: Iliad:

Fundentes autem signum iterum iverunt, at postea
Benè congregati, convivati sunt valde gloriosum convivium
Domibus in Priami, Jovis alumni Regis;
sic hi constituerunt sepulchrum Hectoris bellicosi.

CAP. IV. ℣. 5.

270. Dormire in meridie. QUod Veteres consueverint dormire meridiem, sæpius testantur sacræ litteræ. Recab & Baana, homines flagitiosi; *ingressi sunt ferventi die domum Isboseth: qui dormiebat super stratum suum meridie.* 2. Reg 4. v. 5. Dum æstivis diebus milites versabantur in castris, *Accidit ut surgeret David de strato suo post meridiem.* 2. Reg. 11. v. 2. Ita Job. c. 24. n. 11. *Inter acervos eorum meridiati sunt;* id est, in meridie dormierunt. &c.

Hic mos etiam communis fuit Romanis. Suetonius de Augusto cap. 78. *Post cibum meridianum ita ut vestitus, calceatusque erat, retectis pedibus paulisper conquiescebat, appositâ ad oculos manu.* De Trajano affirmat Plinius in Paneg. quòd solitus sit aliquantulum quiescere sub meridiem. Procopius lib. 3. refert, dormientibus sub meridiem Romanis, captam ab Alarico, Gothorum Rege, fuisse civitatem. Ad hoc propositum Ovidius lib. 1. Amor: Eleg. 5.

Æstus erat, mediamque dies exegerat horam,
Apposui dubio membra levanda thoro.

CAP. V. ℣. 2.

271. Princeps est pastor subditorum. CUm omnes Tribus Israeliticæ Davidem assumerent Regem, in memoriam ei revocarunt illud Dei oraculum: *Dixit autem Dominus ad te: Tu pasces populum meum Israel, & tu eris Dux super Israel.* 2. Reg. 5. v. 2. Adeoque sicut debet præcedere tanquam Rex, ita etiam pascere debet populum tanquam Pastor, ad hanc obligationem reflectit Isaias cap. 37. *Non sum Medicus, & in domo mea non est panis: nolite constituere me Principem populi.*

Homero apprimè perspectum fuit, veri Principis obligationem esse, ut pascat populos; unde Agamemnonem Regem cognominavit *Pastorem populorum.* Ad hanc boni Principis proprietatem reflectens Seneca Medeæ Act. 2. ait;

-- -- Hoc Reges habent
Magnificum & ingens, nulla quòd rapiet dies,
Prodesse miseris, supplices fido lare protegere.

Boni Pastoris munere functus est Vespasianus, qui referente Suetonio cap. 17. *In omne hominum genus liberalissimus, consulares inopes quingentis annuis sestertiis sustentavit.* Bonus pastor fuit Alexander Severus, de quo Lampridius; *Pauperes juvit, honoratos, quos pauperes verè, non per luxuriam, aut per simulationem, vidit, semper multis commodis auxit: agris, servis, animalibus gregibus, ferramentis rusticis.*

CAP. V. ℣. 8.

272. QUando agitur de Hierosolymis à Davide ex potestate Jebusæorum recuperatis, addit sacer Chronologus, id contigisse ob præmium ac mercedem, promissam illi, qui præ omnibus fastigium illud conscendisset; Milites enim; hac spe animati, liberrimè ad grandè hanc expeditionem accurrerunt. *Proposuerat enim David in die illa præmium, qui percussisset Jebusæum, & tetigisset domatum fistulas, & abstulisset claudos &c.* 2. Reg. 5. v. 8. Adeoque licet fiduciam suam posuerint in montibus adeò munitis, ut vel soli cæci & claudi sufficere viderentur ad eos propugnandos; David tamen tam præmiorum, quàm generosorum militum viribus eos expugnavit & obtinuit. Similiter Caleb ad expugnandam civitatem Cariat Sepher, obtulit Axam, desponsandam victori. Judic. 1. v. 10. Saul ad concitandos Israëlitas contra Goliathum, promisit ei, qui gigantem interfecisset, non tantùm copiosas divitias, sed etiam nuptias regiæ Principis. 1. Reg. c. 17. v. 25. (Præmium proposi- tum animat.)

De Alexandro Macedone scribit Q. Curtius lib. 7. quòd delatus ad præruptum & inaccessibilem locum, ubi morabantur ipsius hostes; qui, insuperabili situ confisi, apertis verbis ei insultabant; promisit suis militibus largissimam mercedem, ut locum illum superarent; Hi, tantis præmiis accensi, contemptis omnibus periculis, usque ad rupium illarum apices ascenderunt, & insignem obtinuêre victoriam.

CAP. V. ℣. 19.

PRiusquàm David, promotus ad coronam, decerneret præliari contra Philisthæos, qui 273. innumerabili exercitu contra ipsum erant congregati; consuluit Deum, Dominum exercituum & largitorem victoriarum, à cujus nutu ac directione totus volebat dependere. Unde accepit responsum, ut cum illis confligeret. *Consuluit Dominum David dicens: si ascendam ad Philisthiim? & si dabis eos in manu mea? Et dixit Dominus ad David: Ascende, quia tradens dabo Philisthiim in manu tua.* 2. Reg. 5. v. 19. (Recurrere ad Deum ante prælium.)

Priusquàm Agesilaus confligeret cum exercitu Persarum Regis; consilium petiit ab oraculo Dodonæo; tulitque responsum affirmativum; Ephori, id est Judices Athnearum, antequam inirent prælium, voluêre recurri ad oraculum Apollinis Delphici, ejusque responsum expectari. Ita refert Plutarchus in Apopht: Lacon: *Agesilaus Bellum Regi Persarum illaturus -- Oraculum Dodonæum consuluit: acceptoque responso, ut expeditionem, sicuti animo agitabat, ita susciperet; id responsum Ephoris exposuit: hi eum jusserunt Delphos proficisci, deque eâdem re sortem sciscitari. Eò itaque cùm venisset, ita rogavit: Apollo, idemne tibi videtur, quod patri? Eoque adstipulante, Imperator creatus, expeditionem fecit.*

CAP. V. ℣. 21.

IN Primo prælio, quo David, factus omnium 274. Tribuum Rex, committebatur contra Philisthæos, isti ad internecionem deleti sunt, ita ut partim fugati, partem occisi, reliquerint in castris statuas & simulachra falsorum Deorum, quos in exercitu circumferebant, ut eorum aspectu animarentur ad prælium. *Et reliquerunt ibi sculptilia sua; quæ tulit David & viri ejus.* 2. Reg c. 5. v. 21. (Idola portata in bello.)

Simili modo Romani & Ægyptii in medio exercituum portabant sua idola & abominandas statuas. Unde Virgilius L. 8. Æneid: describens navale prælium inter Romanos & Cleopatram, v. 698. canit.

Omnigenumq; Deû monstra, et latrator Anubis
Contra Neptunum & Venerem, contraque Minervam

Tela

Tela tenent: sævit medio in certamine Mavors
Cælatus ferro. &c.

Ad hujus imitationem de Cleopatra scribit Propertius lib. 3. Eleg. 11.

Ausa Iovi nostro latrantem opponere Anubim.

Et ut refert Joannes Ravisius Tit. Religiosi; *Tempore bellorum Sylla Apollinis imagunculam ferebat in sinu, quam imminente discrimine osculabatur, & velut adjutricem invocabat.* Idipsum commemorat etiam Valerius Maximus lib. 1. cap. 2.

CAP. VI. ỷ. 12.

275. DAvid solemni pompa circumtulit arcam Dei, fecitque in ceræmonia illa resonare harmonias & musica instrumenta. *Adduxit arcam Dei de domo Obededom in civitatem David cum gaudio, & erant cum David septem chori.* 2. Reg. 6. v. 12. & v. 15. *David & omnis domus Israël ducebant arcam testamenti Domini in jubilo, & in clangore buccinæ.*

Arca comitata cum musica.

Majestate non absimili in Ægypto circumferebatur idolum, resonantibus in ea processione sistris, tibiis, & aliis musicis instrumentis; ut exprimit Claudianus de Consul. Honorii 4.

— — *Numina Memphis*
In vulgus proferre solet, penetralibus exit
Effigies, brevis illa quidem, sed plurimus infrà
Liniger, imposita suspirans veste sacerdos
Testatur sudore Deum, Nilotica sistris
Ripa sonat, variosq; modos Ægyptia ducit.

CAP. VI. v. 14.

276. DAvid, virtutibus dives & prærogativis conspicuus, à sacris litteris meritus est encomia non tantùm exquisiti Cytharædi, & fortis militis; sed etiam agilissimi saltatoris. Unde cùm circumferretur arca Testamenti per publicas plateas; *David saltabat totis viribus.* 2. Reg. 6. v. 14. Erat enim ea saltandi agilitas & dexteritas admodùm laudabilis in generoso milite, qualis erat David.

David bonus salius.

Seneca l. de Tranquill. animi cap. 15. ex eo capite plurimùm laudat Scipionem Africanum, clarissimum Belli ducem. *Scipio triumphale illud corpus movit ad numeros, non molliter se infringens, & nunc mos est, etiam incessu ipso ultra muliebrem mollitiem fluentibus, sed ut illi antiqui solebant inter lusum, ac festa tempora virilem in modum tripudiare, non factur i detrimentum, etiamsi ab ipsis hostibus spectarentur.*

Milites saltatores.

CAP. VI. ỷ. 14.

273. CUm circumduceretur arca Dei, Rex David ante illam *saltabat totis viribus.* 2. Reg. 6. v. 14. In hunc locum P. Cornelius à Lapide; *Porrò saltus hic Davidis fuit militaris, quasi militis pro arca Dei pugnantis, exultantis, & triumphantis.*

Saltus militaris & religiosus.

Cum hac Historia conveniunt Romanorum ritus, apud quos certis diebus per urbem circumferebantur certa scuta, è cœlo, ut ipso opinabantur, delapsa, ante quæ solebant sacerdotes Martis peragere festiva tripudia; de quibus Virgilius lib. 8. Æneid. v. 663.

Hinc exultantes salios, nudosq; Lupercos.

De iisdem T Livius lib. 1. ait: *Numa salios duodecim Marti Gradivo legit, tunicæq; pictæ insigne dedit. & super tunicam æneum pectori tegmen, cœlestiaq; arma; quæ ancilia appellantur, ferre. ac per urbem ire canentes carmina cum tripudiis, solemniq; saltu jussit.* Athenæus, loquens de antiquis heroibus, tribuit eis saltus simul militares, & honori Deorum destinatos. Et lib. 14. ait: *Erat per id tempus saltationis genus, & decorum, & magnificum in choris; a quo id ferè, quòd motiones, quæ fiunt in armis, imitarentur. Unde Socrates etiam sci è, tripudiantes maximè esse idoneos rebus bellicis, scriptum reliquit in Poëmate, ubi ita inquit;*

Qui rectè nôrunt choris Deos decorare, hi
Optimi & in bello.

Atque id prolixè prosequitur; Verùm de hoc argumento diximus suprà ad c. 15. Exodi v. 20.

CAP. VII. ỷ. 18.

POstquam Nathan Propheta annuntiavit Davidi insignes gratias, à Deo promissas tam ipsi, quam omnibus ipsius posteris; *Ingressus est Rex David & sedit coram Domino, & dixit: Quis ego sum Domine Deus. &c.* 2 Reg. 7. v. 18. Adeoque orationi se impendit sedendo, ut oratio esset magis collecta, quieta & attenta; nihilominus, ut advertunt Sanchez & alii, non sedit supra thronum regium, sed humi & in pulvere ad exercitandam propriam humilitatem, & majorem reverentiam erga Deum. Ita Moses orabat sedendo. Exod. 17. v. 12. Elias jacens sub junipero, orationi incubuit. 3 Reg. 19. v. 4. Hebræi, captivi in Babylonia, plangendo & orando dicebant; *Illic sedimus, & flevimus dum recordaremur Sion.* Psal. 136. v. 1. De S. Bernardo scribitur, quòd solitus sit meditari sedendo, tum quia habebat vires debiles, prostratas, & infirmas; tum ut posset quietius ac diutius huic sancto exercitio inhærere. 278.

Orare sedendo.

Plutarchus in vita Numæ refert, quod inter alia præcepta etiam istud statuerint, ut orarent sedendo *Numa quædam instituta rationem habent involutam, ut sunt illa; Ne libes Diis de vite non putata: Ne sacrifices sine farre. Circumagas te, dum Deos adoras, sedeas cum adoraveris: quorum duo prima mansuetudinem præcipere, ut pietatis partem, videntur. Conversio adorantium simulachrum orbis mundi dicitur esse — Considere ab adoratione, omen esse dictitant ratarum precum, & felicitatis imposterum durabilis. Ajunt etiam hanc requiem dispertitionem esse negotiorum: quasi actionibus explicatis prioribus considerant coram Diis, ut auspicentur ab iisdem alias.*

CAP. VII. ỷ. 20.

POstquàm David orando reddidit Deo summas gratias pro insignibus acceptis beneficiis; subjungit: *Quid ergò addere poterit adhuc David, ut loquatur ad te? Tu enim scis servum tuum Domine Deus.* Veluti diceret; non scio, quomodò in meis precibus explicem, ac Deo significem meas necessitates, cùm ipsemet eas melius videat ac cognoscat, quam ego 2. Reg. 7. v. 20. Cum hoc discursu convenit præceptum Evangelicum Matth. 6. v. 7. *Orantes autem nolite multùm loqui &c. scit enim pater vester, quid opus sit vobis, antequam petatis eum.* 279.

Deus scit nostras necessitates.

Hoc sensu videtur mihi differere Juvenalis Sat. 10. ad finem.

Nil ergò optabunt homines? si consilium vis.
Permittes ipsis expendere Numinibus; quid
Conveniat nobis, rebusque sit utile nostris;
Nam pro jucundis aptissima quaeque dabunt Dii,
Charior est illis homo, quàm sibi.

CAP. VIII. ℣. 1.

208. INter alia, quæ Rex David præliando ad Judaicam Monarchiam laudabilissimè recuperavit, fuit civitas Geth, Philisthæorum manibus erepta. Sicuti enim per civitatem istam opprimebatur, & tenebatur tributaria Judæa; ita vicissim magno Israëlitarum præsidio postea tributarii facti sunt Philisthæi. De hac expeditione scribitur lib. 2. Reg. 8. v 1. *Percussit David Philisthiim, & humiliavit eos. & tulit David frenum tributi de manu Philisthiim*, id est, ut explicatur 1 Paral: 18. v. 1. *Factum est autem post hæc, ut percuteret David Philisthiim, & humiliaret eos, & tolleret Geth, & filias ejus* (id est, terras & castella, huic civitati subjecta) *de manu Philisthiim*; ut in hunc sensum scribunt S. Hieronymus, Gaspar Sanchez, & alii. Adeoque *tollere frenum tributi*, idem est, ac capere possessionem, & dominium supra illos populos, ita ut synonima sint, frenare populos, ac, dominari populis.

Frenum est symbolum dominii.

Huic sensui subscribit Pierius Valerianus Hieroglyph l. 48. ubi frenum assumit pro symbolo Regis; & ita discurrit. *Ab officio vero gubernandi, regendique, habenæ quoque in Regis significatum veniunt.* Ab hoc proposito non multùm recedit Aristippus, dicere solitus; *Benè cessurum Regi & Principi, si equitandi artem primùm tenerent.* videlicet Principem, instar periti equisonis, debere magnam peritiam habere freni, ac habenarum; id est veræ artis regnandi & dominandi.

CAP. X. ℣. 4.

281. GRavissima fuit contumelia, quâ Hanon Rex Ammonitarum affecit Legatos Regis Davidis, dum ipsis dimidiam partem barbæ ac capillorum capitis abrasit, illorumque vestes præcidit &c. *Rasitque dimidiam partem barbæ eorum.* 2. Reg. 10. v. 4. id est, ut colligitur ex Paralip. c. 19. v. 4 *Decalvavit & rasit, & præcidit tunicas eorum.*

Rasura capitis ignominiosa.

Rasura capitis olim fuit habita summæ ignominiæ & contemptus loco. Infamis Caligula juvenibus pulchris fecit abradi dimidium caput, non solùm ut eorum venustatem deturparet, sed ut etiam contaminaret eorum existimationem. *Pulchros & comatos*, inquit Suetonius c. 35. *quoties sibi occurrerent, occipitio raso deturpabat.* In Constitutione 105 Leonis Imperatoris; *Qui autem in hoc communicârunt, si divites sint eidem pœnæ subdantur; sin pauperes, flagris cæsi, ignominioséque tonsi, exulare jubeantur.* S. Cyprianus in Epist: loquens de miseris condemnatis ad metalla, tanquam ad infame & servile supplicium, ait; *Humi jacent fessa laboribus viscera, squalent sine balneis membra, situ, & sorde deformia: panis illis exiguus, vestis algentibus deest: semitonsi capitis capillus horrescit.* De hoc argumento videatur Historia ludicra Bonifacii l. 12. c. 17. & 18.

CAP. XI. ℣. 2. &c.

282. HIstoria lib 2. Reg. cap. 11. v. 2. &c. exactè describit, quomodò Bethsabea, miræ pulchritudinis fœmina, fuerit visa nuda à Davide, qui non erat ipsius maritus; & quomodò inde occisus fuerit maritus Bethsabeæ, quam postea sibi matrimonio junxit ille ipse David, qui eam nudam vidit, & mariti occisor extitit.

Nuditas fœminæ est causa homicidii.

Historiam, huic prorsus similem, exhibent libri profani. Regina Lydiæ, stupendæ pulchritudinis fœmina, visa fuit nuda à Gyge; & quia vehementer dolebat, quòd alius extra maritum suum viderit ipsam nudam, machinata est mortem suo marito, ducto in matrimonium Gyge, qui ipsam nudam viderat, & maritum interfecerat. Ita refert Joannes Tzetze cap. 3.

Candaules uxoris amorem propria fovens
Nudam visam ostendit Gygi clanculùm;
Illa verò, & re cognitâ tacet: deinde vocat Gygem;
Electionem dicens cape Gyges, duorum unam:
Vel te Candaulem interficere, vel interfici ab illo;
Nuda enim duobus viris non sustineo videri;
Sic Candaulem occidens, cepit Regnum.

CAP. XI. ℣. 9.

TAmetsi credant Principes, se ob suam majestatem gaudere majore libertate, quàm alii; 283.
vivunt tamen cum majore subjectione; utpote qui diu noctuque ad portas palatii excubantes coguntur habere milites, æqualiter servituros vel ad ipsius tutelam, vel ad ipsam obsidendum. De his loquitur Sacer Textus 2. Reg. 11. v. 9. &c. *Dormivit autem Urias ante portam domûs Regis cum aliis servis Domini sui.* Et liber Esth: cap 3. v. 3. *Cui dixerunt pueri Regis, qui ad fores palatii persidebant.*

Excubiæ Principum

De his militibus, qui excubias Principum agunt, sedentque ad portas Palatii Regii, ac propterea vocantur milites Prætoriani, fit mentio apud Liviam Imperatricem, quæ loquens Augusto apud Dionem l. 55. ait; *Sunt nobis multi milites, quorum alii hostibus opponuntur; alii te stipant, ac nos custodiunt, ac domi, forisque securitatem nobis præstant.* Coripus l. 3. de. Rebus Justin: canit;

Vela tegunt postes, custodes ardua servant
Limina, condensi numeris, nutuque tremendi

Apulejus lib. de Mundo, post medium; *Interiores fores, exteriores januæ muniebant, portæque ferratæ, & muri adamantinâ firmitate, ante fores viri fortes, stipatoresque regalium laterum, tutelâ pervigili custodiam per vices fortium abstinebant.* Huc reflectens S. Isidorus l. 9. orig. c. 3. de variis militum sortibus ait; *Excubitores esse ex numero militum, qui in porticibus excubant propter regalem custodiam.*

CAP. XI. ℣. 10.

ADeò Martius & generosus erat spiritus Uriæ, 284.
ut, tametsi vocatus ad civitatem, nihili æstimaret omnium rerum affluentiam in propria domo, aut amabiles delitias charæ suæ conjugis, totus quantus absorptus in exercitia bellica. *Non ivit Urias in domum suam. &c.* 2. Reg. 11. v. 10. Quod sacræ litteræ cum infallibili veritate referunt de Uria, conatur Claudianus non sine poëtica adulatione celebrare in suo Stilicone, l. 1. in ipsius laudem ita canens;

Miles hostis deliciarum.

Assiduus

Assiduus castris aderat, rarissimus urbi,
Si quando trepida Princeps pietate vocaret,
Vixque salutatis laribus, vix conjuge visa,
Deterso necdum repetebat sanguine campum;
Nec stetit Eucheris dum carperet oscula saltem
Per galeam: Patris stimulos, ignesque mariti,
Vincit cura Ducis.

CAP. XI. ℣. 11.

185. PErsuasus Urias, ut perfrueretur commodis & delitiis propriæ domûs; respondit, se non sine dedecore fruiturum delitiis civitatis, dum Arca Dei, Principes Judææ, & supremus suus Bellidux Joab commorantur in tentoriis bellicis, duraque humo recumbunt. *Arca Dei, & Israel, & Juda habitant in papilionibus, & Dominus meus Joab, & servi Domini mei super faciem terræ manent: & ego ingrediar domum meam, ut comedam, & bibam &c.* 2. Reg. c. 11. v. 11.

Exemplum majorum trahit alios.

Dum Protesilaus, maritus Laodamiæ, versabatur in bello Trojano; suadebatur Laodamiæ, ut indulgeret ornatui ac pompis muliebribus; at illa, se id facere non posse, protestata, apud Ovidium Epist. 13. ita discurrit;

Conveniunt matres Philacecides, & mihi clamant,
Indue regales Laodamia sinus.
Scilicet ipsa feram saturatas murice vestes;
Bella sub Iliacis mœnibus ille geret?
Ipsa comas pectam, Galea caput ille premetur;
Ipsa novas vestes, dura vir arma feret?

Eodem affectu Godofridus, Rex Hierosolymitanus, nunquam voluit portare coronam regiam, asserens, se non audere frontem cingere pretiosis gemmis, ubi filius Dei cinctam portat spinis.

CAP. XI. ℣. 11.

186. MIlitiæ accommodatissima sunt epitheta laboriosæ ac duræ; semper enim ibi standum est erectis armis, carnibus sudore madidis, & membris nuda humo quiescentibus. Ita loquebatur Urias, de supremo Bellidurce Joabo, & ipsius militibus disserens; *Dominus meus Joab, & servi Domini mei, super faciem terræ manent.* 2. Reg. c. 11. v. 11.

Militia dura & laboriosa.

Marius, supremus Bellidux, à Sallusthio in Bello Jugurth: introducitur dicens; *At illa multo optimè edoctus sum — hyemem, & æstatem juxta pati, humi requiescere &c.* Plinius in Panegyrico Trajani; *Veniet ergò tempus, quo posteri visere, visendum tradere minoribus suis gestient, quis sudores tuos hauserit campus; quæ refectiones tuas arbores; quæ somnum saxa prætexerint.* Ita Theodosius Imperator Claudiani ore in 3. Consul. Honor.

— — fessos porreximus artus
In glacie.

CAP. XI. ℣. 14.

187. DAvid, excæcatus amore, necdum acquievit, quando fidelis sui Uriæ honorem commaculavit, ipsiusque thorum abominando adulterio contaminavit; sed insuper decrevit, innocenti illi eripere vitam. Id quod executus est, scriptis ad Joabum litteris, quæ mortem ac injustum homicidium machinabantur, debuitque eas ipsemet Urias perferre ad Joabum. *Scripsit David epistolam ad Joab: misitq; per manum Uriæ, scribens in epistola: Ponite Uriam ex adverso belli, ubi fortissimum est prælium, & derelinquite eum, ut percussus intereat.* 2. Reg. 11. v. 14.

Litteræ Uriæ.

Pretus, Rex Argivus, machinatus mortem Bellerophontis, viri non minus heroica fortitudine, quàm insigni innocentia præstantis; tradidit eidem litteras, in quibus Jobat (nomine non multùm abludens à Joab) jubebatur illum interficere. Hanc sacris litteris non absimilem Historiam refert Natalis Comes Mythol. lib. 9. cap. 4. Ita Joanni Jacobo Mediceo fuerunt à quodam Mediolanensi Duce traditæ litteræ, quæ mandabant Castellano de Musso, ut eum mox è medio tolleret; at Mediceus subodoratus Ducis machinationem, astutæ suæ prudentiæ beneficio se subtraxit barbaræ crudelitati.

CAP. XI. ℣. 25.

188. QUalemcumque diligentiam adhibuerint prudentes ac periti belliduces, nunquam tamen securi sunt de victoria obtinenda; quia successus belli admodùm sunt varii, & insperati. David, innumeris experientiis edoctus, fateri debuit, quòd *Varius est eventus belli; nunc hunc, & nunc illum consumit gladius.* 2. Reg. 11. v. 25.

Eventus belli est varius.

Julius Cæsar, hujus artis expertissimus. lib. 6. dicebat; *Et si multùm cùm in omnibus, tum in re militari potest fortuna.* Livius lib. 2. protestabatur; *Nusquam minus, quàm in bello, eventum respondere.* Tullius lib. 6. Epist. fam. 1. & 6. *Omnium bellorum exitus, eventusque incerti.* Ovidius lib. 7. Metamor.

Inter utrumq; volat dubiis victoria pennis,
Mars dubius.

Virgilius lib. 12. Æneid. vers. 43.

Respice res bello varias.

Et Seneca in Thebaide, scena ultima, postquam dixerat;

— Dubias Martis incerti vices.

Subjungit;

Licèt omne tecum Græcia robur trahat,
Licèt arma longè miles, ac latè explicet,
Fortuna belli semper ancipiti in loco est.

CAP. XII. ℣. 3.

189. NAthan Propheta, in sua parabola sub oviculæ nomine non solùm exprimit qualitatem sponsæ; sed insuper declarat, quòd ista fuerit à marito æstimata & amata instar filiæ. *Pauper nihil habebat omninò præter ovem unam parvulam, quam emerat & nutrierat &c. simul de pane illius comedens &c. eratq; illi sicut filia.* 2. Reg. cap. 12. vers. 3.

Sponsa amata ut filia.

Andromacha apud Homerum, loquens de suo marito, vocat eum patrem; significans consequenter, se esse ipsius filiam.

Hector, sed tu mihi es pater, & veneranda mater;
Et frater; Tu autem mihi jucundissimus maritus.

Hæc reflexio, attentè considerata, obligat maritum prudentem, ut amet suam uxorem tanquam filiam; & vicissim uxor honoret maritum, tanquam suum patrem.

CAP. XII. ℣. 3.

290. INter alias circumscriptiones, quibus usus est Propheta Nathan ad exprimendum affectum mariti ergà suam sponsam, etiam hæc reperitur; quòd in ipsius sinu capiat amœnissimam quietem. *Et in sinu ejus dormiens.* 2. Reg. 12. v. 3. Hujus etiam meminit Deuter. c. 13. v. 6. *sive uxor, quæ est in sinu tuo.* Et Ecclesiasticus c. 9. v. 1. *Ne zeles mulierem sinûs tui.* Et Micheas c. 7. v. 5. *Nolite credere amico: & nolite confidere in Duce: ab ea, quæ dormit in sinu tuo custodi claustra oris tui.* Id quod de conviviis, & lætitiis nuptialibus intelligi debet. Quòd enim in conviviis nuptialibus requieverit uxor in sinu sui mariti, infert Apulejus lib. 6. Metamor. *Accumbebat summum thorum maritus, Psychen gremio suo complexus* (loquitur de cœna nuptiali) *Hora rosis, & cæteris floribus purpurabant omnia:* Ita Juvenalis Satyr. 1.

Sponsa in conviviis nuptialibus recumbebat in sinu mariti.

— — — — *ingens*
Cæna, sed & gremio jacuit nova nupta mariti.

CAP. XII. ℣. 10.

291. ADulterii culpa tantam secum trahit deformitatem ac turpitudinem, ut in ipsius pœnam denuntiatæ sint ruinæ ac interitus familiarum, civitatum, & regnorum. *Non recedet gladius de domo tua usq; in sempiternum*; dixit Nathan Propheta nomine Dei ad Davidem adulterum; *eò quòd despexeris me, & tuleris uxorem Uriæ Hethæi, ut esset uxor tua.* 2. Reg. 12. v. 10. Innocentius III. lib. 2. de Contemptu sæculi. cap. 23. loquens de suppliciis, quæ mundo attulit luxuria, ait; *Hæc Sichimitas raptores Dinæ cum populo interemit. Gen. 34. v. 15. Her & Onam filios Judæ immundos percussit, Gen. 38. v. 7. Judæum & Madianitidem pugione transfodit, Num 25. v. 8. Tribum Benjamin pro uxore Levitæ delevit. Judic. 20. v. 37. Filios Heli in bello prostravit. 1. Reg. 4. v. 11. Ammon in convivio interfecit. 2 Reg. 13. v. 28. Uriam occidit. 11. v. 17. Presbyteros lapidavit. Dan. 13. vers. 16. &c.*

Adulterium parit gravia mala.

Ita ob adulterium Paridis, commissum cum Helena, non tantùm civitas, sed totum Regnum Trojæ periit. In pœnam adulterii, perpetrati à Tarquinio cum Lucretia, omnes Reges fuerunt Roma perpetuò proscripti. Neque desunt innumeri alii eventus Historici, omninò deplorandi.

CAP. XII. ℣. 11.

292. QUemadmodùm adulterium, à Davide commissum, fuit scandalosum in conspectu totius Judææ; ita Nathan Propheta protestabatur, quod recepturus sit pœnam *in oculis solis hujus.* id est, in facie totius mundi. 2. Reg. cap. 12. v. 11. Hoc loco oculi tribuuntur Soli; uti etiam in Ecclesiaste c. 1. v. 5. nam *ubi nos legimus; Oritur sol & occidit, & ad locum suum revertitur: ibiq; renascens gyrat per meridiem*; Paraphrasis Chaldæa in Bibliis complutensibus traducit; *Oritur sol in die à plaga orientali: occidit sol in plaga occidentali: in nocte respicit. &c.*

Oculi tribuuntur Soli.

Celebris est ille Homeri versus;

Sol, qui omnia cernis, omnia audis.

Ad hunc conceptum reflectens Plinius lib. 2. cap. 6. de sole ait; *Omnia intuetur, omnia etiam exaudiens.* Ennius in Medea;

Jupiter, tuq; adeò summe sol,
Qui res omnes inspicis,
Quiq; tuo lumine
Mare, terram, ac cœlum
Contueris: hoc facinus dispice.

Seneca etiam in Medea Act. 1. Scen 1. ore Medeæ ait;

- - - *Spectat hoc nostri sator*
Sol generis, & spectator. &c.

CAP. XII. ℣. 20.

DAvid in extrema infirmitate suiflioli, cinctus ciliciis, conspersus pulvere, & prostratus in terra, supplicavit Deo, ut salutem concederet infirmo; at morte nihilominus secuta, ut se aliquantulum restauraret ac vires resumeret, lotus & unctus est. *Surrexit ergò David de terra, & lotus, unctusq; est.* 2. Reg. c. 12. v. 20. Abrahamus Gen. 18. v. 4. Et Loth c. 19. v. 2. ad refocillandos peregrinos, ex itinere fatigatos, præparârunt balnea ac lavacra. Ut Ruth inter sua mala reciperet opportunum levamen, socrus ei persuasit; *Lavare igitur, & ungere.* Ruth. c. 3. v. 3. Unde S. Hieronymus ad illa verba Ezechielis cap. 16. v. 13. commentans; *Similam. & mel, & oleum comedisti.* ait; *quod lassorum membra sustentat & reficit.* 293.

Lavacra & unctiones restaurant.

Quod lavacra serviant ad restaurandas vires, insinuat Josephus l. 14. Antiquit. cap. 27. *At Rex ipse pugna lassatus, in quoddam cubiculum lavatum abiit.*

Quod etiam unctiones afferant medicum levamen, demonstrat Pallas, quæ Ulyssi obtulit oleum rosatum, ut eo unctus, abigeret squalorem, contractum inter tempestates maris, quas integris quatuor diebus gravissimè sustinuit; ut refert Pierius Valerianus lib. 55 Cornelius Celsus dicebat lib 1. c. 2. *Exercitationem rectè sequitur modò unctio, vel in sole, vel ad ignem &c.* Et Cælius Rhodiginius lib. 27. c. 26. *Sunt unguenta, quibus ungimur, non voluptatis modò intuitu, sed & valetudinis.*

CAP. XII. ℣. 27.

JOab jamjam in extremas angustias redegerat regiam civitatem Rabbat; campos circumjacentes vastaverat; & civium multos, qui ad eam defendendam accincti erant, interfecerat; quando autem urbs erat expugnationi aut deditioni proxima, plenus obstupescendæ modestiæ, certiorem fecit Davidem de statu urbis, ut gloria tantæ expeditionis non redundaret in honorem suum, tanquam simplicis ministri; sed in triumphum & applausum ipsius Regis *Misitq; Ioab nuntios ad David, dicens: Dimicavi adversum Rabbath, & capienda est urbs aquarum. Nunc igitur congrega reliquam partem populi, & obside civitatem, & cape eam: ne, cùm vastata fuerit urbs, nomini meo adscribatur victoria* 2. Reg. 12. v. 27. &c. De hoc facto S. Petrus Damianus lib. 6. Epist. 9. *Militaris homo ad regalis gloriæ famam gaudet sui laboris transferre victoriam.* 294.

Meritum à subditis attributum Regi.

Talis omninò est genius Germanorum, qui propriis laboribus militaribus concurrunt ad glo-

gloriam & splendorem suorum Principum, ut observat Corn. Tacitus lib. de Mor. Germ. *Principem suum defendere, tueri sua quoq, fortia facta gloria ejus assignare, præcipuum sacramentum erat.* S. Petrus Damianus scribit, quòd ab his affectibus persuasi *Herodes & Philippus, urbes proprio labore constructas, ad honorem alter Augusti, alterii Tiberii, Cæsareas appellârunt.* lib. 6. Epist. 9.

Opera sancta à Deo. Discant hinc Christiani, gloriam virtuosarum suarum operationum in Christum, tanquam verum Davidem, transmittere, cum Deus illarum omnium sit expressa causa. Tametsi enim homo ad opera sancta concurrat liberi arbitrii assistentia, nihilominus tota dignitas virtuosarum actionum profluit à gratia Christi, qua efficiuntur opera nostra Deo grata, ac meritoria æternæ gloriæ.

CAP. XII. ℣. 31.

195. ADeò enormes erant injuriæ & atroces contumeliæ, quibus Ammonitæ affecerant legatos Davidis, dum eis, veluti mancipiis, raserunt capita, ac vestes ignominiosè præciderunt *usq, ad nates*; quemadmodum refertur 2. Reg. 10. v. 4. ut David validissimo exercitu imprimis expugnaverit regiam civitatem, & postea destructis etiam cæteris, severam ac justissimam vindictam sumpserit. 2. Reg. 12. v. 11.

Injuria facta legatis graviter punita.

Tametsi Tarentini essent fœderati Tuscis, Gallis, & Samnitibus, Romanorum hostibus; nunquam tamen ausi sunt apertè se declarare ipsorum inimicos. Cùm fortè Romanorum classis prætervéheretur in conspectu Tarentinorum absq; ullius adversitatis suspicione; Tarentini cum suo exercitu eos mox infestârunt ac conquassârunt, ut vix quinque naves potuerint sibi fuga consulere. Quamprimùm id intellexère Romani, miserunt ad Tarentinos aliquot legatos, inter quos etiam erat L. Posthumius, ut contra illatam sibi injuriam conquererentur. Cùm ergo Posthumius publicè exponeret legationis suæ causam, non audiebatur; imò, cùm aliquos errores in lingua Græca committeret, ingenti risu exsibillabatur; Nec defuit quidam temerarius, oblongam legati vestem elevans, non sine maxima confusione discooperuit partes corporis, quas modestia docet occultare; simulque vestem ejusdem Posthumii perfudit urina. Conquerente legato publicè, quòd tantis contumeliis afficeretur, qui senatum, populumque Romanum repræsentaret, adhuc magis risum prosequebantur. Proinde acerbè conquestus est coram Romanis, qui post multa prælia vicerunt Pyrrhum, protectorem Tarentinorum, & contra populos illos obtinuerunt victoriam, quibus carò stetit injuria, Romanorum legato irrogata; uti prolixè refert Dionysius Halicarnassæus. Ita Corinthus, nobilissima civitas, in Peloponeso, à Romanis fuit solo æquata, in vindictam injuriarum, quas ipsorum legatis intulerunt. Pausan. lib. 2. & Cicero pro Leg. Manil. Alexander Magnus obstinatè volebat expugnare civitatem Tyrum, quia ad cives illos miserat *Caduceatores, qui ad pacem eos impellerent; Tyrii contra jus gentium occisos præcipitaverunt.* Unde Alexander *tam indigna suorum morte commotus*, civitate armis superata, *omnes interfici jussit, ignemq, tectis injicere*; ubi in solis vallis civitatis sex millia defensorum fuêre trucidata, & ad littus duo millia crucibus affixa. Curtius lib. 4.

CAP. XII. ℣. 31.

HOrridum est supplicium, quo homines transversim aut per longum dissecantur serra. Ammonitas hac pœna mulctavit David; *populumq, ejus adducens serravit.* 2. Reg. 12. v. 31. *divisitque cultris.* Hæc pœna admodùm fuit proportionata ipsorum delicto; scribente P. Cornelio à Lapide; *quorum quia vestes medias ignominiose dissecuerant* (loquitur de legatis Davidis, quos Ammonitæ contumeliis affecerant) *medii serris dissecari meruerunt; & quia cultris & novaculis eorum capita abraserant, jure cultris & gladiis capite, aut aliis etiam membris truncati.* Similis supplicii fit mentio in Amos cap. 1. v. 13. *Et quòd dissecuerint prægnantes Galaad.* Et in S. Paulo Hebr. v. 37. *Lapidati sunt secti sunt.* 196.

Homines dissecti serra.

Par pari referre.

Hoc genere mortis Isaiam occidit barbaries Manassis, uti affirmant S. Hieronymus, Isidorus, Dorotheus, Zeno Veronensis &c. & etiam Martyrologium Romanum die 6. Julii. Eadem crudelitas exprobratur infami Caligulæ, de quo Suetonius c. 27. *Multos honesti ordinis, deformatos prius stigmatum notis — aut ad bestias condemnavit, aut bestiarum more quadrupedes caveâ coercuit, aut medios serra dissecuit.* Valerius Maximus lib. 9. c. 2. abominatur barbaram rabiem Numuluzintidis, filiæ Regis Thraciæ; *cui neq, vivos homines medios secare, neque parentes liberorum vesci carnibus nefas fuit.*

CAP. XIII. ℣. 1. &c.

IN Ammonis pectore tantum potuit vehementia libidinosorum & incestuosorum affectuum, ut sui impos, langueret, & infirmus lecto affigi cogeretur. *Factum est autem post hæc, ut — Thamar adamaret Ammon filius David, & deperiret eam valde, ita ut propter amorem ejus ægrotaret.* 2. Reg. 13. v. 1. &c. Hujus amorosi languoris effectus exprimuntur Cantic. 2. v. 5. *Fulcite me floribus, stipate me malis, quia amore langueo.* Et cap. 5. v. 8. *Adjuro vos, filiæ Jerusalem, si inveneritis dilectum meum, ut nuntietis ei, quia amore langueo.* 197.

Amor causat languorem.

De his deliquiis loquebatur Theophrastus in Opusculo *De animi defectione*, ubi versus finem ait; *Faciunt & voluptates, & mœrores defectum animi; nam ab utrisque humoris copia irruit, à voluptate quidem, quod tapescit & effundit; à dolore autem, quod adstringit & densat.* Horatius non sine rubore fatetur, se fuisse subjectum hisce impuris languoribus amoris; unde in Epodon Od. 11. ait:

Heu me! per urbem (nam pudet tanti mali)
Fabula quanta fui?
Conviviorum, & pænitet
In queis amantem, & languor, & silentium
Arguit, & latere
Petitus imo spiritus.

Amorosis languoribus impuri Ammonis non absimilis fuit infirmitas Antiochi, incestuosis febribus nimiùm quantùm cruciati; De hoc Valerius Maximus lib. 5. c. 7. ait; *Antiochus novercæ Stratonices infinito amore correptus, memor quàm improbis facibus arderet, impium pectoris vulnus pia dissimulatione contegebat. Itaq, diversi affectus iisdem visceribus ac medullis inclusi, summa cupiditas, & maxima verecundia, ad ultimam tabem corpus ejus redegerunt. Jacebat ipse in lectulo moribundo similis &c.*

De

De hoc facto scribunt etiam Plutarchus in Demetrio; & Macrobius l. ult. cap. 15.

CAP. XIII. ℣. 15.

298. AMoris gradui, quo Ammon deperibat pulchritudinem Thamaris, respondit odium contra eandem; postquam infami violentia ab ipso contaminata erat. *Et exosam eam habuit Ammon odio magno nimis: ita ut majus esset odium, quo oderat eam, amore, quo ante dilexerat.* 2. Reg. c. 13. v. 15. Hæc aversio potest etiam causæ naturali tribui: amans enim, libidinis impetu exhaustus ac viribus multùm debilitatus, abominatur illud objectum, quod ei tantum damnum accersivit. Insuper odium illud dici potest culpæ commissæ proportionatum supplicium, cùm justa Dei vindicta exigat, ut, qui malè facit, ab interna amaritie torqueatur. Unde S. Augustinus in Confess. *Jussisti Domine, & sic est, ut pœna sibi sit omnis inordinatus animus.*

Amor lascivus causat odium.

Remorsus conscientiæ.

De hoc argumento loquitur Aristoteles l. 4. Probl. 11 *Cur adolescentuli, cùm primò concumbere incipiunt, quibuscum fuerint congressi, eas, re peracta, odio habent? An quòd mutatio summa extiterit, sequentis tristitiæ memores eam fugiunt tanquam fontem, ad quam se applicuerunt?* Quod attinet amorem, commutatum in odium; Medea, amans Jasonis, odium adeò vehemens adversus illum concepit, ut sub ejus aspectu occiderit filios, quos ex illo pepererat. Semiramis tantundem furiosa in odio, quantum vehemens in amore, non tantùm interfecit suos amasios, sed ipsos etiam filios.

CAP. XIII. ℣. 18.

299. DE Principe Thamare observant sacræ litteræ, quòd *induta erat tunica talari: hujusmodi enim filiæ Regis virgines vestibus utebantur.* 2. Reg. c. 13. v. 18. Hunc locum septuaginta traducunt hoc modo; *Tunicam intextam fructibus.* Ita vestis summi sacerdotis ornamenti loco habebat limbum, malis granatis intextum. Exod. 28 v. 33. *Multi scriptores, commentati in illa verba Christi Matt. 6. v. 28. Considerate lilia agri, quomodo crescunt: non laborant, neque nent: Dico autem vobis, quoniam nec Salomon in omni gloria sua coopertus esset, sicut unum ex istis,* pro certo affirmant, vestibus Salomonis fuisse intextas imagines liliorum.

Vestes intextæ floribus & fructibus.

Eruditi frequentem faciunt mentionem vestium, floribus & fructibus intertextarum. Pausanias in Eliacis lib. 5. describens simulachrum Jovis, ait: *Cui præter alia pallium erat aureum: in eo cum diversa animalia tum ex omnibus floribus, lilia imprimis calata erant.* Marcianus Capella lib. 1. de Nuptiis Mercurii & Philologiæ; *Floridam, discoloremque vestem herbida palla contexuerat, in qua totus gemmarum, metallorumque census, atque omnium proventus, frugesque satientum larga admodùm ubertate ferebantur.* Unde S. Clemens Alexandrinus lib. 2. Pædag. c. 10. reprehendens luxum vestium, dixit: *Laudo & admiror Lacedæmoniorum civitatem, quæ solis meretricibus floridas vestes, & aurum mundum gestare permisit. Vestes, quæ sunt floribus similes, Bacchicis nugis, & initiorum mysteriis relinquendæ sunt.*

CAP. XIII. ℣. 19.

300. THamar, à proprio fratre suo corrupta, & afflictissima; in signum excessivi doloris, scidit vestes suas; *Impositisque manibus super caput suum ibat.* 2. Reg. 13. v. 19. Manibus supra caput positis, ut ex naturali dictamine facere solent homines, omni solatio destituti, dolorisque pleni; egressa est infami illo cubiculo.

Manus supra caput positæ ob dolorem.

Affectus doloris, manibus supra caput positis expressus fuit ab Euripide in Helena;

Vocem quidem, vocem Græcia,
Resonantem edidit ululans,
Et super caput manus posuit;
Unguibusq; teneras genas
Cruentavit mortalibus plagis.

Quia verò septuaginta traducunt; *Et posuit manus in caput suum*, licet etiam ita interpretari, quòd paupercula illa in extremo dolore percusserit caput suum manibus. Euripides meminit, hunc esse animabus afflictis usitatum dolorem. Unde in Troade canit;

Heu, heu, tunde caput rasum,
Lacera unguibus utramq; genam.

Et paulo post:

— Quid faciam? quid tibi ego
O infelix agam? has tibi damus
Capitis plagas, & planctus pectoris.

Simili modo Sophocles in Ajace flagel:

Et ubi cadis plenam vidit domum
Pulsans caput exclamavit.

Et Suetonius in Nerone cap. 42. *Postquam etiam deinde Galbam & Hispanias descivisse cognovit, collapsus, animoq; malè fracto, diu & sine voce, & propè intermortuus jacuit, ut resipuit, veste discissa, capite converberato, actum de se pronuntiavit.*

CAP. XIII. ℣. 27.

ABsalon summi splendoris ac magnificentiæ convivium celebravit; Verùm in medio festivæ illius lætitiæ commutata fuit genialis mensa in sarcophagum, ubi Ammon jacuit oppressus ac trucidatus. *Feceratq; Absalon convivium, quasi convivium Regis. Præceperat autem Absalon pueris suis dicens: observate cùm temulentus fuerit Ammon, & dixero vobis, percutite eum, & interficite, nolite timere. &c.* prout etiam factum est 2. Reg. c. 13. v. 27. &c. adeoque prætextus convivii servi it ad Ammonem in extremas miserias tradendum & occidendum. 301.

Convivium proditorium.

Ab hoc successu non multum abludit, quòd refert Cornelius Tacitus lib. 2. Annal. c. 1. *Rhescuporis* (Rex Thraciæ) *sanciendo ut dictabat fœderi, convivium adjecit: tractaq; in multam noctem lætitia, per epulas ac vinolentiam, incautum Cotyn, & postquam dolum intellexit sacra Regni, ejusdem familiæ Deos & hospitales mensas obtestantem, catenis onerat. &c.*

CAP. XIII. ℣. 36.

NOstra humanitas in charorum amicorum morte contineri nequit, quin solvatur in lachrymas & amaros planctus. In morte Ammonis, ab Absalone interfecti, *& Rex David, & omnes servi illius fleverunt planctu magno nimis.* 2. Reg. 13. v. 36. Ita omnes Israelitæ planxerunt in morte Mosis. Deut. 34. v. 8. omnes Hebræi in morte Samuelis. 1. Reg. 28. v. 3. Tota Ægyptus in morte Jacobi. Gen. 50. v. 11. &c. 302.

Planctus communis in morte Principis.

Centum scriptores testantur, totum populum lachrymis prosecutum esse Principum suo-

suorum mortem. Diodorus Siculus lib. 1. cap. 3. *Cùm quis Regum decedit è vita, Ægyptii omnes mortem communi tristitiâ lugent.* Herodianus lib. 1. de Marco Imperatore; *Postquam illius mortem fama vulgavit, incredibilis repente exercitum ipsum luctus occupavit.* Alexander ab Alexandro lib. 3. cap. 7. *Apud Lacedamonios obitu Regis enuntiato, Spartiata, servi, & mulieres, ingenti coactâ manu, laceratis crinibus, abscissâ veste, cum vocibus & ululatu frontes manu plangunt, & capite converberato, interitum miserantes, eum fuisse optimum Regem voce significant.* Homerus Iliad. 23. de exequiis Patrocli;

Flentes autem socii pii, ossa alba
Collegerunt in auream phialam &c.

Et Virgilius lib. 10. agens de funebri pompa Pallantis;

- *At socii multo gemitu, lachrymisque*
Impositum scuto referunt Pallanta frequentes.

CAP. XIV. ℣. 9.

303. DAvid rogatus, ut Absaloni condonaret pœnam ob commissum homicidium; videbatur habere remorsum conscientiæ, ac culpæ reum se verebatur, si hâc clementiâ uteretur; unde mulier Thecuitis ad eum animandum dixit; *In me, Domine mi Rex, sit iniquitas, & in domum patris mei.* 2. Reg. 14. v. 9. quasi diceret, si hæc clementia mereatur pœnam, me ipsam, totamque domum meam subjicio tali supplicio, ut eximatur vestra majestas. Ita Rebecca dixit Jacobo, qui timebat maledictionem patris, si falsò repræsentaret personam Esau. *In me sit ista maledictio, fili mi*; inquiebat Gen. c. 27. v. 13. Et Judæi Pilato, qui non audebat pronuntiare capitalem sententiam contra innocentem Christum, vociferabantur enim; *Sanguis ejus super nos, & super filios nostros.* Matth. c. 27. v. 25.

Imprecationes.

Similes imprecationes non desunt apud Profanos; inter quos Tibullus lib. 1. Eleg. 1.

Et mala, si qua tibi dixit dementia nostra,
Ignoscas, capiti sint precor illa meo.

Et Ovidius Epist. Acontii;

Inque caput nostrum domina perjuria, quaso,
Eveniant: pœnâ tuta sit illa meâ.

CAP. XIV. ℣. 14.

304. PRudens Thecuitis, ut diverteret animum Davidis Regis à justa vindicta contra Absalonem, capitalis pœnæ reum; in memoriam revocat Regi; *Omnes morimur, & quasi aqua dilabimur in terram, qua non revertuntur.* 2. Reg. 14. v. 14. veluti diceret; quid prætendis, O Rex? ut Absalon moriatur? Recordare, obsecro, quòd ipsius vita, veluti aqua in terram sparsa, continuò moriatur, semperque consumatur ac deficiat.

Vita est continua mors.

Metaphorâ aquæ, semper fugientis currendo, etiam Seneca expressit continuam nostram mortem. Epist. 24. *Quotidie morimur, quotidie enim demitur aliqua pars vita: & tunc quoque, cum crescimus, vita decrescit. Infantiam amisimus, deinde pueritiam, deinde adolescentiam: usque ad hesternum, quidquid transiit temporis, cum morte dividimus. Quemadmodum clepsydram non extremum stillicidium exhaurit, sed quidquid ante defluxit: sic ultima hora, quâ esse desinimus, non sola mortem facit, sed sola consummat.* Et Epist. 58. *Corpora nostra rapiuntur fluminum more. Quidquid vides, currit cum tempore. Nihil ex his, qua videmus, manet. Ego ipse, dum loquor mutari ista, mutatus sum &c.*

CAP. XIV. ℣. 24.

ANnuit quidem David precibus Thecuitidis & Joabi, ut exul Absalon reverteretur in patriam; eâ tamen expressâ conditione, ut nullo modo auderet comparere coram Rege, patre suo. *Revertatur in domum suam, & faciem meam non videat.* 2. Reg. cap. 14 v. 24. Hanc pœnam aliquamdiu sustinuit Absalon; at noxas preces interposuit, ut admitteretur ad Regem; protestans, tolerabiliorem sibi futuram mortem quàm desideratissimâ illâ præsentiâ privari. *Obsecro ergo, ut videam faciem Regis: quod si memor est iniquitatis mea, interficiat me.* v. 32. 305.

Absentia patris intolerabilis.

T. Manlius Torquatus, audiens accusationes Macedonum contra Silanum, suum filium; hanc pronuntiavit sententiam; *Cùm Silanum filium meum pecunias à sociis accepisse, mihi probatum sit; & Republicá eum, & domo meâ indignum judico, protinusque è conspectu meo abire jubeo. Tam tristi patris sententiâ perculsus Silanus, lucem ulterius intueri non sustinuit, suspendioque se proximâ nocte consumpsit.* Val. Max. lib. 5. cap. 8.

CAP. XIV. ℣. 25.

QUando describitur insignis pulchritudo Absalonis; inter cæteram ipsius venustatem exprimuntur capilli oblongi, densi, & instar auri flavescentes, quos fœminæ Hebreæ sollicitè inquirebant ac rigoroso pretio comparabant; ut dicunt sacri Interpretes. *Sicut Absalom, vir non erat pulcher in omni Israël, & decorus nimis: à vestigio pedis usque ad verticem non erat in eo ulla macula. Et quando tondebat capillum (semel autem in anno tondebatur, quia gravabat eum cæsaries) ponderabant capillos capitis sui ducentis siclis.* 2. Reg. 14 v. 25. &c. Similiter celebrantur capilli Salomonis Cant. 5. v. 11. *Caput ejus aurum optimum. Coma ejus sicut elata palmarum.* 306.

Capilli laudati.

In profanis voluminibus approbantur & celebrantur nutriti capilli. Alexander ab Alexandro lib. 5. c. 18. *Apud Lacedemonios ingenui colebant comam: namque omnes comati erant, cùm servos crines habere non deceret.* Et paulò post; *Lycurgus Spartanos milites promisso capillo, & comatos esse voluit, illos propterea aut venustiores, aut visu terribiliores esse arbitratus. Quod Mauris, & Britannis in more fuit, ut cincinnis ornati essent, rutilis comis. Lycii comam tanti fecerunt,* ut mulctam pecuniariam imposuerint iis, qui eam præscidissent. Sidonius Apollinaris celebrat Theodoricum Regem; *capite rotundo, in quo paululùm à planitie frontis in verticem casaries refuga crispatur.* Unde S. Ambrosius lib. 5. Hexam. *Cæsaries veneranda est in senibus, veneranda in sacerdotibus, terribilis in bellatoribus, decora in adolescentibus, compta in mulieribus, dulcis in pueris.*

CAP. XIV. v. 26.

DOctissimus Gaspar Sanchez commemorans capillos Absalonis, de quibus 2. Reg. 14. v. 26. scribitur; *Ponderabat capillos capitis sui ducentis siclis pondere publico*; subjungit, quòd comæ illæ sic erant splendentes & aurea, ut magno impendio emerentur à Solymitanis puellis, ut uterentur pro suis; quàm 307.

Comæ suppositiæ.

quàm doctrinam approbant Tostatus, Lyranus, Salianus, & alii. Adeoque pro ornamentis propriis assumebant superflua excrementa, ab aliorum capitibus mutuata; & sicuti corvi Æsopi ornabantur alienis plumis.

Ars, usitata fœminis illorum temporum, ut suppositititiis venustatibus ornatæ comparerent, subsequentibus adhuc sæculis continuatur. Unde conqueritur Tertullianus lib. de Cultu fœm. c. 7. *Affigitis praeterea nescio quas enormitates sutilium atque textiliũ capillamentorum si non pudeat enormitatis pudeat inquinamenti, ne exuvias alieni capitis forsitan immundi, forsan nocentis, & gehenna destinati, sancto & Christiano capiti suppares.* Unde consuluit S. Gregorius Nazianzenus *Carm. 63. Advers. mul ambitiosè se adornantes*:

Crinibus adscitis capiti vestigia vestro
Ne addite, conspicua ut mollia colla fient.

Et S. Clemens Alexandrinus Pædag. lib. 3. c. 11. *Alienorum autem capillorum appositiones sunt omninò rejiciendæ: & externas comas capiti adhibere, est maximè impium, quæ mortuis pilis cranium induunt.* De hoc argumento admodùm salsè loquitur ille Satyricus, qui videns in pugno comas, quibus apprehensa fuerat Corisca, in Pastore Fido Att. 2. scen. 6. ita contra eam discurrit.

- - Perfida maga
Non ti bastava haver mentito il core
E'l volto, e le parole, e'l riso, el guardo,
S'anco il crin non mentivi? Ecco poëti
Questo è l'oro nativo, e l'ambra pura
Che pazzamente voi lodate, homai
Arrosite insensati, e ricantando
Vostro saggetto, in quella vece sia
L'arte d'un impurissima malvagia
Incantatrice, che i sepolcri spoglia,
E da i fracidi teschi il crin furando,
Al suo l'intesse, e così ben l'asconde,
Che v'hà fatto lodar quel che aborrire.
Dovevate assai più, che di Megera
Le viperine, e monstruose chiome.
Amanti hor non son questi i vostri nodi?
Mirate, e vergognatevi meschini.

CAP. XV. ℣. 2.

308. ABsalon, aspirans ad regiam coronam, nulli pepercit diligentiæ, ut fine suo potiretur. Virgilius præveniebat auroram, & ex lecto prosiliens, festinabat ad portas palatii, ut operam suam offerret omnibus, qui veniebant ad tribunalia. *Et manè consurgens Absalon stabat juxta introitum portæ, omnem virum, qui habebat negotium, ut veniret ad Regis judicium, vocabat Absalon ad se &c.* 2. Reg. 15. v. 2. Hinc demonstratur, quod tribunalia summo manè fuerint aperta; quod confirmat dictum Sophoniæ. c. 3 v. 5. *Manè manè judicium suum dabit in lucem, & non abscondetur.*

Tribunalia manè aperta.

Quòd Judices summo manè sederint pro tribunali ad audiendas litigantium causas, testatur Seneca lib. 2 de Ira cap. 7. *Hæc tot millia ad forum primâ luce properantia, quàm turpes lites, quàm turpiores advocatos habent?* Confirmante Horatio serm. lib. 1. Sat. 1.

Agricolam laudat juris, legumque peritus
Sub galli cantum consultor ubi ostia pulsat.

CAP. XV. ℣. 3.

ABsalon, ut fieret omnium dominus, promptum se offerebat ad omnium servitia; omnibus enim, ad aulam venientibus, ibat obviam; manum suam erga quosvis benignè extendebat, oscula iis figebat, nihilque artis aut versutiæ intermittebat, ut redderetur amabilis, & populum induceret ad regiam coronam ei deferendam. *Cùm accederet ad eum homo, ut salutaret illum, extendebat manum suam, & apprehendens osculabatur eum. Faciebatque hoc omni Israël, venienti ad judicium, ut audiretur à Rege, & sollicitabat corda virorum Israël.* 2. Reg. c. 15. v. 5. &c. 309.

Artificia aulicorum versuta.

His artificiis usus est Scipio Nasica, qui prætendens quædam officia reipublicæ, tametsi esset eminentis nobilitatis, ut fine suo potiretur, affabili ac familiari modo cives prehendebat manu, quia sciebat, hos voto suo debere concurrere ad desideratam promotionem; ut inter alios refert Alexander ab Alex. l. 1. c. 17. Eâdem methodo operabatur Otho, de quo Corn. Tacitus l. 1. Hist. *Nec deerat Otho, protendens manus adorare vulgus, jacere oscula, & omnia serviliter pro dominatione.* Sicque revera fuit seculi sui Absalon.

CAP. XV. ℣. 7.

EÒ progreditur humana malitia, ut pietate utatur instrumenti loco ad actiones impias & sceleratas; sicque sub religionis prætextu committant horrendos & execrabiles excessus. Inter hos Absalon, fingens, se velle victimas offerre in Hebron, ac voto suo satisfacere; concitavit ibi populum ad seditiosos tumultus, omniaque disposuit, ut proprio suo Patri Davidi eriperet venis sanguinem, & capiti coronam. *Dixit Absalon ad Regem David. Vadam, & reddam vota mea, quæ vovi Domino in Hebron.* 2. Reg. 15 v. 7. *Cumque immolaret victimas, facta est conjuratio valida &c.* v. 12. 310.

Prætextus religionis ad facienda mala.

Dido, fingens, se oblaturam Jovi victimas & sacrificia,

Sacra Jovi stygio, quæ ritè incepta paravi,
Perficere est animus.

Æneid. lib. 4. v. 638. executa est horrendum facinus, dum lateri suo infixit gladium, & se supra rogum illum combussit. Unde amarè conquerens Anna, ipsius soror v. 675.

Hoc illud, Germana, fuit? me fraude petebas?
Hoc rogus iste mihi, hoc ignes, aræque parabant?

Dum Græci fingunt, se voto suo satisfacturos, offeruntque Minervæ ligneum equum, machinantur proditionem ac excidium Trojæ;

- Votum pro reditu simulant.

lib. 2. Æneid. v. 17. ubi P. la Cerda ait; *Fraus enormis, & insolens; nam votum pro reditu specie quippe religionis deceperunt Trojanos.* Ludovicus XI. Rex Galliæ sub prætextu visitandi Ecclesiam S. Salvatoris Rhodonensis, profectus est in Britanniam; exitus tamen postea comprobavit, idcircò id factum, ut experiretur vires Ducis, & situm regionis, quàm armis opprimere destinaverat. Petrus Matthei in Lud. XI. vol. 1. lib. 2. num. 3.

CAP. XV. ℣. 14. &c.

311. David grandis ille gigantum interfector, Philisthææ potentiæ debellator, ac obstupescendus triumphator, cùm cerneret, se infestari armis Absalonis, sui subditi, actus est in fugam cum omnibus aulæ suæ excubiis, & quidem aufugit pedes non sine grandi suo incommodo. 2. Reg. c. 15. v. 14. &c.

Victor fugitivus.

Mauritius, Dux Saxoniæ, à Carolo V. in Ducatu illo infestatus, collegit ingentem exercitum, quem Oenipontum versùs duxit, ubi Carolus morabatur, ut eum ibi obrueret ac caperet. Hâc de re certior factus Imperator, nocturno tempore celerrimè aufugit Oeniponto, neminem secum habens, nisi suam aulam, & ordinarium satellitium, cum quibus tempore pluvio, prælucente unicâ faculâ, per alpes Tridentinas se recepit Vilaccum, Austriæ castellum, idque ut plurimùm pedes, & summâ festinatione; infestatus à proprio suo vasallo & subdito Imperii, quem paulò ante elevârat, & dignitati suæ restituerat. Ludovicus Dulcis in vita Caroli V.

CAP. XV. ℣. 18.

312. Quantumvis fuerit ingens ac immensus exercitus, conductus ab Absalone contra proprium parentem; quantumvis etiam Rex perculsus terrore, fugam molitus sit Hierosolymis, ut infamis ac perduellis filii furori cederet: non tamen defuêre huic afflicto Monarchæ fideles ac fortes subditi, qui eum armata manu comitabantur ac custodiebant. *Universi servi ejus ambulabant juxta eum, & legiones Cerethi & Phelethi, & omnes Hethæi, pugnatores validi &c.* Adeoque Rex non proficiscebatur solus, sed stipatus suis sagittariis, bipenniferis, & toto satellitio; solitis assistere lateribus Principum & Monarcharum.

Satellitiū Principis.

Romulus tam pacis, quàm belli tempore habebat in satellitio suo trecentos milites, ut scribit Dionysius Halicarnassæus lib. 2. T. Livius Decad. 1. lib. 1. & Plutarchus in Romulo. Veteres Imperatores tam in palatio, quàm in castris in sui defensionem servabant milites prætorianos, ut observant Plinius lib. 6. cap. 29. Tacitus l. 7. Suetonius in Tiberio c. 37. & in Galba cap. 16. Ita etiam Regi Spartano trecenti generosissimi ac fortissimi juvenes serviebant satellitii loco, ut testatur Herodotus lib. 6. Rex Persarum, teste Æliano, habebat mille, qui ob ingentem suum valorem cognominabantur *immortales*.

CAP. XV. ℣. 15.

313. Poterant quidem Davidis hostes concitare populum ac turbare regnum; at nunquam evertere illud Davidis pectus, quod inter omnes procellas militares cum quietissima resignatione totum erat conformatum voluntati divinæ; unde dicebat; *Si invenero gratiam in oculis Domini, reducet me.* 2. Reg. 15. v. 25. *Si autem dixerit mihi: non places: præstò sum, faciat quod bonum est coram se,* v. 26. Similem conformitatem demonstravit Heli, Pontifex maximus; qui ex Samuele intelligens interitum suæ domûs, respondit; *Dominus est; quòd bonum est in oculis suis, faciat.* 1. Reg. 3. vers. 18.

Conformitas cum voluntate Dei.

Hanc resignationem exquisitè persuadet Seneca Epist. 107. *Optimum est pati, quod emendare*

non possis, & Deum, quo authore cuncta proveniunt, sine murmuratione comitari. Malus miles est, qui Imperatorem gemens sequitur. Quare impigri atque alacres excipiamus imperia & sic alloquamur Jovem, cujus gubernaculo moles ista dirigitur, quomodo Cleantes noster versibus disertissimis alloquitur.

Duc me parens, celsique dominator poli,
Quocumque placuit, nulla parendi mora est.
Adsum impiger.

Suorum temporum David dici potuit Ferdinandus II. Imperator, qui cernens totam Germaniam armis Suecicis oppressam, regna devastata, & provincias bellicis incendiis consumptas; stetit semper resignatus in Deum, promptumque se obtulit, ut reduceretur ad pauperrimam fortunam, si ita placeret infinitæ majestati divinæ; hanc animi sui tranquillitatem demonstravit serenitate frontis; sicque dignum se exhibuit, cui Deus largiretur grandes & insignes victorias &c.

CAP. XV. ℣. 30.

Cùm apprimè sciret David, suscitatos ab Absalone in suo regno tumultus, fuisse à Deo 314.
permissos, in justam sui vindictam. Unde ad conciliandam supremam bonitatem, sparsit ex oculis veri doloris lachrymas, caputque in signum pœnitentis cooperuit, & solutis calceis, incessit nudis pedibus. *David ascendebat clivum olivarum scandens, & flens, nudis pedibus incedens, & operto capite.* 2. Reg. 15. v. 30. Miphibosethus, tametsi Principis filius, ut obtineret gratiam Davidis, processit ei obviam nudis pedibus 2. Reg. 19. v. 24.

Pedes excalceati ad placandum Deū.

Pharisæi ex mera hypocrisi instituerunt certas solemnitates, ubi comparuêre *nudis pedibus, sacco incumbentes, & volutati in cinere.* Uti refert Cælius Rhodiginius lib. 15. cap. 6. subjungens, quòd *apud Lacedæmonios sacra nudipedalia primùm acta, quum regnaret Romæ Tullus Hostilius*; Etiam lex Pythagorica præcipiebat; *nudibus pedibus adorandum, sacrificandumque.*

CAP. XVI. v. 9.

Veluti non sufficeret infami Semei, cùm videret sanctum Regem Davidem infestatum 315.
ingenti exercitu perduellis filii, fugitivum è palatio & civitate regia, incedentem nudis pedibus, oculisque commutatis in amarissimos lachrymarum fontes; ausus est insuper illum temeraria fronte onerare crudissimis injuriis, & in proprium Regem jacere massas terreas ac lapidum turbines. Unde Abisai, sui impotens ob tantos insultus, exclamavit; *Quare maledicit canis hic mortuus Domino meo Regi?* cur audet canis iste vilis, lividus, malignus, temerarius, & petulans adeò malè tractare meum Regem? 2. Reg. 16. v. 9.

Canis est homo vilis & malignus.

Canum propria est impudentia, inquit Theodoretus in Epist. ad Philip. c. 3. v. 2. Eritræus ait; *Canis verbum est, quo impudentibus inimicis convitium fieri solet.* Unde scribens de Polluce, ait; *Cynici Philosophi dicti sunt ab ingenio canino, impudente, audace, contumace.* Horatius, exprobrans cuidam maledico, maligno, & temerario; Epodon od. 6. ait:

Quid immerenteis hospites vexas canis
Ignavus adversùm lupos?

CAP. XVIII. ℣. 5.

316\. SI unquam obstupescenda & admirabilis comparuit mansuetudo & benignitas Davidis; omnium tamen maximè talem se exhibuit quando progrediente exercitu ad repellendas violentas invasiones perduellis Absalonis, ab una turma ibat ad aliam, elatâ voce mandans, ut salvarent, ac incolumem relinquerent Absalonem. *Et præcepit Rex Joab, & Abisai, & Ethai, dicens, servate mihi puerum Absalon.* 2. Reg. 18. v. 5. Ad hoc propositum mirificè S. Chrysostomus Tom. 1. Homil. de Absalon. *Inde dementia contra genitorem exsurgit, hinc clementia, ut parricida parcatur, exposcit. Inde furor, hinc pietas operatur. Inde insania, hinc misericordia interponitur. Inde crudelitas, hinc bonitas ostentatur. Parricida non læsus insanit, David læditur & mitescit.*

Salvare inimicum.

Quando Henricus IV. cogitavit pertingere ad coronam Galliæ, vidit suam celsitudinem impediri gravissimo fœdere, quod ei longo jam tempore duras ac martiales remoras injiciebat. Cùm de veniretur Iberium, ad locum prælii, ubi agebatur de corona regia vel semper conservanda, vel prorsus amittenda, tametsi primarii fœderatorum essent nobiles Galli; nihilominus Henricus exercitum suum circuiens, singulis momentis altâ voce clamabat, suosque hortabatur, ut salvarent nobilitatem Gallicam. Catharinus Davila lib. 11.

CAP. XVIII. v. 9.

317\. DRogo Episcopus Ostiensis *de Sacram. Dominic. Pass.* considerans infelicem Absalonis successum, qui mulo insidens, ac è prælio fugitivus, ex arboris ramo suspensus est; & transeunte infra ipsum mulo, in hostium manus incidit, uti refertur 2. Reg. c. 18. v. 9. *Accidit autem, ut occurreret Absalon servis David sedens mulo: cumque ingressus fuisset mulus subter condensam quercum, & magnam, adhæsit caput ejus quercui: & illo suspenso inter cœlum & terram, mulus, cui insederat, pertransivit.* Hanc desumit allegoriam, quòd mundani, instar Absalonis, in medio felicitatis cursu derelinquantur ab amicis falsis, aliisque adminiculis, quibus lubricè nitebantur, fiantque mille malorum scopus. *Pendet*, inquit, *Absalon per comam capitis sui, & mulus, cui insidebat, transiit, quia mundus transit, & concupiscentia ejus.*

Mundus fallax derelinquit suos asseclas.

Admodùm benè & in rem præsentem loquitur Tullius lib. 3. de Oratore. *O fallacem hominum spem, fragilemque fortunam, & inanes nostras contentiones, quæ in medio spatio sæpè franguntur & corruunt, & ante in ipso cursu obruuntur, quàm portum conspicere potuerunt.* Apertius Seneca in Proœmio lib. 3. Quæst. Natural. *Quid exultas? ista, quibus veheris in summum, nescis ubi te relictura sint: habent suum, non tuum finem.*

CAP. XVIII. ℣. 17.

318\. ABsalon, sceleratis suis artificiis affectans amorem populi; enormibus suis flagitiis commune odium contra se concitavit quàmprimùm enim fuit mortuus, Judæi certatim supra ipsum accumulàrunt ingentem acervum lapidum, ut vel monstrum illud enorme sepelirent sub saxorum cumulo, sicque Israelitas facerent securos, se non amplius ab hoc perduelli homine molestatum iri; vel demonstrarent extremam abominationem erga filium contumacem, ac proprio patri perduellem. *Projecerunt eum in foveam grandem, & comportaverunt super eam acervum lapidum magnum nimis.* 2. Reg. 18. v. 17.

Cadavera lapidata.

Quod attinet securitatem ex cadavere lapidibus obruto, canit Virgilius;

Monte sub hoc lapidum tegitur Balista sepultus:
Nocte, dieque tuum carpe viator iter.

Quod autem attinet abominationem; solebant Gentiles projicere lapides vel contra cadaver, vel contra sepulchrum hominis scelerati. Propertius lib. 4. Eleg. 5.

Quisquis amas, scabris hoc bustum cadito saxis,
Mixtaque cum saxis addito verba mala.

Unde, ut scribit P. Cornelius à Lapide, etiam nostri temporis Turcæ ac peregrini, qui coram Absalonis sepulchro prætereunt, projiciunt in illud lapides; cum dicto, *Maledictus sit parricida Absalon: & quicunque injustè parentes suos persequuntur, maledicti sint in æternum.*

CAP. XVIII. ℣. 18.

CÙm sacræ litteræ de Absalonis morte retulissent, quòd fuerit suspensus è quercu, & exequias non habuerit alias, nisi quòd projectus fit in profundam fossam, ubi ipsius infame cadaver oppressum erat cumulo lapidum; mox subjungunt; *Porrò Absalon erexerat sibi, cum adhuc viveret, titulum, qui est in valle Regis.* 2. Reg. 18. v. 18 id est, pyramidem sepulchralem, quæ æternæ ipsius memoriæ deserviret; ut interpretatur Vatablus his verbis; *Hoc citat obiter Auctor hujus libri, ut ostendat manifesto argumento, Absalon fuisse superbum, & laudis nimis avidum; aut ironicè dicitur, quòd ingestis lapidibus illi pyramis fuerit excitata à militibus David, multo alia ab ea; quam sibi, dum viveret, excitaverat.* Adeoque ubi ipse sibi erexit pyramides, alii adversùs ipsum cumularunt acervos lapidum. 319.

Pyramis inofficiosa.

Similis fuit calamitas Ruffini, qui primùm erat tutor Imperatoris, & gubernator supremus Imperii; postea verò occisus à militibus, quia ad ipsam coronam aspirabat. Contra hunc Claudianus lib. 2. cont. Ruffin. ait;

- - Triviis calcandus spargitur ecce,
Qui sibi Pyramidas, qui non cedentia templis
Ornatura suos extruxit culmina manes.
Et qui Sidonio velari credidit ostro,
Nudus pascit oves: jacet en, qui possidet orbem,
Exigua telluris inops, & pulvere raro
Per partes tegitur, nusquam totusque sepultus.

CAP. XVIII. ℣. 18.

QUid non egit, quid non tentavit ambitiosus Absalon, ut coronam Regiam assequeretur? quot consilia cepit, quantas machinas movit, quot somnos interrupit, quot demissionibus usus est, quas vires non impendit, quot tumultus militares excitavit? Et tamen tantarum malarum artium ac violentiarum non est adeptus alium terminum, nisi titulum illum, quem ipsemet suo sepulchro inscripserat, de quo post infamem & miseram ipsius mortem ita loquitur sacer textus. *Absalon erexerat sibi, cum adhuc viveret,* 320.

Vanitas rerum terrenarum.

viveret, titulum, qui est in valle Regis : dixerat enim, non habeo filium, & hoc erit monimentum nominis mei. Vocavitque titulum nomine suo, & appellatur manus Absalon. 2. Reg. cap. 18. v. 18.

Hâc ipsâ reflexione dicebat Seneca, antiquos mille laboribus, anxietatibus, & dispendiis aspiràsse ad obtinendas prætextas, consulatus, aliasque dignitates & gradus; tandem verò nil superfuisse aliud, nisi vanum titulum & inscriptionem, marmori sepulchrali incisam. Et lib. de Brevit. vitæ. cap. 19. ita discurrit. *Cùm videris itaque prætextam sæpe jam sumptam; cùm celebre in foro nomen; non invideas: ista damno vitæ parantur, ut unus ab illis numeretur annus, omnes annos suos conterent: quosdam cum in summum ambitionis eniterentur, inter prima eluctantes ætas reliquit, quosdam cùm in consummationem dignitatis per mille indignitates erepsissent, misera subiit cogitatio, ipsos laboràsse in titulum sepulchri.*

CAP. XVIII. ỳ. 33.

311. Lanceæ, quæ transfixerunt pectus Absalonis, transierunt cor Regis Davidis; qui audito mortis nuntio, inconsolabiliter afflictus, largissimas lachrymas profudit; & veluti doloris sustinendi impotens, altâ voce optabat sibi mortem, ut sequi posset exanimem filium. *Contristatus itaque Rex ascendit cœnaculum portæ, & flevit. Et sic loquebatur vadens. Fili mi Absalon fili mi: quis mihi tribuat, ut ego moriar pro te? &c.* 2. Reg. cap. 18. v. 33.

Patres in morte filiorum desiderant mori.

Ita Thyestes in morte suorum filiorum, impiè ab Atreo occisorum; uti & Theseus in morte Hippolyti; à Seneca introducuntur, anxie sibi exoptantes mortem. Mater Euriali, tragico successu exanimati, apud Virgilium lib. 9. Æneid. v. 493. ita conquerens introducitur.

Figite me, si qua est pietas, in me omnia tela
Conjicite, O Rutuli, me primam absumite ferro,
Aut tu magne Pater Divûm miserere, tuoque,
Invisum hoc detrude caput sub Tartara telo.

Etiam Maria virgo, cernens in monte Golgothæo unicum suum filium, jamjam moriturum, toto affectu desiderabat illum moriendo comitari. De ea Richardus à S. Laurentio lib. 2. p. 2. de Virg. Laud. ait; *Filio ponente animam pro salute mundi, mater, etsi non posuit pro mundo animam exposuit tamen, & quod potuit, fecit. Nec ipsa defuit martyrio corporali, sed ei defuit martyrium corporale.* Et lib. 8. *Beata virgo, viso sanguine filii effuso in cruce mori cum ipso non timuit, sed magis optavit &c.*

CAP. XXXIX. v. 22.

312. Semei, phrenetico furore concitatus, Davidi Regi irrogavit publicas ac gravissimas contumelias; postea verò resipiscens, procidit ad illius pedes, ac veniam humillimè rogavit. Abisai tamen existimabat, injuriam, ob enormem excessum, esse indignam pietatis ac clementiæ Regiæ; unde provocabat Davidem ad vindictam, & severum supplicium ei infligendum; at David summâ magnanimitate; *Quid vos mihi suggeritis? Cur efficimini mihi hodie in Satan? Ergone hodie interficietur vir in Israël? an ignoro, hodie me factum Regem super Israël? & ait Rex Semei; Non morieris.* 2. Reg. 19. v. 22. Adeoque David, cùm meminisset, se esse Regem, voluit exercere actionem propriam Regis; nimirum exaudire preces miserorum supplicantium; & iis condonare vitam, qui pro meriti sunt mortem.

Clementia propria Regis.

Ovidius lib. 2. de Ponto Eleg. 9. demonstrat, proprium esse magnatum, exaudire miseros.

Regia, crede mihi, res est, succurrere lapsis,
Convenit, & tanto quantus es ipse viro.
Conspicitur nunquam meliore potentia causâ,
Quàm quoties vanas non sinit esse preces.
Hoc nitor iste tui generis desiderat, hoc est
A superis ortæ nobilitatis opus.
Hoc tecum commune Diis, quod utrique rogati,
Supplicibus vestris ferre soletis opem.

Magnatum quoque proprium est dissimulare ac condonare injurias. Unde Seneca lib. de Ira. cap. ult. *Sola sublimis, & excelsa virtus est, nec quidquam magnum est, nisi quod simul est placidum.* Theodorus, Rex Italiæ, promotus ad regium thronum, teste Cassiodoro lib. 10. Var. dixit; *Mutavimus cum dignitate propositum: & si ante justa districtè defendimus, nunc clementer omnia mitigamus.* Adrianus, evectus ad imperium, cùm videret capitalem suum inimicum, ei dixit; *Evasisti* quasi diceret, nunc es securus vitæ; elevatus enim ad celsitudinem mei gradûs, sepono vilitatem vindictæ. Ita Spartianus in ipsius vita.

CAP. XIX. ỳ. 24.

Quando Rex David à perduelli Absalone coactus fuit, palatio & civitate regiâ aufugere, Miphibosetus, filius Principis Jonathæ, seu fingens dolorem, seu revera eum sentiens, ob gravem calamitatem miseri Regis, abstinuit lavandis pedibus, radendâ barbâ, & mundandis vestimentis. Unde de ipso scribitur, *Descendit in occursum Regis illotis pedibus, & intonsâ barbâ: vestesque suas non laverat à die, quâ egressus fuerat Rex &c.* 2. Reg. 19. v. 24. idque totum *in signum luctûs ob exilium Davidis*, inquit Cornelius à Lapide. In hunc locum Gaspar Sanchez; *Qui enim dolere se vehementer simulant, aut etiam verè dolent, omnem contemnunt cultum, neque faciem lavant, neque vestes neglectos defluere capillos sinunt, & barbam, & amant quod est inelegans & horridum.* 313.

Squallor in luctu.

Conformiter dicebat T. Livius, Romanos solitos tempore luctûs portare capillos ac barbam, oblongos & prolixos. Et Decade 2. lib. 7. de M. Lucio ait; *Erat veste obsoletâ, capilloque ac barbâ promissâ, habituque insignem memoriam ignominiæ accepta.* Frontinus lib. 4. Stratagem. cap. 5. refert, Varronem, cum recordaretur, se fuisse causam ingentis cladis Cannensis, Romanis illatæ: *Post illam, capillum barbamque summisisse.*

CAP. XIX. ỳ. 29.

Sacri interpretes observant, à Davide commissam fuisse apertam injustitiam, quando Miphibesetho, filio Principis Jonathæ (cui David vitam suam debebat) abstulit omnia bona ac paternas facultates hæreditarias, easque 314.



suadente maligno servo Sibâ, possidendas tradidit iniquo homuncioni. *Tu & Siba dividite possessiones.* 2. Reg. 19. v. 29. si tamen vera est opinio Abulensis, quòd David aliis donis & beneficiis compensârit ablatas pauperi Miphiboseto facultates, satisfecit debito justitiæ, & remorsui conscientiæ.

Donare aliis.

Philippus Rex Macedoniæ, sollicitatus à maligno & ingrato milite, dedit ei possidenda omnia bona cujusdam insignis Domini. Audiens verò postea querelas innocentis, iniquissimè spoliati, eum restituit suis bonis, & malevolum illum ignominiosâ pœnâ castigavit. Videatur hæc historia in Seneca lib. 4. de Benef. cap. 37. ubi simillima Davidis & Sibæ effigies reperietur.

CAP. XX. v. 9.

325. Videns Joab, à Rege Davide sibi præferri Amasam, declaratum Principem & supremum belliducem exercituum; ipso à dignitate suâ penitus deposito, ac suâ opinione gravissimè læso; absolutè decrevit, eidem, tametsi cognato, proditoriè auferre vitam. Unde perhumaniter ei obviam veniens, & his verbis, amabilitate plenissimis, alloquens; *Salve mi frater.* 2. Reg. 20. v. 9. pugionem infixit ipsius lateri. Adeoque perversâ linguâ dicens salutem, sanguinariâ manu intulit ruinam ac mortem.

Bona verba & mala facta.

Inter homines non fuit solus Joab, qui titulum fratris assumpsit, ut deciperet proximum; multi enim Gentilium usi sunt vocibus amabilissimis, tanquam injuriarum instrumento. Observat id Quintilianus in Declamatione 321. *Certè quoties blandiri volumus his, qui & amici esse videntur, nulla adulatio procedere potest, quam ut fratres vocemus.*

CAP. XX. ỳ. 9.

326. Fictâ bonitate non est detestabilior iniquitas. Summè abominabiles sunt illi, *qui*, ut ait S. Bernardus serm. 61. in Cant. *boni videri, non esse: mali non videri, & esse volunt. Mali sunt, & boni videri volunt, ne soli sint mali. Mali videri timent, ne parùm sint mali; etenim minus semper malitia palam nocuit: nec unquam bonus, nisi boni simulatione deceptus est.* Coriphæus horum sceleratorum fuit Joab, qui sub amicitiæ specie, utens erga Amasam, cognatum suum, amabilissimis verbis; *Salve mi frater.* 2. Reg. 20. v. 9. pugione eum interfecit.

Amicitia simulata.

Hanc malam artem in omnibus aulicis detestatur Lucianus, relatus à Lactantio lib. 5. Inst. cap 9. Illi enim extrinseca simulatione se fingunt intimos amicos, clanculum verò aliorum lateri infigunt gladium usque ad capulum.

Unisse, atque eidem studio omnes dedere,
& arti
Verba dare, ut cautè possint pugnare dolose
Blandiri, certare, bonum simulare virum se.
Insidias facere, ut si hostes sint omnibus omnes.

Isti videbantur Homero detestabiles instar inferni, unde in Iliade lib. 1. canit;

Exosus enim mihi ille, velut inferni porta,
Qui aliud quidem occultum habet in mentibus,
Aliud verò ore profert.

CAP. XX. ỳ. 9.

Ut miser Amasa subdolè posset opprimi & occidi, Joab non tantùm finxit amabilissimam salutationem, sed insuper in signum affabilitatis & honoris levavit suam manum ad contingendam ipsius barbam ac mentum, uti consueverant Israëlitæ; sicque miserum interfecit. *Dixit itaque Joab ad Amasam: Salve mi frater. Et tenuit manu dextera mentum Amasæ, quasi osculans eum &c.* 2. Reg. 20. v. 9. 327.

Mentum ac barbam tangere honoris gratiâ.

Hunc morem etiam tenuêre Gentiles, qui aliquem honoraturi, aut ei supplicaturi, manu tenebant ipsius mentum. Plinius lib. 11. cap. 45. *Antiquis Græcis in supplicando mentum attingere mos erat.* Homerus Iliad. 1. versùs finem de Thetide ait, quòd supplicatura Jovi, *Dextera manu apprehendit mentum, & supplex allocuta est Jovem.* Euripides introducit Hecubam, ita loquentem Ulyssi; *Tetigisti supplex hanc anilem genam.* Et Nonnus Dionysiac. 6.

Sinistrâ quidem manu genua tetigit, & orans
Dexterâ tetigit benè crinitam barbam.

In hoc argumentum plurimas eruditiones colligit Andreas Pintus Spicileg. sacr. cap. 32. n. 14.

CAP. XX. ỳ. 9.

Joab, salutans Amasam, non solùm pronuntiavit hæc verba; *Salve mi frater.* 2. Reg. 20. v. 9. sed insuper propinquavit ei ore, *quasi osculans eum.* Idipsum fecit Judas, qui propinquans Salvatori, dixit, *Ave Rabbi*; & mox *osculatus est eum.* Matth. 26. v. 49. Ex quo manifestum est, Hebræos in salutationibus adhibuisse oscula. 328.

Salutare cum osculo.

Etiam Gentiles, sibi mutuò obviam facti, solebant sese osculari; testatur id Xenophon lib. 1. Pædiæ Cyri, & Herodotus in Clio. Hunc morem frustra conatus est Tiberius suis edictis abolere, ut refert Suetonius in ipsius vita cap. 34. quia tempore Domitiani, qui multis annis post ipsum imperavit, frequenter figebantur hæc oscula, ut scribit Martialis lib. 7. Epigram. ad Linum 94.

Bruma est, & horret rigidus December
Audes tu tamen osculo nivali
Omnes obvios hinc, & hinc severè,
Et totam, Line, basiare Romam.

CAP. XX. ỳ. 18.

Abela, vetus Judææ civitas, incolebatur à personis sapientissimis, eratque instar Lycæi, scholæ, aut theatri, imò oraculi sapientiæ; unde quoties emergebat aliquod dubium, concernens religionem, controversiam civilem, resolutionem politicam, aut militarem; Israelitæ mutuârunt consilium vel sententiam ab hac civitate; acceperuntque resolutiones adeò accommodatas, ut eas executi, felicem gravissimorum negotiorum finem sortiti sint. Proinde; *Sermo dicebatur in veteri proverbio: qui interrogant, interrogent in Abela, & sic perficiebant.* lib. 2. Reg 20. v. 18. Hebræi confluebant Abelam, accepturi consilia; at Gentiles proficiscebantur vel ad oraculum Dodoneum, vel Delphos ad Apollinem, ut videri potest apud T. Livium, Plutarchum, Justi- 329.

Abela oraculum Hebræorum.

Justinum &c. & alios, qui Græcas, Romanas, & barbaras Historias scribunt.

CAP. XX. ℣. 19.

330. QUando Joab cum ingenti exercitu morabatur circa civitatem Abela, & militum juvenilis furor jamjam accinctus erat ad eam evertendam; Matrona quædam audax & magnanima clamavit ad Joabum; *Tu quæris subvertere civitatem, & evertere matrem in Israël? Quare præcipitas hæreditatem Domini?* 2. Reg. 20. v. 19. Mox Joab, depositâ irâ, destitit obsidione, & prompte respondit; *Absit, absit, hoc à me: non præcipito neque demolior*, v. 20. sicque abstinuit civitate illâ destruendâ, quæ in Israel erat mater litterarum, & universale oraculum sapientiæ: Sylla inter alias suas glorias etiam jactabat istam, quòd non destruxisset Athenas, tametsi à se superatas; sed conservârit Academiam sapientiæ, ut de ipso scribit Plutarchus in Apophth. Roman. Attila ad preces S. Leonis Papæ, abstinuit à ruinis urbis Romæ tanquam scholæ, & theatri veræ pietatis ac religionis. Gensericus Rex Gothorum, rogatus ab eodem S. Leone, cum jam cepisset Romam, abstinuit omnibus erga ipsam incendiis & cladibus.

Obsidio levata ad alterius preces.

CAP. XXI. ℣. 8. &c.

331. INiquitas Saulis, quâ miseros Gabaonitas contra omne dictamen rationis oppressit armis, non solùm à Deo punita fuit flagello famis, per integros tres annos totam affligente Judæam; 2. Reg. cap. 21. v. 1. sed etiam Gabaonitæ illam vindicârunt, quando à Rege Davide obtinuerunt septem filios ac nepotes Saulis, quos infami crucis patibulo affixerunt. *Tulit itaque David Rex duos filios Respha filiæ Aia, quos peperit Sauli &c. & quinque filios Michol filiæ Saul &c. & dedit eos in manus Gabaonitarum, qui crucifixerunt eos.* 2. Reg. 21 v. 8. &c.

Principes crucifixi.

Cum morte filiorum Saulis plurimùm convenit, quod refert Diodorus Siculus lib. 2. c. 1. videlicet Pharnonem, Regem Mediæ, cum uxore & septem filiis fuisse à Nino, Rege Babyloniæ affixum ignominiosæ cruci, & occisum.

CAP. XXI. v. 9. &c.

332. MEssis nomine à sacris litteris repræsentatur tempus æstivum. Unde 2. Reg. 21. v. 9. &c. loquuntur de tempore, quo filii Saulis fuêre crucifixi; *Ceciderunt hi septem simul occisi in diebus messis primis, incipiente messione hordei.* Prov. c. 26. v. 1. *Nix in æstate & pluvia in messe.* Isa. 18. v. 4. *Sicut nubes roris in die messis.* Hierem. 8. v. 20. *Transiit messis, finita est æstas.*

Messis pro æstate.

Eâdem loquendi formâ utuntur Poëtæ, qui messis, spicarum, aut aristarum nomine denotant æstates vel etiam annos. Ita Virgilius Ecloga 1. v. 70.

Post aliquot mea regna videns mirabor aristas.

Et Seneca in Troade;

- - *Iam Sigeis*
Trepidus campo decies secuit
Messor aristas.

CAP. XXI. ℣. 10.

333. INfelices filii ac nepotes Saulis non solùm vitam miserè amiserunt, affixi infamibus crucibus; sed etiam honorem sepulturæ, relictis eorum cadaveribus in patibulo, ut ibi lacerati à corvis & bestiis, intolerabilem & abominandum exhalarent fœtorem. Proinde afflicta Respha diu noctuque excubias egit apud illorum cadavera, ne à bestiis contingerentur. *Et non dimisit aves lacerare eos per diem, neque bestias per noctem.* 2. Reg. c. 21. v. 10.

Crucifixi sunt cibus bestiarum.

Quòd Gentiles reliquerint cadavera suspensa in patibulis, ut devorarentur à volucribus & lupis, pleni sunt omnes libri Eusebius lib. 5. c. 1. scribit, S. Blandinam, affixam cruci, fuisse ibi relictam in prædam & cibum sylvestrium ferarum. Valerius Maximus, loquens de Polycrate, Samiorum Tyranno, scribit; quòd Orontem *in excelsissimo Micalensis montis vertice cruci affixit è quâ putres ejus artus, & tabido cruore manantia membra Samos amarâ servitute aliquamdiu pressâ, liberis ac lætis oculis aspexit.* Ad hoc propositum Horatius lib. 1. Epist. 16.

Non pasces in cruce corvos.

Et Juvenalis;

Vultur jumento, & canibus, crucibusque relictis
Ad fœtus properat, partemque cadaveris affert.

CAP. XXI. ℣. 18.

QUemadmodum Gabaonitis, à Rege Saule vehementer offensis, persuasit vindicta, ut ipsius posteris non solùm auferrent vitam, ac infami cruce suspenderent; sed etiam infelicia eorũ cadavera relinquerent devoranda corvis, canibus, & lupis. Ita vicissim nativus amor ac pietas persuasit Resphæ, ut generoso animo accederet patibula, ibique longissimas moras traheret ad custodienda cadavera. *Non dimisit aves lacerare eos per diem, neque bestias per noctem.* 2. Reg. 21. v. 10. 334.

Cadavera defensa à feris.

Homerus Iliad. 23. introducit Venerem, intentam custodiendo ac defendendo cadaveri Hectoris, à suis hostibus interempti; ne laceraretur à canibus.

- *Hunc autem non canes lacerârunt,*
Sed canes quidem abegit Iovis filia Venus,
Dies & noctes, rosaceo autem perfudit oleo.

CAP. XXI. ℣. 12.

ULtimum honorem tunc accepit miser Saul, quando Davidi placuit, ipsius ac Jonathæ ossa ad decentem tumulum deferre. *Et abiit David, & tulit ossa Saul, & ossa Jonathæ filii ejus, à viris Jabes Galaad &c.* 2. Reg. 21. v. 12. In hunc locum Card. Cajetanus; *Personaliter ivit Rex ad tollendum ossa Saulis & Jonathæ &c.* 335.

Cadavera sepulta à Regibus.

Regibus comitantibus sepulta sunt etiam aliorum cadavera. Dion lib. 54 de Octaviano Augusto scribit; *Simul ac de casu Agrippæ cognovit, properato ex urbe profectus, mortuum eum invenit, corpusque ejus in Urbem advexit.* Alexander Monachus Orat. de Invent. S. Crucis ait, *Constantius Orientis Imperator, acceptum patris cadaver* (videlicet Constantini Magni) *justisque Imperatoriis persolutis, in edito loco condidit Constantinopoli &c.* De Tiberio scribit Suetonius c. 32. *Quorundam illustrium exequias usque ad rogum frequentavit.*

CAP. XXI. ℣. 14.

JUdæa trium annorum spatio affligebatur gravissimâ penuria; idque in pœnam iniquæ ac violentæ crudelitatis, quam Saul Gabaonitis intulerat, ut dicitur 2. Reg. 21 v. 1. At quamprimùm Israelitæ collegerunt ossa septem filiorum Cis, Saulis & Jonathæ tumulârunt in sepulchro mox DEus totum se placatum & conciliatum demon- 336.

Pietas erga defunctos meretur bona.

demonstravit. *Et repropitiatus est Deus terræ post hæc.* 2. Reg. 21. v. 14. id est, ut explicat Petrus Comestor lib. 2. Reg. c. 20. *Quo facto reddidit Deus ubertatem terræ*; fuitque populus locupletatus bonis, in dignam mercedem pietatis & honoris, exhibiti miseris defunctis.

Occiso in pugna Mardonio, cùm ipsius cadaver non reperiretur, & postea Artontes ipsius filius intelligeret, illud ab aliquibus humaniter sepultum esse, amplissima munera eis obtulit. Herodotus lib. 9. Idipsum contigit Mediolani; cum enim, occiso Joanne Maria Visconte, cadaver miseri Ducis neglectum ac derelictum in proprio sanguine jaceret; *Infima sortis meretrix*; verba sunt Pauli Jovii in vita Ducis Jo. Mariæ; *tempestiva pietatis officium usurpans, totum cadaver multâ recenti rosâ contexit. Inde postea à Philippo successore opulentam dotem, ut honestè nuberet, ingenua charitatis nomine habere promeruit.*

CAP. XXI. ℣. 21.

337. COnfligentibus in bello Philisthæis & Israëlitis, David manifestum gloriosæ vitæ amittendæ periculum incurrit; à quo tamen ipsum eripuit Abisai, proprium pectus instar scuti objiciens hosti, Davidem interfecturo. *Jesbinebob, qui fuit de genere Arapha &c. nisus est percutere David. Præsidioque ei fuit Abisai filius Sarviæ &c.* 2. Reg. 21. v. 16. &c.

Rex à subditis defensus.

Cùm Romani contra Cartaginenses propè Ticinum confligerent, Cornelius Consul graviter vulneratus, in proximo periculo fuit tam libertatis, quàm vitæ amittendæ; at P. Scipio, ipsius filius, etiamnum juvenis, promptè accurrit, eumque liberavit. De hoc successu Plutarchus in vita Scipionis Africani ait; *Proditum memoria à quibusdam autharibus est, Cornelium patrem saucium ac propriè ab hostibus circumventum, à Scipione filio jam tum pubescente, fuisse servatum.* Idipsum referunt T. Livius lib. 21. Plinius lib. 16. cap. 4. Valerius Maximus lib. 5. cap. 4. Ita etiam in bello Attico Octavianus Augustus, constitutus in extremo periculo, à quodam veterano milite protectus & servatus fuit. Sueton.

CAP. XXI. ℣. 16.

338. QUemadmodum primis vitæ annis, ita & ultimis senectutis, David è fronte vidit superbam gigantum ferociam. Horum unus à sacro textu 2. Reg 21. v. 16. repræsentatur *accinctus ense novo*; id est, ut interpretatur P. Gaspar Sanchez, Juvenis audax & resolutus, die illo primâ vice accinctus gladio, & eo etiam die occisus. *Quasi diceret*, inquit Sanchez, *primo die, quo bellum est aggressus, periisse, & dum Regi* (videlicet Davidi) *conatur eripere vitam, ut ex regia cæde honorem sibi pararet immortalem, suam amisisse.*

Prima dies militiæ, est prima mortis.

Virgilius l. 10. Æneid. v. 506. hanc ipsam calamitatem deplorat in persona Pallantis, occisi in prælio à Turno.

Impositum scuto referunt Pallanta frequentes.
O dolor! atque decus magnum rediture parenti!
Hæc te prima dies bello dedit, hæc eadem aufert.

Cum his convenit Calaber lib. 1. loquens de Pentesilea.

- - *Luctuosæ illam impellebant*
Parcæ, ut ad primum & novissimum certamen.

CAP. XXI. ℣. 17.

QUando David, supremus Dux exercitus Israelitici, volebat hunc præcedere, & hostili ferociæ è fronte se opponere; id non permisêre ipsius fideles amici, ne cum ipsius vita periclitaretur felicitas & gloria totius Judææ. *Jam non egredieris nobiscum in bellum, ne extinguas lucernam Israël.* 2. Reg. 21. v. 17. 339.

Belliducu auxiè custoditi.

Cùm Godefridus, Dux exercitûs Christiani, vellet accingi ad singulare certamen cum Argante; Raymundus id prohibuit,

E disse à lui rivolto; ah non sia vero
Ch'in un capo s'arrischi il campo tutto,
Duce sei tu, non semplice guerriero,
Publico fora, e non privato il lutto,
In te la fè s'appogia, & il santo Impero
Per te sia il Regno di Babel distrutto,
Tu il senno sol, lo senno solo adopra.
Ponga altri poi l'ardire, e'l ferro in opra.

Tassus in Liberata Cant. 7. st. 62. Adeoque Princeps, maximè annis gravidus ac senex, debet in bello medicus inter alios versari, *Et dubiis præliorum exemptus, summam rerum & Imperii se ipsum reservare.* Ita Corn. Tacitus Hist. 2.

CAP. XXII. ℣. 1.

POstquam Rex David finiit insignia sua prælia, volebat cantare Psalmum in signum applausus Domino Deo, tanquam victoriarum largitori; unde Psalmum cantavit illa ipsâ die *quâ liberavit eum Dominus de manu omnium inimicorum suorum, & de manu Saul.* 2. Reg. 22. v. 1. Hoc loco expressè nominatur Saul, tametsi contineretur in cumulo omnium inimicorum. Iste enim est stylus omnium scripturarum, tam sacrarum, quàm profanarum, ut faciant expressam mentionem illorum hominum, qui singulari excellentiâ sunt conspicui. *Dicite discipulis ejus & Petro.* 1. Corinth. cap. 9. v. 5. *Nunquid non habemus potestatem mulierem sororem circumducendi, sicut & cæteri Apostoli, & Cephas?* Et in actibus Apostolicis B. Virgo nominatur singillatim, tametsi cum aliis commorans; *Hi omnes erant perseverantes unanimiter in oratione cum mulieribus, & Mariâ matre Jesu.* Act. 1. v. 14. 340.

Personæ excellentes nominantur expressè.

Virgilius expressam mentionem facit Achillis; & postquam nominavit Græcos, addit nomen hujus Belliducis, tanquam omnium fortissimi & generosissimi. Unde lib. 1. Æneid. vers. 34.

Troas, reliquias Danaûm, atque immitis Achilli.

In hunc locum doctissimus la Cerda; *Sed cur in Poëta mentio Achillis peculiaris, & non alterius Græcorum? an quia hic Græcorum fortissimus? an quia Achilles, congressurus cum Ænea, ad cujus gloriam decantandam tota Æneis dirigitur?*

CAP.

CAP. XXII. v. 9.

541. David, genuinè expressurus ingentem Dei iram, attribuit ei nares, evaporantes densum fumum nubium; *ascendit fumus de naribus ejus.* 2. Reg. 22. v. 9. Conformiter liber Deut. 29. v. 20. *Dominus non ignoscat ei, sed tunc quàm maximè furor ejus fumet.*

Fumus in naribus denotat iram

Poëtæ unanimiter affectum furoris exprimunt fumigantibus naribus. Inter hos Martialis;

- - Ne perditus ore
Fumantem nasum vivi tentaveris ursi.

Virgilius, loquens de Equo Georg. 3. v. 84.

Stare loco nescit, micat auribus, & tremit artus,
Collectumque premens volvit sub naribus ignem,

Claudianus de 4. Consul. Honorii;

Utque tuis primùm sonipes calcaribus arsit,
Ignescunt patulæ nares,

Et Sillus Italicus lib. 6.

- - frenoque teneri
Impatiens crebros, expirat naribus ignes.

CAP. XXII. ℣. 9.

542. Deus, qui totus est ignis; ibi omnium maximè talis dici debet, quando justâ irâ succensus est. Ex ipsius aspectu, teste Davide, prodit ignis devorans. *Ignis de ore ejus vorabit.* 2. Reg. 22. v. 9. Et Psalm 17. *Ignis à facie ejus exarsit.* Ita Daniel Propheta c. 7. v. 10. *Thronus ejus flamma ignis: rota ejus ignis accensus.* Fluvius *igneus, rapidusque, egrediebatur à facie ejus.*

Flamma in aspectu denotat iram

Seneca lib. 1. de Ira. cap. 1. genuinè descripturus aspectum hominis irati, ponit in ipsius facie & oculis colorem igneum & ardorem flammarum *Flagrant & micant oculi, multus ore toto rubor, exæstuante ab imis præcordiis sanguine &c.* Virgilius, describens Turnum, qui plenus furore accingebatur ad prælium. 2. Æn. v. 101.

His agitur furiis, totoq; ardentis ab ore
Scintillæ absistunt, oculis micat acribus ignis.

CAP. XXIII. ℣. 8.

543. Quia laus debetur virtuti tanquam singulare præmium; idcircò Belliduces Davidis, præ cæteris excellentes ac fortes, particularibus encomiis celebrantur; tum ut hoc modo veritas Historica magis elucesceret, si recenserentur, qui, & quanto robore illi omnes cum Davide adversùs hostes pugnâssent, ac tantas victorias retulissent; tum ut juvenes, audito robore adeò insigni, concitarentur ad eos imitandos. Hæc nomina fortium David. *Sedens in cathedra sapientissimus &c. Post hunc Eleazar &c. & post hunc Semma &c.* sicque enumerantur propè triginta septem. 2 Reg. c. 23. v. 8. &c.

Fortes milites.

Ex hoc desumpsère Gentiles argumentum, etiam suos Heroes celebrandi; unde finxerunt, Jasonem, stipatum quinquaginta quatuor viris fortissimis, inter quos Hercules, Theseus, Ulysses, Castor, Meleager, Mopsus, Pollux, & alii, recensiti à Natali Comite in sua Mithologia lib. 6. cap. 8. in Argonavi transfretâsse in Colchidem, ut ibi insignem suam generositatem experiretur, & vellus aureum auferret &c.

CAP. XXIII. ℣. 8.

In fortissimorum Heroum Catalogo primùm locum obtinet Jesbaan; *qui octingentos interfecit impetu uno* 2. Reg. 23. v. 8. Ille ipse in alio prælio occidit trecentos hostes. 1. Paral. 11. v. 11. simili modo 2. Reg. 23. v. 18. *celebratur Abisai, qui levavit hastam suam contra trecentos, quos interfecit. &c.* 544.

Fortitudo prodigiosa.

Arturus Brittus, Rex Angliæ, in obsidione montis Badonici simi[..]a heroicæ fortitudinis prodigia ostendit, dum solus & unicus è fronte nongentorum hostium positus, omnes simul vel instar pecorum in macello occidit, vel instar timidorum cervorum in fugam egit, continuò invocans auxilium Mariæ virginis, quam in armis sculptam ferebat; *fretus imagine matris Dei, quam suis armis insuerat, nongentos hostium solus adortus, incredibili cæde profligavit;* uti testatur Gulielmus Malesburiensis lib. 1. de Gest. Reg. Angliæ. cap. 1.

CAP. XXIII. ℣. 16.

David, mirificè fortis ac terribilis in vincendis inimicis, in summo gradu fortem se exhibuit in vincendo se ipso. Inter militares judores sitibundus anhelabat refrigerium aquarum, quæ fluunt ex fonte Bethleemitico; quando verò ipsius generosi duces *hauserunt aquam de cisterna Bethlehem, & attulerunt ad David: ille noluit bibere, sed libavit eam Domino.* 2. Reg. 23. v. 16. proinde sitim propriam vicit, effuditque in terram aquas, tantâ anxietate desideratas. Et sic proprio exemplo suos milites animavit ad similem tolerantiam. *Vicit naturam,* inquit Eucherius, *& exemplum de se præbuit, quo omnis exercitus disceret sitim tolerare.* 545.

David suâ abstinentiâ docet supportare sitim.

Dum exercitus Alexandri Magni ardebat ingenti siti, offerebatur Regi galea aquis plena; at ille nec guttulam libans, eas restituit illis, à quibus oblatæ fuerunt; cum dicto, *Nec solus bibere sustineo, nec tam exiguum dividere possum omnibus;* uti refert Q. Curtius lib. 7. seu ut illud ipsum refert Arrianus lib. 6. *Susceptum ne contempsisse munus videretur, laudatis, qui detulerant, ne sua salutis tantùm à se ratio habita videretur, in conspectu omnium in terram effudit.* Hoc ipsum narrat Plutarchus in ipsius vita. Similis continentia fuit observata in Hannibale, qui exercitum ducens per solitudines Africæ, tametsi sitibundus, bibere recusavit. De hoc Silius Italicus;

Exercetque sitim, & spectato fonte recedit.

Eâdem virtute insignem se præbuit Rudolphus Austriacus, imprimis Comes Habspurgensis, & postea Imperator, qui potu refrigerari recusavit, quando totus exercitus affligebatur siti. De hoc D. Gregorius Bolzius, nobilis Cygnus Congregationis Somascenæ:

Cæsareas longum torquet sitis aspera fauces,
Nullaque Cæsaream mitigat unda sitim.
Anxia belligeræ currit solertia gentis,
Et reperit siccis humida mulsa labris.
Mox celeri delata manu subit unda Rudolphum;
Intacta ad Dominos sed redit illa suos.

Unda suis, inquit, redeat messoribus, undam
Cùm petii Cæsar, militibus petii &c.

CAP. XXIV. v. 15.

346. Ultra modum displicuit majestati divinæ superbus ille fastus, quo David ausus est numerare populum; ac intumescere, quòd tota illa gens dependeret ab ipsius imperiis & obsequiis. Unde in pœnam hujus peccati; *Immisit Dominus pestilentiam in Israel.* 2. Reg. 24. v. 15. ita ut paucarum horarum spatio mortua sint septuaginta hominum millia. Unde S. Augustinus lib. 22. cont. Faust. cap. 66. *Sic punire placuit, DEO, ut eundem numerum minueret morte multorum, cujus multitudine cor Regis fuerat superbiâ parentatum.*

Peccatum unius, pœna multorum.

Quemadmodum Davidis peccatum fuit punitum morte subditorum, ita omninò, inquit Hesiodus;

Unius ob crimen pœnas urbs tota rependit.
Si quis sacrilegè sese gerat, aut injustè,
Jupiter hic cœlo pœnas immisit ab alto
Pestem, sive famem.

CAP. XXIV. ℣. 16.

347. Cùm Judæa punienda esset peste; minister horribilis hujus supplicii destinatus fuit Angelus DEI; de quo scribitur; *Cumque extendisset manum suam Angelus Domini super Jerusalem, ut disperderet eam, misertus est Dominus super afflictione, & ait Angelo percutienti populum, sufficit &c.* 2. Reg. 24. v. 16. Hic Angelus sensibiliter visus est à Davide, percutiens & feriens. v. 17.

Angelus minister pestis.

In peste Romana sub Pelagiano Papa, qui in ea mortuus est, S. Gregorius Papa, solemni supplicatione Romam circuiens, & iconem S. Mariæ virginis, à S. Luca pictæ, manibus præferens, vidit Angelum; qui gladium in vaginam recondidit, indicans tantæ stragis finem. De hoc successu Baronius, Anno Christi 590. ait; *Tunc verò & mirandum istud accidisse tradunt, ut cùm pervenisset procedendo Gregorius ad molem Hadriani, Tiberii adjacentem, in signum reconciliati Numinis, visus fuit Angelus nudatum gladium in vaginam reponere, eoque symbolo morbum cessasse significare voluisse.* Alios similes eventus refert P. Cornelius à Lapide in hunc locum.

CAP. XXIV. ℣. 17.

Mirabilis fuit pietas ac teneritudo Davidis, qui cernens populum suum ab Angelo percussum peste, se ipsum obtulit in victimam placationis, ut alii salvarentur. *Dixitque David ad Dominum, cùm vidisset Angelum cadentem populum: Ego sum, qui peccavi. ego iniquè egi, isti, qui oves sunt, quid fecerunt? vertatur, obsecro, manus tua contra me.* 2. Reg. 24. v. 17. 348.

Mors desiderata pro aliorũ salute.

Virgilius similes affectus expressit in persona Nisi, ut Eurialum, charissimum amicum suum, morti subtraheret. 9. Æneidos vers. 427.

Me, me: adsum qui feci, in me convertite ferrum,
O Rutuli, mea fraus omnis; nihil iste, nec ausus,
Nec potuit.


Ad hujus imitationem Olindus in Gerus: Liberat. Cant. 2. st. 29.

La morte à me si deve
Non usurpi costei le pene mie;
Mie son quelle catene, e per me questa.
Fiamma s'accende, le rogo à me s'appresta.

Eodem modo Petronius Arbiter in Satyr: *Quod si utique proclamabat, facinore opus est, nudo ecce jugulum; convertite huc manus; imprimite mucrones, ego mori debeo, qui amicitia sacramentum delevi.*



LUMI-



LUMINA REFLEXA
EX LIB. III. REGUM.

CAP. I. v. 1.

349. Uemadmodum senectus conspergit hominum capita nivibus canitiei; ita ossa ac venas in rigidam glaciem convertit, & membra tremore replet. David septuaginta annorum senex, caloris defectui adeò subjacuit, ut, quantumvis coopertus vestimentis, semper remansit frigidus & algore constrictus. *Et Rex David senuerat, habebatque ætatis plurimos dies: cumque operiretur vestibus, non calefiebat.* 3. Reg. cap. 1. vers. 1.

Senectus frigefacit.

Inter cætera epitheta senectutis propriissimum desumitur ex frigore. Unde canit Pontanus:

Me, quem frigida congelat senecta.

Et Baptista Montanus:

Venimus ad canos, frigescentemque senectam.

Et rursùs:

Non benè conjungi gelidæ, turpique senectæ.

Entellus apud Virgilium lib. 5. Æneid. v. 395. annis gravidus ita de se ipso loquitur;

- - *gelidus tardante senecta*
Sanguis hebet, frigentque effatæ in corpore vires.

Unde Aristoteles lib. 2. Rhet. dicebat; *frigere sanguinem in senibus, & gignere spiritus tardiores.*

CAP. I. ℣. 3.

350. TAm viribus, quàm calore exhaustus erat David in senectute. Unde cùm mollibus lanis, & generosis potibus calefieri non posset, investigârunt virginem juvenculam, calore præ aliis validam; & venustate insignem, ac proinde omnium aptissimam, quæ remoto omni actu carnali, Regem exhilararet, suoque calore languentes ipsius vires confortaret ac suscitaret. *Quæsierunt igitur adolescentulam speciosam in omnibus finibus Israël, & invenerunt Abisaig Sunamitidem, & adduxerunt eam ad Regem &c.* 3. Reg. 1. v. 3.

Calor juvenilis confortat senectutem.

Hoc ipso remedio usus est Galenus ad curandam debilitatem frigidi ac sicci ventris. Unde lib. 7. Method. ita scribit; *Ex iis verò, quæ extrinsecùs applicantur, boni habitus puellus unà sit accubans, ut semper abdomen ejus contingat.*

CAP. I. v. 17. &c.

351. POst mortem Davidis ex titulo primogenituræ spectabat regnum ad Adoniam, filium natu majorem. At Bersabea, suo studio illum excludens, coronam obtinuit Salomoni, qui postea Adoniam occidi jussit. *Domine mi,* dicebat Regi Bersabea, *tu jurâsti per Dominum Deum tuum ancillæ tuæ, Salomon filius tuus regnabit post me & ipse sedebit in solio meo. Et ecce nunc Adonias regnat, te Domine mi Rex ignorante &c.* 3. Reg. 1 v. 17. &c.

Regnum translatū ad preces fœminæ.

Post mortem Claudii Imperatoris in imperio succedere debebat Britannicus, filius Claudii; at Messalina suis artificiis fecit, ut Britannicus à proprio patre privaretur successione, & illius loco ad imperium eveheretur Nero, qui postea infelicem Britannicum veneno interfecit.

CAP. I. ℣. 17.

Cùm ad Regnum Israëliticum evehendus esset Salomon; David dixit Bersabeæ; *Salomon filius tuus regnabit pro me, & ipse sedebit in solio meo.* 3. Reg. c. 1. v. 17. adeoque regnare, & sedere in solio, idem sunt. Patet ex Psalm 102. v. 19. *Dominus in cœlo paravit sedem suam; & regnum ipsius omnibus dominabitur.* Psalm. 131. v. 11. promittens Deus Davidi, quòd filius ipsius successurus esset in regno, dixit; *De fructu ventris tui ponam super sedem tuam.* Prov. 20. v. 8. *Rex, qui sedet in solio judicii &c.* 1. Mach. 2. v. 57. *David in sua misericordia consecutus est sedem regni in sæcula.* Et cap. 7. v. 4. *Sedit Demetrius super sedem Regni sui.* Ita in S. Matth. c. 20. v. 21. *Dic ut sedeant hi duo filii mei, unus ad dexteram tuam, & unus ad sinistram in regno tuo.* Et centenis aliis locis. 352.

Regnare & sedere idem est.

Etiam Virgilius sedem identificat regno. Æn. lib. 1. v. 308.

Per varios casus, per tot discrimina rerum
Tendimus in Latium; sedes ubi fata quietas
Ostendunt; illic fas regna resurgere Trojæ.

Et rursus v. 274.

- - *Regnumque à sede Latini*
Transferret.

In hunc locum doctissimus Ludovicus la Cerda ait; *Hic per sedem regnum intelligit.*

CAP I. v. 33. &c.

NOn expectavit David, donec mors ex ipsius capite coronam auferret, ut eâ cingeretur frons Salomonis; sed ipsemet filium suum constituit Regem, jubens ministris; *Imponite Salomonem filium meum super mulam meam: & ducite eum in Gibon, & ungat eum ibi Sadoc sacerdos, & Nathan Propheta in Regem super Israël: & canetis buccinâ, atque dicetis: Vivat Rex Salomon.* 3. Reg. 1. v. 33. &c. 353.

Regnum datum filio à patre.

Hâc ipsâ benignitate usus est Artaxerxes Rex Persiæ, qui filium suum Darium constituit Regem. De hoc Justinus l. 10. *Darium per indulgentiam pater Regem vivus fecit: nihil sibi ablatum existimans, quod in filium contulisset: sinceriusque gaudium ex procreatione capturus, si insignia majestatis suæ vivus in filio conspexisset.* Carolus V. victoriis gloriosissimus, seipsum insignem demonstravit, quan-

quando regnis omnibus exutus, Bruxellis ea sponte renuntiavit Philippo II. suo filio; & vitam privatam acturus, in Escuriale Hispanum se recepit.

CAP. I. v. 37. &c.

354. Cùm Magnates aulæ Judaicæ viderent stupendam benignitatem Davidis erga Salomonem, cui totum suum regnum renuntiavit; pleni jubilo, in præsentia ipsius David, apprecati sunt novo Regi felicitatem ac majestatem longè majorem illâ, quâ unquam ipsius pater gavisus est. *Sublimius faciat solium ejus à solio domini mei Regis David.* 3. Reg. 1. v. 37. & v. 47. *Amplificet Deus nomen Salomonis super nomen tuum, & magnificet thronum ejus super thronum tuum.* Has apprecationes optimo animo accepit David; comprobavitque, verissimum esse, quod scribit Theodoretus; *Quòd nemo, qui paternam habet dilectionem, æmulatione prosequitur filios: & quod est proprium patrum, velle videre filios se clariores.*

Desiderare filios se feliciores parentibus.

Hunc affectum, Parentum cordibus congenitum, quod desiderent filios promoveri ad omnia felicitatis incrementa, ita ut etiam ipsos parentes superent; observavit Claudianus in 4. Consul. Honorii.

Aspice, completur votum, jam natus adæquat
Te meritis, & quod magis est optabile, vincit.

Simili modo Sidonius Apollinaris lib. 8. Epist. 7. scribit ad Præfectum Audacem; *Deum posco, ut te filii consequantur, aut quod magis decet velle, transcendant.*

CAP. I. ℣. 53.

355. Davide, annis jam provecto, & solium regium proximè in sepulchrum commutaturo; aspirârunt ad Regnum Judææ ex unâ parte Adonias, natu major; & ex alterâ Salomon, ætate inferior; cùm verò Salomon ab ipsomet Rege declaratus esset Rex, Adonias coram novo Rege in genua procumbens, eum agnovit suum Regem. *Et ingressus adoravit Regem Salomonem.* 3. Reg. 1. v. 53.

Frater adorans alterum.

Similis eventus reperitur apud Plutarchum. Mortuo Dario, Persarum Rege, prætendebant regnum ex una parte Artamenes filius natu major defuncti Regis; & ex altera Xerxes, genitus à Dario, actualiter jam regnante. Unde Artabanus, juvenum illorum avunculus, insignis integritatis homo, electus est hujus causæ dirimendæ Judex. Qui vix *pronuntiavit, Xerxi regnum convenire*; mox *Artamenes prosiliens, fratrem adoravit, dextraque apprehensum in solium regium collocavit.* uti refert Jo. Pineda l. 2. de rebus Salom. cap. 10. num. 3.

CAP. II. ℣. 2.

356. David de imminente sua morte Salomoni, filio suo loquens; Ecce, inquit; *Ego ingredior viam universæ carnis.* 3. Reg. 2. v. 2. Ingredior viam, calcatam à meis antecessoribus, & calcandam ab omnibus hominibus, qui vivunt super terram; videlicet viam tumuli & pulveris, ad quam reverti nos omnes debebimus.

Mors est via communis.

Hâc loquendi formâ usus est S. Antonius Abbas, quando, teste S. Athanasio, ad discipulos conversus dixit; *Ego quidem, filioli, secundùm eloquia scripturarum Patrum gradior viam.* Barlaamus, jam moriturus, Josaphato dixit, *Non jam, charissimè fili, nos in hac vita eadem domus ac mensa conjungat. Jam enim ultimam patrum meorum viam ingredior &c.* Ita S. Joan. Damascenus.

CAP. II. ℣. 3.

Priusquam David clauderet vitæ suæ oculos, Salomoni dedit grandia, & magni momenti documenta; *Observa custodias Domini tui, ut ambules in viis ejus, ut custodias ceremonias ejus, & præcepta ejus, & judicia, & testimonia, sicut scriptum est in lege Moysi,* &c. 3. Reg. c. 2. v. 3. Similiter Tobias, consistens in termino suæ vitæ, reliquit filio suo sanctas, & affectu plenas doctrinas. Tob. 4. uti etiam Matathias suis filiis 1. Mach. cap. 2. v. 50. &c. 357.

Documenta data a moribundis.

Emmanuel Palæologus Imperator filio suo Joanni scripto reliquit illa documenta, quæ censuit omnium maximè consideranda & opportuna. Id quod etiam fecit Basilius Imperator filio suo Leoni, exhortans eum in ultimo capite, ut inter sacros scriptores legeret opera Salomonis & Ecclesiastici; inter profanos autem Isocratem. S. Ludovicus, Rex Galliæ, moriturus dedit Philippo, filio suo primogenito, complura documenta, exordiens ab isto; *Fili mi ante omnia diligenter in eam curam incumbe, ut diligas Deum &c.* B. Amadeus Sabaudus, priusquam animam transmitteret Deo, vocavit suam uxorem, liberos ministros; iisque dixit *Facite judicium & justitiam, & diligite pauperes. & dominus dabit pacem in finibus vestris.*

CAP. II. ℣. 26.

Abjathar sacerdos tenuit partes Adoniæ, ungens hunc Principem in Regem, & sic directè se opponens Salomoni. Unde in hujus delicti pœnam debuisset ex bonæ politicæ legibus mulctari morte; quam tamen Salomon, memor non tantùm laborum ab ipso exantlatorum, sed etiam fidelis obsequii, quod præstitit Davidi; commutaverat in exilium, proscribens illum Hierosolymis ne fovere posset perduelles, aut aliquid contra Regem innovare. *Abjathar quoque sacerdoti dixit Rex: Vade in Anathoth ad agrum tuum, equidem vir mortis es: sed hodie te non interficiam, quia portâsti arcam domini &c.* 3. Reg. 2. vers. 26. 358.

Pœna mortis mutata in exilium

T. Arius totam Romam coëgit ad obstupescendam suam clementiam, dum exilio condemnavit juvenem, mortis reum. T. *Arium, qui filium deprehensum in parricidio, exilio damnavit, causâ cognitâ, non suspexit, quod contentus exilio, & exilio delegato Massilia &c.* Ita Seneca lib. 1. de Clement. cap. 28.

CAP. II. ℣ 26.

Ex morte Principis Adoniæ, occisi à Salomone, suspicatus est Joab, qui partes Adoniæ tenuerat, etiam sibi auferendam vitam. Unde miser, saluti suæ consulturus, cum non videret securum refugium humanum, recurrit ad divinum; confugitque in tabernaculum, ubi propugnaculi loco usus est sacro altari *Fugit ergo Joab in tabernaculum domini, & apprehendit cornu altaris.* 3. Reg. 2. v. 28. De hoc facto Josephus Hebræus ait, *Joabus Imperator, auditâ nece Adoniæ, valde extimuit: ejus enim amicitiam magis, quàm Regis coluerat; & ideò non immeritò n al'e suspicans, ad altare confugit, impunitatem se inde quæsiturum existimans, propter notam Regis erga Deum pietatem.* 359.

Altare locus refugii.

Arca-

Arcanum naturæ dictamen persuadet miseris, ut recurrant ad altaria & templa, refugium ac salutem inde accepturi. Ita Hecuba inter cadentis Trojæ ruinas cum territis suis filiabus se recepit ad altare; uti refert Virgilius lib. 2. Æneid. v.512.

Ædibus in mediis, nudoque sub ætheris axe
Ingens ara fuit: juxtaque veterrima laurus,
Incumbens aræ, atque umbra complexa penates,
Hic Hecuba, & natæ necquicquam altaria circùm,
Præcipites atra ceu tempestate columbæ
Condensæ, & divûm amplexa simulachra tenebant.

Et cùm videret Priamum, suis confisum armis salutem quærere, illud ei disuasit, &, ut ad altare confugeret, invitavit, inquiens

Huc tandem concede: hæc ara tuebitur omnes.

CAP. II. ℣. 31.

360. FRustranea fuit fiducia, quam Joab in altari posuit; locus enim ille, qui ipsi videbatur thronus misericordiæ, commutatus est in cathedram justitiæ; ubi jussa Salomonis cecidit Banajæ manu, proprio sanguini instar jumenti innatans, ac mortuus. *Dixitque ei Rex interfice eum.* 3. Reg. 2. v.31. *Ascendit itaque Banajas filius Jojadæ & aggressus eum interfecit.* v. 34.

Altare non juvat Joabum.

Infelix Priamus, inter ruinas Trojæ confugit ad altare, sperans inde patrocinium vitæ, at frustra; quia propè altare à Pyrrho impiè interfectus est. De quo Virgilius lib. 2. Æneid. v.550.

- - *Altaria ad ipsa trementem*
Traxit, & in multo lapsantem sanguine nati:
Implicuitque comam lævâ: dextrâque coruscum
Extulit, ac lateri capulo tenus abdidit ensem.

Similiter Euripides in Androm. introducit territam Andromacham ita loquentem:

- - - *Ego verò territa*
Ædibus proximis Thetidis sacellum
Assideo huc confugiens, si me mori prohibeat.

Cui respondit Hermion;

Nihil te juvabit ædes hæc Thetidis,
Non ara, non templum, sed morieris.

CAP. III. ℣. 3.

361. SAlomon regni sui initio plurimam laudem est promeritus, quia vestigia ac documenta patris secutus, illiusque virtutes imitatus est; ac proinde dicebatur *Ambulans in præceptis David patris sui.* 3. Reg. 3. v. 3. prout etiam in unico holocausto obtulit mille victimas. *Mille hostias in holocaustum obtulit.* v. 4. Unde Deus ei in somno apparuit, obtulitque in compensationem, quidquid peteret. Cùm ergo Salomon peteret donum sapientiæ, ut posset justè judicare suum populum. Deus respondit; *Ecce dedi tibi cor sapiens & intelligens, in tantum, ut nullus ante te similis tui fuerit, nec post te surrecturus sit.* ibid. n.12.

Sapientia donum Dei.

Plutarchus *lib. ad Principem indoctum* ait, quòd Deus dono æquitatis, justitiæ, & clementiæ largissimè remuneretur illos principes, qui se virtuosâ suâ vitâ impendunt ad servitia & imitationem Dei. *Qui virtutem ipsius* (id est, Dei) *æmulantur* (loquitur de principibus) *& honestate, humanitate atque ipsum referre conantur, hoc studio eorum delectatus auget: suâque eos justitiâ, æquitate veritate, ac mansuetudine impertit, quibus nihil est divinius &c.*

Æquitas donum Dei.

CAP. III. ℣. 9.

362. SAlomon sub initium regni sui integerrimo affectu Deum rogavit tantam docilitatem cordis, & acumen judicii, ut sciret absque ullâ fraude aut errore discernere bonum à malo. *Dabis ergò servo tuo cor docile, ut populum tuum judicare possit, & discernere inter bonum & malum.* 3. Reg. 3. v.9. Hæ preces omninò fuêre prudentes quia S. Climacus gradu 26. ait; *Discretio est in tenebris lucerna: errantium reditus, cæcutientium illuminatio.* Fuêre prudentes preces, *quia*, inquit S. Gregorius p. 2. Pastor. c. 1. *debet Rector semper subtili examine bona, malaque discernere.* Et ut S. Isidoro l. 3. sentent. cap. 5. §. 8 placuit; *Discretio sanctorum tanta esse debet, ut inter bonum & malum præditi ratione dijudicent &c.*

Discernere bonum à malo est grandis virtus.

Plato in Dial. 10. de Republ. ait, omnem diligentiam adhibendam esse, *ut quisque nostrûm, omissis cæteris disciplinis, hanc quærat, assequaturque pro viribus disciplinam, per quam possit & sciat, vitam bonam à mala discernere &c.* Seneca Epist. 71. ait; *Socrates, qui totam Philosophiam revocavit ad mores, hanc summam dixit esse sapientiam, bona, malaque distinguere.*

CAP. III. ℣. 25.

AD decidendam illam litem, quam coram Salomone agitabant duæ contentiosæ fœminæ, jussit Rex sapientissimus arripi gladium, cum dicto: *Dividite infantem vivum in duas partes, & date dimidiam partem uni, & dimidiam alteri.* Hoc autem jussit, non ut re ipsâ trucidaretur infantulus, sed ut experiretur, in qua ex illis duabus fœminis resideret affectus maternus. De hoc S. Ambrosius lib. 3. de Spiritu S. c. 7. *Naturam in affectibus quæsivit, quæ latebat in vocibus, & pietatem interrogavit, ut proderet veritatem.*

Affectus aperit veritatem.

Cùm Carolus Magnus certò sciret, homicidium quoddam vel à patre, vel à filio commissum, ignoraret tamen, quisnam illorum determinatè esset reus, ambos condemnavit ad mortem. Pater verò, qui erat delinquens, cùm videret nullam superesse salutis spem, confessus est delictum, filium tali modo à morte liberavit, uti refert Joan. Molanus in ipsius vita. Similiter Alphonsus Rex Aragoniæ, quando quædam serva conformiter legibus Hispaniarum, petebat mitti in libertatem, eò quòd domino suo peperisset filium, iste verò negabat, hunc esse suum filium, ne cogeretur privari illâ servâ, jussit Rex infantem sub hasta vendi, & cùm nonnemo empturus infantem, exsolveret pretium, victus amore pater, non sine lachrymis confessus est hunc esse suum filium: talique modo patri attributus est filius, & matri concessa libertas. Anton. Panorm. de Gest. Alphons. lib. 2. c.39.

CAP. IV. ℣. 13.

Inter varios ministros Salomonis erat unus, qui *præerat in omni regione Argob, quæ est in Basan sexaginta civitatibus magnis atque muratis, quæ habebant seras æreas,* seu, ut traducit textus Hebraicus; *vectes ferreos.* 3. Reg. cap. 4. vers. 13. 363.

Portæ munitæ ære & ferro.

Erant proinde civitates fortissimæ, quæ munitæ fuerunt seris ferreis, & æreis.

Similium portarum fit expressa mentio apud Virgilium lib. 2. Æneid. ubi Pyrrhus irrupit in palatium Priami; v. 479.

Ipse inter primos arreptâ durâ bipenni,
Limina perrumpit, postesque à cardine vellit
Æratos.

Et rursus lib. 7. loquens de Junone v. 620.

Tum Regina Deûm cœlo delapsa, morantes
Impulit ipsa manu portas, & cardine verso
Belli ferratos rupit Saturnia postes.

Conformiter dixit Ennius;

- - Postquàm discordia tetra
Belli ferratos postes, portasque refregit.

CAP. IV. ℣. 22.

364. Cùm Salomon ingentem ac nimium quantùm numerosam familiam aleret, uti de se ipso scribit Ecclesiastes c. 2. v. 7. *Possedi servos & ancillas; multamque familiam habui.* Consequenter pro ipsius sustentatione exigebatur maxima victualium quantitas. Itaque; *Erat cibus Salomonis*, id est, ipsius & totius regiæ aulæ, *per dies singulos, triginta cori similæ, & sexaginta cori farinæ, decem boves pingues, & viginti boves pascuales, & centum arietes, exceptâ venatione cervorum, caprearum, atque bubalorum, & avium altilium &c.* 3. Reg. cap. 4. vers. 22.

Victualia Salomonis

Athenæus lib 4. c. 6. de cœnis quotidianis & ordinariis Regis Persarum ac suorum aulicorum & domesticorum ait; *Regi mille victimæ eodem die mactantur, inter quæ sunt equi, cameli, boves, asini, cervi, & plurimæ oves: multa sunt & aves, quæ absumuntur, passeres arabici, sunt enim magna animalia, anseres & galli: ex quibus moderatè singulis Regis convivis apponitur: quorum unusquisque quod ex prandio reliquum fuerit, aufert. Maxima pars horum ciborum, victimarumque, quas Rex nutrit, in scutatorum; stipatorumque aulam deportatur.*

CAP. IV. ℣. 29.

365. Quando Salomon initio sui regiminis nihil aliud à Deo petiit, nisi donum sapientiæ, ut posset populum suum judicare cum æquitate ac rectitudine; Deus modo adeò profuso & liberali eum consolatus est, ut nihil suprà; *Dedit Deus sapientiam Salomoni, & prudentiam multam nimis, & latitudinem cordis quasi arenam, quæ est in littore maris.* 3. Reg. 4. v. 29. id est, ut interpretatur Vatablus, animam rerum omnium capacissimam, & intelligentiam amplissimam. *Dedit illi capacissimum animum, multa comprehendentem intelligentia suâ: quasi diceret, tam amplam mentem, quàm amplum locum occupat arena, quæ est juxta mare.*

Princeps sit sapiens.

Plato Dial. 6. de Republ. requirit in Principe perfecto grandem animum, omnibusque virtutibus exornatum; id est; *Amatorem civitatis, in voluptatibus, doloribusque probatum, atque ex hoc proposito neque laboribus, neque metu periculorum, neque mutatione aliâ dimoveri: sincerum, incorruptum &c.* His omnibus addit; *Optimum esse debere Philosophum, & in disciplinis plurimis exerceri.* Hoc ipsum in vero Principe exigit Plutarchus tam in lib. *Quod cum principibus Philosopho sit disputandum:* quàm in Opusculo *ad Principem ineruditum.* Andreas Tiraquellus cap. 6. de Nobilit. num. 11. contexit Catalogum, Principum litteratorum Romanorum, Græcorum, Germanorum, Hispanorum & Gallorum; quorum exemplo alii excitari deberent ad acquirendam sapientiam & eruditionem.

CAP. IV. v. 29. &c.

Tanta erat sapientia Salomonis, à Deo impetrata; ut inde tota Judæa amplissimè illustraretur, & in omnibus mundi angulis audirentur acclamationes *Dedit quoque Deus sapientiam Salomoni, & prudentiam multam nimis.* 3. Reg. 4. v. 29. *Et præcedebat sapientia Salomonis sapientiam omnium Orientalium & Ægyptiorum & erat nominatus in universis gentibus per circuitum.* 366.

Salomon sapientissimus.

Illo ipso sæculo, quo Palæstina æstimabatur ob sapientissimum Salomonem, Græcia gloriabatur Homero, & Hesiodo, celsissimæ doctrinæ hominibus; nam *sub annum Regni Salomonis vigesimum natus est Homerus*, inquit P. Cornelius à Lapide in 3. Reg. cap. 11. v. 43. *Et Homero coævus, & suppar fuit Hesiodus. Ita decuit, ut sub Salomone Hebræorum, imò mortalium omnium sapientissimo, sapientia apud Græcos nasceretur.* Idque desumit ex S. Cyrillo lib. 7. cont. Jul. & aliis.

CAP. IV. ℣. 34.

Sapientia Salomonis adeò fuit celebris, ut ex omnibus mundi provinciis concurrerent populi, veluti apes famelicæ, ad delibandam excellentiam floridissimi illius ingenii, cui, tanquam oraculo, consecrabant attentissimas aures. *Et veniebant de cunctis populis, ad audiendam sapientiam Salomonis, & ab universis regionibus terræ.* 3. Reg. 4. v. 34. 367.

Sapientia Salomonis attraxit multos.

Titi Livii eruditio instar magnetis attraxit è regnis exteris præstantissimos viros; uti scribit S. Hieronymus ad Paulin. *Ad T. Livium, lacteo eloquentiæ fonte manantem, de ultimis Hispaniæ, Galliarumque finibus quosdam venisse nobiles, legimus: & quos ad contemplationem sui Roma non traxerat, unius hominis fama perduxit.* His omninò applausibus celebrata fuit doctrina S. Hieronymi; quia *tanquam ad oraculum ex omnibus orbis terræ partibus ad ipsum divinæ scripturæ quæstiones explicandæ referebantur.* Brev. Rom. 30. Octob.

CAP. V. ℣. 18.

Elaborandis lapidibus ad ædificandum templum Salomonis destinati erant octoginta millia lapicidarum; uti refertur lib. 3. Reg. 5. v. 15. Hi erant partim Gabaonitæ, partim Chananæi; cæteri verò Tyrii, Sidonii, & Ægyptii, qui evisceratis variorum locorum montibus, conquadrârunt lapides, ut servirent fabricæ. *Præcepitque Rex, ut tollerent lapides grandes, lapides pretiosos in fundamentum templi, & quadrarent eos &c.* Porrò artifices illi operati sunt ad normam & mensuram exactissimam; nam *domus cum ædificaretur, de lapidibus dolatis atque perfectis ædificata est: & malleus, & securis, & omne ferramentum non sunt audita in domo, cum ædificaretur.* 3. Reg. 6. v. 7. adeoque lapides ab ipsis adeò exactè conquadrati sunt, ut, tametsi in variis montibus elaborati, omnes absque ulla difficultate fuerint uniti, ac ædificio templi perfectè correspondèrint. 368.

Lapides justâ mensura conquadrati.

Diligentia, à fabris Salomonis ad construendum templum in conquadrandis saxis adhibita, etiam antiquis statuariis usitata fuit, dum quilibet eorum separatim sculpsit aliquod frustum statuæ;

frustrum statuæ; quæ frustra postea unita formârunt perfectissimam statuam. Diodorus Siculus l. 2. cap. 6. ait; *Ægyptii non oculis totius statuæ compositionem metiebantur, sed dimensione, ut ex variis, multisque lapidibus in unum corpus ad certam mensuram redactis, statua perficeretur. Res prosectò miranda, diversos artifices variis in locis ita in unam mensuram convenire, ut quandoque ex quadraginta partibus unita statua componeretur.*

CAP. VI. ℣. 7.

369. TAntâ diligentiâ erant lapides ad structuram templi excavati & conquadrati, ut ad illos conjungendos non fuerit opus ullis malleis, scalpris, aut aliis instrumentis, sed solummodò, ut calce conglutinarentur. *Malleus, & securis, & omne ferramentum non sunt audita in domo, cùm ædificaretur.* 3. Reg. 6. v. 7. Ad hunc S. scripturæ textum dicunt Rabbini, citati à P. Masio in cap. 8. Josue v. 31. cum ferrum sit instrumentum ad vulnera & mortem infligendam, idcircò non potuisse placere Deo, ut ad sua obsequia in templo adhiberetur.

Ferrum exclusum à templo.

Ad hoc propositum admodùm confert sententia M. Tullii l. 2. de legibus. *Æs & ferrum arceto à delubris, duelli instrumenta, non fani.*

CAP. VI. ℣. 8.

370. CÙm templum Salomonis esset distributum in varias partes inferiores ac superiores, quarum aliquæ erant accommodatæ pro ministris; idcircò facer textus refert, quod scalæ cochlides ibi fuerint, per quas ascendebatur ad superiores templi partes. *Et per cochleam ascendebant in medium cœnaculum, & à medio in tertium.* 3. Reg. cap. 6. v. 8. Nullamque hæc scala deformitatem afferebat, utpote collocata in medio templi muro, cujus latitudo erat novem ac decem cubitorum, ut in hunc locum observat P. Cornelius à Lapide. Hæ scalæ cochlides templi Salomonis, reperiuntur etiam in augustissimo templo S. Petri Romæ, in utraque columna Trajani & Antonini; in quarum medio reperiuntur scalæ cochlides ex marmore, per quarum centum & octoginta quinque gradus ascenditur ad fastigium. Idipsum etiam cernitur in domo Mediolanensi, in cujus marmoreis columnis constructæ sunt scalæ cochlides, per quas ad illius celsissima fastigia ascenditur.

Cochleæ.

CAP. VI. ℣. 22.

371 SAlomoni non fuit satis, quòd templum esset constructum ex pretioso marmore, & odoriferis cedris; sed pro majore decore ac majestate totum illud, maximè verò sacrum altare erat coopertum auro. *Nihilque erat in templo, quod non auro tegeretur: sed & totum altare oraculi texit auro.* 3. Reg. 6. v. 22.

Templum totum coopertum auro.

Salomonis templo multum respondet illud, propè fluvium Sala ædificatum, de quo testatur Olaus magnus lib. 3. cap. 5. *Quod adeò magnifico apparatu constructum venerabantur, ut nihil in ejus parietibus, laquearibus, aut columnis, nisi auro splendidum videretur. Tectum præterea totum auro fulgebat. Quo factum erat, ut templum, in ampla planitie situm, admirando sui fulgore, venerandam religionis majestatem accessuris ingeneraret.* His jungi potest templum Serapidi dedicatum, de quo Ruffinus lib. 11. cap. 23. Historiæ Eusebii refert; *Interiores delubri parietes laminis primò aureis vestiri, super has etiam argenteis, tertiò quoque loco esse æreas, ad utrumque tum argenteum, tum aureum ornatum communiendum.*

Quantùm ad altare Oraculi, undique auro coopertum; Crœsus simile altare erexit in honorem Apollinis, de quo Joannes Tzetze chiliade 1. Hist. 1.

Auctor autem Herodotus, filium ille Oxili,
Et cum ipso etiam Plutarchus, hominem describit
Mille lateres in Delphos misisse totos aureos,
Ut ara Apollini aurea strueretur.

CAP. XI. ℣. 29.

PRo majore pompa & ornatu templi Salomonici omnes parietes fuêre illustrati variis sculpturis & exquisitis cælaturis, quæ repræsentabant cherubinos, palmas, flores, aliasque exquisitas raritates. *Omnes parietes templi per circuitum sculpsit variis cælaturis & torno.* 3. Reg. 6. v. 29. id est, ut explicat Vatablus; *Cælaturis & sculpturis.* Insuper, *fecit in eis Cherubim, & palmas, & picturas varias*; id est; *apertiones florum*, ut traducit Hebræus; seu *liliorum*, ut placet Chaldæo. 372.

Templum cælatum floribus.

Vitruvius lib. 1. cap. 2. loquens de templis, extructis ad honorem Veneris, Floræ, & Proserpinæ, ait, ab antiquis Gentilibus fuisse facta *propter teneritatem, corinthio genere, graciliora & florida, foliisque & volutis ornata opera.*

CAP. VI. ℣. 29.

ARtificio adeò excellenti erant in templo Salomonis elaboratæ sculpturæ & picturæ; ut viderentur flores tanquam vivi & animati è muro prominere. *Omnes parietes templi per circuitum sculpsit variis cælaturis.* 3. Reg. 6. v. 29. *Et fecit in eis Cherubim & palmas, & picturas varias, quasi prominentes de pariete, & egredientes.* 373.

Sculpturæ excellentes.

Quod sacræ litteræ testantur de Cherubinis, Callistratus affirmat de quâdam imagine Cupidinis; *Licet motionis expers, tamen prosilienti similis erat, & in basi firma locatus, intuentes decipiebat, quasi volatum sortiretur.* Et rursus de imagine, repræsentante Occasionem; *Stabat autem in globo summâ pedum plantâ insistens: quâ & pennis volucer, exilire propè videbatur.*

CAP. VII. ℣. 2.

INter alia Salomonis ædificia memorabile est illud, de quo scribitur 3. Reg. 7. v. 2. *Ædificavit quoque domum saltûs Liban.* Hæc tamen fabrica nec supra montem Libani, nec in ipsius sylvis erat ædificata; sed supra montem Sion propè Hierosolymas; vocabatur nihilominus nomine Libani, vel quia situs illius palatii continebat amœnitatem & delitias Libani; vel quia ædificium illud erat extructum Cedris, è Libano desumptis; vel quia instar Libani abundabat Cedris, hortis, & aliis deliciis, prout explicant Cornelius à Lapide in hunc locum, & Joannes Lorinus in Psal. 28. v. 5. 374.

Domus amœna.

Tribus milliaribus extra Parisios Franciscus I. Rex Galliarum extruxit Castellum, quod cognominabat Madritum, utpote aliquam repræsentans similitudinem cum Madrito, in medio Regni Hispaniarum sito; ut refert Joannes Lorinus loco proximè citato.

CAP.

CAP. VII. ℣. 9.

375. ETsi omnia opera Salomonis spirârint quamdam magnificentiam, præ omnibus tamen fuit majestate plenum illud palatium, quod extruxit suæ conjugi, filiæ Pharaonis. *Ibi enim omnia lapidibus pretiosis, qui ad normam quandam atque mensuram tam intrinsecus quàm extrinsecus, serrati erant.* 3. Reg. 7. v. 9. *Fundamenta autem de lapidibus pretiosis.* v. 10. *Et desuper lapides pretiosi secti erant, similiterque de cedro.* v. 11. id est, ut interpretatur Josephus Hebræus, *Totum ædificium & marmore candido, & cedro, & auro, atque argento constabat, dispositis per parietes & laquearia variis lapillis, auro inclusis &c.*

Palatium Salomonis.

Huic palatio, elaborato exquisitis marmoribus, odoriferis cedris & auro, gemmisque undique scintillanti, non absimile est palatium Neronis, de quo Suetonius cap. 31. *Cuncta auro lita, distincta gemmis, unionumque conchis erant. Cænationes laqueatæ tabulis eburneis versatilibus, ut flores ex fistulis, & unguenta desuper spargerentur.* His addi potest palatium Trajani; *variis marmoribus incrustatum: intus verò picturis exornatum, cum statuis.* Palatium Antonini *multis marmoribus, & porphyreticis lapidibus exornatum.* Et alia, à Francisco Albertino *de mirabil. urbis Romæ, cap. de Palatiis Imperatorum* collecta.

CAP. VII. v. 15.

376. MEmorabiles sunt columnæ æreæ, constructæ à Salomone in atrio grandis sui templi. Habebant illæ octodecim cubitos altitudinis, duodecim in peripheria, & quatuor in diametro seu vastitate. Diameter enim est tertia pars circuli. *Et finxit duas columnas æreas, decem & octo cubitorum altitudinis columnam unam: & linea duodecim cubitorum ambiebat columnam utramque.* Adeoque sub columnarum specie repræsentabantur duæ superbæ moles, seu duæ turres æreæ, erectæ in majestatem & propugnaculum templi.

Columnæ stupendæ.

Etiam Roma gloriatur duabus columnis, Trajanâ, & Antoninianâ, tantæ magnitudinis, ut cum turribus è marmore extructis certent. Illæ enim sicuti extrinsecùs multorum hominum brachiis ambiri nequeunt, ita intùs continent scalas cochlides, per quas ex ima parte usque ad magnificum earum fastigium ascendi potest.

CAP. VII. ℣. 21.

376. ANte templum Salomonis erat magnifica porticus, ad cujus ornamentum singulariter concurrebant duæ nobiles columnæ; de quibus 3. Reg. 7. v. 21. *Et statuit duas columnas in porticu templi: cumque statuisset columnam dexteram, vocavit eam nomine Jachin: simili et erexit columnam secundam, & vocavit nomen ejus Booz.*

Columnæ templi Salomonis.

Quemadmodum Hercules, vivens ducentis annis ante Salomonem, ex opinione Græcorum in regionibus occidentalibus erexit duas columnas, ut indicaret terminos sui itineris; teste Natali Comite Mytholog. l. 3. c. 9. *Fuerunt sanè Herculis columnæ, quarum altera Alybe, altera Abena dicta est, in Occidente ab ipso Hercule extructa, in quibus scriptum fuerat, non esse ulterius progrediendum.* Ita Salomon ante portas templi erexit duas columnas, veluti totidem trophæa insignium victoriarum, quas David obtinuit; ut docet P. Alcazar supra cap. 3. Apocalyp. v. 12.

CAP. VIII. v. 10. &c.

QUamprimùm ministerio Sacerdotum, & Salomone, totoque populo Israëlitico assistente, arca Dei collocata fuit honoratiore Templi loco, cui nomen *sancta sanctorum*; mox Deus sub specie obscuræ, sed tamen luminosæ nebulæ occupavit totum illud sacrosanctum habitaculum; *Nebula implevit domum Domini: & non poterant sacerdotes stare, & ministrare propter nebulam: impleverat enim gloria Domini domum Domini. Tunc ait Salomon: Dominus dixit ut habitaret in nebula.* 3. Reg. 8. v. 10. &c. Adeoque majestas divina comparere voluit tenebricosis nebulis velata & inumbrata; id quod prædixerat David; *Posuit tenebras latibulum suum.* Psal. 17. v. 12. Uti etiam refertur Exod. 24. v. 16. Deum in medio caliginis locutum esse sancto Mosi ac Hebræis.

Nebula est latibulum Dei.

S. Gregorius lib. 3. Dial. c. 30. refert, quòd erepta è manibus Arrianorum quâdam Ecclesiâ, ab ipsis profanatâ & duobus annis clausa; posteà verò à Catholicis consecratâ, multisque sacris lipsanis ditatâ, contigerint plurima miracula; Inter alia *In magna serenitate aëris super altare ejusdem Ecclesiæ nubes cælitus descendit, suoque illud velamine operuit, omnemque Ecclesiam tanto terrore ac terrore ac suavitatis odore replevit, ut patentibus januis nullus illuc præsumeret intrare. Sacerdos quoque & custodes ingredi minimè poterant &c.*

Cùm ergò Deus velit honorari totus quantus coopertus nebulis, idcircò summo Pontifici non licebat ingredi propitiatorium, nisi è thuribulo versaret densas nubes fumi, qui totum illud repleret ac cooperiret. *Ut positis super ignem aromatibus nebula eorum & vapor operiat oraculum.* Levit. 16. v. 13. Idipsum quilibet fidelis, desiderans gaudere Deo, faciat, non quidem pupillarum curiositate, quæ nihil obtinerent; sed oculis fidei, tali modo velatis; memineritque protestationis, à verbo divino factæ; *In judicium ego in hunc mundum veni, ut non videntes videant.* Joan. 9. v. 39.

Deus videtur ab iis, qui non vident.

CAP. VIII. ℣. 46.

GRandis est infelicitas hominum, qui in peccato concepti, continuum habent impulsum ad peccandum; & licet serventur à peccatis gravibus; leves tamen penitus evitare nequeunt. *Non est enim homo, qui non peccet,* inquit Salomon 3. Reg. 8. v. 46. Et rursus in Ecclesiaste cap. 7. v. 21. *Non est enim homo justus in terra, qui faciat bonum & non peccet.* Et Christus Joan. 8. v. 7. *Qui sine peccato est vestrum &c.* S. Jacobus cap. 3. v. 2. *In multis enim offendimus omnes.* 378.

Peccatum contaminat omnes.

Sophocles in Antigona:

Omnibus commune est delinquere.

Theognides;

Nemo mortalium omnibus horis sapit.

Et Horatius:

Vitiis nemo sine nascitur, optimus ille est,
Qui minimis urgetur.

CAP. VIII. ℣. 54.

ORaturi antiquo more solebant genua ad terram flectere. Hac corporis compositione oravit Salomon, de quo scribitur; *Surrexit de conspectu altaris Domini,* coram quo prolixè orabat; *utrumque enim genu in terram fixerat, & manus expanderat in cælum.* Haud aliter Daniel; *Tribus temporibus in die flectebat genua.* Daniel. 6. vers. 10. *Mihi curvabitur omne genu,* inquiebat 379.

Orare genuflectendo.

Deus

Deus Isa. 45. v. 23. S. Stephanus Act. 7. v. 60. *Positis genibus orabat.* Et S. Paulus Act. 20. v. 36. *Positis genibus suis oravit cum omnibus illis.*

Ovidius lib. 3. Metam. de Actæone, in cervum converso, & supplicante, canit:

Et genibus pronus supplex, similisque roganti,
Circumfert tacitos tanquam sua brachia vultus.

Idem lib. 1. de misera Jo, conversa in juvencam, canit;

— — Positis in margine ripæ
Procubuit genibus, resupinoq; ardua collo,
Quos potuit, solos tendens ad sydera vultus,
Et gemitu, & lachrymis, & luctisonoque mugitu
Cum Jove visa queri est: finemque orare malorum.

Idem lib. 2. Fast. de populo, adorante Junonem;

Monte sub exquilio multis incæduus annis
Junonis magna nomine lucus erat.
Huc ubi venerunt pariter nuptæque, virique,
Suppliciter posito procubuêre genu.

CAP. IX. ℣. 16.

380. AD cap. 34. v. 11. Geneseos demonstravi, maritos sponsis suis dedisse dotem: at hic sacræ litteræ referunt sponsas, quæ dotem à proprio patre acceperunt, eamque attulerunt marito. Ita certè Pharao Rex, cùm filiam suam desponsâsset Salomoni, armis expugnavit civitatem Gazer, eamque, occisis incolis, assignavit sponso in dotem filiæ; quam civitatem postea Salomon restauravit, ac rursus ædificavit. *Pharao Rex Ægypti ascendit, & cepit Gazer, succenditq; eam igni: & Chananæum, qui habitabat in civitate, interfecit, & dedit eam in dotem filiæ suæ uxori Salomonis.* 3. Reg. 9. v. 16.

Dos allata sponsæ.

Huic mori gratiosum testimonium addit M. Seneca Suasoria 1. ubi ait: *Cùm Antonius vellet se Liberum patrem dici, & hoc nomen statuis subscribi juberet, habitu quoq; & comitatu Liberum imitaretur, occurrerunt venienti ei Athenienses — & dixerunt; despondere ipsos in matrimonium Minervam suam, & rogaverunt ut duceret: At Antonius ait ducturum, sed dotis nomine imperare se illis mille talenta.* Adeoque dotem dare spectabat ad illum, qui sponsam collocabat in matrimonium. Seneca in Thebaide Actu 4.

— — Dona non auro, & graves
Gazas socer, non arva, & urbes dedit,
Dotale bellum est.

In rem præsentem facit dictum Stobæi Serm. 68. *Haud ullum est gravius onus reverà uxore dotem afferente copiosam.*

CAP. IX. ℣. 24.

381. HIerosolymis habebat Salomon sumptuosissimum palatium, in quo non sine magnificentia Regia residebat. Cùm verò ipsi desponsaretur filia Pharaonis, extra civitatem pro ipsa extruxit singulare palatium, ubi ab aliis separata, cum majore decentia & respectu habitaret. Desumitur hæc doctrina ex lib. 3. Reg. cap. 9. v. 24. *Filia autem Pharaonis ascendit de civitate David in domum suam, quam ædificaverat ei Salomon.*

Uxores in separata domo.

Plautus in Mostellaria hunc morem approbans, ait: *Dare vult uxorem filio, quantum potest; ad eam rem facere vult novum gynæceum.*

CAP. X. ℣. 1. &c.

EX ultimis Æthiopiæ finibus cum ingenti comitatu proficiscitur Regina Saba, ut inviseret ad Salomonem. *Sed & Regina Saba, auditâ famâ Salomonis, in nomine Domini, venit tentare eum in ænigmatibus. Et ingressa Jerusalem multo cum comitatu &c.* 3. Reg. 10. v. 1. &c. Neque solùm advenit ad ipsum audiendum, sed etiam ut ab ipso imprægnaretur, ac mater insignis filii fieret, uti testantur sacri Interpretes. 382.

Regina Saba venit ad Salomonem.

Justinus Historicus lib. 12. eodem prorsus modo refert; *Ei* (loquitur de Alexandro Macedone) *occurrit Thalestris, sive Minothea, Amazonum Regina, cum trecentis millibus mulierum, viginti quinque dierum inter infestissimas gentes itinere confecto, ex Rege liberos quæsitura;* & subjungit; *Ob hoc triginta diebus otio datis, à Rege, ut visa est uterum implesse, discessit.* Adeoque hæc Regina è remotissimis regionibus cum ingenti comitatu aulico profecta, & à Rege imprægnata, simillima fuit Reginæ Saba.

CAP. X. ℣. 1. &c.

AUdiit quidem Regina Saba gloriosas acclamationes, quas fama celsissimis meritis Salomonis attulerat; *Regina Saba, auditâ famâ Salomonis, venit &c.* 3. Reg. 10. v. 1. quando autem ipsius præsentia fruebatur, reperis adeò excellentes ipsius prærogativas, ut famam incusârit tanquam malignam; utpote quæ non nisi unicam particulam ex illo infinito sapientiæ thesauro propalavit, quem in Salomone reperit. *Vidi oculis meis, & probavi, quòd media pars mihi nuntiata non fuerit: major est sapientia, & opera tua, quàm rumor, quem audivi.* v. 7. 383.

Fama superata à veritate.

Eodem penè argumento loquitur Plinius lib. 2. Epist. 3. *Magna Isæum fama præcesserat, major inventus est.* Ita Paris apud Ovidium Epist. ad Helenam:

Antè tuos animo vidi, quàm lumine vultus,
Prima fuit vultus nuntia fama tui.
Credis & hoc nobis: minor est tua gloria vero:
Famaque de forma penè maligna tua est.
Plus hic invenio, quàm quod promiserat illa:
Et tua materiâ gloria victa tuâ est.

CAP. X. ℣. 1.

SApientia Salomonis, replens clarissima sua fama remotissimas provincias, attraxit Principes personas, ut ipsum viderent. Inter has etiam Reginam Saba, quæ ex ultima Æthiopia profecta in Judæam, proposuit ei complures difficultates, quas perspicacissimum ipsius ingenium promptè ac feliciter dissolvit. *Regina Saba, auditâ famâ Salomonis, in nomine Domini, venit tentare eum in ænigmatibus.* 3. Reg. cap. 10. vers. 1. & 3. *Et docuit eam Salomon omnia verba, quæ proposuerat: non fuit sermo, qui Regem posset latere &c.* 384.

Salomon quasi oraculum.

In persona S. Ambrosii Archiepiscopi fuit innovata gloria Salomonis. Nam; *Duo potentissimi & sapientissimi viri Persarum, ad famam sacerdotis* (id est, S. Ambrosii) *venêre Mediolanum, deferentes secum plurimas quæstiones, ut ex his probarent sapientiam viri. Cum quo ab hora diei prima, usq; ad horam ferè tertiam noctis per interpretem disputaverunt, admirantesq; discesserunt ab eo.* ita refert Paulinus in vita S. Ambrosii.

CAP. X. ℣. 9.

385. EXcellentissimæ prærogativæ erant à Deo in Salomonem accumulatæ, non tantùm ad ipsius ornamentum, sed etiam pro salute populi, cui debebat administrare justitiam, quia ut subditi rectè judicentur, opus est sapientia. *Sit Dominus Deus tuus benedictus*, inquiebat Regina Saba, *cui complacuisti, & posuit te super thronum Israël — & constituit te Regem, ut faceres judicium & justitiam.* 3. Reg. 10. v. 9. Adeoque obligatio ac proprium officium Principis est, judicare subditos. Unde Israëlitæ 1. Reg. 8. v. 20. *Judicabit nos Rex noster.* Et David, de suo successore loquens, rogabat Psal. 71. v. 2. *Deus judicium tuum Regi da, & justitiam tuam filio Regis.* Ipse etiam Salomon rogabat Deum; *Dabis servo tuo cor docile; ut populum tuum judicare possit.* 3. Reg. 3. v. 9.

Justitia à Principe administranda.

Lipsius cap. 9. Monit. & Exempl. Polit. testatur; *Reges justitiæ fruendæ causâ primitùs institutos.* ubi adducit versus Homeri;

Unus Rex, cui concessit Saturnia proles
Sceptrumque, & leges, ut judicet & dominetur.

Rex in persona pro tribunali sedens, audit reclamantes pauperes, & ab oppressionibus violentis liberat; reprimit & castigat audaciam & delicta potentum, quos judices ordinarii formidant, ipsosq; etiam judices reddit vigilantes & attentos, dum ipsorum judicium est subordinatum judicio Principis. Unde Suetonius in honorem Augusti scribit; *Jus dixit assiduè, & in noctem nonnunquam.* Alphonsus Rex Arragoniæ, teste Panormitano, in publico audiebat etiam miserrimos & ultimos è plebe. Carolus VIII. Rex Galliæ, maximè versùs vitæ suæ finem, duos cujusvis septimanæ dies destinavit, ad audiendos omnes, bonamque justitiam unicuique administrandam.

CAP. X. ℣. 10.

386. REgina Saba non comparuit coram Salomone vacuis manibus, sed attulit onustas regiis ac superbis muneribus. 3. Reg. 10. v. 10. *Dedit ergò Regi centum viginti talenta auri, & aromata multa nimis, & gemmas pretiosas: non sunt allata ultra aromata tam multa, quàm ea quæ dedit Regina Saba Regi Salomoni.* Cùm ergo illa venerit ex Saba, civitate Arabiæ felicis, ut existimant Cajetanus, Pererius, Baronius, & Pineda lib. 5. de Reb. Salom. c. 14. n. 5 & 6. idcircò mirum non est, quòd attulerit tantam copiam divitiarum & aromatum; quibus Arabia & Sabæa summè abundant.

Arabia abundat aromatibus & divitiis.

De Arabia & Sabæa Strabo lib. 15. ait, *Tanta verò aromatum copia redundat, ut pro sarmentis, lignisq; ustilibus, cinnamomo, casia, & reliquis talibus utantur. Isti* (videlicet Sabæi) *simul & Gerei ob eximias facultates cunctorum, locupletissimi sunt, vario præditi apparatu &c. vasis aureis, & argenteis, &c. Nam fores, parietes, tecta, ebore, argento, atq; auro, lapillis distinctis visuntur ornamentis.* Plinius lib. 6. c. 28. ait; *Sabæos ditissimos sylvarum fertilitate odorifera, auri metallis, agrorum riguis, mellis, ceraque proventu.*

CAP. X. ℣. 16.

VIderi possit, in ærarium Salomonis exoneratas fuisse centum regnorum fodinas, habebat enim tantam auri abundantiam, ut illud non solùm instar diluvii profuderit in pompam sacri templi & regii palatii; sed etiam ex illo confici fecerit ducenta scuta militaria, & totidem hastas militares. 3. Reg. 10. v. 16. *Fecit Rex Salomon ducenta scuta de auro purissimo.* & 2. Paral. c. 9. v. 15. *Fecit ducentas hastas aureas.* Scutorum aureorum etiam fit mentio lib. 1. Mach. c. 6. v. 39. *Refulsit sol in clypeos aureos.* & cap. 14. v. 24. *Clypeum aureum magnum pondo mnarum mille misit Simon Romam.* 387.

Scuta aurea.

Herodotus lib. 1. refert, quòd Rex Cræsus donarit Amphiarao *clypeum ex auro totum, totamque ex auro solido hastam, & hastile cum suis spiculis*; quæ omnia postmodùm reposita sunt in templo Apollinis propè Thebas. Antiochus Rex Syriæ, conflicturus contra Romanos, conduxit exercitum, cujus milites potiores erant instructi scutis & hastis aureis ac argenteis; adeò ut Hannibal diceret; *Ea satis fore Romanis.* Ita Plinius lib. 35. dixit; *Pœni ex auro factitavêre & clypeos & imagines* (sculpi solitas in scutis) *secumq; in castris tulêre.*

CAP. X. ℣. 18.

MAgnificentia, in omnibus Salomonis operibus resplendens, maximè ostentata fuit in throno, per ipsum fabricato, cujus materia erat ex ebore & auro. *Fecit etiam thronum Salomon de ebore grandem, & vestivit eum auro fulvo nimis.* 3. Reg. 10. v. 18. adeoque thronus ille constructus erat vel totus ex ebore, laminis aureis undique cooperto, ut putat Abulensis; vel ex ebore, & auro ingeniosè ac venustè distincto; ut docet Pineda in Salom. l. 6. c. 7. n. 5. 388.

Thronus ex ebore & auro.

Etiam Gentilibus Principibus placuêre sedilia ex auro & ebore. Rex Persarum, teste Philostrato l. 2. *Imaginum*, sedebat supra sedem auream. Athenæus lib. 1. *In medio tabernaculi statuebatur aurea sella, in qua sedens jus dicebat Alexander.* De eodem Alexandro Magno testatur Athenæus; *Aliquando quadringentos Duces in sellis aureis & argenteis, veste purpurea stratis, convivio excepit.* Pausanias repræsentat multos thronos Deorum, ex ebore & auro factos, maximè Jovis Olympici. Neque Deorum solummodò, sed etiam Imperatorum sedes erant aureæ & eburneæ. Unde Plinius in Panegyr. Trajani; *radiato capite medio inter Deos sedes* (videlicet imperialis) *auro stabat & ebore.*

CAP. X. ℣. 18.

MUtuò certabat eboris candor cum auri flavedine ad construendum Salomonis thronum, prodigiosè magnificum. Nam; *Fecit Rex Salomon thronum de ebore grandem, & vestivit eum auro fulvo nimis.* 3. Reg. 10. v. 18. adeoque primaria materia erat eburnea, non quidem tota cooperta laminis aureis, ne perderet aspectum; sed ita inter se distinguebantur, *ut mirabili artificio frustillatim proderet se, & pulcherrimè candicaret inter alias auri particulas illigatum*; ait Pineda de Reb. Salom. lib. 6. c. 7. n. 5. 389.

Aurum junctum ebori.

Hæ cælaturæ, & miræ distinctiones auri & eboris, fuêre ab antiquis factæ ad majorem operis venustatem. Strabo lib. 16. de Arabibus ait; *Porta & parietes, & tecta ex ebore, auro, & argento, lapidibus*

dibus ornatùs causâ distincta. Horatius, loquens de suffitu Principum, aurum conjungit ebori. lib. 2. Carm. Od. 18.

Non ebur, neque aureum
Meâ renidet in domo lacunar.

CAP. X. ℣. 21.

390. A throno Salomonis transitur ad ipsius mensam, de qua sacræ litteræ testantur, phialas, è quibus bibebat, fuisse ex solido auro. *sed & omnia vasa, quibus potabat Rex Salomon, erant aurea.* 3. Reg. 10. v. 21. Conformiter S. Clemens Alexandrinus l. 2. Pædagog. c. 3. meminit *argenteorum, aureorum, gemmeorumq; poculorum.*

Pocula aurea. Athenæus, loquens de convivio Cleopatræ, lib. 4. ait; *Apparavit illi convivium, in quo omnia erant aurea, gemmis magnificè distincta.* Virgilius 1. Æn. describit Reginam Didonem in mensa; v. 732.

Hîc Regina gravem gemmis, auroq; poposcit,
Implevitque mero pateram.

Ad hujus imitationem Statius 1. Thebaid.

Victa fames, signis perfectam, auroque nitentem
Jasides pateram famulos ex more poposcit, &c.

Et Plinius in prooemio lib. 33. *Turbâ gemmarum potamus, & smaragdis teximus calices, & temulentia causa tenere Indiam juvat, & aurum jam accessio est.*

CAP. X. ℣. 21.

391. NOn potest intellectus concipere majorem magnificentiam, quàm quæ in palatio Salomonis ostentabatur, ubi omnia vasa ac supellectiles erant elaboratæ ex purissimo auro. *Et universa supellex domus saltûs Libani de auro purissimo.*

Supellex pretiosa.

Similem magnificentiam observat & deprædicat Strabo in Sabæis; de quibus lib. 16. ait; *Hi, atq; Gerrai, ditissimi sunt ex mercatura: supellectilem ex auro & argento multam habent, vasa, lectos, tripodas, crateras cum operculis, domosq; sumptuosas: & porta, & parietes, & tecta ex ebore, auro, argento, lapidibusque, ornatus causa distincta.*

CAP. X. ℣. 25.

392. Affectum adeò grandem conceperunt omnes nationes versùs excellentiam, virtutem, & prærogativas Salomonis, ut exteri Principes & coronati Reges, in signum suæ observantiæ & existimationis, ei miserint nobilissima munera. *Deferebant ei munera, vasa argentea & aurea, vestes, & arma bellica, aromata quoque, & equos, & mulos per annos singulos.* 3. Reg. 10. v. 25. Hunc textum præclarè explicat Josephus hoc modo; *Fama celeberrima per omnes circumquaq; regiones de Salomonis virtutibus & sapientia divagabatur: quâ exciti pleriq; Reges — visendi ejus cupidine flagrabant: & exquisitæ magnificentia studiosos ejus se declarabant. Mittebant vasa tam aurea, quam argentea, & vestes purpura, & omne genus aromata, equos praterea, currusq; & mulos. &c.*

Affectus expressus in muneribus.

Eâdem existimationis expressione usi sunt populi erga Regem Cyrum, dum quilibet ei, in signum venerabundi affectus, dono misit, quidquid pulchrum & exquisitum in propria provincia vel domo reperit. Ita refert Xenophon l. 8. Cyropædiæ. cap. 49. *Erat ea hominum ergà ipsum affectio, ut natio quævis detrimentum se accipere duceret, si non Cyro mitteret, quidquid ipsis egregium in regione sua vel nasceretur, vel aleretur, vel arte perficeretur. &c.*

CAP. XI. ℣. 4.

DEploranda fuit mutatio & lapsus Salomonis; qui enim hactenus erat gloria Judææ, postea factus est scopus invectivarum; & qui instar solis resplenduit, postmodùm per oppositas suas impudicitias, à tenebricosa eclypsi inumbratus comparuit. *Cumq; jam esset senex, depravatum est cor ejus per mulieres, ut sequeretur Deos alienos.* 3. Reg. 11. v. 4. Adeoque grande dedecus est, amatum à Deo, fieri amantem fœminarum; &, qui erat theatrum sapientiæ, inter vana deliria adeò perdi, ut idolis offerat execrabile obsequium; eoque deduci, quò suadebant levitates muliebres, & turpis impulsus suæ stultæ concupiscentiæ. 393.

Senex libidinosus, abominabilis.

Simile opprobrium abominantur Historici in Sardanapalo, ultimo Assyriorum Rege, qui fuit *vir muliere corruptior*, inquit Justinus lib. 1. *quem Arbactus invenit inter scortorum greges, purpuram colo nentem, & muliebri habitu, cùm mollitia corporis, & oculorum lascivia omnes fœminas anteiret, pensa inter virgines partientem.* Simili dedecore se ipsum contaminavit celeberrimus Alcides, de quo Seneca in Hippolyt.

Natus Alcmena, posuit pharetram,
Passus aptari digitis smaragdos,
Et dari legem rudibus capillis. &c.

Et Ovidius Deianiræ ore;

Vidit in Herculeo suspensa monilia collo
Ille cui cælum sarcina parva fuit.
Mæonias inter calathos tenuisse puellas.
Diceris, & dominæ pertimuisse minas.

At in persona Aristotelis video innovatam monstruositatem Salomonis, quia Diogenes Laërt. lib. 5. testatur; *Aristotelem concubinam adamâsse — duxisse eam, & gaudio elatum immolâsse mulieri, ut Athenienses Eleusina Cereri.*

CAP. XI. ℣. 26. &c.

POstquam Sacer Historicus recensuit corruptelas, scandala, lascivias, & idololatrias Salomonis, delirantis inter stultos mulierum amores; subjungit tumultus rebellium subditorum, contra ipsum excitatos; & inter alia refert; *Jeroboam quoq; filius Nabath &c. levavit manum suam contra Regem.* 3. Reg. 11. v. 26. additque; *Erat autem Jeroboam vir fortis & potens.* v. 28. qui etiam post mortem Salomonis promotus fuit ad regendas decem tribus, æternùm dissociatas à Regno Judææ. Adeoque ablatum est regnum à posteris corrupti & effœminati Regis, traditumque huic homini prudenti & forti. 394.

Princeps lascivus depressus.

Arbactus, Belli dux Sardanapali, videns Regem suum vilissimè vestitum habitu fœmineo, & commorantem inter greges prostitutarum meretricum; indignabatur, quòd Principi adeò contaminato, *ferrum & arma portantes, parerent, progressus ad socios suos, quid viderit, refert. Negat, se ei parere posse, qui se fœminam malit esse quàm virum. Fit igitur conjuratio. Bellum Sardanapalo infertur &c.* Justinus Histor. lib. 1.

CAP. XI. ℣. 31.

GRavissima delicta Salomonis fuêre gravissimatum calamitatum origines. Postquam se ipsum subtraxit servitio Dei, suumque affectum consecravit idolis; Deus ei subtraxit 395.

Vestes laceratæ denotant divisionem & discordiam.

regnum, deditq; decem integras tribus Jeroboamo, relinquens posteris Salomonis solam tribum Juda & Benjamin. Hanc divisionem præfiguravit Ahias, lacerans proprium pallium in duodecim partes; *ait ad Jeroboam; Tolle tibi decem scissuras: hæc enim dicit Dominus Deus Israël: Ecce ego scindam regnum de manu Salomonis, & dabo tibi decem tribus.* 3. Reg. 11. v. 31.

Hæc tribuum divisio, quæ multis annis attulit implacabiles discordias & cruenta bella; fuit repræsentata per dilaceratas vestes; cùm notum sit, discordiam significari veste in multas partes discissa. Ita Virgilius lib. 8. Æn. v. 702.

Et scissâ gaudens vadit discordia pallâ,
Quam cum sanguineo sequitur Bellona flagello.

Cum hoc concordat Petronius Arbiter;

— — Scisso discordia crine
Extulit ad superos stygium caput: hujus in ore
Concretus sanguis, contusaq; lumina flebant,
Tabo lingua fluens obsessa draconibus ora,
Atq; inter torto laceratam pectore vestem
Sanguineam tremulâ quatiebat lampada dextrâ.

CAP. XI. ℣. 40.

196. SAlomon depravatæ senectutis suæ pessimas operationes conclusit aliquo peccato, quo se prorsus superbum, impatientem, & excæcatum demonstravit; dum videlicet occidere voluit Jeroboamum, quem Deus vocavit, ut regnaret super decem tribus Israëlis. *Voluit ergò Salomon interficere Jeroboam.* 3. Reg. 11. v. 40. veluti æmulum, & usurpatorem sui Regni, quasi verò, inquit Dionysius Richelius, ipse voluisset aut potuisset impedire divinum propositum dividendi ac transferendi regnum, at irritus fuit hic conatus; Jeroboamus enim, subtractus insidiis ac potentiæ Salomonis, regni possessionem consecutus est. Haud aliter Saul mille machinas movit, ut occideret Saulem; at semper frustrà.

Reges defenduntur à Deo.

Athalia moliebatur destruere *omne semen regium.* 4. Reg. 11. v. 1. & tamen incolumis evasit Joas. Herodes omnis studio machinatus est mortem Christi; at longissimè deceptus: quia providentia divina specialissimis gratiis re ipsa defendit ac custodit vitam Regum.

Astyages ingenti sollicitudine curavit interficere suum nepotem Cyrum; & licet *Natus infans daretur occidendus Harpago, Regis omnium consiliorum participi;* ut inquit Justinus lib. 1. nihilominus ipsius mors non est subsecuta. Duo nobiles Romani conspirârunt contra Titum; imò etiam Domitianus, ipsius frater, non intermisit ei struere insidias; & tamen irriti fuêre illorum conatus, ut refert Suetonius cap. 9. Anastasius Imperator decrevit occidere Justinum & Justinianum, destinatos à Deo ad imperium; ambo tamen miraculosè subtracti sunt sanguineo macello, ut scribit Baronius Anno 518. n. 3.

CAP. XII. ℣. 4.

197. SAlomon, electus à Deo ut ageret Regem, Israelitarum, commutatus est in eorum carnificem, seu furiam; flagellans & excorians eos crudelibus ac intolerabilibus exactionibus. Unde coacti fuêre, ut Roboamo, ipsius filio & successori quererentur; *Pater tuus durissimum jugum imposuit nobis: tu itaq; nunc imminue paululùm de imperio patris tui durissimo, & de jugo gravissimo.* 3. Reg. 12. v. 4.

Gabellæ gravissimæ Salomonis.

Hic sufficiet describere verba Pinedæ de Reb. Salom. lib. 7. c. 13. n. 12. *Hujus rei* (loquitur de intolerabilibus gabellis, quibus Salomon oneravit Hebræos) *parallelam historiam videre tibi videberis in perditissimo illo Imperatore Caligula;* de quo Suetonius cap. 37. *Exhaustus igitur, atque egens, ad rapinas convertit animum, vario & exquisitissimo calumniarum, & auctionum, & vectigalium genere.* & cap. 40. *Vectigalia nova, atq; inaudita, primum per publicanos, deinde quia lucrum exuperabat, per centuriones, tribunosque prætorianos exercuit: nullo rerum aut hominum genere omisso, cui non tributi aliquid imponeret. &c.*

CAP. XII. ℣. 8.

Roboamus se ipsum, suamque majestatem præcipitavit, quando bono senum prudentum ac expertorum consilio de sublevandis nimiis oneribus relicto; adhæsit opinioni juvenum inexpertorum, qui suaserunt, ut supplices opprimerentur injuriosis contumeliis. &c. *De reliquit consilium senum, quod dederant ei, & adhibuit adolescentes &c.* 3 Reg. 12. v. 8. 198.

Consilium juvenum nocet.

Hebræi solent proverbii loco dicere; quemadmodum quatuor sunt bona; videlicet divitiæ, scientia, consilium senum, & animus humilis; ita quatuor sunt mala, nimirum paupertas, ignorantia, consilium juvenum, & animus superbus; utpote quorum interventu tam publica, quàm privata commoda periclitantur. Romæ sub porticu, ubi habitabant milites veterani, aureis characteribus erant descripti hi versus.

Roma vetus, veteres dum te rexêre Quirites,
Nec bonus immunis, nec malus ullus erat.
Defunctis patribus successit prava juventus,
Cujus consilio præcipitata ruit.

Cræsus, Rex Lydorum, spreto, senili consilio Solonis, adhærens adulationibus juvenum, dum voluit destruere regnum Cyri, proprium suum perdidit. Herodot. lib. 1. Xerxes, fidem præbens suggestionibus juvenis Mardonii, non verò optimo suo patruo ac seni Artabano, ingenti exercitu adortus est Græciam, à qua cum maxima sua infamia coactus est capessere fugam. Herodotus lib. 7. Nero feliciter regnavit, quamdiu secutus est consilia Senecæ & Burri, inveteratæ experientiæ viris; at quamprimùm his authoritatem, ac postea etiam vitam abstulit; sequens directionem juvenum, præcipitatus est in propriam ruinam & æternam infamiam; uti observat Suetonius in ipsius vita.

CAP. XII. ℣. 16.

CUm videret populus Hebræus, Roboamum obstinato & inexorabili animo velle prosequi excessivas & insuperabiles exactiones ac gabellas; decrevit, ipsius obedientiæ se subtrahere, & decem tribuum Regem eligere Jeroboamum, prout etiam factum est. *Videns itaque populus, quòd noluisset eos audire Rex, respondit ei dicens; quæ nobis pars in David?* 3. Reg. 12. v. 16. & v. 20. *Cùm audisset omnis Israel, quod reversus esset Jeroboam, miserunt, & vocaverunt eum congregato cœtu, & constituerunt eum Regem, &c.* 199.

Gabellæ excessivæ causant rebelliones.

Cor-

Cornelius Tacitus, magnus Politices Magister, lib. 4. Annal. loquens de Principibus, ait, quòd pro statu publici boni; *dura vectigalia non imponant: nimia enim in exigendo tributo severitas, & nimium ipsum tributum impositum, movet subditos frequenter ad seditionem:* & certè etiam nostris temporibus secuta sunt innumera ac deploranda exempla.

CAP. XII. ℣. 28.

400. JEroboamus, creatus decem tribuum Rex, thronum suum Regium collocavit in Samaria; at verò secum perpendens, Israelitas, si proficiscerentur Hierosolymas ad templum, facilè persuasum iri, ut rursùs servirent Regi Hierosolymitano, & sibi tam obedientiam, quàm vitam eriperent; idcircò subditis omnibus severè prohibuit, ne irent Hierosolymas; unaque illis proposuit duos vitulos aureos; unum in Bethel, & alterum in Dan; erigens altare dæmonis contra altare Dei; instituensque sacerdotes, ceræmonias &c. *Excogitato consilio, fecit duos vitulos aureos, & dixit eis: Nolite ultra ascendere in Jerusalem &c.* 3. Reg. 12. v. 28.

Altare contra altare.

Schisma Jeroboami imitabantur ac innovabant Donatistæ Hæretici, de quibus S. P. Augustinus Epist: 171. ita discurrit; *Donatistæ Episcopum contra Episcopum ordinaverunt, altare contra altare erexerunt.* illudque *in civitate Carthaginensi, in capite Africa.*

CAP. XII. ℣. 31.

401. QUando describuntur sacrilegia Jeroboami, inter cætera dicitur; *Fecit fana in excelsis.* 3. Reg. 12. v. 31. id est, ædificavit templa profana in medio sylvarum, & supra fastigia montium; ac si vel erubesceret adorare vitulos, & idcircò quæreret obscuritates sylvarum; vel idola illa in cœlum extollere vellet, & ideò ea adoraret in culminibus montium. Reipsâ tamen nomen *Excelsi*, ut observari potest in Libris Regum ac Prophetarum, semper, vel saltem plerumque denotat apostasiam, idololatriam, & falsam religionem.

Idololatræ Jeroboamo, offerenti sacrificia supra montium fastigia, non absimiles sunt Cyrus & Persæ, qui teste Xenophonte lib. 8. in locis sublimibus & excelsis solebant sacrificare. Etiam Romani in supremo Capitolii loco soliti sunt adorare Jovem Capitolinum. De hoc more Virgilius l. 8. Æneid: canit;

Hinc ad Tarpejam sedem, & Capitolia ducit
Aurea nunc, olim sylvestribus horrida dumis.
Jam tum Religio pavidos terrebat agrestes
Dira loci: jam tum sylvam, saxumque tremebant.
Hoc nemus, hunc, inquit, frondoso vertice collem,
(Quis Deus, incertum est) habitat Deus; Arcades ipsum
Credunt, se vidisse Jovem.

CAP. XIII. ℣. 2.

402. PRopheta ille, missus à Deo, ut intimaret severa ac justa supplicia, destinata in sacrilegos idololatras; probè scivit, se à perfido Jeroboami corde, uti & ab induratis Sacerdotibus non auditum iri; unde conversus per apostrophen ad res inanimatas, locutus est saxis & ipsimet etiam altari. *Altare, altare, hæc dicit Dominus: Ecce filius nascetur domui David, Josias nomine, & immolabit super te sacerdotes excelsorum &c.* 3. Reg. 13. vers. 2.

Loqui rebus inanimatis.

Historiam haud absimilem reperio in Athenæo lib. 8. cap. ubi de Stratonico, homine Græco, ait; *Cùm Mylasam peragrasset, multaque templa, & paucos homines reperisset: in medio foro consistens, dixit: audite templa.*

CAP. XIII. ℣. 4.

JEroboamo, sacrilego Rege, actualiter offerente quoddam sacrificium; Propheta Dei ad illum accessit, nuntiavitque certas minas. Spumans furore Rex, *extendit manum suam de altari, dicens* armato suo satellitio; *Apprehendite eum:* at temeraria manus, extensa contra ministrum Dei, quantocyus exaruit; *Et exaruit manus ejus.* 3. Reg. 13. v. 4. Hoc eventu perterritus Rex, resipuit; & adjutus Prophetæ precibus, recuperavit salutem. *Reversa est manus Regis ad eum, & facta est sicut prius fuerat* n. 6. 403.

Manus arefacta & restituta.

Sancius, celebris Hispaniarum Rex, in venatione insectabatur aprum; cùm verò iste confugeret ad quoddam destructum S. Antonini Martyris templum propè altare; & Rex elevato brachio illum occidere vellet; repente sensit brachium penitus stupefactum, ac inutile; memor ergò reverentiæ, quam debuisse loco sacro, simulque invocans illius Sancti auxilium; *pristinum ejusdem usum divinitus recepit.* Sicque damno suo didicit, quanta veneratio debeatur sacris templis, utut vetustate dirutis ac vastatis. Spondanus Anno 103?. Paulinus in vita S. Ambrosii narrat, quòd quidam Justinæ Imperatricis legatus penetraverit usque ad cellam S. Archiepiscopi, arma tenens manibus ad eum occidendum; *Sed cùm elevasset manum districto gladio, dexterâ obrigente remansit. Tunc se missum à Justina postquam confessus est: brachium, quod, iniquè cùm extenderet, riguerat, sanatum est confessione.*

CAP. XIII. ℣. 24.

POstquam inobediens Propheta à leone occisus est, ipsius cadaver remansit in publica via intactum & insepultum. *Erat cadaver ejus projectum in itinere.* 3. Reg 13. v. 2?. Unde Propheta, qui illum seduxerat, cùm reperiret mortuum, & ab omnibus derelictum, procuravit ei exequias, & ultimum honorem sepulturæ. *Tulit ergò propheta cadaver viri Dei.* v. 29. *Et posuit cadaver ejus in sepulchro suo &c.* v. 30. 404.

Cadaver derelictum sepultum.

Cùm miseri Pompeji cadaver jaceret derelictum; Philippus in se recepit curam, ut omni, qua poterat, decentiâ ac honore sepeliretur. De hoc Plutarchus in ipsius vita ait; *Caput Pompeji dissecuerunt. Truncum è navicula nudum projecerunt, reliqueruntque spectare id cupientibus. Philippus, dum satiarunt oculos, remansit apud eum. Inde aquâ marinâ abluit corpus, ac tuniculâ quâdam suâ involvit. Cùm nihil aliud ad manum esset, circumspiciens littus, reperit parvulæ naviculæ piscatoriæ marcidas quidem reliquias, sed quæ sufficerent ad rogum cadaveri nudo, nec eo integro.* Similiter occiso Joanne Maria, Duce Mediolanensi; aliqui ex ipsius familia, ut scribit D. Jovius; *Exanimem, & aliquamdiu*

quamdiu ab omnibus desertum, pauci ex infimo familia ordine in templum maximum intulêre.

CAP. XIII. ℣. 34.

405. Felicitas & gloria Principum brevi temporis intervallo finitur ac extinguitur. *Peccavit domus Ieroboam*, inquit Sacer Textus 3. Reg. 13. v. 34. *Et eversa est, & deleta de superficie terra.* Ipsius filius Nadab, postquam regnavit solis duobus annis, occisus decessit. 3. Reg. 15. v. 28. Unde Rupertus Abbas commentans in oracula Oseæ cap. 10. v. 7. *Transire fecit Samaria Regem suum, quasi spumam super faciem aqua*; ait; *Samaria vel decem tribus, jugi ferventes igne discordia, Reges alios creârunt, & usque ad decem vices percusserunt.*

Vita Principum brevis.

Ælianus lib. 6. Var: Hist: cap. 13. ait; *Pulcherrimè à Diis immortalibus comparatum est, ut nullam tyrannidem usque ad tertiam generationem propagent: sed aut confestim tyrannos tanquam piceas perdant & extirpent, aut liberos eorum viribus denudent ac spolient.* Quòd hoc verum sit, ut observat S. Petrus Damianus lib. 1. Epist: 17. *Cajus Claudius, Nero, Galba, Otho, Vitellius, omnes isti Imperatores, per continuam sunt seriem unus post alterum principati, & excepto Claudio* (qui tamen etiam veneno mortuus est) *cuncti sunt vel suis, vel hostilibus gladiis interempti. Postmodum quoque, sicut Romana narrat Historia, Marcianus, Antonius, Alexander, Maximus, Gordianus, Decius, Gallus, Volusianus: omnes hi seriatim, sibimet per continuum ordinem succedentes, gladio trucidante prostrati sunt.* Unde benè dixit Juvenalis Satyr: 10.

Ad generum Cereris (id est, Plutonis) *sine cade & vulnere pauci*
Decedunt Reges, & sicca morte Tyranni.

CAP. XV. ℣. 3. &c.

406. Abias, filius Roboami, simul fuit impius & idololatra. *Ambulavitque in omnibus peccatis patris sui &c.* 3. Reg. 15. v. 3. hoc non obstante testatur Sacer Chronologus v. 4. *Propter David dedit ei Dominus Deus suus lucernam in Jerusalem, ut suscitaret filium ejus post eum*; id est, prolem, ac posteritatem nobilem & regiam. Ita lib. 4. Reg. cap. 8. post descriptas iniquitates Regis Jorami v. 19. dicitur; *Noluit autem Dominus disperdere Judam propter David servum suum.* Et rursus 4. Reg. 19. v. 34. cùm Hierosolymæ obsiderentur ab Assyriis; protestatur Deus; *Protegam urbem hanc, & salvabo eam propter me, & propter David servum meum.* Adeoque ob merita Antecessorum exhibet se Deus beneficum posteris ac pronepotibus.

Meritum Majorum prodest posteris

Id quod apprimè etiam dixit Seneca lib. 4. de Benef. cap. 32. *Deos videre est, ut alios indulgentius tractent propter parentes: avosque: alios propter futuram nepotum, pronepotumque, ac longè sequentium posterorum indolem &c.*

CAP. XV. v. 4.

407. Frequens est sacræ scripturæ phrasis, quòd nomine lucernæ repræsentet filiorum successionem ac posteritatem. Ita l. 3. Reg. 15. v. 4. de Abia, Rege scelerato dicitur; *Propter David dedit ei Dominus Deus suus lucernam in Jerusalem, ut suscitaret filium ejus post eum* & paulò antè 3. Reg. 11. v. 36. de Salomone inquit Deus; *Filio autem ejus dabo tribum unam, ut remaneat lucerna David servo meo*; id est, ut quidam è posteris Davidis regnet in Judæa. Et Thecuitis 2. Reg. 14. v. 7. de suis filiis & successoribus ait; *Quærunt extinguere scintillam meã, qua relicta est, ut non superfit viro meo nomẽ &c.* Lucretius, loquens de generatione filiorum, ad eam describendam assumit cursum, in honorem Promethei seu Vulcani factum; ubi unus alteri transmittebat ardentem lampadem.

Lucerna est typus successionis.

Inque brevi spatio mutantur sacla animantûm,
Et quasi cursores vitai lampada tradunt.

Plato l. 6. de Leg. de sponsa, ab ædibus paternis separanda, ait; *Parentibus utrisque, affinibusque relictis, seorsim quasi ad coloniam proficiscantur, ac vicissim se ipsos respicientes, habitent, liberos generando & educando, & vitam, quam ab aliis acceperunt, quasi tadas ardentes, Deos semper secundùm leges colentes.*

CAP. XV. ℣. 13.

Asa, Rex Juda, propriis suis virtutibus compensavit iniquitates antecessorum. Unde ut Deo, puritati infinitæ, serviretur cum omni decentia, dissipavit è Judæa omnes spurcities brutales, quibus erat contaminata. Præ omnibus autem; *Maacham matrem suam amovit, ne esset Princeps in sacris Priapi, & in luco ejus, quem consecraverat: subvertitque specum ejus, & confregit simulachrum turpissimum* 3. Reg. 15. v. 13. adeoque propriam matrem deposuit gradu, in quo scelerate collocata erat; dum sacerdotis loco serviit in cæremoniis & nefandis sacrificiis, à se oblatis Priapo, abominando & absurdissimo idolo. 408.

Fœminæ dedicatæ templis.

Servierunt proinde fœminæ in templis, consecratæ ministeriis idolorum, & obsequiis profanorum altarium. Unde Tullius *in Divinat: contra Verrem* commemorat fœminas, dedicatas templo Veneris Ericinæ, quæ etiam exinde cognominabantur Venereæ. Herodotus *in Clio* refert, apud Babylonios commoratas fuisse fœminas in templis contaminatis, ut ibi impuro Veneris simulachro offerrent turpia & obscæna ministeria. Verum de servitio sexus fœminei in templis, suprà egimus ad c. 28. Exod. v. 8.

CAP. XV. ℣. 13.

Cum antiqui idololatræ erubescerent de abominandis suis spurcitiis; ad servitia prostitutæ Veneris, & infamis Priapi elegerunt densas lucorum ac sylvarum tenebras; ibique, cooperti umbris, commiserunt scelera, quæ aperto cœlo exequi non audebant; & ut sciretur, opera illa nefanda esse tributa inferni, idcircò ad ea consummanda elegerunt cavernas, & profundos terræ specus. De his execrandis ritibus ait Sacer Historicus, quòd Rex Asa: *Maacham matrem suam amovit, ne esset Princeps in sacris Priapi, & in luco ejus, quem consecraverat: subvertitque specus ejus.* 3. Reg. 15, 13 Quòd antra, cavernæ, & specus servierint superstitiosis adorationibus Gentilium, centeni scriptores affirmant. Lucanus l. 6. agens de certis sacrificiis, quæ offerebantur Numinibus infernalibus, describit horridas cavernas, templi loco destinatas ad abominanda illa ministeria: 409

Sacrificia diabolica facta in cavernis.

Haud procul à Ditis cacis depressa cavernis,
In praceps subsedit humus, quam pallida pronis
Vrget sylva comis, & nullo vertice cælum
Suspiciens -- Stygiis accommoda quippe
Terra sacris.

Ovidius lib. 7. Metamor. de Medea canit:

Haud procul egestâ à scrobibus tellure duabus

Sacra

Sacra facit.

Et rursus lib. 10.

Luminis exigui fuerat propè templa recessus

Spelunca similis, nativa pumice tectus.

Valerius Maximus lib. 1. cap. 2. *Minos Cretensium Rex, in quoddam praaltum & vetustâ religione consecratum specum secedere solebat: & in eo moratus, tanquam à Jove, quo se ortum ferebat, traditas sibi leges prarogabat.*

CAP. XV. ℣. 28.

410. Vita Regum Samariæ fuit instar theatri, in quo repræsentabantur quasi continua spectacula sanguinearum tragædiarum. Regnabat Nadab, filius Jeroboami; at *interfecit illum Baasa, & regnavit pro eo.* 3. Reg. 15. v. 28. filius Baasa occisus est à Zambri. 3. Reg. 16. v. 10. Zambri se ipsum combussit in regio palatio. ibid. v. 18. Ambri successit filius Achab, qui transfixus sagittâ, miserè in prælio obiit. 3. Reg. 22. vers. 37. &c.

Finis tragicus Regum Israëlis.

Successus non absimiles fuêre in Principibus veteris Romæ; Pompejus fuit occisus à Cæsare; Cæsar à Cassio & Bruto; Cassius & Brutus ab Octaviano. Nero interfecit se ipsum. Galba interemptus est ab Othone; Otho à Vitellio; iste à Vespasiano. Domitianus è vita sustulit Titum, Domitianum Nerva, ut narrat Sextus Aurelius Victor &c.

CAP. XVI. ℣. 18.

411. Zambri, interfecto Baasa, Rege Israëlis, se ipsum evexit ad thronum, at post septem annorum intervallum thronus ipsius commutatus est in tumbam, & palatium regium in funestum rogum. Videns enim se arcta obsidione constrictum, ne deberet erubescere victus, elegit flammas, &, infausto infernalium flammarum præludio, per totam æternitatem cruciandus, *succendit se cum domo regia: & mortuus est.* 3. Reg. 16. vers. 18.

Mors in incendio.

Simili modo vitam finiit Sardanapalus, ultimus Assyriorum Rex; qui infeliciter præliatus; *victus in regiam se recepit, incensâque pyrâ, & se & divitias suas in incendium mittit*; ut refert Justinus lib. 1. Ita miserabili Carthagine à Scipione expugnata & capta, uxor Asdrubalis, *dexterâ levâque communes filios, mortem non recusantes, trahens, incendio se flagrantis patria injecit.* Val. Maximus l. 3. cap. 2. Numantini, obsessi à Scipione, cùm non possent obtinere desiderata pacta; *Duces suos, seque, patriamque ferro & veneno, subjectoque undique igne peremerunt*; ut refert L. Florus lib. 2. cap. 18.

CAP. XVII. ℣. 13.

412. Insolens videri possit Eliæ petitio; cùm enim audiret, pauperem quamdam viduam in sua domo nonnisi unicum pugillum farinæ residuum habere, qui pro sustentatione matris ac filii prorsus insufficiens erat; ille nihilominus voluit, ut pauculo isto alimento privaretur vidua, & ipsi pro cibo panem subcineritium faceret. *Vade & mihi primùm fac de ipsa farinula subcineritium panem.* 3. Reg. 17. v. 13. ad hoc respondetur, Eliam, ministrum Dei, voluisse illam privare humano auxilio; ut tantò promptiores ac magis copiosas reciperet gratias & misericordias divinas, quò plus esset destituta omni humano subsidio. Verissimum est dictum S. Petri Chrysologi Serm: 156. *Ubi humana desunt, divina succurrunt.*

Deus in extrema necessitate providet.

Roma à Gallis capta, & Capitolio arctè obsesso, reponebant Galli certam victoriæ spem in fame obsessorum. At hi projecta per muros grandi copia panis, persuasêre Gallis, in civitate magnam esse frumenti abundantiam; sicque desperabundi Galli, solverunt obsidionem. In hoc argumentum Valerius Maximus lib. 7. c. 4. n. 3. *Misertus est tunc profectò Jupiter Romana virtutis, cùm in summa alimentorum copia, projici prasidia inopia cerneret.*

CAP. XVII. ℣. 16.

Insignefuit illud Eliæ miraculum, dum vidua Sareptana, quò magis in mactra consumpserat farinam, tantò magis semper reperit multiplicatam; ita ut etiam oleum in vase nunquam defecerit. *Hydria farina non defecit, & lecythus olei non est imminutus.* 3 Reg. 17. v. 16. 413.

Farina & oleum indeficiens.

Theodoretus in Hist; Religiosa cap. 14. de Maximo Anachoreta refert; quòd habuerit *duo dolia, unum quidem frumenti, alterum verò olei. Ex his semper quidem suppeditabat omnibus egentibus: habebat autem ea semper plena benedictione, qua data est vidua Sareptana -- ipse enim Dominus, -- sicut illius hydriam & guttam jussit scaturire: -- ita etiam huic viro admirabili exhibuit suppeditationem, qua ex aquo respondebat ejus animi alacritati.* Similia miracula sæpius operatus est S. Joannes Eleemosynarius, Archiepiscopus Alexandrinus, ut scribit Leontius in ipsius vita. Surius in vita S. Antonini, Archiepiscopi Florentini, scribit; quòd habens duas pauperes sorores, ab iis petierit, ut ex summa sua paupertate darent hospiti cuidam, subsidii loco, *placentam, farinâ & oleo subactam, tum melle illitam.* Et ecce! in conspectu earum *Oleum in lecytho, mel in dolio divina quâdam scaturigine sic crevit, ut integrum septennium, ad usus domesticos non deesset.*

CAP. XVII. ℣. 19.

Elias ad vitam revocaturus defunctum quemdam juvenem: ut tantum miraculum operaretur: *Tulit eum de sinu ejus, & portavit in cœnaculum.* 3. Reg. 17. v. 19. adeoque charissima mater portabat brachiis filium suum defunctum. Maria virgo l. 2. Revelat S. Birgittæ. cap. 21. referens modum, quo divinus ipsius filius à duobus discipulis fuit è cruce depositus, ait; quod *unus eorum tenuit corpus per caput, alius per pedes: ego verò, qua mater eram, tenui per medium, & sic nos tres portavimus eum ad quamdam petram.* Adeoque Maria Virgo defunctum filium tenuit, & arctis brachiis amplexata est. 414.

Filii mortui in brachiis matris.

Virgilius Eclogâ. 5. v. 20.

Extinctum Nympha crudeli funere Daphnim
Flebant: vos Coryli testes, & flumina Nymphis,
Cùm complexa sui corpus miserabile nati,
Atque Deos, atque astra vocat crudelia mater.

Et si affectibus maternis jungi debeant affectus uxorii; Valerius Maximus lib. 1. cap. 7. refert, quòd

quòd uxor Julii Cæsaris, Calphurnia, *nocte, quam is in terris ultimam egit, in quiete vidisset multis eum confectum vulneribus, in suo sinu jacentem.*

CAP. XVIII. ỳ. 17.

415. Justus intrepidus. GRandis fuit temeritas Achabi, Regis Israëlitici; dum coram videns prodigiosum Eliam, ausus est in ipsum convitia spargere, ac conturbatorem Judææ vocare, quæ jussu illius Prophetæ longo tempore affligebatur fame ac siccitate. *Tunc es ille,* inquiebat, *qui conturbas Israël?* 3. Reg. c. 18. v. 17. cui Elias, propriâ justorum magnanimitate, ac animo instar leonis imperterrito, respondit; *Non ego turbavi Israël, sed tu, & domus patris tui, qui dereliquistis mandata Domini & secuti estis Baalim.*

Theodoretus lib. 4. c. 29. refert, Valentem Imperatorem Arrianum misisse contra Gothos suum Belliducem, Trojanum nomine, Catholicum ex asse bonum. Cùm verò ab hoste victus, cum ingenti clade reverteretur, Imperator illum contumeliosè vocavit ignavum; at libero animo ei respondit Trojanus; Ego non sum victus, sed tu, O Imperator, fuisti causa, quòd victoriam non obtinuerimus, quia *terga Deo vertisti, & ideo hostibus tuis favet.* Eadem prorsus libertate Constantio Imperatori Arriano locuti sunt Lucifer Calaritanus, S. Athanasius, & S. Hilarius in suis Epistolis, libris & scriptis.

CAP. XVIII. ỳ. 21.

416. Claudicare operando. ELias Propheta, increpans populum Israëliticum, dixit; *Usquequò claudicatis in duas partes? si Dominus est Deus, sequimini eum: si autem Baal, sequimini illum.* 3. Reg. 18. v. 21. veluti diceret, ut interpretatur Procopius; quanta est vestra stultitia? vultis simul adorare Deum & servire idolis? sciatis, nec Deum velle, ut adorentur idola; nec idola permittere, ut vero Deo exhibeatur veneratio: unde dum utrumque colitis, neutri estis fideles; sicque claudicando, amborum odium & indignationem incurritis. Homerus, productus à Martino del-Rio Tom. 1. Adag. 204 simili loquendi formâ utitur.

Non huic firma satis mens est in pectore; verùm
Claudicat, inque pedem residet proclivis utrumque.

CAP. XVIII. ỳ. 27.

417. Dii Gentilium sunt vagabundi & dormientes. ELias de falso Numine Baal ait; *Aut in diversorio est, aut in itinere, aut certè dormit.* 3. Reg. 18. v. 27. quasi diceret; cùm invocatus à suis idololatris, non respondeat, vel in aliqua taberna divertit, vel in exteras regiones est profectus, vel profundo somno immersus jacet.

Quando templum Dianæ Ephesiæ voracibus flammis destructum est, eodem modo Thimæus jocando dixit; *Mirandum id non esse; siquidem illa tum in Macedoniam profecta, Olympiadi obstetricabatur;* ut refert Cicero l. 2. de Nat. Deorum. Tametsi Plutarchus in vita Alexandri hunc jocum attribuat Ægeriæ. Ita apud Athenæum l. 6. c. 9. in convivio Sophistarum nonnemo dicebat; *Deos alios aut dormire, aut non esse.*

CAP. XVIII. ỳ. 27.

418. GRandis erat excæcatorum Gentilium stultitia, qui solebant invocare ac spem suam reponere in illis idolis, quæ, ut ipsimet idololatræ existimabant, erant somno oppressa. Dii à Gentilibus excitati. Huic conceptui insistens Elias, idololatris illusit; cum dicto; *Clamate voce majore: Deus enim est, & forsitan loquitur &c. aut certè dormit, ut excitetur,* 3. Reg. 18. v. 27. Unde benè discurrebat Habacuc c. 2. v. 19. *Væ qui dicit ligno: expergiscere: surge, lapidi tacenti: nunquid ipse docere poterit?*

Etiam Arnobius illudit Gentilibus, quòd sub diei initium soleant excitare suos Deos & l. 7. ait: *Quid sibi volunt excitationes illæ, quas canitis matutinis collatis ad tibiam vocibus? Obdormiscunt enim superi, remeare ut ad vigilias debeant.* Haud aliter Apulejus lib. 11. *Inchoatæ lucis salutationibus religiosi primam nuntiantes horam perstrepunt.* Id est, indicant Diis, diem esse ortum, & tempus esse, ut expergiscantur.

CAP. XVIII. ỳ. 28.

CUm viderent sacerdotes Baal, voces suas à ficto illo Numine nec audiri, nec responsum accipere; volebant illud emollire, & ad vota sua commovere; ac proinde ei offerebant sacrificium proprii sanguinis, quem cultris ac lanceolis ex apertis ac perforatis venis proliciebant. *Clamabant ergò voce magnâ, & incidebant se juxta ritum suum cultris & lanceolis; donec perfunderentur sanguine.* 3. Reg. 18. v. 28. 419. Sanguis humanus oblatus Idolis.

Idipsum fecêre Græci & Romani ad honorem Cybeles ac Bellonæ, *quibus,* inquit Lactantius lib. 1. de falsa Relig. c. 21. *ipsi sacerdotes non alieno, sed suo cruore sacrificant. Sectis namque humeris, & utrâque manu districtos gladios exerentes, currunt, efferuntur, insaniunt.* De hoc ritu Alex: ab Alex: l. 3. ait; *Bellonæ sacerdotes, non animali hostiâ, nec victimâ, sed suo cruore sacrificant: gladios enim districtos utrâque manu tenentes, humeros sibi & lacertos, tanquam phanatici dissecant.* Unde Tibullus, loquens de fœmina sacrificaturâ, ait:

Ipsa bipenne suos cædit violenta lacertos,
Sanguineque effuso spargit inepta Deam.
Statque latus præfixa veru, stat saucia pectus.

Et Prudentius in Hymno de S. Romano;

Sunt Sacra, quando vosipsi exciditis;
Votivus & cùm membra detruncat dolor,
Cultrum in lacertos erexit phanaticus,
Sectisque matrem brachiis placat Deam.

Seneca lib. 4. Quæst: Natur: cap. 6. refert ac ridet, quòd ad placandas nubes, & proprios agros ab imminente grandine servandos; *alius agnum immolabat, alius pullum. Protinus autem illæ nubes aliò declinabant — si quis nec agnum, nec pullum habebat, quod sine damno fieri poterat, manus sibi afferebat. Et ne tu avidas aut crudeles existimes nubes, digitum suum benè acuto graphio pungebat, & hoc sanguine litabat.*

CAP. XVIII. ỳ. 38.

LIngua Eliæ erat veluti clavis firmamenti, ad cujus preces è cœlo miraculosè descenderunt flammæ, quibus immediatè devoratæ sunt victimæ, ab ipso in holocaustum oblatæ, ligna, ac ipsi etiam lapides altaris. *Cecidit autem ignis Domini, & voravit holocaustum, & ligna & lapides &c.* 3. Reg. 18. v. 38. Simili modo descendit è cœlo ignis supra sacrificium Gedeonis. Judic. 6. v. 21. uti & Salomonis. 1. Paral. 21. v. 26. ac Israëlitarum, 2. Mach. 1. v. 22. 420. Ignis miraculosus.

Dæmon,

Dæmon, similia prodigia operans, sæpius decepit Gentiles. Valerius Maximus lib. 1. cap. 1. n. 7. refert: *Maxima Virginis Æmiliæ discipulam, extincto igne, tutam ab omni reprehensione Vesta numen præstitit. Quâ adorante, cùm carbasum, quam optimam habebat, foculo imposuisset, subitò ignis emicuit.* Pausanias *in Atticis*, id est, lib. 2. de Seleuco ait; *Cùm in Pella victimam faceret, ligna aris imposita, ultrò arserunt.* De hoc argumento aliam eruditionem attuli Levitic. c. 9. v. 24.

CAP. XVIII. ℣. 38.

421. IN Historia, qua describitur ignis ad preces Eliæ è cœlo delapsus, observandum est, quanta verborum proprietate sacræ Litteræ describant operationem illius flammæ. *Cecidit autem ignis Domini &c. pulverem, & aquam, quæ erat in aquæductu, lambens.* 3. Reg. c. 18. v. 38. adeoque flamma illa, instar flexilis linguæ, lambebat pulverem & aquam, ibi circumfluentem. Unde S. Augustinus l. 2. de Civit: cap. 4. non scivit melius describere naturam ignis, quàm cùm diceret; *Omnia, quæ ambit & lambit, colore pulcherrimo decolorat.*

Ignis lambens.

Hac metaphora plurimùm utuntur Poëtæ. Horatius l. 1. Satyr. 5.

Nam vaga per veterem dilapso flamma culinam
Vulcano, summum properabat lambere tectum.

Virgilius l. 2. Æneid.

Ecce levis summo de vertice visus Juli
Fundere lumē apex, tectumque innoxia molli
Lambere flamma comas, & circum tempora pasci.

Et Claudianus l. 1. de Raptu Proserp:

Lambit continuas innoxia flamma pruinas.

CAP. XVIII. ℣. 44.

422. ELiæ jussu, cœlum factum prorsus æreum, trium annorum & sex mensium spatio denegavit terræ beneficium ac refrigerium pluviarum; Postea verò ad ejusdem preces rursus fuit mundus pluviis confortatus. Ecce, inquit Sacer Textus, nubecula parvula, non excedens magnitudinem pedis humani, elevatur è mari evaporans. *Ecce nubecula parva, quasi vestigium hominis, ascendebat de mari.* 3. Reg. 18. v. 44. seu ut interpretatur Chaldæus; *Nubes parva, sicut vola manus hominis, ascendit de occidente.* Et paulò post: *Ecce cœli contenebrati sunt, & nubes, & ventus, & facta est pluvia grandis.* v. 45. adeoque illa, quæ initio videbatur parvula nubes, inumbravit totum cœlum, & protulit immensum aquarum diluvium, quod è turbido illo sinu exonerabatur in torrentes.

Principia parva rerum grandium.

Plinius l. 18. c. 35 inter prognostica tempestatis, istud refert. *Cœlo quamvis sereno, nubecula, quamvis parva, ventum procellosum dabit.* Haud aliter Seneca in Agamemnone Act. 3.

Exigua nubes, sordido crescens globo,
Nitidum cadentis inquinat Phœbi jubar.

CAP. XIX. ℣. 4.

423. TImens Elias, ne à Jezabele interficeretur, plenus terrore fugit in desertum. Ubi illuc pervenerat: *petivit animæ suæ ut moreretur, & ait: sufficit mihi Domine, tolle animam meam.* 3. Reg. 19. v. 4. At si Elias fugit ad evitandam mortem, cur nunc supplicat Deo, ut ipsum è vivis tollat? respondetur, mortem per manum fœminæ sceleratæ, visam ipsi fuisse horrendam & insuper abilem; at suavem ac pretiosam per manum Dei. Mors enim amittit suam acerbitatem, quando à generosa manu infligitur.

Mors est minus acerba, quæ venit à nobili manu.

Terra, devorata ab incendiis Phaëtontis, apud Ovidium l. 2. Metamorph: conversa ad Jovem, ita loquitur;

Si placet hoc, meruique, quid ô tua fulmina cessant,
Summe Deûm? liceat perituro viribus ignis
Igne perire tuo, cladem que auctore levare.

Æneas conversus ad Lausum, ab ipso occisum l. 10. Æneid. v. 829 ait:

Hoc tamen infelix miseram solabere mortem,
Æneæ magni dextrâ cadis.

Valerius Flaccus *lib. 3. Argonaut.* per apostrophen loquitur cuidam ab Hercule interfecto.

— *Occumbes, i nunc, ait, Herculis armis*
Donum ingens, semperque tuis memorabile fatis.

Ad hoc argumentum servit discursus Plutarchi Orat. 2. de fort: Alexandri; *Victi ab Alexandro beatiores fuêre, quàm hi, qui illum subterfugerunt.*

CAP. XIX. ℣. 18.

QUando terrore plenus Elias credidit, à Jezabele occisos fuisse omnes fideles, & se solùm esse miserum superstitem; Deus ipsi revelavit, residua esse septem millia hominum, *quorum genua non sunt curvata ante Baal, & omne os, quod adoravit eum osculans manus.* 3. Reg. 19. v. 18. His verbis innuitur ritus Idololatrarum in adorandis vanis simulachris; dum videlicet vel osculabantur statuæ manus, vel etiam proprias suas manus in signum venerationis. Unde S. Hieronymus supra illa Ezechielis verba cap. 8. *Ecce applicant ramos ad nares.* ait; *Job inter cæteras virtutes etiam hoc habuisse se dicit? quòd nunquam aspiciens cœlum, & solem, & lunam, & astra fulgentia, osculatus sit manum suam, id est, adoraverit creaturas.* 424.

Osculari manum in adorando.

De hoc ritu loquuntur Plinius l. 28. c. 2. *Inter adorandum dexteram ad osculum referimus, & totum corpus circumagimus.* Apulejus Apolog. 1. de homine impio & scelerato ait: *Si fanum aliquod prætereat, nefas habet, adorandi gratiâ, manum labris admovere.* Lucianus in Encom. Demosthenis ad fin: *Cùm ille manum ori admoveret, neque ego suspicabar, eum aliud facere, quàm orare Deos.* Alias multas eruditiones colligunt Pineda in Job. 31. v. 27. Aloysius Novarinus Elect. Sacr. Tom. 1. l. 2. cap. 20. Gaspar Sanchez in c. 13. Oseæ. v. 2. &c.

CAP. XIX. ℣. 19.

CUm Elias susciperet Elisæum, ut esset ipsius discipulus, comes, & particeps Religiosorum institutorum; *Misit pallium suum super illum;* veluti induens illum Religionis suæ habitu. 3. Reg. 19. v. 19. Eodem modo sponsus extendebat proprium pallium supra sponsam, declarans eam suam dilectam, & à protegendam sociam. Unde Booz dicebat Ruth c. 3. v. 9. *Extende pallium tuum super famulam tuam.* Et Deus in Ezechiele 16. v. 8. *Expandi amictum meum super te.* 425.

Pallium supra aliquem expansum, est signum affectus.

Hic ritus, ut observat Alexander ab Alex: l. 1. c. 26. erat familiaris Græcis; de quibus ait: *Apud Græcos usurpatum est, ut cùm aliqui inexplicabili nexu copulantur, uno pallio invicem se operiant, & morte obitâ, eodem tumulentur. Quo significabant, duo simul corpora concordibus animis & unâ mente teneri.*

CAP. XX. ℣. 23.

426. Dii montium. CUm Benadad supra montes Samariæ accepisset ab Israëlitis ingentem cladem; *Servi Regis Syriæ dixerunt ei; Dii montium sunt Dii eorum, ideò superaverunt nos.* 3. Reg. 20. v. 23. Cùm enim viderent, Samariam collocatam supra montes, & vitulos aureos, adoratos supra montes Betel & Dan; omniaque culmina montium repleta simulachris; exprobrante apud Hieremiam Deo, cap. 3. v. 6. *Nunquid vidisti, quæ fecerit aversatrix Israël? abiit sibimet super omnem montem excelsum, & sub omni ligno frondoso, & fornicata est ibi.* Idcircò dicebant, Deos decem tribuum esse Deos montium.

Gentiles, ut scribit S. Augustinus lib. 4. de Civit. Dei. cap. 8. inter turbas Deorum numerabant Deum Jugatinum, præsidentem jugis montium; Deam Collatinam, assistentem collibus; Deam Valloniam, residentem in vallibus; Orcades & Sylvanos, adoratos in montibus & sylvis; Hos Ovidius lib. 1. Fast. ita loquentes introducit.

Dii sumus agrestes, & qui dominamur in altis
Montibus, imperium est in sua tecta Jovi.

CAP. XX. v. 39.

427. Custos subit pœnam rei aufugientis. QUando fortè reus è manu custodis aufugit, cogitur custos eandem subire pœnam, quam reus merebatur. Hoc modo loquebatur Propheta 3. Reg. c. 20. 39. *Custodi virum istum, qui si lapsus fuerit, erit anima tua pro anima illius.* & v. 42. *Quia dimisisti virum dignum morte de manu tua, erit anima tua pro anima ejus.* Ita Rex Jehu lib. 10. v. 20. *Quicumque fugerit de hominibus his, quos ego adduxero in manus vestras, anima ejus erit pro anima illius.*

Talis omninò est Constitutio Imperatorum Valentiniani, Valentis, & Gratiani. *Ad commentariensem receptarum personarum custodia, observatioque pertineat, nec putet, hominem abjectum, atque vilem objiciendum esse judici, si reus aliquo modo fuerit elapsus. Nam ipsum volumus hujusmodi pœnâ consumi, cui obnoxius docebitur fuisse, qui fugerit.* l. 4. C. de custod. Reis.

CAP. XXI. ℣. 8.

428. Naboth occisus propter vineam. SCelerata Jezabel insectabatur vitam innocentis, Nabothi, quòd recusaret propriam vineam dare Regi. Unde oneratum malignis imposturis deduxit ad mortem; obrutum grandine horribilium saxorum; uti refertur lib. 3. Reg. c. 21. v. 8. & seq.

Similis successus contigit in Græcia; ubi Eudoxia, uxor Arcadii Imperatoris, veluti altera Jezabel, volebat Callitropen viduam spoliare vinea; at S. Joanne Chrysostomo patrocinium viduæ suscipiente, ac Imperatrici contradicente; illa indignata sancto viro, condemnavit ipsum in exilium, ubi gravissimis itineribus, fame, siti, injuriis, aliisque calamitatibus & violentiis militum afflictus, vitam amisit, miseram quidem, sed tamen gloriosam; cùm pro justitiæ patrocinio subierit non unâ tantùm, sed mille mortes.

CAP. XXI. ℣. 24.

PRima fronte videtur difficile intellectu, quomodo adimpleta fuerit sententia, pronuntiata à Propheta Elia contra Regem Achab, lib. 3. Reg. 21. v. 24 *Si mortuus fuerit achab in civitate, comedent eum canes: si autem mortuus fuerit in agro, comedent eum volucres cæli.* Cùm tamen Achab nec mortuus fuerit in campo Jezrahel; nec laceratus à canibus, sed sepultus in Samaria, ut apparet 3. Reg. 22. v. 37. Ad hanc difficultatem respondet Gaspar Sanchez, nomine sanguinis intelligi filios; & subjungit: *Sanguis itaque Achab effusus est in agro Jezrahel, quia in illo Joram filius ejus interfectus est.* Unde Jehu, postquam interfecit Joramum, jussit ipsius cadaver prójici in campum Jezrahel, ut adimpleretur prophetia Eliæ, juxta 4 Reg 9. v. 25. &c. — 429. Sanguis denotat filios.

Sanguinis nomine communiter intelliguntur filii ac posteri. Virgilius l. 6. Æneid. v. 835. introducit Anchisen, Julio Cæsari, suo postero, ita loquentem.

Projice tela manu, sanguis meus.

Horatius *Carm: sæculari* vocat Augustum, Achillis sanguinem;

Clarus Anchisæ, Venerisque sanguis.

Et Jupiter in Silio Italico l. 3. loquens Veneri:

-- -- *Tenet, longumque tenebit*
Tarpejas arces sanguis tuus.

CAP. XXII. ℣. 6.

PRiusquam Achabus cum numeroso exercitu aggrederetur hostem; consilium iniit cum quadringentis falsis Prophetis, qui omnes eum incitarunt ad bellum, promiseruntque certissimam victoriam. *Congregavit ergò Rex Israël Prophetas, quadringentos circiter viros, & ait ad eos: Ire debeo in Ramoth Galaad ad bellandum, an quiescere? qui responderunt. Ascende, & dabit eam Dominus in manu Regis.* 3. Reg. 22. v. 6. & tamen in expeditione illa miserè perdidit vitam. — 430. Consiliarii decepti.

Simile aliquid narrat Seneca l. 6. de Benefic. c. 31. *Cùm bellum Græciæ indiceret Xerxes, animum tumentem, oblitumque quàm caducis confideret, nemo non impulit. Alius ajebat, non laturos nuntium belli, & ad primam adventûs famam, terga versuros. Alius nihil esse dubii, quin illâ mole non vinci solùm Græcia, sed obrui posset: magis verendum ne vacuas, desertasque urbes invenirent &c. Alius, illi vix rerum naturam sufficere, angusta esse classibus maria, militi castra, explicandis equestribus copiis campestria. &c.* Et tamen Rex adeò potens, tot stipatus armis, à trecentis Lacedæmoniis turpiter victus, fugatusque subjacuit.

CAP. XXII. ℣. 31.

CUm duo exercitus Syriæ & Judææ aperto campo congrederentur, Rex Syriæ expressè suis militibus in mandatis dedit, ut omnia sua arma, omnesque ictus dirigerent adversùs solum Regem Israëlis: *Non pugnabitis contra minorem & majorem quempiam, nisi contra Regem Israël solum.* 3. Reg. 22. v. 31. Eodem modo processit Eleazarus, qui contra exercitum Regis Antiochi pugnans, *vidit unam de bestiis loricatam loricis regiis, & visum est ei, quòd in ea esset Rex: & cucurrit ad eum audacter.* 1. Mach. 6. v. 6. 43. propè gnarus, quòd capite percusso & extincto, omnia membra inevitabiliter langueant ac pereant. — 431. Vitæ ducis insidiati.

Agesilaus, Belli dux Spartanorum, confligens cum

cum Thebanis: *Impugna ad Mantineam hortatus est Lacedamonios, ut omissis reliquis, in solum pugnarent Epaminondam*; qui erat Thebanorum Archistrategus, ut scribit Plutarchus *Apopht: Lacon* Ita Nisus, minimè curans occidere milites Trojanos, omnem diligentiam impendit, ut interficeret Volscentem, generosum Ducem. lib. 9. Æneid.

At Nisus ruit in medium, solumque per omnes
Volscentem petit, in solo Volscente moratur.

CAP. XXII. ℣. 34.

432. Casus non casus. Illæ ipsæ operationes, quas homines æstimant casu & fortuitò factas, à virtute divina ordinatæ sunt in suos fines. Comprobatur hæc veritas lib. 3. Reg. c. 22. v. 34. ubi refertur: *Vir quidam tetendit arcum, in incertum sagittam dirigens, & casu percussit Regem Israël* (Achabum) *inter pulmones & stomachum*: ex quo vulnere mortuus est.

Cùm obsideretur Groninga, Frisiæ civitas, quidam puerulus, volens imitari suum patrem bombardarium, ignem immisit cuidam tormento bellico, supra mænia collocato; ictus verò directè sustulit caput supremi Belliducis, dum actu hortabatur milites ad expugnandam civitatem. Unde etiam mortuo Duce, soluta est obsidio. Olaus. l. 9. c. 28.

CAP. XXII. ℣. 34.

Dimicante utrimque exercitu Syrorum & Israëlitarum, sagitta fuit evibrata à quodam, 433. transfixitque Regem Achabum in pectore & visceribus adeò validè, ut exanimis conciderit. Percussor incertus. *Vir autem quidam tetendit arcum, in incertum sagittam dirigens, & casu percussit Regem Israël inter pulmonem & stomachum.* 3 Reg. c. 22.

Cùm duo exercitus Æneæ & Turni è fronte sibi opponerentur, sagitta, ab incerto authore emissa, Æneam graviter vulneravit; de quo lib. 12. Æneid. v. 319.

Ecce viro stridens alis allapsa sagitta est.
Incertum quâ pulsa manu, quo turbine adacta:
Quis tantam Rutulis laudem, casusve, Deusve,
Attulerit: pressa est insignis gloria facti,
Ne se se Æneæ jactavit vulnere quisquam.

Similiter Statius 9. Thebaid.

Induit à tergo Michalesia cuspis Agyrten,
Respexit nusquam auctor fuit.

Q. Curtius l. 8. loquens de vulnere, quod acceperat Alexander Magnus, ait; *Quidam è muro sagitta percussit.* Plutarchus de Magno Marcello, toties adversùs furibundum Hannibalem victore, ait; quòd mortuus sit in prælio, vulneratus ab ignota & incerta manu.

LUMINA REFLEXA
EX LIB. IV. REGUM.

CAPUT. I. v. 2.

434. Oracula Gentilium. Chozias, Rex Samariæ, è sublimi quodam loco præcipitatus, membra sua adeò conquassavit, ut vitæ amittendæ timeret; unde suos aulicos ablegavit ad oraculum Beelzebub in terram Accaron, ut inde intelligeret, qualem finem sortiturum esset illud malum. *Ite, consulite Beelzebub, Deum Accaron, utrùm vivere queam de infirmitate mea hâc.* 4. Reg. cap. 1. v. 2.

Multa erant Gentilibus Oracula, ad quæ in omnibus accidentibus recurrebant. Celeberrimum erat Apollinis Delphici: *Huc ex omni orbe pravâ religione incussâ, frequenter consultum ibant, eaque ex omnibus vera, & longè clarissima oracula habita sunt*; inquit Alex: ab Alexandro lib. 6. c. 2. Post istud ibi erat oraculum Jovis Dodonæi; dein Apollinis Dindimæi, Latonæ, Apollinis in Patara, Lyciæ civitate; Amphiarai & Trophonii; Jovis Ammonii; Serapidis in Ægypto, & aliorum, de quibus distinctè loquitur Alex: ab Alexandro loc. cit.

CAP. I. ℣. 2.

435. Accaronitæ venerabantur Idolum, nomine Beelzebub, quod significat Deum muscarum, ad quem Ochozias ablegavit suos ministros; *Ite, consulite Beelzebub Deum Accaron.* Deus muscarum. 4. Reg. cap. 1. vers. 2. Id quod ei Elias justè exprobravit; & vicissim Rex stultâ spe suâ miserè delusus fuit, retulitque manus vacuas, muscisque plenas. Vocabatur autem *Deus musca, vel Deus muscarum*, inquit Gaspar Sanchez, *fortasse quia muscas avertit, quæ sordida sunt, & infesta*; quibus etiam provincia Accaron ultra modum infestata erat.

Similes fuêre stultitiæ Græcorum & Romanorum, qui adorabant Deum Smintheum, cui attribuebant virtutem expellendi mures. Etiam Apollinem vocabant Parnopium, eumque venerabantur, quòd ex confinibus Athenarum propulsasset culices, seu rectius locustas; ut scribit Pausanias *in Atticis*. Neque defuit ipsis alius Deus, vocatus Miagrius, *cujus illud erat negotium aut solum, aut maximum, ut muscas arceret*; ut ex Pausania *in Arcadicis* observat Sanchez in hunc locum.

CAP. II. ℣. 2.

Cum Elias è campis terrestribus transferendus esset ad amœnitatem cœli seu Paradisi; 436. usus est Deus curru igneo, quem traxêre equi evomentes ignem, à quibus instar triumphantis

magnificè illuc translatus fuit. *Ecce currus igneus, & equi ignei &c. & ascendit Elias per turbinem in cœlum.* 4. Reg. 2. v. 11. Vocatur currus igneus, non quòd reverà fuerit ignis materialis, quia iste devorasset Eliam; sed currus ex nubibus luminosis ac scintillantibus, quæ ei in itinere illo substratæ erant. Unde Gaspar Sanctius; *Qui currus dicitur igneus, & equi ignei, nubes fuit splendidissima, in currus, equorumque similitudinem efformata, quæ accepit Eliam.* Et Cornelius à Lapide; *Hic ergò currus igneus, ab angelis ex nubibus fuit formatus, quo Elias, quasi triumphator, & civis cœli raptus est in altum.*

De his nubibus flammeis ac splendentibus loquitur Virgilius lib. 8. Æneid: v. 622.

-- -- *Qualis cùm cærula nubes*
Solis inardescit radiis, longéque refulget.

Similis currus, teste Tasso, fuit adhibitus ad Solimannum, Regem Niceæ, Hierosolymas transferendum; & de Ismeno Mago in Liberata Cant. 10. st. 15. ita loquitur;

E Soura un carro suo, che non lontano
Quinci attendea, co'l fier Niceno ci siede.
Le briglie allenta, e con maestra mano
Ambo i corsieri alternamente fiede.
Quei vanno sì, che'l polveroso piano
Non ritien de la rota orma, ò del piede
Fumar gli vedi, & anhelar nel corso,
E tutto biancheggiar di spuma il morso.
Meraviglie dirò, s'aduna, e stringe
L'aer d'intorno in nuvolo raccolto,
Sì che'l gran carro ne ricopre, e cinge;
Mà non appar la nube ò poco, ò molto.

Et rursus stanz 7 subjungit;

Stupido il Cavalier le ciglia inarca,
Et increspa la fronte, e mira fiso
La nube, e'l carro, ch'ogni intoppo varca,
Veloce sì, che di volar gli è avviso.

CAP. II. ℣. 11.

437. Sicuti Elias, perpetuam conservans virginitatem, certavit cum puritate angelica, ita angelorum ministerio fuit translatus in paradisum; Et sicuti exercuit imperium in ignem, quem è cœlo attraxit, & in nubes, è quibus traxit ingentes pluvias; ita ministerio [illegible]ium, quæ videbantur ignis; & ignis, qui radiabat in nubibus, fuit è terra levatus. *Ecce currus igneus, & equi ignei diviserunt utrumque, & ascendit Elias per turbinem in cœlum.* 4. Reg. 2 v. 11.

Equi ignei

Conformiter ad hoc finxerunt Gentiles quadrigam Solis, à quatuor equis tractam, quæ, instar equorum Eliæ, evomebant splendores ac flammas. Unde Alciatus Embl. 56. ait; *Ignivomos solis equos.* De his Ovidius lib. 2. Metamor.

Interea volucres Pyrois, Eous, & Æthon,
Solis equi, quartusque Phlegon, hinnitibus auras
Flammiferis implent.

Hi ignes & flammæ ipsis etiam equorum nominibus significantur. Nam Phlegon significat *inflammo.* Pyrois *ignitus.* Eous *aurora.* Et Æton *ardens.* Imò non tantùm equi, sed etiam ipsemet Sol vocatur Rex flammarum; ad quem conversus Poëta, canit;

Aurea flammarum Titan Rex, qui aurea equorum
Lora tenes.

Et alius ad eundem:

Sol, qui terrarum flammis opera omnia lustras.

Et ut cognoscatur, quadrigam solis fuisse desumptam ab Elia, Græci dedêre soli nomen *Elios*, quod simillimum est Eliæ. Unde Beda in l. Reg. quæst: 27. *Ut autem eidem* (loquitur de sole) *currus & equos tribuant, de miraculo sumptum Eliæ Prophetæ: qui curru igneo & equis igneis est raptus ad cœlum, Joannes, Constantinopolitanus æstimat, quòd etiam Græcè Elios dicitur sol.*

CAP. II. ℣. 11.

Equi, trahentes Eliam in curru, erant accommodati qualitatibus prodigiosi Eliæ; sicuti enim illi toti erant ignei, ita etiam Elias erat igneus & ardens. *Ecce currus igneus, & equi ignei.* 4. Reg. 2. v. 11. 438.

Centeni Eruditi observant, è naribus generosorum equorum evaporare flammas igneas. Lucretius lib. 5.

Et Diomedis equi spirantes naribus ignem.

Ad hujus imitationem Virgilius l. 3. Georg. v. 85. describens equum ait;

Collectumque premens volvit sub naribus ignem.

Silius Italicus lib. 6.

— *Frenoque teneri*
Impatiens, crebros exspirat naribus ignes.

Claudianus de Nupt: Honorii, exprimens ferociam equi;

-- -- *Notos hinnitu flagitat amnes*
Naribus accensis.

Et lib. 4. in Consulat: Honorii:

Utque tuis primùm sonipes calcaribus arsit,
Ignescunt patulæ nares.

Oppianus vocat *Ardentes equos, & igne fulgentes.*

CAP. II. ℣. 12.

Elisæus magistrum suum Eliam alloquens, eum vocat Patrem; *Pater mi, Pater mi.* 4. Reg 2 v. 12. Similì modo Rex Joas dixit Elisæo; *Pater mi, Pater mi.* 4. Reg. 13. v. 14. Servi Principis Naamani dabant suo Domino titulum *Pater.* 4. Reg. c. 5. v. 13. S. Paulus se declarabat patrem quando scribebat Galatis c. 4. v. 19. *Filioli mei, quos iterum parturio.* Et 1. Cor. 4. v. 15. *Si decem millia pædagogorum habeatis in Christo, sed non multos patres.* 439.

Pater est nomen affectus.

Fabuloso Jovi dabant Gentiles titulum Patris; *quia*, inquit Aristoteles l. 8. Ethic. c. 10. *Regni gubernatio similis esse debet imperio, cureque paternæ. Et quia*, ut ait Maximus Tyrius serm. 36. *antiquissimum est Patris nomen omnium, quæ benevolentiam, amicitiamque significant.* Neque defuit, qui nomen Patris patriæ plus æstimavit, quàm Imperatoris; quia nomen Patris secum trahit peculiarem affectuosam benignitatem versùs subditos, quibus providetur tanquam filiis, & à Principe amantur præ se ipso. *Patrem quidem patriæ appellavimus*, inquit Seneca l. 1. de Clement. c. 24. *Ut sciret datam sibi potestatem patriam: quæ est temperatissima liberis consulens, suaque post illos ponens.*

CAP. II. ℣. 23.

Quidam imprudentes & temerarii pueri ausi sunt altâ voce illudere Elisæo in hæc verba; *Ascende calve, ascende calve.* 4. Reg. 2. vers. 23. 440.

Calvi-

Calvities deformis. Calvities enim est quædam deformitas, auferens humano capiti ornamentum comarum, quibus magnificè coronatur. Unde Legatis Davidis fuerunt abrasæ in capite & barba in ignominiam. 2. Reg. 10. Sanctis Apostolis Petro & Joanni, expressi ludibrii loco, fuêre à Gentilibus rasa capita, ut legitur in Historiis Ecclesiasticis.

Quòd calvities afferat deformitatem, aliorumque ludibria attrahat, pluribus locis docet Suetonius. De Julio Cæsare cap. 45. ait: *Calvitii deformitatem iniquissimè ferebat, sæpè obtrectatorum jocis obnoxiam expertus. Ideoq; & deficientem capillum revocare à vertice assueverat: & ex omnibus decretis, sibi à senatu populoq; honoribus, non aliud aut recepit, aut usurpavit libentius, quam jus laureæ perpetuò gestandæ*; lauream hanc summè æstimans, quòd serviret ad cooperiendam deformitatem calvitiei. De Caligula cap. 50 ait: quòd fuerit *capillo raso, ac circa verticem nullo*, quare non voluit, ut è loco superiore ipsum aliquis aspiceret. *Quare transeunte eo, prospicere ex superiore parte — criminosum & exitiale habebatur.* De Othone scribit cap. 12. quòd carens capillis, semper portârit pileolum ad cooperiendam & abscondendam illam imperfectionem. Unde Petronius Arbiter in suo Satyrico canit:

Quod solum formæ decus est, cecidêre capilli,
Vernantesq; comas tristis abegit hyems.
Nunc umbrâ nudata suâ jam tempora mœrent
Areaq; attritis ridet adusta pilis.

CAP. III. ℣. 11.

441. TAmetsi Elisæus Propheta fuerit discipulus Eliæ, simul tamen fuit addictus ipsius minister, serviens huic sancto, fundensque aquam supra ipsius manus sive horis matutinis, sive antequam accumberet mensæ. *Est hic Elisæus, filius Saphat, qui fundebat aquam super manus Eliæ.* 4. Reg. 3. v. 11. Consuetum ergò erat, lavare manus ante mensam; & idcò Pharisæi calumniabantur Christum, quòd ante fractionem panis non lavisset manus. Matth. 15. v. 2. Quare ut convivæ possent facilè lavari, propè mensas stabant hydriæ, aquis plenæ. Jo. 2.

Manus lavare ante mensam.

Etiam Gentiles, priusquàm cibum sumerent, lavabant manus. Fulvius Ursinus append. de Triclinio pag. 155. *Quòd cœnaturi manus lavarent, ita notum est, ut non egeat probatione.* Virgilius lib. 1. Æneid.

Jam pater Æneas, & jam Trojana juventus
Conveniunt, stratoque super discumbitur ostro,
Dant manibus famuli lymphas.

Plautus in Comœdia Persæ;

— — Accumbe, hunc diem
Suavem meum natalem inter nos agitemus amœnum;
Date illi aquam manibus, apponite mensam.

Petronius Arbiter in Satyric. cap. 31. *Tandem ergò discubuimus, pueris Alexandrinis aquam in manus nivatam infundentibus, aliisq; insequentibus ad pedes. &c.* De hoc more videatur Sidonius Apollinaris lib. 1. Epist. 11. & lib. 5. Ep. 17.

CAP. III. ℣. 14.

VEri amici Dei adeò cautè se ipsos gubernant, ut etiam à culpis levibus sibi caveant; nihilque aliud in manu agitent, nisi præsentiam Dei. In hoc exercitio assiduus vixit Propheta Elisæus, qui Regi Israëlitico dixit: *Vivit Dominus, in cujus conspectu sto.* 4. Reg. c. 3. v. 14. id est, ut interpretatur P. Cornelius à Lapide, *quem ut mihi præsentem semper in mente habeo, revereor, colo, & amo.* Ita Deus imperavit Abrahamo Gen. 17. v. 1. *Ambula coram me, & esto perfectus.* idque executus est David, de se ipso dicens; *Providebam Dominum in conspectu meo semper.* Psal. 15 v. 8. 442.

Stare in præsentia Dei.

Sixtus Philosophus in sententiis num. 293. ait; *Ad omnia, quæ agis, Deum invoca testem.* Et num. 278. *Exordium in agendo à Deo sume. Ore autem prius Deum habeto, & mente, quam respires.* Neque ad hoc propositum ingratus erit discursus Senecæ Epist. 11. *Aliquis vir bonus nobis eligendus est ac semper ante oculos habendus, ut sic tanquam illo spectante vivamus, & omnia tanquam illo vidente faciamus — Magna pars peccatorum tollitur, si peccaturis testis assistat; Aliquem habeat animus quem vereatur, cujus auctoritate etiam secretum suum sanctius faciat. O felicem illum, qui non aspectus tantum, sed etiam cogitatus emendat. &c.*

CAP. III. ℣. 27.

BArbara & desperata resolutio fuit illa Regis Moab, quando dura obsidione ab Israëlitis constrictus, supra mœnia civitatis in conspectu hostilis exercitus obtulit dæmonibus filium suum primogenitum in sacrificium. *Arripiensq; filium suum primogenitum, qui regnaturus erat pro eo, obtulit holocaustum super murum.* 4. Reg. 3 v. 27. idque vel ad placandos Deos, ac reddendos suis desideriis propitios; vel ut Israëlitas commoverent ad pietatem, eosque inducerent, ad obsidionem ex commiseratione solvendam; prout etiam factum est. 443.

Victima humana.

Hujusmodi execrabilia sacrificia offerendi alios, semper fuêre justis vituperiis excepta. Dorotheus lib. 4. Indic. Rerum, abominatur Marium, quòd se permiserit à dæmoniis persuaderi, ut ipsis in victimam offerret propriam filiam. Ab Historicis damnatur Creontes, quod Thebis sacrificârit filium suum Menecum. Contra Agamemnonem invehuntur Poëtæ, quòd fuerit dispositus ad interficiendam Iphigeniam. Hic tamen sufficiat, quod refert Eusebius lib. 4. de Præparat. cap. 7. *Phœnices ubi gravius sive bello, sive fame, sive etiam æstu laborarent, necessariorum suorum aliquem Saturno communibus addictum suffragiis immolabant.* Ita P. Cornelius à Lap. in hunc loc.

CAP. IV. ℣. 1.

QUerelæ ab afflicta vidua coram Elisæo Propheta expositæ; *Ecce creditor venit, ut tollat duos filios meos ad serviendum sibi.* 4. Reg. c. 4. v. 1. morem illum antiquum indicant, quo in Judæa solebant alienari filii, ac in servitutem vendi, ad dissolvenda debita, ab ipsorum progenitoribus contracta. Huc reflectunt Oracula Isaiæ c. 50. v. 1. *Quis est creditor meus, cui vendidi vos?* Et Matth. 18. v. 24. *Oblatus est ei unus, qui debebat ei decem millia talenta. Cùm autem non haberet unde redderet, jussit eum Dominus ejus venumdari, & uxorem ejus, & filios, & omnia, quæ habebat, & reddi.* 444.

Filii ob debita venditi.

Idipsum soliti sunt Veteres Romani, ut dicit Dionysius Halicarnassæus lib. 2. Uti & Athenienses, teste Plutarcho in vita Solonis. Duravit hæc barbaries usque ad tempora S. Ambrosii etiam inter Christianos; unde ille vehementer conqueritur, tantamque iniquitatem deplorat in lib. de Job. cap. 8.

CAP. IV. ℣. 29.

445. MUltas rationes adducunt sacri Interpretes, cur Elisæus, mittens servum suum Giezi ad suscitandum quemdam defunctum, expressè jusserit, ut in tota illa via neminem salutaret. *Si occurreris tibi homo, non salutes eum.* 4. Reg. 4. v. 29. Illa tamen S. Ambrosii lib. 7. in cap. 10. Luc. videtur mihi ingeniosa. *Non salutationis officium aufertur, sed obstaculum impediendæ devotionis aboletur: ut quando divina mandantur, paulisper sequestrentur humana.* Adeoque Giezi, electus minister Elisæi, imò Dei; debuit tanta applicatione consecrari servitio divino, ut nullo prorsus modo esset distractus & occupatus humanis actionibus. In hoc argumentum Christus suis discipulis mandans prædicare salutem animarum, expressè jussit; *Neminem per viam salutaveritis.* Luc. 10. v. 4.

Servus Dei abstractus à curis terrenis.

Cùm S. Carolus Borromæus pedes visitaret septem Ecclesias Romanas, ex improviso venerunt ipsi obviam M. Antonius Colonna, & propria ipsius soror; qui mox è curru descenderunt, eum veneraturi, at ille nec ipsos salutavit, & quasi eos non vidisset, viam suam prosecutus est, totus quantus absorptus in sacris devotionibus. Jo. Rhò de Var. Virt. Hist. l. 3. c. 7. n. 1.

CAP. IV. ℣. 33. &c.

446. SÆpius ac vehementer à Sunamitide rogatus Elisæus, decrevit à morte suscitare defunctum ipsius filium; idque egit partim cubando supra exanime ac jacens corpusculum; partim fundendo ad Deum humiles ac confidentes preces. *Oravit ad Dominum, & incubuit super puerum, & incurvavit se super eum. &c.* 4. Reg. 4. v. 33. &c. *Et oscitavit puer septies, aperuitque oculos &c.* eumque postea restituit matri.

Suscitare à mortuis.

Cùm Florentiæ viveret S. Ambrosius Archiepiscopus, & inviseret ad domum Decentis, nobilissimi viri; filium ipsius liberavit à dæmone, quo miserè obsessus torquebatur; eundemque filium defunctum, instar sancti Eliæ, ad vitam prodigiosè revocavit; de quo Paulinus testatur; *Quem & defunctum, matris precibus interpellatus, stratus supra corpus pueruli defuncti, precibus Deum obsecrando, revocavit ad vitam, ac matri reddidit.*

CAP. IV. ℣. 34.

447. ELisæus, revocaturus ad vitam defunctum quemdam puerum, instar magistri sui Eliæ, incubuit supra defunctum, conformans faciem suam faciei defuncti, manus manibus, sinum sinui &c. *Incubuit super puerum: posuitque os suum super os ejus, & oculos suos super oculos ejus, & manus suas super manus ejus: & incurvavit se super eum.* 4. Reg 4. v. 34. Talique modo imprimis inspiravit corpusculo certam qualitatem sui nativi caloris, & postea etiam animam restituit.

Rupertus Abbas ex humilitate recusavit promoveri ad sacerdotium, æstimans se illo indignum; donec in visione à Christo fuerit ad illud acceptandum invitatus & animatus; Postquam sacros ordines suscepit, ecce, jacenti in suo lectulo, apparuit *hominis species, de cælo labens, capite obvoluto, quasi agnosci nollet, eaque se ita in eum demisit, ut caput capiti, pedes pedibus, reliqua membra cum omnibus membris intimè commisceret; quin etiam animæ substantiam ita pervaderet atque imprimeret, quàm mollissima cera signo imprimatur;* uti refert de se ipso lib. 12. in Matth. pag. 162. Serviit hæc visio ad demonstrandum, quòd Christus per Sacramentum Eucharistiæ uniatur & conjungatur nobis, ita ut quasi partem applicet & adaptet parti nostræ. S. Cyrillus Alexandrinus lib. 4. in Jo c. 17. ait: *Sicuti enim si quis liquefacta cera aliam ceram infuderit, alteram cum altera per totum commisceat, unum esse est: sic qui carnem & sanguinem Domini recipit, cum ipso ita conjungitur, ut Christus in ipso, & ipse in Christo inveniatur.*

Visio Ruperti Abbatis.

Christus in Eucharistia unitur nobis.

Pietas Elisæi accommodavit faciem faciei, oculos oculis, & manus manibus, ut puerum mortuum revocaret ad vitam; at Mezenzii crudelitas junxit mortuos vivis, & faciem constringens cum facie, os cum ore, sinum cum sinu, coegit miseros homines ad horrendam mortem. De hoc Virgilius 8. Æneid. v. 485.

Mortua quin etiam jungebat corpora vivis,
Componens manibusque manus, atque oribus ora,
(Tormenti genus) & sanie, taboque fluentes,
Complexu in misero longâ sic morte necabat.

Teste Alciato Emblem. 198. Symbolum hoc est parentum crudelium, qui matrimonii vinculo propriam filiam jungunt marito, lue gallica, aut aliis morbis ac fœtoribus infecto.

CAP. V. ℣. 2.

PLerumque solet Deus ad operandas res magnas adhibere debilissima instrumenta, ut effectus secutus potius à potentia & virtute divina, quàm ab arte & sapientia humana profectus agnosci debeat, sic usus est pastoritio puerulo ad prosternendum gigantem; rudibus piscatoribus ad convertendum & subjugandum mundum; puella Hebræa, Syriæ serva, ad salutem corporis & animæ, Naamano comparandam; hoc enim medio illum disposuit ad cognitionem fidei, & cultum veri Dei. *De Syria egressi fuerant latrunculi, & captivam duxerunt de terra Israel puellam parvulam, quæ erat in obsequio uxoris Naaman.* 4. Reg. c. 5. v. 2. &c. 448.

Puella magistra fidei.

Idem successus fuit innovatus sub imperio Constantini Magni, ubi quædam fœmina Christiana, misera serva, continuis suis orationibus, jejuniis, & exercitiis Christianæ pietatis regna Hispaniarum reduxit ad fidem Christi; ut refert Nicephorus lib. 8. c. 34. & Cornelius à Lapide in hunc locum.

CAP. V. ℣. 10.

NUmerus septenarius in sacris litteris frequenter adhibetur, quando agitur de purificatione & mundatione. Lev. 4. v. 6. de aspersione per sanguinem vituli dicunt; *Cumque intinxerit digitum in sanguinem, asperget eo septies coram Domino,* ubi Liranus ait; *Asperget eum, ad denotandum perfectam expiationem, quæ per septenarium significatur.* rursus Lev. 14. v. 7. *Tinget in sanguine passeris immolati, quo asperget illum, qui mundandus est, septies,* ubi iterum Liranus; *Ad signandum in eo perfectam munditiam, quia perfectio numero septenario designatur.* Unde Elisæus, Naamum mundaturus à lepra, jussit, ut septies lavaretur in flumine Jordane. *Vade, & lavare septies in Jordane, & recipiet sanitatem caro* 449.

Septenarius denotat munditiem.

caro tua atq; mundaberis. 4. Reg. 5. v. 10. Proinde Abulensis quæst. 10. in cap. 5. lib. 4. Reg. ait; *Dicendum autem, quòd hoc factum est ad significationem, scilicet, quia septenarius est numerus propter septenarios multos vitæ nostræ, & totius boni nostri, & nunc conferenda erat sanitas perfecta Naaman, ideò conveniebat ei lotio septenaria.*

Ad hanc religiosam reflexionem alludit Apulejus lib. 11. Metamorph. inhærens opinioni Pythagoræ; *Neq; protinus purificandi studio marino lavacro trado, septiesq; submerso fluctibus capite, quod eum numerum religionis aptissimum divinus ille Pythagoras prodidit.* Novarinus Nuptial. aqu. cap. 95. n. 923.

CAP. V. ℣. 21.

450. ORdinariè solemus post primam salutationem interrogare, quid rerum agatur, in quo statu reperiatur, quâ felicitate vivatur? Princeps Naamani, propinquante ad ipsum Giezi, ministro Elisæi, interrogavit; *Rectène sunt omnia?* 4. Reg. 5. v. 21. Giezi, loquens Sunamitidi, primo statim congressu interrogavit; *Rectène agitur circa te, & circa virum tuum?* 4. Reg. 4. v. 26. Aulici Regis Joram, loquentes cum Jehu; dixerunt ei: rectène sunt omnia? 4. Reg. 9. v. 11. &c.

Forma salutandi.

Quòd Gentiles eodem modo soliti sint alios salutare, multis exemplis comprobat Brissonius lib. 8. de formulis. Et quòd iste mos fuerit usitatissimus, observat ac docet Donatus in Terentium de Phormione Act. 2. Scena. 1. *Satin' omnia ex sententia?*

CAP. V. ℣. 26.

451. EX multiplici causa peccavit Giezi, quando à Naamano, nomine Elisæi petiit notabilem quantitatem argenti & vestium, sicuti enim contaminavit conscientiam, ita etiam punitus fuit leprâ, inficiente omnia ipsius membra. Cui proinde dixit Elisæus; *Accepisti argentum & accepisti vestes.* 4. Reg. 5. v. 26. *Sed & lepra Naaman adhærebit tibi, & semini tuo usque in sempiternum. &c.* adeoque argentum ac vestes illæ, avara & iniqua mente receptæ, secum attulerunt contagium, quo inficeretur cupidus ille mendax ob commissum flagitium adeò grande.

Argentum Giezi contagiosum.

Aurum, in Templis Tholosæ Gallicæ à Q. Cepione sacrilegè sublatum, gravissima damna attulit; nam *quisquis ex ea direptione aurum attigit, misero, cruciabilique exitu periit.* Aul. Gell. lib. 3. c. 9. Ita vestis à Medea ad novam sponsam missa, attulit incendia tam palatio, quàm thalamo nuptiali. Et vestis, contaminata sanguine centauri, quam Deianira misit Herculi, miserè in rogo illum combussit ac interfecit.

CAP. VI. ℣. 6.

452. INter cætera miracula Elisæi recensetur etiam istud, quòd securim ferream, delapsam in profundum aquarum, ita evocârit, ut aquis innatans, facillime recuperari potuerit, sive dein hoc ita contigerit, quòd Deus ferro abstulerit gravitatem, illudque leve effecerit, ut posset natare; quemadmodum existimat Vallesius Sacr. Philos. c. 37. sive quòd Angelus è fundo aquarum illud extraxerit, & supra aquas sustentârit, ut vult P. Cornelius à Lapide; *Dixit autem homo Dei: ubi cecidit? at ille monstravit ei locum. Præcidit ergò lignum, & misit illuc: natavitque ferrum &c.* 4. Reg. 6. v. 6.

Ferrum natans.

Istud miraculum fuit innovatum à S. Patriarcha Benedicto, de quo S. Gregorius Papa l. 2. Dial. cap. 6. scribit, quòd ex inadvertentia cujusdam pauperis Gothi in lacum delapsa quadam securi, sanctus ille *accessit ad locum, tulit de manu Gothi manubrium, & misit in lacum: & mox ferrum de profundo rediit, atque in manubrium intravit. Qui statim ferramentum Gotho reddidit, dicens: ecce labora, & noli contristari.*

CAP. VI. ℣. 21.

PAtris nomen attribui solet Prælatis, Magistris, & Magnatibus, benè de nobis, vel patria meritis. Rex Israël, videns ductum ab Elisæo exercitum hostilem in Samariam; quasi vit ex hoc Prophetâ; *Nunquid percutiam eos, Pater mi?* usus erga ipsum titulo ac reverentia, ac si fuisset illius pater. 4. Reg. 6. v. 21. David loquens Regi Sauli; *Pater mi, vide, & cognosce oram chlamydis.* 1. Reg. 24. v. 12. Hiram dictus fuit Pater Salomonis. 2. Paral. 4. v. 16. 453.

Patres sunt benefactores.

Communissima Poëtarum phrasi attribuitur Magnatibus nomen patris. Virgilius lib. 2. Æneid v. 2.

Inde toro pater Æneas sic orsus ab alto.

Et lib. 9. loquens de Imperatore in genere, seu certè de Octaviano in specie, canit;

Dum domus Æneæ Capitolii immobile saxi
Accolet, imperiumque pater Romanus habebit.

Ausonius, loquens Theodosio;

Tu modò, te jussisse, pater Romane, memento;

Xenophon lib. 3. Cyropæd. *Etiam aliàs sæpè, ò viri, animadverti, nihil interesse inter Principem bonum, & patrem bonum.* Ita à Gentilibus fabulosorum Deorum maximus fuit cognominatus *Juppiter*, quasi *juvans pater.* De quo Hesiodus in scuto Herculis. *Pater autem hominumque, Deorumque, aliud consilium tenebat.* Et Virgilius lib. 1. Æneid. vers. 69.

Æole (namque tibi Divûm pater, atque hominum Rex,
Et mulcere dedit fluctus, & tollere ventos.)

Quo loco expressè loquitur de Jove.

CAP. VI. ℣. 25.

MIserabiles certè fuerunt angustiæ, quibus constricta fuit Samaria, in obsidione Benadadi, Regis Syriæ, ubi in tantam egestatem redacta erat, ut vile caput asini fieret pretiosum, & venderetur octoginta argenteis, seu quadraginta unciis argenti: *Facta est autem fames magna in Samaria, & tamdiu obsessa est, donec venundaretur caput asini octoginta argenteis.* 4. Reg 6. v. 25. 454.

Caput asini pretiosum.

Cùm Cassilinum arctissimè obsideretur ab Hannibale Carthaginensi, inter eas angustias comederunt corium ac pelles, aqua calida subactas, ut scribit Valerius Maximus lib. 7. c. 6. n. 2. Imò unicus mus fuit venditus ducentis denariis, seu viginti scutatis. *In illa obsidione & fide, cùm trecenti Prænestini permanerent, evenit ut ex his quidam murem captum ducentis potius denariis vendere, quam ipse leniendæ famis gratia consumere mallet.*

CAP.

CAP. VI. ℣. 29.

455. ADeò violenta fuit famis rabies, ut torserit viscera miserorum Samaritanorum; persuaseritque amabilissimis matribus, ut permutarentur in crudelissimas lamias; & acuerent dentes contra suos infantes, eosque fixuros oscula, dilaniarent, & quos in utero conceperunt ac pepererunt, ejusdem uteri pabulum efficerent. *Coximus ergò filium meum, & comedimus*; inquiebat una ex istis famelicis lib. 4. Reg. c. 6. v. 29. Hoc successu adimpletæ sunt minæ Dei Levit. 26. v. 28. *Corripiam vos septem plagis propter peccata vestra, ita ut comedatis carnes filiorum vestrorum, & filiarum vestrarum* & illæ Deut. 28. v. 53. *Comedes fructum uteri tui, & carnes filiorum tuorum & filiarum tuarum.* Talem pœnam etiam minatus est Hieremias c. 19. v. 9. *Cibabo eos carnibus filiorum suorum, & carnibus filiarum suarum: & unusquisq; carnem amici sui comedet in obsidione.* Deploravitque Thren. 4. v. 10. *Manus mulierum misericordium coxerunt filios suos: facti sunt cibus earum in contritione filia populi mei*, ut etiam Baruch cap. 2. vers. 2. & alibi.

Filii devorati à matribus.

Similibus eventibus plenæ sunt omnes Historiæ. De Numantinis Valerius Maximus l. 7. c. 6. *Numantini, à Scipione vallo & aggere circumdati, cùm omnia, quæ famem eorum trahere poterant, consumpsissent; ad ultimum humanorum corporum dapibus usi sunt.* Calaguritani, eodem teste, à Cnæo Pompejo obsessi; *quia nullum jam aliud in urbe eorum supererat animal, uxores suas, natosq; ad usum nefariæ dapis verterunt.* Quòd matres in obsidione Hierosolymitana, à Tito facta, devorârint proprios filios, testantur Josephus de Bello lib 7. c. 8. & Egesippus de excidio c. 40. Milites Cyri, extrema necessitate compulsi, proprios commilitones devorârunt, ut affirmat Diodorus lib. 17. Persæ sub Cambise miserunt sortem, & decimum quemvis comederunt, ut meminit Herodotus lib. 3. Quædam Germaniæ civitates ab armis Suecicis in eas angustias redactæ sunt, ut earum cives pascerentur humanis carnibus, uti scribunt omnes Historici nostrorum temporum. Hic etiam addi possunt filii devorati à parentibus in Polonia, ut refert Cromeus lib. 11. in Hispaniis, ut notat Marineus lib. 18. in Sicilia, ut legitur apud Diodorum lib. 4 in Italia, ut affirmat Zozimus lib. 6. & Sozomenus lib. 9. c. 8. Constantinopoli, ut narrat Xiphilinus in vita Severi &c. De hoc argumento, præter Theatrum vitæ humanæ, prolixè agunt Lælius Bisciola Hor. subsec. lib. 17. c. 12. Et Lorinus in Levit. cap. 26. vers. 29.

CAP. IX. ℣. 11.

456. POstquam à Jehu discessit ille Propheta, quem Elisæus miserat ad ungendum ipsum in Regem Israelis; Aulici mox interrogarunt Jehu; *Quid venit insanus iste ad te?* 4. Reg 9. v. 11. adeoque Domini isti, homines militares, & in aula enutriti, dabant Prophetæ nomen phanatici ac stulti; sive quòd viderint ipsum miserè ac horridè vestitum; sive quòd observârint à curis humanis abstractum, totumque absorptum in Deo, à cujus virtute erat afflatus.

Propheta æstimantur delirii.

Etiam Gentiles tribuerunt Prophetis titulum stulti ac deliri. Plato in Phædone ait; *Quidam divino beneficio sunt insani, ut Prophetæ & Sybillæ.* Tullius lib. 2. de divinat: *Quid habet authoritatis furor iste, quem divinum vocatis, ut quæ sapiens non videt, ea videat insanus, & is, qui humanos sensus amiserit, divinos assecutus sit: & vaticinari idem sit, quod insanire.* Plura vide apud Cornelium à Lapide in hunc locum.

CAP. IX. ℣. 17.

DUm Jehu, assumptus à Deo in Regem Israëlis, cum ingenti agmine propinquabat civitati Jezraël; excubitor specularius civitatis, consistens supra excelsam turrim; *Vidit globum Jehu venientis*; idest, conglomeratos milites armatos; *& ait: Video ego globum.* 4. Reg. 9. v. 17. 457.

Globus armatorum.

Progrediente certo militum numero contra civitatem Lavinium, Excubitor stans supra pinnam mœniorum, vidensque hominum tumultum & commotum pulverem, exclamavit lib. 9. Æneid. v. 36.

Quis globus, o cives! caligine volvitur atra?
Ferte citi ferrum, date tela &c.

In hunc sensum de unitis ac conglobatis hominibus ait Sallusthius; *Alii globis eruptionem tentaverunt.*

CAP. IX. ℣. 17. &c.

JOramus Rex Israëlis, cùm videret certum numerum militum à Jehu contra se adduci, obviam huic agmini misit duos vel tres suorum ministrorum, interrogatum, quid prætenderent? an essent amici vel inimici? an pacem afferrent vel bellum? *Rectène sunt omnia?* 4. Reg. 9. v. 17. Imò Rex ipsemet obviam progressus est Jehu, cum dicto; *Pax est Jehu?* v. 22. 458.

Comparente Ænea cum suis armatis navibus ad littus Arcadiæ, Pallas mox arreptis armis, obviam profectus est his militibus, eosque alloquens;

— *Quo tenditis? inquit.*
Qui genus? unde domo? pacemne huc fertis, an arma?

Virgil. lib. 8. Æneid. v. 113. Chlorinda, à tergo suo audiens strepitum, uti suspicabatur, militum;

Ella si volge è grida. O tù che porte,
Che corri sì? rispondo, guerra, e morte?

In Hierosolym. Liberat. Cant. 12. Stantz. 52.

CAP. IX. ℣. 33.

JEzabel, tametsi uxor Regis, mater Regis, & terror populi Israëlitici, gravi tamen supplicio fuit condemnata, videlicet ut è fenestris palatii præcipitaretur in publicam viam. *Præcipitate eam deorsum, & præcipitaverunt eam, aspersusq; est sanguine paries, &c.* 4. Reg. c. 9. v. 33. Et certè accommodata ei fuit hæc pœna; quia falsis testimoniis iniquè præcipitavit vitam & bona innocentis Naboth, ab ipsa spoliati & interfecti; ut videri potest lib. 3. Reg. c. 21. v. 9. &c. 459.

Testes falsi præcipitantur.

Divina hæc decisio convenit cum sententia Decemvirali; *Qui falsum testimonium dixerit, è saxo Tarpejo dejicitur.* Hanc supplicii sortem frequentissimam habuêre Romani, ut scribit Dionysius Halicarnassæus lib. 8. tametsi postea fuerit abolita, uti non sine justa querela testatur Sextus Cæcilius apud Aulum Gellium lib. 20. cap. 1.

CAP.

CAP. IX. ℣. 33.

460. Sublimis celsitudo, in quam promota erat scelerata Jezabel, non deserviit aliò, nisi ad ruinam tantò terribiliorem; dum è fastigio regiæ magnificentiæ projecta in abyssum infelicitatis, ac præcipitata fuit è fenestris; ita jubente capitali ipsius inimico, qui mandavit; *Præcipitate eam, & præcipitaverunt eam. &c.* 4. Reg. cap. 9. vers. 33.

Fœminæ præcipitatæ.

Jezabeli, jubente Jehu præcipitatæ, non absimilis est Apronia, quæ ex mandato Plautii Silvani, Prætoris, sub Tiberio fuit projecta è fenestris, ut scribit Corn. Tacitus lib. 4. Ita etiam Tarpeja, postquam Sabinis prodidit Capitolium, ab his è rupe Tarpeja fuit præcipitata, ut proditionis suæ præmium reciperet mortem. Ita Ravisius p.p. suæ Officinæ in cap. *Præcipitati*; ad quem remitto meum lectorem.

CAP. IX. ℣. 33.

461. Apprimè dici potest, justitiam divinam triumphâsse in supplicio sceleratæ Jezabelis; dum fecit, ut infamis illa fœmina conculcaretur pedibus equorum, quæ pedibus suis calcavit pietatem ac religionem. *Et equorum ungulæ conculcaverunt eam.* 4. Reg. c. 9. v. 33.

Conculcati ab equis.

Etiam alii post Jezabelem reperiuntur conculcati ab equis. Severus coëgit suum equum ad calcandum cadaver Clodii Albinii ut scribit Volaterrannus lib. 23. & Baptista Fulgosius lib. 9. c. 3. Tullia, filia Tarquinii, fœmina sceleratissima, concitavit equos & currum, ut supra faciem jacentis sui patris currerent. De hoc facto Ovidius 6. Fast.

Filia carpento patrios initura penates
Ibat per medias alta, ferox q; vias.
Corpus ut aspexit, lachrymis auriga profusis
Restitit: hunc tali corripit illa sono:
Vadis, an expectas pretium pietatis amarum?
Dux, inquam, invitas ipsa per ora rotas.
Certa fides facti est, dictus sceleratus ab illa
Vicus, & æterna res ea presse notâ.

CAP. IX. ℣. 37.

462. Sicuti nobilitas Jezabelis in summo gradu excelluit, cùm fuerit filia Regis Tyri, uxor Regis Achab, & mater Regis Samariæ; ita etiam tanta erat donata pulchritudine, ut videretur gloria Judææ, & miraculum Reginarum. Post mortem verò evasit adeò deformis, sordida, & abominabilis, ut prætereuntes attoniti ac stupore pleni, cùm nihil in illa viderent nisi horrorem ac fœtorem, exclamârint; *Hæccine est illa Jezabel?* 4. Reg 9. v. 37.

Pulchritudo à morte vastatur.

Cùm Franciscus Borgias, Dux Gandiæ, comitaretur funus Isabellæ, uxoris Caroli V. Imperatoris, ad sepulchrum regium Granatense; aperto sarcophago ita eam reperit deformem, fætidã & horribilem, ut nihil pristinæ venustatis ac pulchritudinis in ea deprehendens, attonitus ac stupefactus exclamârit; *Hæccine est Isabella, mundi Imperatrix?* Itane obscurata est gloria Hispaniarum? Ergone putrefactus est flos pulchritudinis? siccine ad hos terminos redacta est majestas Imperatricis? Ah! quid video?

CAP. X. ℣. 19. &c.

Palam sparsit Jehu, se velle solemnissimum sacrificium offerre idolo Baal; unde grandi edicto convocavit omnes suos præfectos. ministros, & sacerdotes, quos simul congregatos, Regii ministri nullo excepto occiderunt; adeo que ceciderunt divinæ justitiæ victimæ, qui in præcedentis vitæ suæ cursu erant fautores iniquitatis & superstitionis; refertur hæc Historia 4. Reg. c. 10. v. 19. usque ad 26. 463.

Idololatræ puniti.

Simili artificio usus videtur Constantius Imperator, Pater Constantini Magni. Ille enim, ut sciret ac securus esset, quinam è sua familia essent veri & boni Christiani; aut quinam timidi, inconstantes, & simulati; publico edicto promulgavit, ut, qui vellent adorare idola, persisterent in aula, & in pristinis officiis ac honoribus confirmati essent; contra verò qui contrariæ esset religionis, discederet. Hoc modo detectis omnibus idololatris, eos palatio suo ejecit, reliquos verò, qui se bonos Christianos professi sunt, servavit, ac honoravit. Eusebius lib. 1. de vita Constantini. c. 9. & 10. Sozomenus lib. 1. c. 6.

CAP. XI. ℣. 1.

Scelerata Athalia, simul agitata rabido furore, concepto ex morte filii sui Ochoziæ, occisi à Jehu; & superbâ anxietate, qua ambiebat ipsamet regnum absolute & independente authoritate gubernare; interfecit omnes nepotes, filii sui liberos, omnesque è regia stirpe oriundos. *Athalia, mater Ochoziæ, videns mortuum filium suum, surrexit, & interfecit omne semen regium.* 4. Reg. c. 11. v. 1. 464.

Mater occidens successores.

Hujus barbaræ inhumanitatis & crudelissimæ feritatis ideam præfert scelerata Medea, quæ horrendo modo occidit omnes suos filios seu proximos nepotes; de quo macello loquitur Ovidius, & Natalis Comes Mythol. lib. 6. c. 7. Athaliæ non absimilis fuit Drahomira, impia & idololatra mater, quæ incitavit & induxit filium suum Boleslaum, ut occideret S. Wenceslaum, Regem Bohemiæ, fratrem suum natu majorem, & filium crudelis ac sceleratæ illius matris, ut prolixè refert Æneas Sylvius Histor. Bohem. Atrocitas Athaliæ in extinguendis omnibus posteris Regis Davidis, innovata fuit tempore Trajani; ubi omni diligentia capti & oppressi sunt singuli illi, qui erant ex prosapia Davidis; Unde Simeon, Episcopus Hierosolymitanus, accusatus, quòd esset illius prosapiæ, patibulo suspensus fuit, tametsi centum & viginti annorum senex. Febr. die 18.

CAP. XI. ℣. 2.

Utut in excidium regiæ familiæ debacchata fuerit execranda crudelitas Athaliæ; longè tamen plus potuit sedula pietas Josabæ, quæ communi macello subtraxit filium Ochoziæ Joas, qui cum suis filiis & nepotibus propagavit regium Davidis sanguinem, eumque innumeris annis supra thronum Hierosolymitanum stabilivit. *Tollens autem Josaba, filia Regis Joram, soror Ochoziæ, Joas filium Ochoziæ, furata est eum de medio filiorum Regis, qui interficiebantur, & nutricem ejus de triclinio: & abscondit eum à facie Athaliæ, ut non interficeretur.* 4. Reg. 11. v. 2. 465.

Unus ramulus conservat familiam.

Cùm Romani graviter infestarentur à militaribus Tuscorum turmis; familia Fabiorum, numero trecentorum sex, simul se obtulit ad propugnandam patriam. Egressi proinde in campum, obtinuerunt aliquot victorias; donec circumdati & superati à numeroso hoste, omnes fuerint trucidati, vix superstite Romæ unico juvene, in quo familia illa, non sine inæstimabili Romanorum beneficio, conservabatur. De hoc eventu T. Livius lib. 2. n. 50. *Fabii cæsi ad unum omnes — trecentûm sex periisse satis convenit; unum propè puberem ætate relictum, stirpem genti Fabiæ dubiisq; rebus populi Romani sæpè, domi, bellique vel maximum futurum auxilium.*

CAP. XI. ỷ. 12.

466\. CUm Princeps sacerdotum Jojada possessionem regni Judaici traderet Joas, adhuc septem annorum puello; ut omnes illum agnoscerent Regem, frontem ipsius cinxit diademate, quod Reges Judææ ornamenti loco etiam in bello consueverant portare. 2. Reg. 1. v. 10. Adeoque summus ille sacerdos *produxit filium Regis*, id est, exposuit conspectui populi, congregati in templo, filium Regis, & legitimum successorem, *& posuit super eum diadema &c.* 4. Reg. 11. v. 12. *feceruntq; eum Regem, & unxerunt.*

Diadema ornamentum regium.

Singulæ nationes dedêre suis Principibus peculiare aliquod ornamentum, quo frontem cingerent. Persæ gestârunt thiaram elevatam, qualis fuit diadema Xerxis, ut observat Plutarchus lib. de fraterno amore. Artabanus, Rex Parthorum, duobus diadematis redimibat frontem, ut refert Herodianus lib. 6. Macedonibus & Lydis, insignis regii loco, deserviebat velum, ut colligitur ex Diodoro lib. 17. c. 7. Diademate etiam usi sunt Reges Siciliæ, Numidiæ, & Romæ; quod constabat fascia linea aut lanea, coloris candidi; poteratque servire etiam ad obligganda vulnera, ut fecit Pompejus; vel funis loco ad vitam miserè intercludendam, ut in vita Luculli observat Plutarchus. De hac diadematum varietate eruditè discurrit P. Pineda de rebus Salomonis. l. 2. cap. 7. §. 3.

CAP. XI. ỷ. 16.

467\. A radice iniquitatis non potest aliud produci germen, nisi doloris. Quemadmodum scelerata Jezabel, post occisos Prophetas Dei, persecutum ad mortem usque S. Eliam, protecta sacrilegia & idololatrias, innocentem Nabothum vita & vinea spoliatum, tandem præcipitabatur è fenestris, calcata ab equis, & dilaniata à canibus. 4. Reg. 9. ita crudelis Athalia, ob interfectam progeniem regiam, usurpatam coronam sibi indebitam, & destructum cultum divinum, à furibundo populo ejecta templo, è regione palatii regii, propè stabulum equinum jacuit trucidata & extincta. *Impegerunt eam per viam introitus equorum, juxta palatium, & interfecta est ibi.* 4. Reg. 11. v. 16. & teste Josepho lib. 9. c. 7. raptata usque flumen ad Jordanem, ibi proprio sanguini immersa jacuit.

Tyrannis punita.

Athaliæ ac Jezabeli tam iniquitate, quam supplicio non absimilis fuit Brunechildis, mater & avia multorum Galliæ Regum. Hæc ut absolutum Regni dominium servaret, & tanquam Regina moreretur, Regem Theodoricum artificiosè retinuit implexum impuris meretricum amoribus. S. Columbanum ejecit in exilium, quòd eam propterea reprehenderit, ac scelus exprobrârit. Desiderium & Delphinum, illum Episcopum Viennensem, & istum Lugdunensem, interfecit. Imò suis machinationibus & sceleratis consiliis molita est interitum decem Regum. Tandem capta à Rege Chlotario, imprimis collocata fuit supra camelum, ac circumducta ut illuderetur à populo; postea capillis ligata ad caudam furibundi equi, cujus calcibus è dirupto capite excussum fuit cerebrum, omniaque reliqua membra inter saxa & spinas raptata & dilacerata; ut referunt Ajimonius & Baronius Anno Christi 614.

CAP. XII. ỷ. 7.

TAm honor Dei, quàm decor civitatis exigit, ut templa serventur sarta tecta, omnique studio reparentur. Hanc necessitatem probè perspectam habens Joas, cùm videret, temporis sui sacerdotes peccare vel ex negligentia, quòd pecunias, ad operam illam destinatas, non exigerent; vel ex avaritia, quòd eas in proprios usus converterent; id illis exprobravit, ac jussit, ut muros templi pro ædificii exigentia resarcirent. *Quare sarta tecta non instauratis templi? nolite ergò amplius accipere pecuniam juxta ordinem vestrum, sed ad instaurationem templi reddite eam &c.* 4. Reg. 12. v. 7. 468.

Reparatio templorum.

In hac re summoperè invigilârunt Romani; unde Varro dicit, hanc fuisse peculiarem curam Ædilium. Ulpianus l. 7. ff. de Offic. Procons. ait, ad Proconsulem pertinere, *ædes sacras & opera publica circumire inspiciendi gratia, an sarta, tectaq; sint, vel an aliqua refectione indigeant.* Adeoque in singulis civitatibus sunt constituti viri, qui operariorum, architectorum, & similium fabrorum titulo procurant restaurationem ac conservationem Ecclesiarum & altarium.

CAP. XIII. ỷ. 17. &c.

ELisæus ante mortem suam visitatus à Joas Rege Israël, totidem ei prædixit victorias, quoties è fenestra pauperis illius cellulæ vibrabat sagittas. *Dixit Elisæus; jace sagittam: & jecit, & ait Elisæus; sagitta salutis Domini, & sagitta salutis contra Syriam, percutiesque Syriam &c.* Adeoque illa ejaculatio sagittarum contra partes Syriæ, erat quasi intimatio, denuntiatio, & initium belli contra illos populos. 469.

Sagitta vibrata ad intimandum bellum.

Antiquo Gentilium more intimabantur ac incipiebantur bella per ejaculationem sagittarum aut lancearum contra terras hostiles. Quantùm ad Romanos; Aulus Gellius lib. 16. c. 4. ait; *Fecialem populi Romani bellum indicentem hostibus, telumque in agrum eorum jacientem, hisce verbis uti, ego, populusq; Romanus, populo Hermundulo, hominibusq; Hermundulis bellum dico, facioque.* Inhærendo huic consuetudini Romanæ; Virgilius lib. 9. Æneid. vers. 51. introducit Turnum, bella moventem contra Trojanos;

Ecquis erit mecum, o juvenes, qui primus in hostem?

En,

En, ait: & jaculum intorquens emittit in auras,
Principium pugnæ, & campo sese arduus infert.

Ad eundem ritum alludit Valerius Flaccus lib 4.
— *Pugnas motâ pater incitat hastâ.*

Haud aliter egêre Græci; unde Alexander Magnus, vix attingens confinia Persiæ; *Primus Alexander jaculum, velut in hostilem terram jecit: armatusq; de navi, tripudianti similis, prosiluit*; ut refert Justinus lib. 11.

CAP. XV. ỷ. 10. &c.

470. CAput decimum quintum Libri quarti Regum videtur potius laniarium Principum, quàm relatio historica; si initium sumatur à v. 10. Zacharias, Rex Israëlis, occiditur à Sello; v. 14. Sellus trucidatur à Manahen; v. 25. Phaceja, filius Manahen, postquam regnavit duobus duntaxat annis, interficitur à Phacee; & v. 30. Phacee occiditur ab Osee.

Principes occisi.

Frequentes fuêre similes tragœdiæ, ut alio loco dictum est, etiam inter Principes, extra sacra volumina positos; sic Darius fuit interfectus à Besso, Pompejus à Ptolomæo, Cæsar à Bruto, Geta à Bassiano Caracalla; Caracalla à Macrino; Philippus à Decio, Mauritius à Phoca; & sic deinceps.

CAP. XVI. ỷ. 3.

471. INter alias iniquitates, quas Spiritus Sanctus exprobrabat Achazo, Regi Hierosolymitano, recensent sacræ litteræ execrandam illam barbariem, quòd proprium suum filium infernalibus furiis consecraverit in victimam, & combusserit in holocaustum. *Insuper & filium suum consecravit, transferens per ignem.* 4. Reg. 16. v. 3 Hebræis usitata fuit hæc iniquitas; inter alia enim idola habuerunt statuam æream, intus vacuam, Moloc cognominatam; intra statuæ hujus brachia collocabant suos infantes, &, excitato intra illius metalli sinum igne, miseros innocentes cruciabant & occidebant. Contra hanc barbariem invehitur David Psal. 105. v. 37. &c. *Immolaverunt filios suos & filias suas dæmoniis. Et effuderunt sanguinem innocentem; sanguinem filiorum suorum & filiarum suarum, quas sacrificaverunt sculptilibus Chanaan.*

Holocausta oblata idolis.

Ludovicus Vives supra lib. 7. de Civit. Dei. c. 19. scribit, suo tempore fuisse reperta idola ænea, cum sinu concavo, in cujus manibus & brachiis solebant reponi ac comburi infantes. Hæc crudelitas non tantùm usitata fuit Gallis, ut observavit Cicero Orat. pro Fontejo; sed etiam Africanis, Siculis, Italis, Græcis, Scythis, Thracibus, Britannis, & aliis, qui solebant monstris infernalibus offerre victimas humanas. De his Lorinus in Levit 18. v. 21.

CAP. XVIII. ỷ. 19.

472. RAbsaces, supremus Belli dux Sennacheribi, Regis Assyriorum loquens de suo Principe, dedit ei titulum magni; *Hæc dicit Rex magnus, Assyriorum.* Idem titulus etiam usitatus fuit apud Chaldæos; Unde Judith c. 3. v. 2. *Serviamus Nabuchodonosor Regi magno.* Artaxerxes Esth. 16. v. 1. vocatur Rex magnus; *Rex magnus Artaxerxes.* & c. 13. v. 1. *Rex maximus Artaxerxes.* &c.

Titulus magni datur Regibus.

Herodianus lib. 6. scribit, Artabanum, Regem Parthorum, qui regnabat in Oriente, præ omnibus aliis cognominatum fuisse magnum, solitumque coronari duobus diadematis. Illud ipsum epitheton fuisse adhibitum à Regibus Persiæ, testantur Plato lib. 3. de Leg. & Plutarchus tam in vita Pompeji, quàm in Lacon: Eodem usi sunt Medi, ut observant Arrianus lib. 6. Dion. Chrysostomus Orat 3. de Regno & alii. De hoc argumento studiosè agit Jo. Pineda. de Reb. Salom. lib. 5. c. 1.

CAP. XIX. ỷ. 23.

INter alias jactantias superbi Sennacheribi etiam ista recensetur. *In multitudine curruum meorum ascendi excelsa montium in summitate Libani, & succidi sublimes cedros ejus. &c.* 4. Reg. 19. v. 23. quasi diceret, se rupisse scopulos montium, eradicâsse sylvas, & rigida illa prærupta adeò fuisse complanata, ut locus ille, antea peditibus & equis penè inaccessibilis, facillimè transire possit à suis falcatis & militaribus curribus; uti interpretatur Abulensis Quæst. 15. 473.

Quod supra Judææ montes fecit Sennacherib, tentavit & executus est Hannibal supra horridas alpes; ubi non obstantibus scopulis ac nivibus, aperuit ac complanavit viam, qua superbus ipsius exercitus transire poterat ad expugnandam Romam. De hoc facto Juvenalis Sat. 10.

— *Opposuit natura alpemque, nivemque,*
Diduxit scopulos, & montem rupit aceto.

CAP. XIX. ỷ 24.

EXercitus Assyriorum à Sennacheribo conductus contra Judæam, erat adeò numerosus, ut, quocumque pervenerat, fuerint exsiccatæ omnes aquæ cisternarum ac puteorum; id quod ipsemet indicare voluit his verbis; *Siccavi vestigiis pedum meorum omnes aquas clausas.* 4. Reg. 19. v. 24. seu, ut scribit Isaias Propheta cap. 37. v. 25. *Omnes rivos aggerum*; seu omnes aquas, quæ fluebant per provincias & campos. 474.

Flumina exsiccata ab exercitibus.

Xerxes, ducens suum exercitum per Græciam, habebat numerum militum & equorum adeò grandem, ut potando exsiccârint flumina. Ita testatur Herodotus lib. 7. & Justinus lib. 2. De hoc facto Juvenalis Sat. 10.

— — *Credimus altos*
Defecisse amnes, epotaque flumina, Medo
Prandente.

CAP. XIX. ỷ. 35.

EZechias, Rex Hierosolymitanus, timens superbam potentiam exercitûs Assyriorum, quo tam ipsius regnum, quàm civitas regia obsidebatur, recurrit ad Deum, supplicans ab ipso patrocinium. Isaias Propheta, loco Dei, promisit omnem assistentiam è cœlo in favorem Judææ; *Protegam urbem hanc, & salvabo eam &c.* 4. Reg. 19. v. 34. Id quod eventus mox docuit; nam *in nocte illa venit angelus Domini, & percussit in castris Assyriorum centum octoginta quinq; millia.* 475.

Succursus cœlorum.

Herodotus in Euterpe propè finem narrat eundem successum, totum tamen immutatum, ac fabulis undique involutum; *Cùm Sennacherib, Arabum, Assyriorumque Rex, cum magnis copiis invasisset Ægyptum: tunc memorant sacerdotem, consilii inopem, in cœnaculum se recepisse, ibique apud simulachrum comploràsse, quanti pati peri-*

periclitaretur, eiq. inter lamentationem obrepsisse somnum, & inter quietem visum adstare Deum, exhortantem, nihil ipsum molestia passurum, si copiis Arabum obviam iret: se enim auxiliarios ei missurum; His insomniis fretum sacerdotem, sumptu Ægyptiorum his, qui secum ire vellent, castra in Pelusio posuisse. &c. & cùm pervenissent noctu, effusam ipsis hostibus vim agrestium murium, qui illorum tunc pharetras, tum arcus, tum scutorum habenas obederunt; ita ut postera die hostes armis exuti, fugam fecerint, multis amissis. &c.

CAP. XX. ℣. 2.

476. REx Ezechias, graviter ægrotus, cum videret sibi ab Isaia Propheta denuntiari mortem, lethali anxietate oppressus; *convertit faciem suam ad parietem, & oravit Dominum.* 4. Reg. 20. v. 2. Convertit ergò faciem ad parietem, non solùm ut posset orare anima magis collecta, suasque continere lachrymas, quas nolebat ostentare circumstantibus; sed longè magis & in particulari, ut oculos teneret versus templum, illucque tenderet affectu, quò non poterat pedibus, ut interpretatur S. Hieronymus cum multis aliis.

Orando converti ad templum.

Priamus in sua domo volens orare ac supplicare Jovi, qui adorabatur in Ida; repræsentatur à Calabro lib. 1. facie conversa ad illam partem.

Orabat conversus ad fanum sacrum Idei Jovis.

Ita ordinario more, qui volebant precari Jovem, convertebantur ad cœlum; qui Neptunum, ad mare; qui Plutonem, ad terram.

CAP. XX. ℣. 5.

477. CUm Isaias Propheta infirmo Regi Ezechiæ ex Deo promitteret prolongationem vitæ ad quindecim annos, singulari solatio perfusus Rex, pro peculiari sua satisfactione interrogavit; *Quod erit signum, quia ascendam in domum Domini?* Isa. 38. v. 22. cui respondit optimus Propheta. *Ecce sanavi te, & die tertio ascendes templum Domini.* Evidens ergò sanitatis recuperatæ signum est, firmitas, robur, ac facilitas progrediendi è domo, & iter capessendi.

Motus est signum recuperatæ sanitatis.

Opportunum convalescentibus præceptum est illud Galeni de art. medic. cap. 20. *Motus vehicula, ambulationes, & paulatim se ad consueta opera transferre*, adeoque, quantùm possunt, commotiones instituant sive pedibus, sive in curru; paulatim progrediantur, ac congrua exercitia peragant, donec ad pristinas operationes reducantur.

CAP. XX. ℣. 11.

478. PRæter sanitatem prodigiosè restitutam, ut præcedente numero dictum est; Deus etiam grande illud miraculum ad preces Ezechiæ Regis patravit, ut umbra horologii solaris, & consequenter ipse sol retrogressus sit decem gradibus. Ita 4. Reg. 20. v. 11. *Invocavit itaq. Isaias Propheta Dominum, & reduxit umbram per lineas, quibus jam descenderat in horologio Achaz, retrorsum decem gradibus.* Isa. 38. v. 8. *Et reversus est sol decem lineis per gradus, quos descenderat.* Ecclesiastici 48. v. 26. *Et in diebus ipsius retrò rediit sol, & addidit Regi vitam.*

Miraculosus motus solis.

Revertentis solis videtur aliquod vestigium reperiri apud Profanos; inter quos Herodotus in Euterpe ait; *Intra decem millia, trecentosque, & quadraginta annos, quater solem præter consuetudinem fuisse exortum; his quidem illic exortum, ubi nunc occidit; bis autem ubi nunc oritur, illic occidisse;* uti refert P. Gaspar Sanchez. in hunc locum.

CAP. XXI. ℣. 7.

ENormia scelera, commissa à Manasse, Hierosolymarum Rege, exprimuntur 4. Reg. 479.
cap. 21. à v. 2. usque ad 12. Et rursùs v. 16. Inter alia tamen fuit intolerabile illud, quod describitur num 7. *Posuit quoque idolum luci, quem fecerat, in templo Domini.* In hunc locum Theodoretus in 4. Reg. Quæst. 22. *Quod est omnium maximè impium, in Dei templo statuit simulachrum impuri, & impudici Dæmonis. Posuit enim, inquit, sculptile luci in domo Domini:* adeoque abominandum ac turpe idolum, antehac in luco quodam collocatum, transtulit intra templum Dei; &, ut docet P. Cornelius à Lapide, circùm illud fecit è metallo construi ornamentum, parvulo luco non absimile; quo sacer ille locus ultra modum contaminabatur ac deturpabatur.

Templum Dei ab idolo contaminatum.

Gentilium malitia, ad destruendam, vel saltem obscurandam memoriam Redemptoris, contaminavit sacrum Calvariæ montem statua Veneris; & in divini præsepis loco posuit lucum Adonidis, qui ibi perstitit centum & octoginta annorum spatio, videlicet, ab Adriano usque ad Constantinum Magnum, uti refert S. Hieronymus Epist. 13. ad Paulin. & Breviar. Rom. 3. May. Lect. 4.

CAP. XXI. ℣. 13.

ENormibus Hierosolymarum sceleribus pro- 480.
vocatus Deus, minatur ultimum excidium; 4 Reg. 21. v. 13. *Delebo Jerusalem, sicut deleri solent tabulæ: & delens vertam, & ducam crebrius stylum super faciem ejus.* Hac loquendi forma alluditur ad tabellas, coopertas cera, quæ in usu erant, priusquam ad scribendum inventa esset charta. Supra illas enim ducebatur stylus, cujus pars acuminata formabat characteres, & pars plana delebat. Adeoque *vertere stylum*, idem est, ac vertere manum, & complanare ac delere characteres, antea formatos, quo proverbio denotatur; *mutare sententiam.*

Vertere stylum.

Ad hoc alludens Horatius lib. 2. Sat. 18. canit;

Sæpè stylum vertas, iterum quæ digna legi sunt
Scripturus.

Eodem loquendi modo usus est S. Hieronymus advers. Rufin. *Quamdiu non renuebam laudationem tuam, sequebaris ut magistrum fratrem, & collegam vocabas, & Catholicum in omnibus fatebaris: Postquam verò non agnovi laudes tuas, & me indignum tanti viri præconio judicavi, vertis stylum, & omnia laudata prius, vituperas, de eodem ore, & dulce proferens, & amarum.* Ubi S. Hieronymus imitatus est Ciceronem, qui *Act. 4. in Verrem* scribit; *Timuit aliquando, & commotus est: vertit stylum in tabulis suis, quo facto causam omnem evertit suam.*

CAP. XXIII. ℣. 11.

INter alias insignes operationes, factas à sanctis- 481.
simo Josia in testimonium ardentis zeli, quo honorem Dei fovebat in suo pectore; *Abstulit equos, quos dederant Reges Juda soli.* 4. Reg. 23. v. 11. Etsi enim ipsius prædecessores, Reges idololatræ,

latræ, colosso solis obtulerint & consecrarint quosdam equos, seu pictos & sculptos; seu veros & vivos; ille tamen nullo prorsus modo hanc oblationem ulterius permittere voluit.

Equi consecrati soli.

Quin soli fuerint attributi equi nullum est dubium; Ovidius repræsentat solem, nobili insidentem curru, quatuor equis trahi solito. Unde lib. 2. Metamor:

-- -- Pyrois, Eous, & Ethon
Solis equi, quartusque Phlegon.

Quòd soli etiam fuerint consecrati equi tam picti & sculpti, quàm vivi; testantur Xenophon lib. 8. Cyropæd; Herodotus lib. 1. in fine, Justinus lib. 1. & alii. Unde Ovidius 1. Fast.

Placat equo Persis radiis Hyperiona cinctum,
Ne detur celeri victima tarda Deo.

Hic tamen prætereundum non est testimonium Xenophontis loco citato, ubi describit triumphum Cyri ob captam Babyloniam; *Primò agebantur ipsi Jovi tauri pulcherrimi quaterni -- post boves verò equi, ut soli sacrificium existerent &c.*

CAP. XXIII. ℣. 13.

482. APprimè demonstravit Josias animum prorsus elevatum erga Deum, quando destruxit profana templa, quæ supra montium fastigia videbantur cœlo imminere; Unde etiam totidem statuas ad proprios honores est promeritus, quot idolorum statuas diruit, lucosque infames eradicavit, in quibus sacrilegè adorabantur. *Excelsa quoque, quæ erant in Jerusalem ad dexteram partem montis offensionis, quæ ædificaverat Salomon -- polluit Rex. Et contrivit statuas, & succidit lucos* 4. Reg. 23. v. 13. &c. Idola juncta lucis reperiuntur etiam Exod. 34. vers. 13. *Aras eorum destrue, confringe statuas, lucosque succide. Aras eorum subvertite & confringite statuas, lucosque* Deut. 7. vers. 5. *Aras eorum subvertite & confringite statuas, lucosque succidite, & sculptilia comburite.* Et rursus cap. 12. v. 3. cap. 16. vers. 21. & alibi.

Idola in lucis.

Templa & idola à Gentilibus solebant collocari in lucis. Virg. 1. Æneid.

Lucus in urbe fuit mediâ latissimus umbrâ.
Hic templum Junoni ingens Sidonia Dido
Condebat.

Ovid. l. 3. Fast.

Lucus Aventino suberat niger ilicis umbra,
Quo possis viso dicere, Numen inest.

Simili modo Belus, idolum Babyloniorum, in medio hujus civitatis habuit templum & lucum, ut observat Jo. Pineda de Reb. Salomon. lib. 7. c. 10. §. 2.

CAP. XXIII. ℣. 29.

483. MAgna omninò, & imperscrutabilia sunt judicia Dei, qui interdum permittit, ut ipsius servi, tametsi virtute & sanctitate insignes, ultimam vitæ periodum claudant infausto, acerbo, & calamitoso fine. Idipsum contigit sanctissimo Josiæ, qui pro defensione populi Israëlitici, suique Regni conduxit exercitum contra Regem Ægypti; & tamen in loco prælii vulneratus & occisus est. *Ascendit Pharao Nechao Rex Ægypti contra Regem Assyriorum ad flumen Euphratem: & abiit Iosias Rex in occursum ejus: & occisus est.* 4. Reg. c. 23 v. 29.

Reges sancti mortui in prælio.

Sæculi sui Josias fuit S. Ludovicus, Rex Galliæ; qui cum ingenti exercitu profectus in Orientem, ut Saracenorum manibus eriperet Terram sanctam, ibidem à barbaris ductus est captivus, & peste correptus, vitam amisit; adeoque perdens regna terrestria, sublevatus est ad æterna ac cœlestia Dei regna.

CAP. XXIV. ℣. 2.

QUia Joachimus, Rex Hierosolymarum, rebellis extitit Nabucchodonosori, Regi Babyloniæ; denegans ei condictum obsequium ac tributum; idcircò *Immisit ei Dominus latrunculos Chaldæorum, & latrunculos Syriæ, latrunculos Moab, & latrunculos filiorum Ammon, & immisit eos in Judam, ut disperderent eum. &c.* 4. Reg. 24. v. 2. Id est, contra Judæam misit suos milites, qui cum Syris, Moabitis, & Ammonitis properarent ad illud regnum deprædandum, ac militari ferociâ infestandum. Adeoque latrunculorum nomine repræsentantur milites; unde lib. 4. Reg. 5. v. 2. ubi scribitur; *De Syria egressi fuerant latrunculi, & captivam duxerunt de terra Israël puellam*; intelliguntur turmæ militares; & in Hieremia 18. v. 22. ubi legimus *Adduces enim super eos latronem repente*; sacri Interpretes intelligunt exercitum Nabuchodonosoris, ductum in excidium Judææ. 484.

Milites vocantur latrones.

Festus Pomponius, Servius, & Ludovicus Cerda, reflectendo ad illum locum Virgilii 12. Æneid. v. 7.

-- -- Fixumque latronis
Impavidus frangit telum, & fremit ore cruento.

Nomine *latronis* intelligunt *militem* stipendiarium; nam vox Græca *latron*, significat mercedem; & consequenter mercenarii milites fuerunt dicti *latrones*. Hanc eruditionem præclarè explicat Alexander ab Alex: lib. 6. cap. 22. *Mercenario milite populus Romanus perrarò adjutus fuit: solùm enim Punico bello ope externâ adjutus, bella gessit, & in Hispania Celtiberi stipendiarii militis auxilio fultus, legiones duxit, quos latrones, quòd mercede militarent, quasi servientes, nuncupavit antiquitas, qui plerumque circa Imperatoris latera excubabant.* Adeoque vocabantur *latrones*, quia mercenarii; & etiam *latrones*, quasi *laterones*, quia à latere & custodia Principis versabantur; in hoc argumentum Plautus in Milite glorioso Act. 1. Scen: 1. circa fin. ait:

Nam Rex Seleucus opere oravit maxumo,
Ut sibi latrones cogerem & conscriberem.

CAP. XXIV. ℣. 20.

GRandis erat stultitia Regis Hierosolymitani, qui perspectam habens formidandam potentiam Regis Babylonii, à quo coronam & regnum acceperat, eique ex pacto tributarius extiterat, postea excæcatus superbia, ausus est perduellem agere, ac potentissimi illius Monarchæ vindictam contra se provocare. In hunc scopulum impegit Sedecias; immemor enim turbarum gravissimarum, sub Joachimo, ac ipsius Prædecessoribus concitatarum; qui ob seditio- 485.

Frangere pactum est ruina regni.

ditionem excitatam, partim videre debuerunt regnum destructum, partim seipsos coronâ ac patria spoliârunt; ipse tamen rursùs *recessit à Rege Babylonis.* 4 Reg. 24 vers. 20. Hæc iniquitas per consequentiam secum tulit Sedeciæ captivitatem, extinctionem regni, & interitum totius Judææ, ut sequenti cap. 25. dicetur.

Perfidia & pactorum transgressio affert extrema ac deploranda damna & supplicia. Silius Italicus l. 13. v. 286.

— — *Qui frangere rerum*
Gaudebit pacta, ac tenues spes linquet amici;
Non illi domus, aut conjux, aut vita manebit
Vnquam expers luctus, lachrymæque; aget æquore semper
Ac tellure premens: aget ægrum nocte, dieque
Despectâ, ac violata fides.

Agesilaus, teste Plutarcho in Apopht: Lacon: plurimùm gaudebat, quando ipsius hostes violabant juramentum & fidem datam; *quòd perjurio suo & Deos, & homines sibi infensos redderent, adversæ verò parti propitios.* Alexander Magnus contra fidem datam, armis suis oppressit quosdam Indos: paulo tamen post ob illud scelus infeliciter periit, ut in ipsius vita observat Plutarchus. Carthaginenses, quando contra pacta, inter Asdrubalem & Romanos stabilita, destruxerunt civitatem Saguntinam; etiam ipsi à Romanis in tantæ perfidiæ pœnam fuêre profligati ac destructi. Theodatus Rex Gothorum, bellis oppressus, per Legatum petiit à Justiniano Imperatore pacem, offerens ei omnes provincias Galliæ & Italiæ; postea verò certior factus de morte Mundæ, Belliducis Justiniani, ausus est rumpere fidem, eique bellum inferre; verùm à suismet occisus, meritas perfidiæ suæ pœnas dedit, uti scribunt Procopius & Biondus.

CAP. XXV. ℣. 19.

416. INter præclarissimos viros, quos Nabuzardan post destructionẽ regni Judaici captivos duxit in Babyloniam, fuit ille, de quo 4. Reg. 25. vers. 19. *Et Sopher principem exercitus, qui probabat tyrones de populo terræ.* Ille proinde inter grandes personas exercitûs Hebræi numerabatur, eratque ita peritus in tractandis armis, ut magistri loco serviret juventuti, eamque doceret vibrare arcum, rotare ferrum, tractare lanceam, gestare arma, inferre ictus &c. Hujus exercitii militaris singularem curam demonstravit David; quia *præcepit, ut docerent filios Juda arcum.* 2. Reg. 1. vers. 18. id est, *ad jaciendum arcu*; ut explicat Pharaphrastes Chaldæus.

Milites instructi ad arma tractanda.

Centeni Scriptores suadent juventuti, ut exerceatur tractandis armis. Plato in Dialogo, cui titulus Lachetis; *Honestum est juveni*, inquit, *ut armis dimicare discat.* Plutarch: Opusc: de Liberis educand: *Exercitandi sunt liberi ad certamina militaria, jaculandi, arcum tractandi, & venandi peritiâ inter se certantes.* Vegetius lib. 1. cap. 9. docet; *ad gradum militarem, & cursum, & saltum, exercendos tyrones.* Et cap. 10. *Ad usum natandi exercendos tyrones.* cap. 11. ad tractandum scutum, & ejaculandum versùs metam; cap. 12. ad feriendum scopum; & sic ab uno exercitio ad aliud per multa capita. Homerus de Græcis, existentibus in castris ante Trojam, ait lib. 2. Iliad.

— *Vulgus autem in littore maris*
Discis jaciendis, & hastis oblectabantur.

Quòd denique juventus fuerit exercitata in tractandis armis sub magisterio virorum grandium, demonstrat Evander, qui Pallantem suum tradidit Æneæ, ut sub ipsius institutione proficeret. l. 8. Æn. v. 514.

Hunc tibi præterea spes, & solatia nostri
Pallanta adjungam: sub te tolerare magistro
Militiam, & grave Martis opus, tua cernere facta
Assuescat, primis & te miretur ab annis.

In hunc sensum Pelæus, commendans Chironi juvenem Achillem apud Valerium Flaccum lib. 1. dixit;

-- *Te parvos lituos & bella loquentem*
Miretur, sub de puerilia tela magistro
Venator ferat, & nostram festinet ad hastam

Alexander Augustus, scribens Maximino, supremo suo Belliduci, teste Julio Capitolino in ipsius vita, hoc modo ratiocinabatur. *Habes tyrones; ad tuam virtutem, ad tuum laborem eos fac militiam addiscere: ut mihi multos Maximinos optabiles Reipublicæ efficias.* Unde Maximinus; *accepta legione, statim eam exercere cœpit: quintâ quoque die jubebat milites discurrere, in se simulacbra bellorum agere, loricas, scuta, galeas, gladios, tunicas, & omnia armaillorum quotidie circumspicere.* Suetonius, loquens de Galba cap. 6. qui magnam exercitus partem sub se habebat, ait; *Veteranum, ac tyronum militem, opere assiduo corroboravit, &c.*

LU-

LUMINA REFLEXA
EX
LIB. I. PARALIPOMENON.

CAPUT. I. v. 2.

487. Rancifcus Mendoza in 1. Reg. cap. 2. v. 35. obfervat, fundatores civitatum vocari patres. In hujus rei demonftrationem adducit facrum Textum 1. Paral. c. 2. v. 23. *Omnes ifti filii Machir, patris Galaad*; quod ipfe explicat; *Machir dicitur pater Galaad urbis.* Eodem modo interpretatur illud, quod fubjungitur v. 50. *Sabal pater Cariathiarim. Salma pater Bethlehem. Hariph pater Bethgader &c.* Similiter 1. Paral. cap. 4. verf. 4. *Phanuel pater Gedor, & Hezer pater Hofa.*

Patres dicuntur fundatores civitatum.

Hac phrafi frequenter utuntur Poëtæ. Virgilius 8. Æneid. v. 134.

Dardanus Iliacæ primus pater urbis & auctor.

Ovidius l. 15. Metam: de Romulo;

-- -- *Genitorque Quirinæ urbis*

Et Horatius l. 3. Carm: od. 24.

Si quæret Pater urbium
Subfcribi ftatuis &c.

CAP. VII. ỳ. 28.

488. Sacræ Litteræ folent illis civitatibus & caftellis dare filiarum nomen, quæ alicui Metropoli principali fubordinatæ ac fubjectæ funt; vel quæ ab illa receperunt fundationem; Hujus rei complura adducuntur exempla; maximè lib. 1. Paralip. c. 7. v. 28. *Poffeffio autem eorum, & habitatio, Bethel cum filiabus fuis, & contra Orientem Noran, ac occidentalem plagam Gazer, & filiæ ejus. Sichem quoque cum filiabus fuis, ufque ad Axa cum filiabus ejus &c.*

Filiæ vocantur civitates fubordinatæ.

Hic loquendi modus etiam ufitatus eft Plinio l. 5. c. 19. *Tyrus olim partu clara, urbibufque genitis Lepti, Utica, & illa Romani Imperii æmulâ, terrarum orbis avidâ Carthagine, & Gadibus extra orbem conditis.*

CAP. XI. ỳ. 22.

489. INter robuftiffima Benajæ facta cumprimis deprædicatur iftud; *Ipfe defcendit, & interfecit leonem in media cifterna tempore nivis.* 1. Paral. 11. v. 22 ubi fit expreffa mentio hyberni ac nivei temporis, ut magis elucefceret fortitudo illius generofi viri qui potuit domare leonem, quando ob penuriam prædæ fuit omnium maximè furibundus; & quidem tempore frigido, in quo vires leonis folent effe validiffimæ, hominis ftupefactæ & debiliffimæ.

Leo in hyeme fuperatus.

Torquatus Taffus ex eodem capite deprædicat fuum Richardum, & defcribens ipfius educationem in Gerufal. Conquift: lib. 1. ft. 18. canit;

Ma nel Gargano monte, e n' alte felve
Nodrito ei fù ne la difcordia interna
De fuoi Normandi; e le feroci bellue
Speffo atterrò, quando più gela, ò verna &c.

CAP. XVI. ỳ. 25.

DAvid, celebrans divinam magnificentiam, dixit; *Magnus Dominus, & laudabilis nimis, & horribilis fuper omnes Deos.* 1. Paral. 16. v. 25. id eft, prodigiofus & admirabilis præ omnibus Diis. Hoc fenfu etiam dicitur, quòd in beneficium fui populi Ifraelitici fecerit *magna & horribilia fuper terram.* 2. Reg. 7. v. 23. Ita Cedrenus, loquens de Templo ad mare Euxinum in honorem. S. Jo. Baptiftæ extructum, vocat illud *terribile*, id eft, fummè venerabile & magnificum. 490.

Horribilis idem ac venerabilis.

Servius, obfervans verfum 169. l. 1. Æneid

— *Horrentique atrum nemus imminet umbra,*

Docet, epitheton *horrendum* & *horribile* nonnunquam denotare *admirandum* & *venerabile.* Ita Ludovicus Cerdanus in illud Æneid: lib. 6. verf. 10.

Horrendæque procul fecreta Sybillæ.

Scribit; *vocat Sybillam horrendam cum refpectu ad religionem, id eft, venerandam.* Conformiter dixit Catullus; *Dii Magni horribilem & facrum libellum.* Ita Lucanus;

Arboribus fuus horror ineft.

id eft, fua veneratio & refpectus.

CAP. XX. v. 2.

DAvid deletis ad internecionem Ammonitis, inter alia fpolia militaria aquifivit coronam, maximè confiderabilem, quæ è capite cujufdam fimulachri ablata, fuo pondere habuit talentum auri, id eft, centum, viginti quinque libras; fuitque pretiofiffimis gemmis diftincta. Unde David optimè poterat ex illius particula formare fuo capiti magnificum diadema; vel illam gloriofi trophæi loco fufpendere ad regium thronum. *Tulit David coronam Melchom de capite ejus, & invenit in ea auri pondo talentum, & pretiofiffimas gemmas, fecitque fibi inde diadema.* 1. Paral. 20. v. 2. De eadem corona agitur 2. Reg. cap. 12. v. 30. Et Jofephus Hebræus l. 7. c. 7. *Ex præda nactus eft Ammonitarum Regis auream coronam talentum pendentem, & pretiofo fardonyche infignem. &c.* 491.

Corona magni ponderis.

Neque infolita videri debet corona illa ob grave fuum pondus, cùm non defint alia diademata regia, elaborata ex auro, magnique ponderis. Pli-

Plinius lib. 33. cap. 3. *Claudius, cùm de Britannia triumpharet, inter coronas aureas, una septem pondo habuit, quam contulisset Hispania citerior, altera novem, quam Gallia comata, sicut titulus indicavit.*

CAP. XXI. ℣. 16.

492. QUando Angelus, minister Dei, pestifero ictu percussit, & irreparabili strage destruxit miseros Israëlitas; ut tantis malis adhiberent remedium; *ceciderunt tam ipse (David) quàm majores natu, vestiti ciliciis, proni in terram.* 1. Paral. 21. v. 16. cooperiebantur sacco & cilicio, profundaque humilitate prostrati in terram, preces suas in cœlum sparserunt.

Deus placandus est mortificatione & pœnitentia.

Hæc pietatis, mortificationis, & pœnitentiæ opera fuêre innovata à S. Carolo Borromæo, Archiepiscopo Mediolanensi, quando populus lue pestifera affligebatur. Nam Sanctus Pastor, *humillimis interim precibus reconciliator accedens, publicâ supplicatione indictâ, fune sibi ad collum alligato, nudis pedibus etiam offendiculo cruentatis, crucem bajulans, semetipsum pro peccatis populi hostiam offerens, divinam indignationem avertere satagebat.* Brev. Rom. 4. Novembr.

CAP. XXII. ℣ 8.

493. SAncta quidem fuêre desideria, religiosa vota, & piissimi affectus, quando David in pectore suo decernebat, pro Dei gloria extruere sumptuosum templum. At Deus approbans operam, illius executionem alteri personæ commisit, elegitque ad illud ædificium, non quidem Davidem, sed ipsius filium Salomonem. Causa adducitur 1. Paralip. c. 22. v. 8. *Multum sanguinem effudisti, & plurima bella bellâsti: non potes ædificare domum nomini meo, tanto effuso sanguine coram me.* Adeoque purissimo, mansuetissimo, & clementissimo Deo non placebat, domum suum extrui manibus Davidis, humano sanguine inter continua bella semper cruentatis; sed Salomonis, nomine & facto pacifici.

Manus sanguinariæ ineptæ ad extruenda templa.

Idipsum accidit Geizæ, Duci Hungariæ, postea patri S. Stephani Regis Hungariæ; cùm enim designasset, ac resolvisset ædificare templum; Deus ei apparuit in visione, dixitque; *Habes manus sanguine pollutas, sed filius tuus Stephanus id faciet, ideoque in præmium primus, Hungarorum Rex coronabitur.* Ita refert Surius in vita S. Stephani, die 20. Augusti.

CAP. XXII. ℣. 9.

494. TAmetsi David piissimo affectu decreverit, ad honorem Dei extruere templum; ædificium tamen istud fuit reservatum manui ac diligentiæ Salomonis; *Filius, qui nascetur tibi, erit vir quietissimus. Ipse ædificabit domum nomini meo.* 1. Paral. 22. v. 9. Adeoque in fundatorem sacri templi, & in propagatorem cultûs sacri pietatis, & religionis electus à Deo fuit princeps pacificus & Rex clementissimus, qui suo jussu neminem unquam occidit, nisi solum Adoniam.

Clementia grata Deo.

Titus, assumptus ad Pontificatum maximum, probè perspectum habuit, clementiam esse proprium hujus dignitatis ornamentum. Unde de ipso Suetonius cap. 9. *Pontificatum maximum ideò se professus accipere, ut puras servaret manus, fidem præstitit: nec auctor posthac cujusquam necis, nec conscius, quamvis interdum ulciscendi causâ non deesset: sed periturum se potius, quàm perditurum adjurans.*

CAP. XVI. ℣. 26. &c.

ÆRarium templi Hierosolymitani erat mirificè dives ex iis, *quæ sanctificavit David Rex, & principes familiarum &c. de bellis, & manubiis præliorum, quæ consecraverant ad instaurationem & suppellectilem templi.* 1. Paralip. 26. v. 26. &c. similiter 1. Paralip. 29. v. 1. *dederunt in opera domus Dei talenta quinque millia, & solidos decem millia: argenti talenta decem millia. &c.* dicendo v. 11. *Tua est, Domine, magnificentia, & potentia, & gloria, atque victoria: & tibi laus.* Adeoque cùm recordarentur, se à bonitate & potentia divina obtinuisse omnem suam felicitatem, victoriam, & majestatem; promta ac liberali manu contribuerunt, ut Deus honoraretur sumptuosissimo templo. 495.

Deo datæ victoriarum, gratiæ agendæ.

Inter præcipuas Hispaniarum fabricas est templum S. Laurentii, extructum à Philippo II in grati animi tesseram ob insignem victoriam, quam eo die ex invocatione & patrocinio magni illius sancti obtinuit. Ita Cosmus Magnus Dux Hetruriæ, ob Senas feliciter expugnatas, & obtentam victoriam ipsa die 2. Augusti, S. Stephano Papæ & Martyri consecrata; Pisis in civitate ædificavit magnificum templum in honorem illius sancti, instituitque Ordinem equitum, qui à Stephano cognominantur.

CAP. XXVII. ℣. 1. &c.

CUm Judæa undique cincta esset nationibus barbaris & furibundis, videlicet Philistæis, Idumæis, Ammonitis, Moabitis, Arabibus, Ægyptiis &c. necessarium fuit, promptos semper habere exercitus, ut se contra quasvis irruptiones defenderent. Unde David provide destinavit quolibet mense viginti quatuor millia virorum, qui defensioni regni invigilarent, & pro necessitatis exigentia bellum capesserent. *Filii autem Israël secundùm numerum suum principes familiarum, tribuni, & centuriones, & præfecti, qui ministrabant Regi juxta turmas suas, ingredientes & egredientes per singulos menses in anno, viginti quatuor millibus singuli præerant.* 1. Paral: c. 27. v. 1. & sequentibus. 496.

Milites prompti in defensionem Regni.

Romani in supremo majestatis suæ apice semper habuêre multas legiones, armatas, quæ in varias provincias distributæ erant, ut tumultus, forsitan excitandi, promptè possent sedari, & populi in obedientia ac subjectione debita contineri. Ita etiam Chinense Regnum semper sustentat centum millia militum, quorum officium est, invigilare, ne Tartari irruant in ipsorum vastas & numerosas provincias.

CAP. XXIX. ℣. 17.

QUando optimus Rex David Deo obtulit massam satis grandem auri, argenti, & gemmarum, destinatam ad extruendum sumptuosum omnique majestate refertum templum; conversus ad suum Creatorem, dixit; *Scio, Deus meus, quòd probes corda, & simplicitatem diligas; unde & ego in simplicitate cordis mei lætus obtuli universa hæc.* 1. Paral: 29. 17. adeoque Deus ultra modum delectatur sinceritate, puritate, & candore nostræ intentionis, libentissimè acceptans, quidquid ipsi à corde simplici & innocente offertur. Iisdem affectibus etiam delectantur homines prudentes; ut proinde Cicero lib 2. de finibus, benè dicat; *Vera diligimus, fidelia, simplicia, constantia: tum vana, falsa, fallacia odimus.* 497.

Simplicitas amata.

CAP.

CAP. XXIX. ℣. 22.

498. QUando agitur de secunda unctione Salomonis, affirmant sacræ Litteræ, eo die fuisse à frequentissimo populo celebrata solemnissima convivia. *Comederunt & biberunt coram Domino in die illo cum grandi lætitia: Et unxerunt secundò Salomonem filium David.* 1. Paral. c. 29. v. 22. Simili modo fit mentio illius diei, qua David in Hebron à concurrentibus omnibus Principibus fuit acclamatus Rex; 1. Paral. c. 12. v. 22. ubi singillatim describuntur omnes magnates, qui intervenêre *grandis numerus, quasi exercitus Dei.* postea num 39. concludit; *fueruntque ibi apud David tribus diebus comedentes & bibentes &c.*

Convivia in creatione Principum.

Quòd Gentiles in creatione Principum celebrârint lætissima festa, & solemnia convivia, testatur Turnebus lib. 24. Adversar: cap. 45 *Dierum hilariorum alii erant privati, velut si quis celebrârit nuptias, aut si filius alicui natus fuerit: alii verò erant vulgares & publici, ut cùm Rex aliquis publicè proclamatus, publicas hilarias subditis exhibebat. Et his quidem diebus neque lugere licebat, sed spectacula & sacrificia quotidie perficiebantur publicè: quin & judicia haberi cessabant, ludos spectabant, & conviviis continuis peragebant dies hilariis deputatos.* De hoc argumento videatur P. Joannes Pineda De Reb. Salom. lib. 2. cap. 9.

LUMINA REFLEXA
EX
LIB. II. PARALIPOMENON.

CAPUT. I. v. 2.

499. ARdor devotionis in pectore juvenis Salomonis fuit adeò grandis, ut in ejus testimonium pro cultu divino simul & semel obtulerit holocaustum mille victimarum. *Ascenditque Salomon ad altare æneum coram tabernaculo fœderis Domini, & obtulit in eo mille hostias.* 2. Paral. c. 1. v. 6. De hoc facto 3. Reg. 3. v. 4. *Abiit itaque in Gabaon, ut immolaret ibi: illud quippe erat excelsum maximum: mille hostias in holocaustum obtulit Salomon super altare illud in Gabaon.*

Oblatio magnifica.

Huic generosæ magnificentiæ nihil reperitur simile apud Principes Gentilium. Isti enim credebant rem magnam à se præstari, si offerrent hecatomben, quæ consistebat centenario victimarum numero. Totidem Paulus Æmilius promisit Diis in votum, ut refert Plutarchus; & totidem etiam Marius. Ita Pindarus, teste Homero Iliad. 4. promisit offerre Apollini centum agnellos. Julius Capitolinus in vita Maximi & Balbini commemorat sacrificium solemnissimum, in quo supra centum altaria simul consecrati sunt centum boves, centum oves, & centum porci. Huic numero, si victimæ offerrentur ab Imperatoribus, jungebantur centum leones, & centum aquilæ. Adeoque ultra quingenta animalia nunquam offerebantur, cùm Salomon, liberalitate prorsus incomparabili, obtulerit millena.

CAP. I. ℣. 10.

500. TAntoperè placuit Deo affectus internus Salomonis, & externa oblatio mille victimarum; ut optioni Salomonis reliquerit, petere quamcumque gratiam. At ille prudentissimus nil aliud petiit, nisi donum sapientiæ & æquitatis, ad justitiam ritè administrandam. *Da mihi sapientiam, & intelligentiam, ut ingrediar & egrediar coram populo tuo.* 2. Paral. c. 1. v. 10. Id est, ut possim, tanquam bonus pastor, illum ducere supra bonos tramites.

Princeps sit sapiens.

Principia Tiberii fuêre digna summo applausu; quia nihil unquam desideravit, nisi ut benè mereretur de Republica. *Nunquam intermissâ rerum curâ, negotia pro solatiis habebat;* inquit Corn: Tacitus l. 4. Annal: ubi etiam describit illum *rerum publicarum providum, constantem in periculis, offensionum pro utilitate publica non pavidum.* qui continuò rogabat Deos, Deasque, *ut usque ad finem vitæ mentem humani, divinique juris intelligentem darent.* Corn: Tacit. ibid: Verùm de hoc argumento plura dixi supra ad 3. Reg. cap. 4. v. 29.

CAP. III. ℣. 1.

ILle ipse mons, supra quem Patriarcha Abrahamus erexit altare suumque filium Isaacum 501.
Deo in holocaustum offerre destinabat, fuit à Deo electus, & Davidi monstratus ut ibi ædificaretur sumptuosum templum; id quod Salomon executus; *Cœpit ædificare domum Domini in Jerusalem in Monte Moria, qui demonstratus fuerat David patri ejus.* 2. Paral. 3. v. 1. De hoc Isaias cap. 2. v. 2. *Erit præparatus mons domûs Domini in vertice montium; & ibunt populi multi, & dicent: Venite, & ascendamus ad montem Domini, & ad domum Dei Jacob. &c.*

Templa supra montes.

Aristoteles lib. 7. Politic: & Plato lib. 6. de Leg. docent, templa debere ædificari in montibus, ut à longè possint videri, Deoque ac cœlo sint viciniora. Ita Romani supra montem Quirinalem extruxerunt templum Salutis, Romuli, & Floræ; supra montem Aventinum ædificarunt templum Bonæ Deæ, Libertatis, Junonis, & Herculis. supra verticem Capitolii templum Jani, Jovis Feretrii, & Jovis Custodis. Ut observat Franciscus Albertinus de mirabilibus Urbis Romæ, cap. de Templis.

CAP. III. ℣. 5.

QUando agitur de illa templi parte, quæ vocabatur *Sanctum*; eratque major, quàm *Sanctum Sanctorum*; Sacer Historicus refert, quod illam 502.

illam Salomon *texit tabulis ligneis, abiegnis, & laminas auri obrizi affixit per totum.* 2. Paral. 3. v. 5. ubi aurum istud, quod in laminas dilatatum cooperiebat ligna, vocatur *obrizum*, id est purissimum, & purgatissimum, ut ibidem mox subjungitur v. 7. *Porrò aurum erat probatissimum: de cujus laminis texit domum.*

Aurum obrizum.

Obrizum vocat Plinius illud aurum, quod certat cum luce & colore ignis. Et lib. 33. c. 3. *Aurique experimento ignis est, ut simili colore rubeat, quo ignis: atque ipsum obrizum vocant*; id est, ut hunc locum explicat Hermolaus Barbarus; *purissimè excoctum, ut amplius in fornacibus non minuatur.* Hanc auri puritatem desideravit Nero, de quo Suetonius cap. 44. *Neronem exegisse summo fastidio & acerbitate nummum asperum, argentum pustulatum, & aurum obrizum.*

CAP. IV. ℣. 22.

503. Sicuti fabrica templi Salomonis undique ostentabat magnificentiam; ita portæ templi tot ornamentis & cælaturis erant instructæ, ut omnium oculos ad se raperent. Nam; *Ostia cælavit templi interioris; & ostia templi forinsecus aurea.* 2. Paral. 4. v. 22. Unde quando Isaias c. 60. n. 18. dicit; *Occupavit salus muros tuos, & portas tuas laudatio*; Septuaginta transferunt; *Vocabuntur portæ tuæ sculptura.*

Portæ templi sumptuosæ.

Gentiles studiosè ornabant portas templorum. Unde Virgilius lib. 3. Georg. v. 13. postquam dixit;

-- *Templum de marmore ponam.*

Versu 26. subjungit;

In foribus pugnam ex auro, solidoque Elephanto
Gargaridum faciam, victorisque arma Quirini.

Et lib. 7. Æneid. v. 183.

Multaque præterea sacris in postibus arma
Captivi pendent currus, curvaque secures,
Et cristæ capitum, & portarum ingentia claustra
Spiculaque, clypeique, ereptaque rostra carinis.

De his ornamentis, ad condecorandas portas assumptis, loquitur etiam lib. 1. Æneid.

Tum foribus Divæ, media testudine templi,
Septa armis, solioque altè subnixa resedit.

Et lib. 6. v. 19.

-- *Posuitque immania templa*
In foribus lethum Androgeo &c.

CAP. VI. ℣. 12.

540. Orationes offeruntur Deo non solùm à fidelibus genuflexis, & sedentibus, sed etiam erectis & stantibus. Quòd hoc modo ad orandum se composuerit Rex Salomon, testatur 2. Paralip. c. 6. 12. *Stetit ergò coram altari Domini ex adverso universæ multitudinis Israel, & extendit manus suas.* de hoc orandi situ etiam David Psalm. 121. vers. 2. *Stantes erant pedes nostri in atriis tuis Jerusalem.*

Orare stando.

Martialis lib. 12. Epigr. 78. similem orandi situm describit, conjunctum tamen prodigiosæ affectationi.

Multis dum precibus Jovem salutat
Stans summos resupinus usque in ungues.

CAP. VI. ℣. 13.

Ut orantes demonstrent, suos affectus esse ad cœlum & ad Deum sublevatos, orationis tempore suas manus devotè elevant. Hoc modo Salomon visus est orare in Templo, ubi *extendit manus suas.* 2. Paral. 6. v. 13. Hunc gestum etiam David docuit suos Israëlitas Psal. 133. v. 2. *In noctibus extollite manus vestras in sancta, & benedicite Dominum.* 505.

Orando levare manus.

Plutarchus, loquens de Mario, in ipsius vita ait; *Levans manus, & in cœlum attollens.* Tertullianus de Orat: c. 13. *Cum modestia & humilitate adorantes magis commendamus Deo preces nostras ut ipsis quidem manibus sublimius elatis, sed temperatè ac probè elatis.* Amphilochius in vita S. Basilii scribit, quòd iste Sanctus *dixit plebi: Tollite manus vestras in cœlum, universi clamantes cum lacrymis: Kyrie eleison. Cumque staret populus horâ multâ extensas habens manus in cœlum, ecce scriptum pueri in aërem deportatum &c.* Pindarus Nem. 5. Antistroph:

Ad aram patris Hellenii
Stantes, tendebantque ad æthera palmas simul,
Endeidis celebres filii.

CAP. IX. ℣. 17.

Pro majore pompa & ostentatione regiæ majestatis, solebant ante thronum sub pedibus Regum ac Principum collocari gradus & scabella. Unde 2. Paralip. 9. v. 17. *Fecit Rex* (Salomon) *solium eburneum grande, & vestivit illud auro mundissimo. Sex quoque gradus, quibus ascendebatur ad solium, & scabellum aureum.* Et quia nonnunquam supplices in signum reverentiæ osculabantur illud scabellum; idcircò Psalm. 98. v. 5. dicitur; *Adorate scabellum pedum ejus.* 506.

Scabellum ante thronum regium.

Homerus, describens thronos Regios, tribuit ipsis scabellũ. & 4. Odyss: loquens de Regina Helena;

Sedit in sella, scabellum autem sub pedibus erat

Ita etiam Odyss: 1. de Pallade ait, quòd fingens, se esse Regem exterum, fuerit in palatio Thelemachi receptus;

Ipsam verò in throno, stragulum sternens
Pulchro, artificioso: scabellumque sub pedibus erat.

CAP. XI. ℣. 22.

Roboamus, habens viginti octo filios, regni tamen possessionem ac coronam tradidit Abiæ, licet natu minimo; quia cæteris erat prudentior, sagacior, & robustior. *Constituit verò in capite Abiam ducem super omnes fratres suos: ipsum enim Regem facere cogitabat: quia sapientior fuit, & potentior super omnes filios ejus.* 2. Paral. 11. v. 22. Idipsum fecit David, Salomonem promovens ad regnum, tametsi reliquis filiis juniorem. 3. Reg. 1. & 2. Judas Machabæus, utut non primus natalibus, authoritate tamen inter fratres fuit primus. 507.

Filii minores pro moti ad regnum.

Simili modo egêre aliqui principes, inter quos Henricus IV. Imperator dedit coronam regiam Henrico V. filio suo natu minori, excludens Conradum, suum primogenitum, in pœnam iniquæ suæ vitæ. Unde Baldus in Proœmio Decretalium Col. 2. ait; *Quòd Rex in vita sua potest liberè statuere atque determinare quis ex filiis post se regnaturus est, an primogenitus, an secundo genitus?* Et certè Rex quoad hoc poterit liberrimè

berrimè & absque ullo delicto agere, si viderit, filios natu majores esse ad regimen ineptos, ut multorum Legisperitorum authoritate probat Tiraquellus de Jure Primogen: quæst. 21. n. 11.

CAP. XVI. v. 12.

507. Virtuosa & insignia opera Asa, Regis Juda, reperiuntur descripta lib. 3. Reg. c. 15. & 2. Paral. 14. & 15. Nihilominus *Ægrotavit dolore pedum vehementissimo*; inquit Sacer Textus 2. Paral. c. 16. v. 12. ita ut etiam mortuus sit; dubium relinquens mundo, an ad alteram vitam devenerit amicus vel inimicus Dei; prout observat P. Mendoza Tom. 1. in lib. Reg. Annot. 3. procem. Sect. 7. n. 18. quòd si interrogetur, in cujus delicti pœnam debuerit sustinere dolorem adeò acutum? respondebunt Interpretes, quòd Rex ille, iratus cuidam Prophetæ, reprehendenti ipsius errorem; *jussit eum mitti in nervum*. 2. Paralip. c. 16. v. 10. Unde cùm ille pedes alicujus sancti pondere compedum durissimè torqueret; conveniens fuit, ut etiam ipse cruciaretur pondere podagræ; & ut Comes Emmanuel Thesaurus in Elogio hujus Regis ait; *Qui vatum pedes nervis arctaverat, pedum nervis arctatur*.

Par pari referre.

Adeoque Justitia divina disponit, ut idipsum experiamur, quod aliis intulimus. Cum eventu Regis Asa plurimùm convenit sequens historia. Galli dicunt, Anglos commisisse iniquam & tyrannicam actionem, quando captam in bello Domicellam Aurelianensem, truncarunt capite. Biondus tamen, Historicus Anglus lib. 4. eam declarat actionem justissimam; atque, puellam meritas dedisse pœnas, quia paulo antè nimia crudelitate occidit Franciscum de Arras, generosissimum Burgundùm; cùm enim istum tractare debuisset ut captivum belli, superata furore fœmineo, jussit illum plecti capite; sicque eandem mensuram sortita est, quam aliis exhibuit. Ita Biondi.

CAP. XVI. ℣. 14.

508. Asa, Rex Hierosolymitanus, quadraginta annis vestitus regia purpura, tandem coopertus fuit cinere mortis, fueruntque ipsius exequiæ celebratæ insolita cæremonia, solemnitate, & magnificentia; Nam, *Posuerunt eum super lectum suum, plenum aromatibus & unguentis meretriciis, quæ erant pigmentariorum arte confecta, & combusserunt super eum ambitione nimiâ*. 2. Paral. 16. v. 14. Adeoque ipsius cadaver, ut interpretantur Vatablus & Mariana, fuit combustum inter fragrantes pretiosissimos odores.

Cadaver combustum cum aromatibus.

Simili magnificentia fuêre sepulti Pertinax & Severus Imperatores; fuit enim constructus superbus rogus instar tabernaculi, & cadaver intra parvulum aliquod tabernaculum fuit repositum; supra quod, teste Herodiano lib. 4. *aromata & suffimenta omnis generis, fructus, herbas, succosque omnes odoratos conquirunt, atque acervatim effundunt*. Virgilius 6. Æneid. describens exequias Miseni v. 22. canit;

- - *Membra toro defleta reponunt,*
Purpureasque super vestes, velamina nota
Conjiciunt. Pars ingenti subière pheretro,
Triste ministerium, & subjectam, more parentum,
Aversi tenuere facem, congesta cremantur
Thurea dona; dapes, fuso crateres olivo.

Statius lib. 5. Sylv: de funeralibus Priscillæ;

-- -- *Quis carmine longo*
Exequias, & dona malæ feralia pompa
Perlegat? Omne illic stipatum examine longo
Ver Arabum, Cilicumque fluit, floresque Sabai,
Indorumque arsura seges, præreptaque templis
Thura.

Plutarchus loquens de cadavere Syllæ, ait; *Eum vi tantâ aromatum fuisse à fœminis cumulatum, ut præter illata decem, & ducentis ferculis, simulachrum ipsius Syllæ grande fictum fuerit, fictum etiam lictoris ex pretioso thure & cinnamomo*; quæ aromata simul cum cadavere fuêre combusta & consumpta.

CAP. XVI. ℣. 14.

Multa, eaque exquisitissima aromata fuêre combusta in exequiis Asa, Regis Juda; & quidem in honorem & magnificentiam defuncti. Cadaver tamen combustum aut flammis absumptum non fuit. Ita colligitur ex ipso sacro Textu; Nam, *Posuerunt eum super lectum suum, plenum aromatibus & unguentis meretriciis, quæ erant pigmentariorum arte confecta, & combusserunt super eum ambitione magna*. 2. Paral. 16. v. 14. *Non enim cadaver ipsum cum aromatibus*; inquit Cornelius à Lapide, *sed aromata juxta cadaver combusserunt*; uti observat & optimè examinat P. Gaspar Sanchez. 509.

Aromata accensa in exequiis

Neque desunt exempla nobilium exequiarum, in quibus reperiuntur combusta aromata, non verò cadavera. Corn. Tacitus lib. 6. Annal loquens de Poppea, uxore Neronis; *Corpus non igne abolitum, ut Romanus mos, sed Regum exterorum consuetudine, refertum odoribus conditur, tumuloque Juliorum infertur*. Plinius l. 12. c. 18 de ingenti copia aromatum, nascentium in Arabia, ait; *Periti rerum asseverant, non ferre tantùm annuo fœtu, quantùm Nero Princeps, novissimo Poppea die concremavit*. Adeoque ad eam honorandam combussit quidem fragrantissimum rogum, non verò defunctam. Rursus Corn: Tacitus lib. 3. Annal: de cineribus Germanici circumlatis inquit; *Ubi colonias transgrederentur, atrata plebes, trabeati equites, pro opibus loci, vestem, odores, aliaque funerum solemnia cremabant*,

CAP. XVII. ℣. 7.

Josaphatus, Rex Judææ, flammas zeli ac honoris divini adeò grandes in pectore suo concepit, ut in omnem partem immensos ignes sparserit; Primos enim aulæ suæ ministros cum Levitis & sacerdotibus ablegavit, ut omnes provincias sibi subditas incitarent, & accenderent ad affectum pietatis & religionis. *Tertio anno regni sui misit de Principibus suis Benhail & Obdiam &c. ut docerent in civitatibus Iuda, & cum eis Levitas &c.* 510.

Zelus religionis.

Zelus Josaphati videtur revixisse in S. Stephano, primo Hungariæ Rege; S. Ludovico, Galliarum Rege; S. Wenceslao, duce Bohemiæ; in Regibus Hispaniæ & Lusitaniæ; ultimò præsertim in Ferdinando II. Imperatore, qui nullis pepercerunt sumptibus diligentiis, ac laboribus, ut animas ad Deum revocarent; & populos, gentilitate excæcatos, aut hæresi fascinatos, ad verum fidei Catholicæ & Romanæ Ecclesiæ lumen reducerent.

CAP. XVII. ℣. 12.

511. IN pectore Josaphati æqualiter triumphârunt religiosa pietas & heroica fortitudo. Semper intentus divino cultui, semper invigilabat securitati suorum populorum; & pro animæ salute providens optimos Magistros, civitates muniebat validissimis propugnaculis pro corporum tutela; Unde in ipsius laudem dicitur; *Ædificavit in Juda*, id est, in omnibus civitatibus & castellis sui regni, *domos ad instar turrium*, quæ simul essent ornamenti & propugnaculi loco. 2. Paral. 17. v. 12.

Turres propugnaculi loco.

Eadem providentia fuit observata in populis Burgundiæ, qui militaribus excursionibus Vandalorum, Gothorum, & Alanorum infestati, ex omni parte ædificarunt castella benè munita, & turres admodùm validas; unde ob innumeros istos vicos (Italis Borghi) fuêre cognominati Borgognoni, latinè Burgundi; ut observat P. Cornelius à Lapide in hunc locum.

CAP. XX. ℣. 21.

512. DUm horrendo fœdere uniebantur agmina Moabitarum, Ammonitarum, & Syrorum, jamjamque simul in excidium Judææ progrediebantur; S. Rex Josaphatus exercitum suum in campo ita ordinavit, ut ante omnes turmas constitueret cantores & Levitas, qui devota harmonia cantarent psalmos ac hymnos, invocarentque propitiam Judææ divinam providentiam & bonitatem. *Et statuit cantores Domini, ut laudarent eum in turmis suis, & antecederent exercitum, ac voce consonâ dicerent; Confitemini Domino, quoniam in æternum misericordia ejus.* 2. Paral. 20. v. 21. Adeoque musici jungebantur militibus, & chori armatis turmis. Ad hunc morem respicit ille locus Cantic. 7. v. 1. *Quid videbis in Sulamite, nisi choros castrorum?* Et illud Isaiæ 30. v. 32 *In tympanis, & citharis: & in bellis præcipuis expugnabit eos.*

Musica in exercitu.

Corn: Tacitus lib. 4. Annal. loquens de Belli duce Romanorum, qui castra ponebat contra Germanos, ait; *Simul in ferocissimos, qui ante vallum more gentis cum carminibus & tripudiis præsultabant, mittit delectos sagittariorum.* Diodorus Siculus de Lusitanis; *In bellis ad numerum incedunt, carmina sive pæana canentes cum aggrediuntur.* Alex. ab Alexander l. 4 cap. 2. *Lacedæmonii prælium inituri, pluribus concinentibus tibiis acies ineunt -- Cretenses autem citharâ, fidibus, & tibiis utuntur in prælus, quibus instructas acies accendunt -- Lydi autem cum fistula & fidicine: Indi cum cymbalorum & tympanorum pulsu in hostes ducunt, &c.*

CAP. XXIV. ℣. 7.

513. ATHalia, mille scelerum rea, inter alia etiam hunc sacrilegum excessum commisit, quòd templum Dei pretiosis ornamentis spoliarit, eaque transtulerit ad exornandum fanum, honori Baalis extructum. *Athalia enim impiissima, & filii ejus, destruxerunt domum Dei, & de universis, quæ sanctificata fuerant in templo Domini, ornaverunt fanum Baalim.* 2. Paral. 24. v. 7.

Spoliare templum & vestire alterum.

Valerius Maximus similis temeritatis accusat Q. Fulvium Flaccum, *quòd in censura tegulas marmoreas ex Junonis Laciniæ templo in ædem Fortunæ equestris, quam Romæ faciebat, transtulit.* Et subjungit, quòd tam ipse, quàm ipsius filii, dederint justas & feverissimas pœnas; uti videri potest lib. 1. c. 1. n. 20.

CAP. XXV. ℣. 4.

LIb. 2. Paral. 25. v. 4. commemoratur ista lex; *Non occidentur patres pro filiis neque filii pro patribus suis, sed unusquisque in suo peccato morietur.* Reperitur hæc lex etiam Deut. 24. 16. v. 16. lib. 4. Reg. 14. v. 6. Ezechiel. 18 v. 20. adeoque nec pater debet portare pœnam, debitam peccatis filiorum; nec filii subjaceant suppliciis, quæ promeritus est pater; sed quilibet sustineat onus sibi proportionatum. 514.

Pœna debetur reo.

Hanc doctrinam cum plausu amplexata est non tantùm Lex divina, sed etiam humana. Unde Callistratus; *Crimen vel pœna paterna nullam maculam filio infligere potest, nam unusquisque ex suo admisso sorti subjicitur, nec alieni criminis successor constituitur.* l. Crimen. ff. de Pœn. c. crimen. 1. q. 4. Ulpianus ff. de Decur: l. 2. *Nullum patris delictum innocenti filio pœna est.* Et Arcadius in l. Sancimus. C. de Pœn. *Sancimus, ibi esse pœnam, ubi & noxa est.* Et paulò post; *Peccata igitur suos teneant autores, nec ulterius progrediatur metus, quam reperiatur delictum.*

CAP. XXVI. ℣. 17.

HAud facilè dixeris, an major fuerit sacrilega temeritas Regis Oziæ, dum sibi sacerdotale officium arrogavit; an verò imperterrita magnanimitas Azariæ Pontificis, dum ei restitit, & temeritatem exprobravit. Ponente enim Rege suas manus supra thuribulum ad profumandum sacrum altare; *Ingressus post eum Azarias sacerdos & cum eo sacerdotes Domini octoginta, viri fortissimi, restiterunt Regi atque dixerunt; Non est tui officii Ozia, ut adoleas incensum Domino, sed sacerdotum &c. egredere de sanctuario, ne contempseris &c.* 2. Paral. c. 26. v. 17. 515.

Principes reprehensi à sacerdote.

Herodotus lib. 6. refert historiam adeò similem, ut demptis nominibus videatur prorsùs eadem. *Cleomenem, Spartiatarum Regem, sacrificare super aram Junonis volentem, sacerdos prohibuit, negans fas esse externo, illic sacra facere.*

CAP. XXIIX. ℣. 3.

INter alias exprobrationes, impio Regi Achaz factas, etiam hæc fuit, quòd sceleratus ille *lustravit filios suos igne.* 2. Paral. 28. v. 3. id ipsum reperitur l. 4. Reg. c. 16. v. 3. *Filium suum consecravit transferens per ignem.* Adeoque filios suos duplici modo consecrabant idolo Moloch; primo offerebant eos in victimam & holocaustum; hoc modo peccavit Achaz, uti refertur lib. 4. Reg. Altero trahebant illos per flammas, quasi vellent eos purificare virtute falsi illius Numinis; hoc modo Achaz fuit gravissimæ culpæ reus, ut hoc loco exprimitur. Singillatim Theodoretus Quæst. 16. in 4. Reg. cap. 16. *Ego existimo id, quod dicitur, tacitè significare genus erroris, quod ad nos usque pervenit. Vidi enim in aliquibus civitatibus semel in anno accendi rogos, & trans eos saltare aliquos, non solùm pueros, sed etiam viros: infantes autem per flammam ferri à matribus; videbatur autem quædam esse expiatio & purgatio: existimo autem hoc fuisse Achazi peccatum.* Hunc errorem imbiberunt Gentiles, quòd per flammas progressi, purificentur & mundentur. Virgilius lib. 6. Æneid. 516.

Trahi per flammas ad purificandum.

-- -- *Aliæ panduntur inanes*
Suspensæ ad ventos: aliis sub gurgite vasto
Infectum eluitur scelus, aut exuritur igni.

Ovidius

Ovidius in Fast. lib. 4.

Omnia, purgat edax ignis, vitiumq; metallis
Excoquit, idcircò cum Duce purgat oves.

Et de se ipso subjungit;

Certè ego transilui positas ter in ordine, flammas.

CAP. XXVIII. ℣. 23.

517. SCelera Achaz, Regis Judææ, fuêre multa & enormia. Inter alia se contaminavit, dum victimas & sacrificia obtulit idolis Damascenis, id est, dæmonibus, à quibus nonnisi gravissima damna & offensas recipere poterat; stultè sibi persuadens, sibi hoc modo conciliatum iri ipsorum benevolentiam & patrocinium. *Immolavit Diis Damasci victimas percussoribus suis, & dixit: Dii Regum Syriæ auxiliantur eis, quos ego placabo hostiis, & aderunt mihi.* 2. Paral. 28. v. 23.

Dii exteri adorati.

Hac ipsa stultitia agitabantur veteres Romani; soliti invocare Deos, qui in terris hostium adorabantur, ut relictis illis, Romam sumerent in patrocinium, eique victorias & felicitates conferrent, ut refert S. Augustinus lib. 4. de Civit. solebant insuper adorare Deam Febtuam, ne ipsis aliquam molestiam facesseret.

CAP. XXXII. ℣. 18.

518. OMnes vires, omnesque possibiles artes adhibuit impius Sennacherib, ad expugnandas & subjugandas Hierosolymas. Constrinxit eas dura obsidione, formidando exercitu centum & octoginta quinque millium militum; usus est facundis exhortationibus, ut exterritos alliceret ad deditionem; Insuper jussit ingentes ac sonoros clamores excitari, ut civium pectora repleret timore, eosque ad subjectionem coarctaret. *Insuper & clamore magno, lingua Judaica contra populum, qui sedebat in muris Jerusalem, personabat, ut terreret eos, & caperet civitatem.* 2. Paral. 32. v. 18. Talis clamor etiam ab exercitu Hebræo excitatus fuit, quando in castris comparuit arca Dei. *Cùm venisset arca fœderis Domini in castra, vociferatus est Israël clamore grandi.* 1. Reg. c. 4. v. 5. Cùm exercitus Antiochi progrederetur contra Machabæos, iidem clamores per aëra auditi sunt; de quibus sacer Historicus 1. Mach. c. 6. v. 41. *Et commovebantur omnes inhabitantes terram à voce multitudinis, & incessu turbæ, & collisione armorum.*

Clamor militaris.

De his clamoribus militaribus disserit Cæsar lib. 3. de Bello Civili; *Neque frustrà antiquitùs institutum est, ut signa undiq; concinerent, clamoremque universi tollerent: quibus rebus & hostes terreri, & suos incitari existimaverunt.* Et lib. 7. de Bell. Gallic. *Multum ad terrendos nostros valuit clamor, qui post tergum pugnantibus extitit, quod suum periculum in aliena virtute vident consistere.* Curtius lib. 3. *Jam in conspectu, sed extra teli jactum, utraque acies erat, cùm priores Persæ inconditum & trucem sustulêre clamorem.*

CAP. XXXV. ℣. 23.

JOsias fuit unus è sanctissimis & gloriosissimis Principibus, quos unquam jactare potuit Judæa; unde in ipsius honorem Spiritus sanctus nobilissimum istud elogium composuit; *Similis illi non fuit ante eum Rex, qui reverteretur ad Dominum in omni corde suo, & in tota anima sua, & in universa virtute sua juxta omnem legem Moysi, neq; post eum surrexit similis illi.* 4. Reg. 23 v. 25. Et tamen barbara manu in prælio impiè occisus fuit, transfixus telo, & acerbissimis doloribus in viridi triginta novem annorum ætate confectus. *Vulneratus à sagittariis.* 2. Paral 35. v. 23. Mortis hujus miseranda causa fuit fœdus, quo cum Assyriis colligatus erat. Adeoque fœderatus impiis, utut sanctus fuerit, subjacuit pœnæ ac supplicio divino. Egesippus lib. 5. de Excid cap. 16. *Vulneratur Josias, quia contra imperium in hostem processit. Sanctus cæterùm — sed involvit eum consortium degeneris societatis.*

Societas mala nocet.

Æsopus fabulatur, ciconiam fuisse involutam retibus, quę tensa erant volucribus, evellentibus sementem sparsam in campos. Etsi verò conaretur suam demonstrare innocentiam, omni prorsus culpa innoxiam, imò multis virtuosis prærogativis instructam; nihilominus audire debuit hanc contra se pronuntiatam sententiam; *Cum nocentibus postquàm te cepimus, cum his quoq; morieris.* Adeoque vivens cum vitiosis, subjacet vitiosorum pœnis.

CAP. XXXV. ℣. 24.

519. MOrs sanctissimi Josiæ in prælio concitavit lachrymas omnium Israëlitarum, obstrinxitq; singulorum linguas, ut obstupescendis ipsius prærogativis applauderent. Adeoque omnes simul plangebant ipsius mortem, & cantabant ipsius laudes. *Universus Juda & Jerusalem luxerunt eum; Jeremias maximè: cujus omnes cantores atque cantatrices usq; in præsentem diem lamentationes super Josiam replicant.* 2 Paral. 35. v. 24. &c.

Defuncti planguntur & laudantur.

Hoc tributum lachrymarum & encomiorum etiam Gentiles offerebant suis Principibus & Magnatibus; erantque ad illud officium destinatæ aliquot fœminæ, cognominatæ *Præficæ.* De quibus Nonius Marcellus; *Præficæ dicebantur apud veteres, quæ adhiberi solebant funeri, mercede conductæ, ut & flerent, & fortia facta laudarent.* Et Varro lib. 6. *Præfica, ut Aurelius scribit, mulier ab luctu, quæ conduceretur, quæ ante domum mortui laudes ejus caneret.*

Et quia *cantores atq; cantatrices* in exequiis Josiæ suas voces continuò levârunt; non absimiles his adduxero exequias Octaviani de quibus Suetonius cap. 100. *Censuerunt quidam, funus triumphali pompa deducendum præcedente victoria, quæ est in curia, canentibus næniam Principum liberis utriusq; sexûs.* Similiter Herodianus lib. 4 de funer. Roman. Imperat. *Utrimq; gradus quidam sunt ad scalarum similitudinem extructi, in quibus altera parte puerorum chorus è nobilissimis atq; patriciis: altera fœminarum illustrium hymnos in defunctum, pæanasque canentium.*

CAP. XXXVI. ℣. 8.

520. INiquitas Joachimi, Regis Judææ, eò tandem delapsa est, ut adorandis dæmonibus deditus, se declaraverit signatum illorum servum, dum carnibus suis fecit imprimi aliqua stigmata, idolorum propria. Unde sacer Textus 2. Paral. 36. v. 8. refert; *Reliqua verborum Joakim, & abominationum ejus, quas operatus est & quæ inventa sunt in eo.* Lyranus interpretatur; *id est, stygmata & figuræ, quas fecerat in corpore suo in honorem idolorum, & quæ inventa in cadavere ejus projecto.*

Stigmata dæmonum.

Characteres, impressi carnibus impii hujus Regis, etiam Arabibus & Saracenis fuêre usitati. Unde Oleaster supra Levit. c. 19. v. 28. *Non incidetis carnes vestras; neque figuras aliquas aut stigmata facietis vobis.* Seu ut ipse traducit; *Scripturam notæ non ponetis in vobis*; ita interpretatur; *Usque hodie Arabes & Saraceni, & quidam Insulares apud fortunatas insulas degentes, habent pectora & brachia, hujusmodi notis & litteris inscripta.* Ad hunc ritum alludit Prudentius in Martyr. Romani.

Quid cum sacrandus accipit Sphragitidas?
Acus minutas ingerunt fornacibus,
His membra pergunt urere; utque igniverint
Quamcumque partem corporis fervens nota
Stigmârit, hanc sic consecratam prædicant &c.

Similes maculæ ac stigmata etiam imprimi solent membris lamiarum, strigarum, sagarum, similiumque flagitiosorum hominum, qui se ipsos consecrârunt abominandos dæmonum vasallos.

CAP. XXXVI. ℣. 12.

521. Iniquitas Sedeciæ, Regis Judææ, eò deserviit, ut vel esset instar contagii ad inficiendos cunctos Israëlitas; vel instar turbidi torrentis, ut secum in præcipitia scelerum abriperet omnes subditos. *Fecitque malum in oculis Domini Dei sui &c.* 2. Paral. c. 36. v. 12. ubi v. 14. adjungitur; *Sed & universi Principes sacerdotum, & populus prævaricati sunt iniquè juxta universas abominationes gentium.* In hunc locum Lyranus. *Ad malitiam Regis sequuta est malitia in omnibus aliis.* Unde bene dicebat S. Bernardus; *Si quis de populo deviat, solus perit: verùm Principis error multos involvit, & tantis obest, quantis præest ipse.*

Malum Principis exemplum destruit subditos.

Cicero l. 3. de Leg. *Perniciesè merentur de Republica vitiosi Principes, qui non solùm vitia concipiunt ipsi, sed ea infundunt in civitatem: neq; solum obsunt, quòd illi ipsi corrumpuntur, sed etiam quòd corrumpunt; plusque exemplo, quàm peccato nocent.* Proin' benè Horatius;

— — Falsâ regulâ primâ;
Omnia mendosè fieri, & distorta necesse est.

CAP. XXXVI. ℣. 18.

Quando misera civitas Hierosolymitana armis Nabuchodonosoris fuit prostrata, ita ut postremus Rex Sedecias duceretur captivus in Babyloniam, totusque populus aut gladio subjaceret, aut catenis; fuêre insuper à barbaro illo in prædam ablata omnia pretiosa vasa, divinis servitiis destinata, & flammæ sacrilegæ applicatæ ad diruendam & comburendam majestatem templi. *Universaq; vasa domus Domini tam majora, quàm minora, & thesauros templi & Regis, & Principum, transtulit in Babyloniam.* 2. Paralip. 36. v. 18. *Incenderunt hostes domum Dei.* v. 19. 522.

Templum spoliatum & combustum.

Quantumvis templum Apollinis Delphici fuerit in summa Gentilium veneratione; non tamen deerat, qui illud deprædaretur & incenderet. *Quod quidem templum,* inquit Alexander ab Alex. dierum Genial. lib. 6. c. 2. *Philippus Macedo (velut immanis prædo) sicut pleraq; omni rapinarum genere vastavit & incendit; vasaq; & quæ pretiosa erant, immisso exercitu diripuit.*

LUMINA REFLEXA
EX LIB. I. ESDRÆ.

CAP. I. v. 2.

523. 
Cum Cyrus, Persarum Rex, propriam contemplaretur majestatem ac potentiam, non tantùm voce, sed etiam scripto protestatus est ac palam fecit, quòd omnia provenerint à Deo, victoriarum & aquisitorum omnium generosissimo largitore. *Hæc dicit Cyrus, Rex Persarum: omnia Regna terræ,* loquebatur de iis, quæ actu possidebat, *dedit mihi Dominus Deus cæli* 1. Esd. 1. v. 2. Doctrinam hanc Monarcha ille forsan hausit ex Isa. 45. v. 1. *Hæc dicit Dominus Christo meo, Cyro, cujus apprehendi dexteram, ut subjiciam ante faciem ejus gentes, & dorsa Regum vertam, & aperiam coram eo januas, & portæ non claudentur. Ego ante te ibo, & gloriosos terræ humiliabo.* Adeoq; quòd vicerit, triumphârit, & regnârit, optimâ ratione non attribuit propriis viribus, sed divinæ benignitati, à quo derivabat omnem suam felicitatem, victoriam, & incrementum.

Victoria à Deo datur.

Josephus Hebræus lib. 7. de Bello. cap. 12. refert, Titum Imperatorem, post expugnatas Hierosolymas, cùm altitudinem & robur prodigiosorum mœniorum illius civitatis contemplaretur, dixisse: *Deo planè adjuvante pugnavimus, & Deus erat, qui detraxit ab istis munimentis Judæos.* Conformiter Philostratus *lib 6. de vita Apollonii*; loquens de eodem Tito, expugnatore Judææ, ait; *Finitimæ gentes, ob victoriam, coronare ipsum voluerunt: ille verò talis honore indignum se esse respondit: non enim se talium operum authorem; sed Deo iracundiam contra Judæos demonstranti, manus suas præbuisse.* Hanc veritatem probè perspectam habuit Carolus V. qui post obtentam celeberrimam victoriam, dixit: *Veni, vidi, sed Deus vicit.*

CAP. II. ℣. 65.

Quando Esdras commemorat Judæos, egressos Persiâ & in patriam suam terram sanctam reversos, addit cantores & cantatrices; *Et in ipsis cantores atque cantatrices ducenti.* 1. Esd. 2. v. 65. quod repetitur 2. Esd. 7. v. 67. Bercellai, annis decrepitus, cùm invitaretur ad delitias aulæ Regiæ, respondit 2. Reg. 19. v. 35. *Nunquid vigent sensus mei ad discernendum suave aut amarum? aut delectare potest servum tuum cibus & potus? vel audire possum ultra vocem cantorum aut cantatricum?* Salomon de se ipso Eccles. 2. v. 8. *Feci mihi cantores & cantatrices.* 524.

Cantores & cantatrices.

Riti-

Ritibus Hebraicis jungamus Gentiles; qui suos choros componebant ex maribus & fœminis. *Non vides*, inquiebat Seneca Epist. 84 *quàm multorum vocibus chorus constet? unus tamen ex omnibus sonus redditur: aliqua illic acuta est: aliqua gravis: aliqua media: accedunt viris fœminæ: interponuntur tibiæ. &c.* Et Epist. 29. *Cæterùm si te videro celebrem secundis vocibus vulgi: si intraute te clamor, plausus, & pantomimica ornamenta obstrepuerint: si tota civitate te fœminæ, puerique laudaverint. &c.*

CAP. III. ℣. 10.

515. QUamprimùm Zorobabel jaciebat fundamenta templi, auditæ sunt in aëre voces jubili, & ingentis gaudii. *Fundato igitur à cæmentariis templo Domini, steterunt sacerdotes in ornatu suo cum tubis & Levitæ filii Asaph in cymbalis, ut laudarent Deum.* 1. Esd. c. 3. v. 10. De eadem fundatione Zacharias cap. 4. v. 7. *Educet*, inquit Zorobabel *lapidem primarium* Templi, *& exæquabit gratiam gratiæ ejus, id est, acclamationes*, ut aliqui legunt; id est, vocibus jubili, applausûs, & laudis innovabant festivos clamores, qui in cœlum usque resonabant, quando templum Salomonis fuit prima vice extructum. Ad hunc ritum præclarè alludunt discursus Dei in Job. c. 28. v. 4. &c. *Ubi eras quando ponebam fundamenta terræ &c. cùm me laudarent simul astra matutina, & jubilarent omnes filii Dei?*

Gentiles non solùm finitis suis ædificiis prorumpebant in lætissimas voces; sed etiam initio ædificiorum ostentabant publicæ ac festivæ hilaritatis inditia. Unde, quando agebatur de fundanda nova Troja, Virgilius lib. 7. Æneid. v. 149. cecinit;

Dicitur hic subito Trojana per agmina rumor,
Advenisse diem, quo debita mœnia condant.
Certatim instaurant epulas, atque agmine magno
Crateras læti statuunt, & vina coronant.

CAP. IV. ℣. 11.

516. POpulus Syriæ, cùm Cambisi, qui etiam vocabatur Assuerus; seu rectius Artaxerxi scriberet; in fronte Epistolæ nuntiârunt ei salutem. *Artaxerxi Regi, servi tui, viri, qui sunt trans fluvium, salutem dicunt.* 1. Esd. 4. v. 11. Eodem modo Alexander, filius Antiochi, scripsit Jonathæ; *Rex Alexander fratri Jonathæ salutem.* 1. Mach. 10. v. 18. Et v. 25. *Rex Demetrius genti Judæorum salutem.* Ita 2. Mach. 1. v. 1, *Fratribus, qui sunt per Ægyptum, Judæis, salutem dicunt fratres, qui sunt Jerosolymis.* S. Jacobus suæ Epistolæ Catholicæ hoc exordium præfixit; *Jacobus Dei, & Domini nostri Jesu Christi servus, duodecim tribubus, quæ sunt in dispersione, salutem.*

Salus in fronte litterarum.

Exordio harum litterarum respondet ritus Græcorum & Romanorum, qui solebant amicis suis apprecari *salutem, salvere, gaudere, & benè rem gerere*; uti soliti sunt Plato & Pythagoras; postque videri in Tullio & Plinio, quorum Epistolæ omnes è fronte præferunt *salutem*. Ita Goffredus, aperiens litteras, è collo columbæ suspensas, eandem salutem reperit;

Al signor di Giudea (dicea lo scritto)
Manda salute il Capitan d' Egitto.

Geruf, Liberat Cant. 18. Stanz 51.

CAP. IV. ℣. 14.

SYrii in litteris, ad Artaxerxen scriptis, professi sunt singularem zelum erga ipsius coronam & felicitatem; idque, quia recordabantur salis, id est alimentorum, quæ in ejus aula acceperant. *Nos autem memores salis, quod in palatio comedimus, & quia læsiones Regis videre nefas ducimus, idcircò misimus, & nuntiavimus Regi.* 1. Esd. 4. v. 14. 517.

Sal in mensa.

Hæc grata reminiscentia salis, accepti ab aliis in mensa, persuasit Pythagoræ, ut inter alia symbola etiam istud afferret; *Salem & mensam ne prætereas.* Origenes lib. 2. *cont. Celsum*; adducit quemdam Parium, constructorem versuum Jambicorum, qui invehebatur contra Licomantem; *quòd salem & mensam esset prætergressus.* Unde Æschines *De perperam obita legatione*, dicebat; *Civitatis salem, publicamque mensam, se plurimi facere.*

CAP. VII. ℣. 24.

INter cæteras gratias, quas Artaxerxes, Rex Persarum, tribuit Israëlitis, fuit sacerdotum, Levitarum, & reliquorum omnium sacrorum ministrorum immunitas à tributis & oneribus sæcularibus. *Vobis quoque notum facimus de universis sacerdotibus & Levitis, & cantoribus, & janitoribus, & Nathinæis, & ministris domûs Dei hujus, ut vectigal, & tributum, & annonas, non habeatis facultatem imponendi super eos.* 1. Esd. c. 7. v. 24. 518.

Sacerdotes immunes.

Quod sacræ litteræ testantur de Rege Persarum; Profanæ referunt de Regibus Ægypti, solitis immunes relinquere sacerdotes ab omnibus exactionibus. Herodotus lib. 2. ait; *Ægyptiorum sacerdotes non exiguis afficiuntur commodis: nam neque aliquid è re domestica conterunt, neque erogant sed singulis eorum quotidiè cibi sacri comi præsto sunt, & carnis bubulæ, & anserinæ satis, abundeque suppeditantur: vinum quoque vineale traditur.* Idipsum repetit Diodorus Siculus lib. 2. De hac immunitate diximus plura in Genes. c. 47. v. 26.

CAP. IX. ℣. 3.

INtimis visceribus ac toto pectore affligebatur Esdras, quando audiit transgressiones legis, factas à quibusdam Levitis; unde in doloris sui testimonium, laceravit vestes, & evulsit capillos. *Cumque audissem sermonem istum, scidi pallium meum, & tunicam, & evelli capillos capitis mei, & barbæ.* 1. Esd. c. 9. v. 3. Hanc doloris significationem innovavit Hieremias cap 41. v. 5. *Venerunt octoginta viri, rasi barbâ, & scissis vestibus.* 519.

Vestes lacerare & capillos evellere ex dolore.

Q. Curtius observavit hunc morem in Persis, solitis tempore calamitatum lacerare vestes & capillos. Et lib 3. de uxore Regis Darii, in captivitatem redacta, ait; *Ingens circa eam nobilium fœminarum turba constiterat, laceratis crinibus, abscissaque veste, pristini decoris immemores.* Seneca in Octavia;

— — *Scindit vestes*
Ægesta suas, laceratque comas.

CAP. IX. ℣. 10.

ESdras interni sui doloris dedit externa signa, dum lacerabat pallium ac vestes, crinesque capitis evellebat. *Scidi pallium meum, & tunicam, & evelli capillos capitis mei, & barbæ.* 1. Esd 9. v. 3. 520.

Capillos evellere præ dolore.

Quia verò de vestium scissuris copiosè égimus Gen. c. 37. v. 30. 1. Reg. c. 4. v. 12. & 2. Reg. c. 1. v. 11. idcircò hic sufficiat observare comas, in doloris indicium evulsas & laceratas. Hanc con-

consuetudinem affert Josephus Hebræus l. 16. Antiquit. c. 11. afferens, quod Salome, soror Herodis, in gravi afflictione evulserit crines, & pectus pulsârit manibus. Virgilius l. 9. Æneid. de matre Euriadi canit;

Evolat infelix, & fœmineo ululatu
Scissa comas.

Et lib. 12. exprimens dolorem Laviniæ, quem sensit suspensa matre;

Filia prima manu flavos Lavinia crines,
Et roseas laniata genas.

In hoc argumentum cumulatas eruditiones adducit Balthasar Bonifacius Ludicræ Historiæ lib. 12. cap. 19. & 20.

LUMINA REFLEXA EX LIB. II. ESDRÆ.

CAP. I. v. 9.

531. Um Deus promitteret liberare Israëlitas ex captivitate, eosque reducere in terram antecessorum suorum; ait: *Etiamsi adducti fueritis ad extrema cœli, inde congregabo vos, & reducam &c.* 2. Esdr. 1. v. 9. quasi diceret; etiamsi essetis in extrema mundi parte, relegati in remotissimas regiones, ac veluti sub altero cœlo; reducam tamen vos in Palæstinam.

Alterum cœlum denotat remotum locum.

Hanc proverbii formam, uti observat Martinus del Rio Tom. 1. Adag. 220. frequenter reperimus usitatam Profanis; Virgilius;

Atq; alio patriam quærunt sub sole jacentem.

Horatius;

- - *quid terras alio calentes sole mutamus?*

Et Seneca;

— *Nefandos dividat vastum mare*
Dirimatq; tellus abdita, & quisquis sub hoc
In alia versus sidera, & solem avium
Dependit orbis.

CAP. I. ℣. 11.

532. OFficium pincernæ in sacris litteris non solùm commemoratur Genes. cap. 40. v. 1. sed etiam 2. Esdr. cap. 1. v. 11. ubi Esdras de se ipso ait; *Ego enim eram pincerna Regis.* gloriatur enim, se in aula Regis Persarum functum esse nobilissimo & insigni illo officio.

Pincerna Regis.

Etiam profanis calamis celebrantur pincernæ. Athenæus lib. 5. & 10. exhibet exemplum in filio Menelai; Homerus lib. 1. Iliad. repræsentat Vulcanum, in eo munere servientem Junoni, aliisque Diis. Eustatius in 1. Odyss. scribit, Euripidem poëtam, adhuc juvenem, exercuisse hoc officium, De Ganymede, filio Regis Trojæ, Homerus canit apud Natalem Comitem Mythol. lib. 9. cap. 13.

— — — *Ganymedes*
Inter mortales cui præstantissima forma
Quem superi rapuêre, Jovi quo pocula magno
Præbeat ob formam, cum Diis, & transigat ævum.

CAP. II. ℣. 16.

533. CUm è Persiæ finibus in Judæam pervenisset Esdras, ut statum civitatis Hierosolymitanæ exploraret; anxius illius reparandæ & extruendæ, ait: se illud fecisse secretissimè; adeò quidem, ut *magistratus nesciebant quò abissem, aut quid ego facerem: sed & Judæis, & sacerdotibus, & optimatibus, & magistratibus, & reliquis, qui faciebant opus, usque ad id loci nihil indicaveram.* 2. Esdr. c. 2. v. 16. ubi verba illa *usq; ad id loci*, idem significant, ac *usque ad id temporis.* id quod colligitur tum ex septuaginta Interpretum lectione; *reliquis facientibus opera usque tunc non annuntiavi*; tum ex Vatablo, qui legit; *Nec reliquis, qui opus faciebant, hactenus indicaveram.*

Locus pro tempore.

Etiam Grammatici utuntur voce *locus* in significato *temporis.* Unde Tullius de Orat. *Nullum habeo instituendi aut docendi locum*; id est, nullam opportunitatem & commoditatem temporis. Et Terentius in Heauton. *Nam & cognoscendi, & ignoscendi dabitur peccati locus*; id est, tempus & occasio id faciendi.

CAP. III. ℣. 1.

HEbræi, è captivitate Babylonica reversi Hierosolymas, cùm pauperem civitatem reperirent desolatam & destructam, reædificârunt mœnia & portas, feceruntq; initium à porta gregis. Ita 2. Esdr. c. 3. *Ædificaverunt portam gregis: ipsi sanctificaverunt eam, & statuerunt valvas ejus, & usque ad turrim centum cubitorum sanctificaverunt eam.* Adeoque portam istam sanctificârunt, seu rectius, mundârunt à spinis, maceriis, & profanationibus, quas priora incendia cumulabant; restitueruntque illam pristinæ majestati & pulchritudini. Vel certè, sacris ritibus, aqua lustrali & precibus peculiaribus eam Deo consecrârunt ac dedicârunt; maximè quia per portam illam debebant ingredi greges, destinati ad victimas, Deo supra altare offerendas. Imò non tantùm porta gregis, sed etiam mœnia fuêre simili modo sanctificata. Unde 2. Esd. 12. v. 27. *In dedicatione autem muri Jerusalem requisiverunt Levitas de omnibus locis suis, ut adducerent eos in Jerusalem.* Et v. 30. *Et mundati sunt sacerdotes & Levitæ, & mundaverunt populum, & portas, & murum.* 534.

Portæ sanctificatæ.

Similes ritus & ceræmoniæ reperiuntur apud Gentiles. Quod mœnia civitatis fuerint numerata inter res sacras, demonstrat Alexander ab Alex. l. 6. Genial. Dierum. cap. 14. Servius refert sup. lib. Æneid. quòd in fundanda civitate sacrificârint Patri Libero seu Baccho, ut civitatem conservaret liberam. Æneas, è Troja fugitivus in Thraciam, fundationem cujusdam civitatis peregit sacris victimis & oblationibus. lib. 3. Æneid. v. 17.

Mœnia prima loco, fatis ingressus iniquis:
Æneadasq; meo nomen de nomine fingo:

Sacra

Sacra Dioneæ matri, divisq; ferebam
Auspicibus cœptorum operum: superosque nitentem
Cælicolum Regi mactabam in littore taurum.

Unde Justinianus *l. sacra loca.* 9. §. *sancta ff. de Rer. Divis.* ait: *Sancta quoque res, veluti muri & portæ civitatis, quodammodo divini juris sunt, & ideò nullius in bonis sunt.*

CAP. III. ℣. 8.

535. HOc loco frequenter tribuitur Principis titulus personis particularibus, qui habebant præfecturam & authoritatem; iis præsertim, qui uni vel alteri vico Hierosolymitano præerant. Ita v. 8. scribitur; *Ædificavit Raphaia filius Hur, princeps vici Jerusalem.* v. 11. *Ædificavit Sellum, filius Alohes, princeps mediæ partis vici Jerusalem.* v. 13 *Portam sterquilinii ædificavit Melchias filius Rechab, princeps vici Bethacaram. Et portas fontis ædificavit Sellum, filius Cholhoza princeps pagi Maspha &c.*

Præfecti vicorum.

Sicuti Hierosolymis erant Præfecti viarum; ita Romæ fuerunt, & adhuc sunt viri, qui eliguntur tanquam capita cujusvis partis in illa civitate, vocanturque *Caporioni*. id est, *Principes Decuriones*; hi, maximè tempore sedis vacantis, pollent grandi authoritate; eorumque munus est, sedare tumultus, defendere civitatem, & punire delinquentes.

CAP. IV. ℣. 2.

536. CUm viderent hostes Judæorum, istos accingi ad reædificandas Hierosolymas combustas & destructas; pleni admiratione dicebant; *Nunquid ædificare poterunt lapides de acervis pulveris, qui combusti sunt?* 2. Esd. 4. v. 2. veluti dicerent; impossibile esse, ut pulvis laterum combustorum rursus uniatur, consolidetur, & compaginetur, sicque ad construendam fabricam præparetur.

Res divisæ malè uniuntur.

Idipsum dici potest de rebus in partes resolutis, nimiumque subtiliter divisis & diminutis, quæ difficillimè componi & ad operandum adhiberi possunt. Columella in Præfat. lib. 10. de Cultura Hortorum ait; *Nam & si multa sunt ejus quasi membra, de quibus aliquid possumus effari, tamen eadem tam exigua sunt, ut (quod ajunt Græci) ex incomprehensibili parvitate arenæ funis effici non possit.*

CAP. IV. ℣. 17.

537. CUm Samaritani molirentur totis viribus impedire, ne Judæi iterum ædificarent Hierosolymas; hi tamen constantes & resoluti, fabricam prosecuti sunt, una manu tenentes trullam, cæteraque instrumenta fabrilia; altera gladium & arma ad dimicandum. *Ædificantium in muro, & portantium onera, & imponentium: una manu sua faciebat opus, & altera tenebat gladium.* 2. Esd. 4. v. 17.

Ædificare præliando.

Simili modo Canaces apud Ovidium Ep. 11. Heroid. dicebat Macareo;

Æolis Æolidæ, quam non habet ipsa, salutem
Mittit, & armata verba notata manu.
Dextra tenet calamum, strictum tenet altera ferrum,
Et jacet in gremio charta notata meo.

Israëlitis non absimiles fuère populi Hispaniarum, qui à Saracenis infestati, sive accederent templum ad orandum, sive campum ad colendam terram, semper manibus tenuère arma, paratique erant ad reprimendus barbarorum violentias. Ita Hungari infestati à Turcis, una manu tractabant aratrum, altera gladium & sclopetum &c.

CAP. IV. ℣. 23.

538. CUm Nehemias Princeps & omnes Israëlitæ simul è fronte rabidorum hostium consisterent, multis diebus nec ipse, nec quisquam Judæorum unquam deposuit vestimenta, ut semper essent parati ad tractanda arma, suique defensionem. Hoc etiam modo suos populos incitârunt ad tollerandos militares labores, & ad constantiam in resistendo. *Ego autem, & fratres mei, & pueri mei, & custodes, qui erant post me, non deponebamus vestimenta nostra.* 2. Esd. cap. 4. vers. 23.

Vestes non exutæ.

Ambrosius Spinola Marchio, & gloriosæ memoriæ Bellidux, duobis integris annis continuans obsidionem Ostendæ, totis septem mensibus nunquam exuit vestes; tantaque sua diligentia potuisset expugnare validissimum quemcumque Europæ locum, & gloriosissimas victorias obtinere.

CAP. V. ℣. 11.

539. CUm eò devenisset quorundam Hebræorum avaritia, ut pauperibus non solùm auferrent vineas, campos, & domos; sed insuper crudelissimis usuris opprimerent: idcircò Nehemias ipsis persuasit, ut restituerent, quod iniquè usurpaverant; *quin potius & centesimam pecuniæ, frumenti, vini, & olei, quam exigere soletis ab eis, date pro illis.* 2. Esd. 5. v. 11. hæc centesima erat usura, solvendi quovis mense unum pro centum; adeoque usura centum mensium æquivalebat sorti seu capitali.

Usura centum mensium.

Similes Harpyiæ reperiebantur etiam inter Romanos, qui quovis mense exigebant peculiaria lucra. Unde Horatius in Epodo Od. 3. de quodam Usurario canit;

Omne relegit idibus pecuniam,
Quærit Kalendis ponere.

Et lib. 1. Satyr. 3.

— *Fugis ut Drusonem debitor æris,*
Qui nisi cum tristes misero venêre Kalendæ,
Mercedem, aut nummos unde extricat.

Ita Aristophanes *in nubibus* introducit Strepsiadem, coactum solvere usuras recente quavis luna; qui proinde opera magica volebat impedire, ne luna unquam amplius fieret nova, ipseque absolveretur à persolvendis usuris, solitis eo tempore exigi. Et Plutarchus *lib. de non fænerando*; ait, usurarios semper in corde & ore suo circumferre novam lunam; *quæ cùm sit omnium dierum sacerrima & sanctissima, nefandam tamen, & horribilem, & tristem faciunt fœneratores.*

Usuræ menstruæ.

CAP. V. ℣. 14.

540. SUmmas laudes promeritus est Nehemias, quòd princeps populi Israëlitici, eumq; duodecim annorum spatio suprema authoritate gubernans, nihil prorsus acceperit ex iis contributionibus frumenti, vini, olei, & pecuniæ; quas alii cupidi ministri à pauperibus subditis exigere solebant. *Per annos duodecim ego, & fratres mei, annonas, quæ ducibus debebantur, non comedimus.*

Princeps non cupidus lucri.

2. Esd. 5. v. 14. *quin potius in opere muri ædificavi, & agrum non emi.* v. 16.

Ex eodem capite laudandus est Thomas Morus, qui multis annis supremus Angliæ cancellarius, nunquam tamen admisit vel procuravit alicuius quod lucrum vel usuram, etsi ipsius redditus vix attigerint ducentos scutatos, uti refert Thomas Stapletonus in ejus vita.

CAP. VI. ℣. 15.

541. TAnto ardore Nehemias & Hebræi insudârunt reædificandis mœniis Hierosolymarum, ut vasta illa fabrica quinquaginta duarum dierum spatio fuerit absoluta. *Completus est autem murus vigesimo quinto die mensis Elul, quinquaginta duobus diebus.* 2. Esd. 16. v. 15.

Mœnia citò extructa.

Simili modo Alexander Magnus extruxit mœnia novæ Alexandriæ, collocata ad flumen Tanai, & sexaginta stadiorum spatio extensa; eaque complevit intra septemdecim dies, uti refert Q. Curtius; seu intra viginti, ut narrat Arianus. Ita Batavi, quando civitates etiam vastissimas obsident, intra viginti dierum spatium eas cingunt vallis & propugnaculis adeò validis, ut impossibile videatur auxiliaribus copiis eas liberare; idque ideò, quia illorum milites juxta normam militiæ Romanæ, non solùm secum portant arma ad dimicandum, sed etiam ligones ad eruendam terram, & trullas ad erigendos muros.

CAP. VIII. ℣. 4.

542. ESdras locuturus multitudini populi, conscendit quandam cathedram, ad id præparatam, ibique stans & erectus pro concione dixit, suosque conceptus explicavit. *Stetit autem Esdras scriba super gradum ligneum, quem fecerat ad loquendum.* 2. Esdr. 8. v. 4. Simili modo egerunt Principes Apostolorum; primus Act. 1. v. 15. *Exurgens Petrus in medio fratrum dixit &c.* & alter Act. 13. v. 16. *Surgens autem Paulus, & manu silentium indicens, ait; Viri Israëlitæ &c.*

Orator loquatur stando.

Quòd hoc modo pro concione dicant oratores, docuit M. Tullius in oratore, ubi scribit; *Oratoris status sit erectus & celsus, rarus incessus &c.* Ovidius, disponens Ajacem ad discurrendum, ait:

Consedêre Duces, & vulgi stante caterva,
Surgit ad hoc, clypei Dominus septemplicis Ajax.

CAP. VIII. ℣. 5.

543. CUm Nehemias esset accinctus ad legem divinam populo explicandam, vix aperto sacro volumine, omnes ex reverentia erecti sunt in pedes, auresque attentas ei præbuerunt. *Et cùm aperuisset eum, stetit omnis populus.* 2. Esdr. 8. v. 5. Ita Numer. 23. v. 18. quando Balaccus Rex Moabitarum interrogavit Balaamum; *Quid locutus est Dominus?* respondit iste; *Sta Balac, & ausculta.* Et in Lib. Judic. c. 3. v. 20. quando Aod dixit Egloni; *Verbum Dei habeo ad te.* mox ille; *surrexit de throno.*

Stando audire verbum Dei.

Usitatissimum proinde erat, stando audire verbum Dei; duravitque usque ad tempora S. Augustini, qui Serm. 29. de diversis ait; *Ut ergò vos non diutius teneam, præsertim quia ego sedens loquor, vos stando laboratis &c.* Et rursùs lib. quinquaginta Homiliarum; Homil. 26. *Quando passiones prolixæ, aut certa aliqua lectiones longiores leguntur, qui stare non possunt, humiliter & cum silentio sedentes, attentis auribus audiant quæ leguntur.*

CAP. VIII. ℣. 7.

TAmetsi maxima multitudo Hebræorum, post captivitatem congregata ad audiendam Legem Dei, ob diversos affectus admirationis, gaudii, & doloris in diversas voces sæpius erumperet; nihilominus omnes, persuasi à Levitis, quieto & exactissimo silentio audiebant ac venerabantur legem. *Levitæ silentium faciebant in populo ad audiendam legem,* 2. Esd. 8. v. 7. 544.

Silentium in audiendo verbum Dei.

In Liturgia S. Jacobi Apostoli reperitur, quòd congregatis ad ss. missæ sacrificium fidelibus; Lectores seu ministri sacri omnibus imperârint silentium & venerationem; dicendo, *Sileat omnis humana ac mortalis caro, stetq; cum metu & tremore, ac nihil terrestre apud se ipsum cogitet: Rex enim regnantium, ac Dominus dominantium, Christus Deus noster progreditur, ut immoletur, ac detur in cibum fidelibus.* S. Joannes Chrysostomus Homil. 33. in c. 9. Matth. exigebat à suis auditoribus venerabundum silentium, quando accingebatur ad prædicandum verbum Dei. *Equidem,* inquit, *millies potius malim in domum alicujus vestrûm ingressus destitui, quàm hic prædicans, non audiri &c.*

CAP. VIII. ℣. 10.

A summo sacerdote Nehemia persuasi sunt Hebræi, ut celebrarent quamdam solemnitatem plenam lætitia; unde invitavit suum populum, ut instruerent mensas pinguibus cibis, & escis benè conditis ac unctis. *Ite comedite pinguia, & bibite mulsum &c.* 2. Esd. c. 8 v. 10. 545.

Cibus unctus denotat lautum & splendidum.

Gentiles, quando loquuntur de cibis suavibus, splendidis, & delicatis, eos vocant unctos; Ita Persius, loquens de quodam sui temporis Leccone, solito vivere inter meras lautitias, & tandem etiam inter ciborum copiam extincto; ait Satyr. 3.

Sed tremor inter vina subit, calidumque trientem
Excutit è manibus: dentes crepuêre retecti:
Uncta cadunt laxis tunc pulmentaria labris.

Et Satyr. ordinans, ut sibi instrueretur lautum convivium, inquit;

— — Impensius unge.
Unge puer caules.

Ita Horatius in Arte poëtica, expressurus convivium splendidum, vocat illud unctum;

Si verò est unctum, qui rectè ponere possit.

CAP. VIII. ℣. 15.

SOlemnitas tabernaculorum, instituta à Mose Deut. 16. v. 13. in memoriam illius temporis, quo populus Hebræus, liberatus servitute Ægypti, commoratus est inter vireta & nemora deserti; fuit innovata tempore Nehemiæ. 2. Esd. 8. v. 15. ubi jussus est populus, post liberationem servitutis Babylonicæ, festum istud inter jubilos cum omni pompa celebrare. *Egredimini in montem, & afferte frondes olivæ, & frondes ligni pulcherrimi, frondes myrti, & ramos palmarum, & frondes ligni nemorosi, ut fiant tabernacula,* subjungens v. 16. *Feceruntq; sibi tabernacula unusquisq; in domate suo, & in atriis suis &c.* De similibus oblectamentis genialibus videtur discurrere Tibullus l. 1. Eleg. 5. 546.

Tunc

Tunc operata Deo pubes discumbit in herba;
Arboris antiqua qua levis umbra cadit:
Aut è veste sua tendent umbracula; sertis
Vincta, coronatus stabit & ipse calix.

CAP. IX. ℣. 36.

547. DEploranda fuit calamitas Israëlitarum, quando temporibus Nehemiæ & Esdræ vivebant sub servitute Regum Persiæ, quibus debebant solvere fructus terræ à se cultæ, & arborum, quas plantaverant & nutriverant. *Ecce nos ipsi hodie servi sumus, & terra, quam dedisti patribus nostris, ut comederent panem ejus &c. & fructus ejus multiplicantur regibus, quos posuisti super nos.* 2. Esd. 9. v. 36. Quale id fuerit onus, colligitur ex 1. Machab. 10. v. 29. &c. ubi Rex Demetrius promittit Jonathæ, si vellet cum ipso confœderari, condonaturum se *Et tertias seminis, & dimidiam partem fructûs ligni.* Adeoque persolvebant Principi tertiam partem omnium collectorum granorum, frumentorum, leguminum, mediamque partem omnium fructuum, qui crescebant in arboribus.

Gabella fructuum.

Domitiani tyrannide rursus in extremas angustias coacti Hebræi, opprimebantur gravissimis tributis, ut scribit Sueton: *in Domitian. c. 12.* debebantque solvere tributum ex qualibet arbore, ab ipsis possessa ac culta. Juvenalis Sat. 3.

Nunc sacri fontis nemus, & delubra locantur
Judæis, quorum cophinus, fœnumque supellex:
Omnis enim populo mercedem pendere jussa est
Arbor, & ejectis mendicat sylva Camænis.

CAP. X. ℣. 38.

548. SIcuti Levitæ, ministri tabernaculi, acceperunt à populis decimas omnium fructuum ac gregum; ita postmodùm iidem Levitæ portârunt decimam partem acceptarum decimarum in gazophilacium, & ærarium; quod extructum erat ad asservandas cujuscumque pretii res pro servitio sacerdotum & Pontificum &c. *Levitæ offerent decimam partem decimæ suæ in domo Dei nostri ad gazophilacium in domo thesauri.* 2. Esd. 10. v. 38.

Ærarium templi.

Etiam Spartani habebant ærarium sacrum, extructum in templo Apollinis, ut refert Athenæus lib. 6. Et Romani in templo Saturni; ut scribit Plutarchus in Problem.

CAP. XIII. ℣. 23.

549. ADeò zelosus & tenax idiomatis Hebræi fuit bonus Propheta & sacerdos Esdras; ut reperiens aliquos ex suo populo, desponsatos mulieribus exterarum nationum, quorum filii loquebantur idiomate adulterino, nec prorsus Hebraico, nec prorsus barbaro: tantam conceperit indignationem, ut eos excommunicârit, & abominatus sit, puniveritque gravissimis suppliciis. *Vidi Judæos, ducentes uxores Azotidas, Ammonitidas, & Moabitidas. Et filii eorum ex media parte loquebantur azoticè, & nesciebant loqui judaicè &c. & objurgavi eos, & maledixi. Et cecidi ex eis viros, & decalvavi eos &c.* 2. Esd. 13. v. 23.

Zelus idiomatis Hebræi.

Romani quoque fuerunt linguæ suæ tenacissimi. De Claudio Imperatore scribit Dion lib. 60. quòd ex privilegio quemdam, oriundum ex Lycia, Asiæ provincia, fecerit civem Romanum: & cùm ipsum latino idiomate alloqueretur, videretque, illud ab eo non intelligi, gratia sua ipsum rursus privavit. Spartianus in vita Severi, natione Africani, scribit; quòd ex Africa Romam adventante ipsius sorore, cùm videret, eam malè & barbarè loqui latinè, erubescens eam imperfectionem, jusserit sororem redire ad provinciam, unde advenerat.

Et Latini.

CAP. XIII. ℣. 25.

550. NEhemias severissimo supplicio castigavit illos Hebræos, qui matrimonio juncti fœminis exteris, habebant filios, loquentes idiomate barbaro & extero; unaque introducentes in populo Dei mores ac ritus barbaros. Unde eos non solùm objurgavit ac excommunicavit, sed etiam percussit, & ignominiæ ac ludibrii loco decalvavit, id est, eorum capillos evulsit. *Et objurgavi eos, & maledixi, & cecidi & decalvavi eos.* 2. Esd. 13. v. 25. *id est, depilavi, & capillos evulsi, quod est magna ignominia*; ut interpretatur Cornelius à Lapide.

Capilli evulsi in ignominiam.

Aristophanes in Plut. refert, quòd Athenienses depilatione, id est, evulsione capillorum, & capitis, vultusque deformatione, castigaverint illos, qui erant convicti, aut deprehensi in adulterio. Quòd postmodum calvitie & depilatione multi fuerint offensi & malè tractati, videatur lib. 1. Regum. cap. 10. vers. 4.

LUMINA REFLEXA EX TOBIA.

CAP. I. ℣. 2.

551. INsignis est illa laus, attributa Tobiæ, quòd corpore captivus inter barbaros, animam semper conservarit illibatam, omnique immunem iniquitate. Et licet viveret inter idololatras, nihil tamen unquam remiserit à religione & fide, quam à suis majoribus didicerat. *In captivitate positus, viam veritatis non deseruit.* Tob. 1. 2. Ex eodem capite fuêre gloriosi Loth, inter infames conservans pudicitiam; Job, justus inter vitiosos; Noë, sanctus inter sceleratos; Machabæi fideles inter idololatras. Unde S. Bernardus Serm. 48. in Cant. *Non mediocris titulus perfectæ virtutis, inter pravos vivere bonum, & inter malignantes innocentiæ retinere candorem.*

Justus inter sceleratos.

Hanc nobilem animi fortitudinem nostris temporibus reveremur in bonis Catholicis Angliæ, Scotiæ, Saxoniæ, Germaniæ superioris & inferioris &c. qui hæreticis circumdati, conservantur veluti lilia inter spinas; de quibus verificatur proverbium Hebræorum; *Myrtus semper est myrtus, etiamsi inter urticas sit.*

CAP. I. ℣. 4.

552. DE bono Tobia dici potest, quod S. Ambrosius de quodam magnate; *Nullam pueritiæ sensit ætatem*, ætati enim puerili junxit prudentiam senilem; tanta operans soliditate, ut omnis levitas, aliâs puerilium annorum propria, fuerit penitus aliena. *Cùm esset junior omnibus in tribu Nephtali, nihil tamen puerile gessit in opere.* Tob. 1. v. 4.

Pueritia virtuosa.

Plutarchus de Themistocle in ejus vita refert, quòd aliis pueris tractantibus jocosa oblectamenta, ipse meditatus sit orationes, aliaque facundiæ exercitia. Unde magister ei dixit; *Te o puer parvum nihil, sed magnum aliquod, aut bonum aut malum futurum auguror.* Simili modo Plutarchus celebrat generosas & magnanimas pueritias Hannibalis, Alexandri & Xenophontis; Justinus jactat pueritiam Cypri. Inter sanctos deprædicantur admirabiles pueritiæ S. Petri Martyris, S. Vincentii Ferrerii, S. Caroli Borromæi, & S. Malachiæ, Hyberniæ Episcopi, de quo S. Bernardus; *Agebat senem moribus, annis puer, expers lasciviæ puerilis. &c.*

CAP. I. ℣. 5.

553. GRandis omninò erat virtus Tobiæ, quando torrente populorum præcipitante cursum ad adoranda idola; ille omnium geniis obluctans, neminem alium adorabat, nisi solum verum Deum. *Cùm irent omnes ad vitulos aureos, quos Jeroboam fecerat Rex Israël, hic solus fugiebat consortia omnium, sed pergebat in Jerusalem ad templum Domini &c.* ubi dicitur, quòd solus ad templum iverit; id est, quasi solus, & paucissimis fidelibus associatus, ut interpretantur Cornelius à Lapide, Gaspar Sanchez, & alii.

Virtus singularis.

Simili encomio prosecutus est S. Epiphanius Hæresi 30. quemdam Josephum, à Constantino Magno Comitis titulo honoratum; asserens, quòd *Scytopoli solum ipse orthodoxus esset*; omnesque alii Arrianismo contaminati.

CAP. I. ℣. 10.

TObias pater, filii sui vitam duobus polis stabilivit, videlicet timore Dei & odio peccati. 554
Quem ab infantia timere Deum docuit, & abstinere ab omni peccato. Tob. I. v. 10.

Timor Dei.

Has duas maximas Regina Blanca impressit pectori tenelli sui filii, S. Ludovici, Galliarum Regis; cui frequenter insinuabat; Fuge peccatum. *Fili, potius mortem appetas, quam in peccatum incidas. Malo te videre agentem animam, quam peccatum lethale in Deum tuum admittentem.*

Fuge peccatu.

CAP. I. ℣. 19.

TObias, cernens suos Israëlitas afflictos & oppressos; *pergebat per omnem cognationem suam, & consolabatur eos, dividebatq; unicuique prout poterat de facultatibus suis: esurientes alebat, nudisque vestimenta præbebat &c.* Tob. 1. v. 19. adeoq; ipsius viscera erant viscera misericordiæ; & veluti potius proximo, quàm sibi ipsi natus fuisset, omnia, quæ habebat, in aliorum subsidium profundebat. 555.

Liberalitas

Ad honorem Gilliæ Agrigentini scribit Valerius Maximus l. 4. c. 8. quòd in ipsius domo, veluti in officina liberalitatis; *alimenta inopia laborantibus, dotes virginibus, paupertate pressis, detrimentorum incursu quassatis solatia erogabantur. Hospites quoq; tum urbanis Penatibus, tum etiam rusticis tectis benignissimè excepti, variis muneribus ornati dimittebantur. Quodam verò tempore quingentos simul Gelensium equites ut tempestatis in possessiones suas compulses aluit, ac vestivit. Quid multa? non mortalem aliquem, sed propitiæ fortunæ benignum esse diceres sinum.*

CAP. I. ℣. 20.

CUm pietas Tobiæ non reperiret vicinum aliquem vivum, cui benefaceret, extendit se ad defunctos; dans eis sollicitam & affectuosam sepulturam. adeoque *Esurientes alebat, nudisq; vestimenta præbebat, atq; occisis sepulturam sollicitus exhibebat*, Tob. 1. v. 20. 556.

Sepelire defunctos.

Sancti Marius & Martha cum suis filiis juvabant Christianos, in persecutionibus constitutos, eisq; omnia opportuna auxilia porrigebant, & occisos religiosa charitate sepeliebant. De S. Malachia Episcopo scribit S. Bernardus in ipsius vita; *Cura erat ei maxima in sepeliendis defunctis pauperibus, quod hoc sibi non minus humilitatem saperet, quam humanitatem.* Ita Eutichianus Papa, referente Martyrologio, die 8. Dec. propria manu sepelivit trecentos quadraginta duos Martyres.

Etiam Gentiles gloriati sunt his actibus humanitatis. De Cimone affirmat Æmilius Probus in

in ipsius vita propè finem, quòd *complures pauperes mortuos, qui, unde efferrentur, non reliquissent, suo sumptu extulit. &c.* De M. Antonio scribit Julius Capitolinus; *Tantâ clementiâ fuit, ut & sumptu publico vulgaria funera juberet efferri.* Æneas conversus ad suos, Æneid. lib. 11.

Hac ait, egregias animas, qua sanguine nobis
Hanc patriam peperêre suo, decorate supremis
Muneribus.

CAP. II. ℣. 8.

557. Tobias, occupatus sepeliendis defunctis, incidit evidens mortis subeundæ periculum. Unde amici, de ipsius vita solliciti, non desistebant ei exprobrare; *Arguebant autem eum omnes proximi ejus, dicentes. Jam hujus rei causâ interfici jussus es, & vix effugisti mortis imperium, & iterum sepelis mortuos?* Tob. 2. v. 8.

Periculum vitæ in sepeliendis mortuis.

Homerus Iliad. 24. introducit Priamum, anxium redimendi è manibus Græcorum cadaver Hectoris, sui filii, ut dignas ejus exequias celebraret, idque cum evidenti periculo propriæ suæ vitæ.

-- -- Si autem mihi fatum
Mori apud naves Achivas ære truncatorum
Volo; mox enim me interficiet Achilles
Ulnis complectentem filium meum,
Postquàm luctus desiderium exemero.

Marcianus, postea Imperator, cùm reperiret cadaver cujusdam pauperis occisi, accingebatur ad illud sepeliendum; at deprehensus à Ministris justitiæ, & pro homicida habitus, fuit condemnatus ad mortem. Postea verò mirâ Dei providentia manifestato illius delicti reo, Marcianus restitutus est libertati. Ita testantur Evagrius l. 2. c. 1. & Baronius Anno Christi 450.

CAP. II. ℣. 13.

558. Inter maximas felicitates, quibus in hoc mundo gaudere potest homo, numeratur illa, quòd oculo sano & purgato aspiciat pulchritudinem mundi, venustatem cœlorum, & lucem Solis: bonus tamen Tobias felicitate adeò grandi ob improvisam cæcitatem privatus, non tamen privari potuit tranquillitate spiritus, de quo Tob. 2. v. 13. *Non est contristatus contra Deum, quòd plaga cæcitatis evenerit ei, sed immobilis in Dei timore permansit, agens gratias Deo &c.*

Deo gratias agere ob cæcitatem.

Multi servi Dei acceptarunt cæcitatem, actis Deo summis gratiis. S. Pigmenius, postea Martyr, erat cæcus; cùm verò audiret, sibi à Juliano Apostata exprobrari cæcitatem; respondit, *Ego verò Deo optimo Maximo æternas ago gratias, quòd non videam Julianum.* S. Audomarus Episcopus, cùm esset cæcus, per S. Vedastum recepit visum; at rursus Deo supplicant, ut ei restitueret cæcitatem, utpote magis opportunam ad animæ salutem, eam iterum obtinuit. Videantur alii successus apud Cornelium à Lapide in hunc locum.

CAP. II. ℣. 15.

559. Tobias, in hostili regione captivus, & oculorum luce ab extero accidente privatus, nova molestia affligitur à cognatorum suorum importunitate, dum illum ludibriis, onerant, eique opera bona in faciem exprobrant, quasi inutiliter ab ipso peracta. At Tobias prudenti responso illos repressit; *Parentes & cognati ejus irridebant vitam ejus, dicentes Ubi est spes tua, pro qua eleemosynas & sepulturas faciebas? Tobias verò increpabat eos dicens: Nolite ita loqui &c.* Tob. 2. v. 15.

Opera bona reprehensa.

Idipsum contigit S. Malachiæ adhuc Juveni, de quo S. Bernardus in vita testatur; *Cura erat ei maxima in sepeliendis defunctis pauperibus, quòd hoc sibi non minus humilitatem saperet, quàm humanitatem. Nec defuit novo nostro Tobiæ rediviva à muliere tentatio, imò à serpente per mulierem. Germana ejus indignitatem (ut sibi videbatur) officii exhorrens, quid facis (inquit) ò insane? Dimitte mortuos sepelire mortuos suos. Et hoc illi quotidie exprobrans ingerebat: sed respondebatur mulieri stultæ juxta stultitiam suam &c.*

CAP. II. ℣. 18.

Cæcus Tobias inter varias adversitates se ipsum suaviter solatus est, quando cogitavit, calamitosas tenebras vitæ præsentis, quæ rectius dici potest continua mors, in cœlis compensatum iri illustrissima claritate immortalis & beatæ vitæ. *Filii sanctorum sumus, & vitam illam expectamus, quam Deus daturus est his, qui fidem suam nunquam mutant ab eo.* Tob. 2. v. 18. Hæ ipsæ cogitationes inter extremas torturas consolabantur Machabæos; *Rex mundi defunctos nos pro suis legibus in æterna vita resurrectione suscitabit.* 2. Mach. 7. vers. 9. 560.

Memoria cœli consolatur.

Hujus felicitatis aliquod lumen etiam habuêre Gentiles. Unde Tullius lib. 6. de Republ. introducit Scipionem, jam defunctum, in hæc verba loquentem. *Sic habeto omnibus, qui patriam conservaverint, adjuverint, auxerint, certum esse in cœlo, ac definitum locum, ubi ævo sempiterno fruantur.*

CAP. II. ℣. 19.

Tobias cum uxore in regionibus exteris & barbaris habitans, cùm non posset desumere victum ex agris, quibus carebat; propriarum manuum industria illum colligebat; sagaci ipsius uxore texente telas, ut inde se, suamque domum sustentaret. *Anna verò uxor ejus ibat ad opus textrinum quotidie, & de labore manuum suarum victum, quem consequi poterat, deferebat.* Tob. 2. vers. 19. 561.

Textrices

Exercitium Textricum, quod Spiritus Sanctus in sola uxore Tobiæ deprædicat, Profani authores multis insignibus fœminis attribuunt. Andromacha dono obtulit Ascanio vestem, à se ipsa contextam; de qua Virgilius 3. Æneid.

Nec minus Andromache digressu mæsta supremo
Fert picturatas auri sub tegmine vestes:
Et Phrygiam Ascanio chlamydem, nec cedit honori,
Textilibusque onerat donis, ac talia fatur:
Accipe & hæc manuum tibi, quæ monumenta mearum
Sint puer.

Ovidius lib. 6. Metamorph: introducit duas fœminas illustres, Minervam & Arachnem, quæ simul texebant antiquam aliquam historiam;

Illic & Tyrium, quæ purpura sensit ahenum,
Texitur, & tenues parvi discriminis umbra.
Illic & lentum filis immittitur aurum,
Et vetus in tela deducitur argumentum.

Compendio Claudianus Epigram: de Thetide;
Ipsa manu chlamydes ostro texebat, & auro.

CAP. III. ỳ. 6.

562. Mors desiderata. PAuper Tobias ex multis causis afflictus & exacerbatus, orando confugit ad thronum divinæ misericordiæ, rogavitque terminum suæ vitæ ad terminanda omnia mala. *Et nunc, Domine, secundùm voluntatem tuam fac mecum, & præcipe in pace recipi spiritum meum: expedit enim mihi mori magis, quam vivere.* Tob. 3. v. 6. Etiam alii servi Dei desiderarunt mortem tanquam remedium suorum malorum. Elias 3. Reg. 19. v. 4. Job cap. 3. v. 14. Jonas c. 4. v. 3. S. Paulus 2. Cor. 1.

S. Augustinus in civitate Hipponensi, cùm à Vandalis obsideretur, ita de se ipso loquebatur; *Noveritis me hoc tempus nostræ calamitatis, id Deum rogare, ut aut hanc civitatem, ab hostibus circumdatam, liberare dignetur, aut si aliud ei videtur, suos servos ad perferendam suam voluntatem fortes faciat, aut certè, ut me de hoc sæculo ad se accipiat.* Prout etiam contigit; quia tribus ante captam civitatem mensibus, vitam finiit.

CAP. III. ỳ. 10.

563. Domina afflicta ob maledicta ancillæ. TEmeritas ancillarum domesticarum, quæ sæpè potius vitiis, quàm Dominis serviunt, eò tandem excrescit, ut ipsismet Dominis suis audeant insultare. Experta id est Sara, filia Raguelis, contra quam propria ipsius ancilla insurrexit, reprehenditque tanquam homicidam septem maritorum, & unà ei imprecata est probrosam & perpetuam sterilitatem. Unde ingenti dolore turbata, tribus diebus, & totidem noctibus non potuit ullum gustare cibum; nutrita & inebriata amaritudinibus. *Ad hanc vocem perrexit in superius cubiculum domus suæ: & tribus diebus, & tribus noctibus non manducavit, neque bibit. &c.* Tob. 3. v. 10.

Similem internam afflictionem perpessa est S. Monica, Mater S. Augustini, quando ancilla domestica ausa est eam effronti maledicentia vocare *meri bibulam*; ut refert S. Aug. lib. 9. Confess. c. 8.

CAP. III. ỳ. 10.

564. Jejunium in afflictione. CIborum saporem ægrè gustabit anima, calamitatibus afflicta; satiata opprobriis, non curat alios cibos; & nutrita planctu, nullum desiderat alimentum. Ita Anna Raguelis ultra modum amaricata ob exprobrationes ancillæ: *tribus diebus, & tribus noctibus non manducavit, neque bibit.* Tob. 3. v. 10 Similiter Anna, mater Samuelis, ob sterilitatem exprobratam ab æmula Phenenna, *flebat & non capiebat cibum.* 1. Reg. 1. vers. 7. Esther, vehementissimè afflicta, imperavit suis conterraneis, & ipsa etiam incepit jejunium trium dierum *Non comedatis, & non bibatis tribus diebus, & tribus noctibus; & ego cum ancillis meis similiter jejunabo.* Esth. 4. v. 16.

Græci, teste Luciano *de Luctu* propè finem, in funeralibus suorum consanguineorum jejunabant tribus integris diebus, nullo prorsùs gustato cibo. Sacerdotes Ægyptii, ut refert S. Hieronymus *l. 2. cont. Jovin.* tolerarunt inediam duorum & trium dierum. Regina Angliæ ob Calisium à Gallis captum, tribus integris diebus nec minimum gustavit; de hac Adrianus Turnebus *in Panegyr: de Calisio capto canit*;

Tres illam perhibent secretam ex ordine luces
Et totidem noctes potu caruisse, ciboque.

CAP. III. ỳ. 14.

PRobè perspectum erat Saræ, fontem consolationum à Deo derivari. Unde ad ipsum erexit faciem; in ipsum defixit oculos, & coram ipso suas effudit preces; *Ad te Domine faciem meam converto, ad te oculos meos dirigo.* Tob. 3. v. 14. David, Deo supplicaturus, ad ipsum convertit oculos; *Ad te levavi oculos, qui habitas in cælis.* Psal. 122. v. 1. Et v. 2. *Oculi nostri ad Dominum Deum nostrum, donec misereatur nostri.* Et Christus Joan 11. v. 41. *Elevatis sursum oculis, dixit: Pater gratias ago tibi, quoniam audisti me &c.* 565. Afflicti orantes aspiciunt cœlum.

Hic mos, quo afflicti & orantes elevant faciem & oculos in cœlum, pluribus testimoniis comprobatur. Juvenalis Satyr. 10.

Da spatium vitæ, multos da Jupiter annos,
Hoc recto vultu, solum hoc & pallidus optas.

Virgilius lib. 2. Æneid. v. 403.
Ecce trahebatur passis Priameia Virgo
Crinibus à templo Cassandra, adytisque Minervæ
Ad cœlum tendens ardentia lumina frustrà,
Lumina, nam teneras arcebant vincula palmas.

Et eodem lib. v. 687.
Ac pater Anchises oculos ad sidera lætus
Extulit, & cœlo palmas cum voce tetendit,
Juppiter omnipotens, precibus si flecteris ullis,
Aspice nos. &c.

CAP. III. ỳ. 22.

ANna Raguelis inter spiritus sui angustias ad cœlestem misericordiam confugiens, Deoque supplicans, obtinuit desiderata solatia; unde ad Deum conversa, certissimam hanc veritatem confessa est; *Post tempestatem, tranquillum facis: & post lachrymationem & fletum, exultationem infundis.* Tob. 3. v. 22 Adeoque nubes turbidæ, & tempestates horridæ, desinunt in lætam & tranquillam serenitatem. *In lætitiam mentes redeunt, & tempestate pressura, ac nube, & caligine discussâ, tranquillitas ac serenitas refulserunt*; inquiebat S. Cyprianus *lib. de Lapsis* in princip. Ho- 566. Calamitas finitur.

Horatius lib. 2. od. 9. canit;

Non semper imbres nubibus hispidos.
Manant in agros, aut mare Caspium
Vexant inaequales procellae
Usque: nec Armeniis in oris.
Amice Valgi, stat glacies iners
Menses per omnes; aut aquilonibus
Querceta Gargani laborant,
Et foliis viduantur orni.

Seneca;

Nulla sors longa est, dolor, & voluptas
Invicem cedunt. &c.

CAP. IV. ℣. 2.

567. SEnior Tobias, cùm vitae suae terminum advenisse crederet, vocato ad se filio, dedit duodecim documenta, quibus vitam suam inculpabiliter transigere posset. *Audi, fili mi, verba oris mei, & ea in corde tuo, quasi fundamentum, construe.* Tob. 4. 2. Similiter Mosi mandavit Deus, ut ante mortem suam instrueret Hebraeum populum opportunis praeceptis; *Dabis ei praecepta cunctis videntibus.* Num. 27. v. 20. David moriturus, multa documenta reliquit Salomoni. 3. Reg. 2. v. 2. Idipsum fecit Matathias generosissimis suis filiis. 1. Mach. 2. vers. 49. &c.

Documenta patris moribundi ad filios.

Cyrus, priusquam clauderet oculos, successori reliquit debita documenta, ut scribit Xenophon lib. 8. S. Ludovicus, antequam terminaret vitam, complura sancta documenta tradidit Philippo, Galliarum Regi. Similiter B. Amedeus, Dux Sabaudiae, suae uxori & filiis, ut refert Bellarminus *de optimo Principe.* Illud ipsum fecêre S. Dominicus, S. Franciscus, S. Ephraem Syrus, ut videri potest vel in eorum vita, vel in testamentis, per ipsos dispositis & ordinatis.

CAP. IV. ℣. 6.

568. UT Juvenis Tobias semper virtuosè agere posset, bonus pater ei consuluit, oculos assiduò in Deum defixos habere. *Omnibus autem diebus vitae tuae in mente habeto Deum.* Tob. 4. vers. 6. Hâc directione Abrahamus fuit invitatus ad obtinendas summas praerogativas; *Ambula coram me,* dixit ei Deus, *& esto perfectus.* Gen. 17. v. 1. eâdem methodo procedebant Sancti Prophetae, soliti dicere; *Vivit Dominus, in cujus conspectu sto.* 3. Reg. 17. v. 1. & 4. Reg 3. v. 14. Istud consilium suggerit etiam Salomon Prov. 3. v. 6. *In omnibus viis tuis cogita Dominum, & ipse diriget gressus tuos.*

Praesentia Dei est instar fraeni.

Hanc operandi methodum, quasi versaremur in praesentia gravium virorum, suggesserunt ipsi etiam Gentiles, inter istos Seneca Ep. 10. *Sic vive cum hominibus, tanquam Deus videat.* Et Epist. 11. *Aliquis vir bonus nobis eligendus est, ac semper ante oculos habendus, ut sic tanquam illo spectante vivamus, & omnia tanquam illo vidente faciamus -- Magna pars peccatorum tollitur, si peccaturis testis assistat. Aliquem habeat animus, quem vereatur, cujus authoritate etiam secretum suum sanctius faciat -- O felicem, qui sic aliquem vereri potest, ut ad memoriam quoque ejus se componat atque ordinet &c.* Et Epist. 25. *Sic facias, quaecumque facies, tanquam spectet aliquis.*

CAP. IV. ℣. 8.

569. CHaritas & misericordia erga pauperes, uti docuit Tobias, commensurari debet nostrae possibilitati. Quomodò potueris, ita esto misericors. *Si multùm tibi fuerit, abundanter tribue: si exiguum tibi fuerit, etiam exiguum libenter impertiri stude.* Tob. 4. vers. 8. Ita operatus est ipsemet Tobias, quia *pergebat ad omnem cognationem suam, & consolabatur eos, dividebatque unicuique, prout poterat, de facultatibus suis.* Tob. 1. vers. 19. Conformiter Ecclesiasticus cap. 14. vers. 13. *Secundùm vires tuas da pauperi.* S. Augustinus solebat dicere; *Si potes dare, da: si non potes, affabilem te fac: Coronat Deus intùs bonitatem, ubi non invenit facultatem. Nemo dicat, non habeo; charitas de sacculo non erogatur.*

Eleemosyna danda juxta possibilitatem.

Exactè, si unquam alias, Seneca lib. 2. de Benef. cap. 15. *Respicienda sunt cuique facultates suae, viresque, ne aut plus praestemus, quàm possumus, aut minus.*

CAP. IV. ℣. 13.

570. GRavissimè decepti sunt illi Gentiles, qui existimarunt, fornicationem esse licitam. Unde Apostoli prohibuerunt fornicationem fidelibus Ecclesiae primaevae, ut legitur in Act. cap. 15. vers. 29. & S. Paulus declarat, animam fieri ream poenae aeternae. 1. Cor. 6. Galat 5. Ephes. 5. Et S. Joannes Apoc. 21. vers. 8. *Fornicantium pars erit in stagno ardenti igne, & sulphure.* Unde inter alia documenta juniori Tobiae etiam istud praebuit Senex Pater; *Attende tibi, fili, ab omni fornicatione, & praeter uxorem tuam nunquam patiaris crimen scire.* Tobia 4. v. 13.

Fornicatio peccaminosa.

Illud ipsum documentum suggessit Plato lib. 7. de Leg. *Nemo audeat ullam attingere, praeter legitimam suam uxorem.* Cecropes, primus Atheniensium Rex; *Venerem vagam certis connubii legibus adstrinxit, & marem uni foeminae consuescere voluit.* Athenaeus lib. 13. cap. 1. Argeus, videns aliquos, qui jactabant aliarum mulierum qualitates; *Per Deos, inquit, de bonis & honestis mulieribus nihil temerè loquendum est, sed in totum, quales sint, ignari, praeterquàm soli mariti, quibuscum vivunt.* Manutius in Apoph:

CAP. IV. ℣. 16.

571. INter excellentissima praecepta, quae ipsa natura, veluti ingeniosa Magistra, nos docuit; recensetur istud, ut alteri non faciamus, quod nobis fieri nollemus. Et licèt natura taceret, non tamen tacent servi Dei, inter quos senex Tobias expressè praecipit; *Quod ab alio oderis fieri tibi, vide ne tu aliquando alteri facias.* Tob. 4. v. 16. S. Joannes Chrysostomus Hom. 13. ad Pop: *Quod odisti, aliis ne facias. Odisti contumeliam pati? neque tu alteri invideas. Odio habes falli? neque tu fallas alium.* Idipsum docet S. Augustinus lib. 2. de ordine vitae. cap. 8. Et lib. 3. de Doctr. Christ. cap. 14.

Non facias alteri, quod tibi non vis fieri.

Imò idipsum intellexit & docuit Alexander Severus Imperator, tametsi umbris gentilitatis coopertus; nam, ut in ipsius vita scribit Lampridius, videns quemdam militem ingredi ad devastandos aliorum agros, illum severis castigationibus punivit, dixitque; *Visne in agro tuo fieri, quod alteri facis?* Clamabat-

mabatque sapius, quòd à quibusdam sive Judæis, sive Christianis audierat, & tenebat idque per præconem, cùm aliquem emendabat, dici jubebat: quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris.

CAP. IV. ỳ. 18.

572. Juvenis Tobias, à patre persuasus, supra tumbas defunctorum tulit panem & vinum. *Panem tuum & vinum tuum super sepulturam justi constitue.* Tob. 4. 18. quasi diceret, ut vel instrueret mensam, daretque afflictis defuncti consanguineis aliquod in convivio solatium; vel certè largas faceret eleemosynas, easque applicaret in suffragium pauperum animarum defunctarum.

Cibi supra sepulchrum.

Cibum & potum tulerunt Gentiles ad tumbas mortuorum, forsan persuasi, defunctos indigere alimentis. Virgilius de exequiis & sepultura Polidori lib. 3. v. 66. canit;

Inferimus tepido spumantia cymbia lacte
sanguinis, & sacri pateras: animamque sepulchro
Condimus.

Et de funere Anchisæ;

Hic duo rite mero libans carchesia Baccho,
Fundit humi duo lacte novo, duo sanguine sacro.

Nemesianus Ecl. 1. describens exequias Melibæi;

Dat grandæva Pales spumantia cymbia lacte,
Mella ferunt Nymphæ, pictas dat Flora coronas.

De hoc more loquitur S. Epiphanius in Anchorato: *Græci redarguuntur, resurrectionem in totum negantes, deferentes in monumenta cibos ac potus.* Idipsum tractant Plinius l. 8. c. 12. S. Augustinus l. 6. Confess: c. 2. S. Paulinus Ep. ad Alethium. S. Jo: Chrysostomus Hom: 32. in Matth.

CAP. IV. ỳ. 19.

573. Quia homo propriis passionibus est excæcatus, semperque plus vident oculi multi, quàm unius hominis; idcircò juveni Tobiæ suasum fuit, ut semper caperet consilium à probatæ experientiæ ac prudentiæ viris. *Consilium semper à sapiente perquire.* Tob. 4. v. 19. Ita Prov. 3. v. 5. *Ne innitaris prudentiæ tuæ.* Prov. 19. v. 20. *Audi consilium, & suscipe disciplinam, ut sis sapiens in novissimis tuis.* Et Ecclesiasticus c. 37. v. 24. *Fili, sine consilio nihil facias, & post factum non pœnitebit.*

Consulere sapientes.

Hesiodus, cujus versus referuntur & laudantur ab Aristotele lib. 1. Ethic. cap. 4.

Is rursum bonus est, paret qui recta monenti.
At qui ex se nescit, cuiquam nec porrigit aures,
Vt bona percipiat, demens, & inutilis ille est.

Et Menander;

A viro prudente accipe consilium.
Prudens prudentium etenim consilium.

CAP. IV. v. 21.

574. Non debet conqueri ob pauperem fortunam, qui habet animam virtutibus divitem. Non potest deficere aliquod bonum, qui possidet verum bonum. Securus est peculiaris assistentiæ & providentiæ divinæ, qui justus & innocens observat legem Dei. *Pauperem quidem vitam gerimus,* inquiebat Tobias c. 4. v. 21. *sed multa bona habebimus, si timuerimus Deum.* David Psalm. 36. v. 25. *Iunior fui, etenim senui; & non vidi justum derelictum, nec semen ejus quærens panem.* Ecclesiasticus c. 34. v. 16. *Qui timet Dominum, nihil trepidabit, & non pavebit: quoniam ipse est spes ejus. Timentis Dominum beata est anima ejus. Ad quem respicit, & quis est fortitudo ejus? Oculi Domini super timentes eum. Protector potentiæ, firmamentum virtutis, tegimen ardoris, & umbraculum meridiani; deprecatio offensionis, & adjutorium casus, exaltans animam, & illuminans oculos, dans sanitatem & vitam, & benedictionem.*

Justo nihil deest.

Et verò si idem est dicere timentem Dei, ac dicere justum, pium, virtuosum, & innocentem; hinc ubi istæ qualitates erunt collectæ, ibi etiam reperietur affluentia temporalium bonorum. Tullius 1. & ult: Tuscul: *Quis dubitet, quin in virtute divitiæ positæ sint, quoniam nulla possessio, nulla vis auri & argenti, pluris æstimanda, quàm virtus est: Etenim si callidi rerum æstimatores prata & areas quasdam magni æstimant, quod ei generi possessionum minimè quasi noceri potest: quanti enim æstimanda virtus, quæ nec eripi, nec surripi potest unquam: neque naufragio, neque incendio amittitur; nec temporum nec tempestatum permutatione mutatur? quâ qui præditi sunt, soli sunt divites; soli enim possident res & fructuosas, & sempiternas.*

CAP. V. ỳ. 5.

Secura felicitate iter suum auspicatus est juvenis Tobias, dum comitem ac ducem habuit Angelum Raphaëlem, qui sub specie pulchri & splendidi juvenis eum benevolè deduxit. *Egressus Tobias invenit juvenem splendidum stantem præcinctum, & quasi paratum ad ambulandum.* Tobiæ 5. vers. 5. 575.

Angelus ductor.

Simili modo Exercitus Theodosii Imperatoris fuit ab Angelo, sub pastoris specie per medias paludes & incognitas vias Ravennam conductus salvus & incolumis, ubi contra Tyrannum Joannem obtinuit memorabilem victoriam Anno Domini 425. uti refert Baronius Tom. 5. Verum de his Angelis ductoribus plura diximus ad cap. 13. Exod. v. 21.

CAP. V. ỳ. 23.

Magnam emphasim habuit titulus, ab afflictâ matre attributus dilecto filio Tobiæ, dum eum vocavit *Baculum senectutis nostræ.* Tob. 5. v. 23. Nam corpora senio exhausta & consumpta, non recipiunt sustentaculum adeò validum ab arido baculo, quantum parentes confortantur & sustentantur ab amabili & gratiosa præsentia charissimorum filiorum. 576.

Cornelius postea cognominatus Scipio, à quo nobilissima Scipionum familia originem trahit; cum non fine sua calamitate patrem haberet cæcum, in ætate puerili servivit optimo seni instar ducis & scipionis, cui innixus pater circuibat; & quia juvenis iste suo patri erat loco baculi, seu, ut Romani vocabant, scipionis; idcircò cognomen Scipionis ei attri-

attributum est; ut scribit Macrobius lib. 2. cap. 4.

CAP. VI. v. 1.

577. Molestum, longumque iter aggrediente Tobia, canis domesticus indefessè secutus est vestigia junioris domini. *Profectus est autem Tobias, & canis secutus est eum.* Tob. 6. v. 1.

Canis sequens dominum.

Evandro ad reperiendum Æneam proficiscente; Virgilius observat, secutum esse canem; Æneid. 8. v. 461.

Nec non & gemini custodes limine ab alto
Procedunt, gressumque canes comitantur herilem.

Homerus 2. Odyss. loquens de Telemacho;

Non solus, simul cum duo canes veloces sequebantur.

Pollux lib. 1. c. 4.

Sequebatur Herculem canis, veteri instituto.
Scis enim canes unà cum Heroibus conciones ingredi.

Plutarchus Quæst. Græc. n. 13. repræsentat *Hyperochum, Machierum Regem, comite cane* aliis obviam factum.

CAP VI. v. 2.

578. Non solùm in vasto maris sinu reperiuntur orcæ & balenæ, quæ veluti animatæ insulæ videntur; sed etiam in spatiosis & profundis fluminibus inveniuntur pisces insolitæ magnitudinis, & avidissimæ voracitatis. Horum unus ad ripam Tygris fluminis infestavit juvenem Tobiam, eamque, lavandis pedibus intentum, voluit vivum devorare. *Et ecce piscis immanis exivit ad devorandum eum.* Tob 6. v. 2.

Piscis devorans.

Huic pisci devoratori non absimiles sunt insatiabiles crocodili, qui flumen Nilum egressi, infestant incolas vicinorum locorum. Hispani affirmant in fluminibus trans Oceanum reperiri insolita piscium monstra, qualia populi Europæ nec unquam viderunt, nec sibi imaginari possunt.

CAP. VI. ỷ. 4.

579. Cùm Tobias, à pisce devorandus, in extremo periculo invocaret Angelum, iste illum animavit, optimoque consilio instruxit, dicens; *Apprehende branchiam ejus, & trahe eum ad te.* Tob. 6. v. 4. Unde piscis, proprio suo loco extractus, facilè superari poterat; & supra arenam palpitans, vires perdidit, commutatus ex audaci prædatore in prostratam prædam. *Et palpitare cœpit ante pedes ejus.*

Hostis vincitur extractus domo.

Dignissimum hinc documentum sumitur, hostem extrahendum esse commodo suo loco, ut viribus debilitatus, majore facilitate vinci & superari possit. Ita Vegetius l. 3. de Re milit. cap. 13. *Bonum ducem convenit nosse, magnam partem victoria ipsum locum, in quo dimicandum est, possidere. Elabora ergò ut conserturus manum, primum auxilium capias ex loco &c.* Hâc observatione usi multi Belliduces, insignes victorias à potentissimis hostibus retulerunt, ut videri potest in Frontino lib. 2. cap. 2.

CAP. VI. ỷ. 9.

580. Non omne illud, quod habet mali apparentiam, reverà malum est; sed illa ipsa objecta, quæ videbantur instrumenta damni, tandem beneficii loco deserviunt. Ita in pisce accidit, qui videbatur devoraturus Tobiam, cùm tamen postea apprehensus, instar officinæ medicæ fuerit; nam fumus ex ipsius ardente corde serviebat ad fugandos dæmones; & fel erat instar perfecti collyrii ad sanandos infirmos & excæcatos oculos. *Fel valet ad ungendos oculos, in quibus fuerit albugo, & sanabuntur.* Tob. 6 v. 9.

Fel medicinale.

Quod Angelus Raphaël dixit de hoc; Eruditi affirmant de felle piscis Callionymi. Ita docet Plinius l. 32. c. 7. Franciscus Valesius in sacr. Philosoph. c. 47. ubi ait; *Cùm ad extergendas albugines nihil magis à medicis omnibus celebratum sit, quàm fel, inter omnia ejus genera omnium maximè commendatur fel Collionymi piscis & mox Hiena.* Et Galenus lib. 10. de Simpl medicam. facultat. cap. 12. *Porrò quarundam animalium bilis singulariter à medicis extollitur, tanquam aciem exacuat oculorum, & suffusionum initia digerat, veluti piscis, quem vocant Collionymum, Hiena, & scorpii marini &c.*

CAP. VI. ỷ. 18.

Angelus persuasit juveni Tobiæ, ut nuptias suas redditurus felices, primis diebus abstineat amplexu fœmineo, animamque inter orationes servet conjunctam Deo. *Tu autem, cùm acceperis eam, ingressus cubiculum per tres dies continens esto ab ea. & nihil aliud nisi orationibus vacabis cum ea.* Tob. 6. v. 18. Unde S. Ephræm Syrus dicebat; *Oratio conjugum corona.* 581.

Oratio ante nuptias.

Gentiles, priusquàm stabilirent nuptias, applicabant sese precibus & sacrificiis. Achilles Tatius *de Clitoph. & Leucip. Amor. lib.* 8. propè finem. *Patrem ob sororis nuptias posterâ die sacrafactorum compertmus. Assuimus itaque, ut una operaremur, Deosque, ut nostras omnium nuptias felices, fortunatasque esse vellent, precaremur.* Eustachius lib. 6. loquens de sacrificio quodam nuptiali. *Sosthenes ac Panthia rem faciebant, cum uterque porrectis in preces manibus, ubere cum fletu in verba hac erupit: Jupiter pater, hoc tibi pro Ismene nuptiale sacrificium esto.* Plautus in Aulular: ore Euclionis senis canit:

Nunc Thusculum emi, & hasce coronas floreas,
Hæc imponentur in foco nostro Lari,
Ut fortunatas faciat natæ nuptias.

Hesiodus dicebat; *Non esse perennem fluvium pedibus transeundum, nisi effusis precibus.* Unde subjungit Joannes Grammaticus; *fluvii nomine uxorem putat accipiendam, perpetuo habitantem cum viro, monere autem Poëtam, uxori non congrediendum ante fusas Diis preces*; ut notat Cælius Rhodiginius lib. 27. Lect. Antiq. cap. 5.

CAP. VI. ỷ. 22.

Nullum prorsùs est dubium, finem primarium matrimonii esse desiderium prolis. 582. Unde benè dicebat Angelus Raphael ad juvenem Tobiam; *Accipies virginem cum timore domini, amore filiorum magis, quàm libidine ductus, ut in semine Abraha benedictionem in filiis consequaris.* Tob. 6. v. 22. Ad hoc propositum exquisitissimè S. Fulgentius Epist. 1. cap. 3. *Conjugalis potestatis inculpabilis est usus, officio gignendi divinitus attributus. si justitia terminum transgredi libidinosus non permittatur excessus. Institia verò attendi conjugii hac est, ut non explenda libidinis, sed substituenda prolis obtentu, sibi conju-*

Matrimonii finis est proles.

conjuges congruo tempore misceantur. Sic ergo quæri debet ex nuptiis fructus, ut cohibendus sit lubricæ voluptatis excessus.

Hujus opinionis etiam fuêre Philosophi, inter quos Plato l. 6. de legibus. *Oportet parentes gignere & educare liberos, qui vitam tamquam lampadem posteris tradant, ut sint semper aliqui Deum colentes juxta ipsius legem.*

CAP. VII. ℣. 15.

IN contrahendis nuptiis simul junguntur manus
583. sponsi & sponsæ, ut externo hoc signo demonstretur mutua fides, affectuosa cordium unio, & amica compositio. Raguel matrimonium Saræ, filiæ suæ stabiliturus; *Apprehendens dexteram filiæ suæ, dexteræ Tobiæ tradidit, dicens: Deus Abraham, & Deus Isaac, & Deus Jacob vobiscum sit, & ipse vos conjungat &c.* Tob. 7. v. 15.

Manus junctæ in nuptiis.

Quòd Gentiles nuptiarum tempore conjunxerint dexteras, colligi potest ex Virg. l. 4 Æn.

Nec te noster amor, nec te data dextera quondam,
Nec moritura tenet crudeli vulnere Dido.

Ex Ovidio *in Epist. Phyllidis.*

Jura fides ubi nunc? commissaque dextera dextræ,
Quique erat in falso plurimus ore Deus?

Et ex Claudiano *in Nuptiis Palladii & Serenæ.*

Tum dextram complexa viri, dextramque puellæ,
Tradit, & his ultrò sancit connubia dictis;
Vivite concordes &c.

CAP. VII. ℣. 15.

NOn poterant non omnem felicitatem sortiri nuptiæ inter Tobiam & Saram contra-
584. ctæ, dum Raguel, pater sponsæ, invocavit divinam assistentiam, oravitque; *Deus Abraham, & Deus Isaac, & Deus Jacob vobiscum sit, & ipse conjungat vos,* Tob. 7. v. 15. Proinde contrahentes non movebantur ad matrimonii vinculum ex aliqua avaritia, honore mundano, aut affectu libidinoso, sed ex mero ductu voluntatis ac beneplaciti divini, cui supplicabant & adorabant.

Deus invocatus in nuptiis.

Græci & Romani in nuptiis solebant invocare assistentiam suorum Deorum, Jovis, Junonis, Veneris, Hymenæi, Dianæ, Lucinæ &c. ut videri potest apud Plutarchum Quæst. Rom. 11. & Josephum Laurentium synops. de sponsalibus, propè finem. Ad hunc ritum alludit Seneca in Medæa Act. 1. scen. 1.

Di conjugales, tuque genialis thori
Lucina custos &c. Adeste &c.

Et scenâ 2.

Ad Regum thalamos Numine prospero,
Qui cælum superi, quique regunt fretum,
Adsint.

Verùm de hoc argumento egimus suprà ad Malach. c. 2. v. 14.

585. CAP. VII. ℣. 16.

QUando stabiliebantur nuptiæ, solebat præsentibus quibusdam consanguineis aut amicis confici instrumentum contractûs; quo sponsi mutuam sibi obligabant fidem & bonam compositionem. De hoc more Philo Hebræus lib. de special. leg. ante medium. *Sponsalia tantundem valent, quantundem nuptiæ: quando in solemni amicorum conventu mariti, uxorisque nomina inscribuntur tabulis.* Postquam ergo confectum & finitum est instrumentum contractûs matrimonialis, subjungunt sacræ litteræ v. 17. *Et post hæc epulati sunt benedicentes Dominum.*

Instrumentum nuptiarum.

Quemadmodùm Raguel confecto instrumento contractûs matrimonialis celebravit convivium; ita Juvenalis Sat. 2. refert uniformem ritum Romanorum:

Signatæ tabulæ, dictum feliciter ingens
Cæna sedet, gremio jacuit nova sponsa mariti.

Et Josephus Laurentius synops. de sponsal. *Sponsalia, epulo egregiè instructo, finiebantur, cui amici quique, familiares, ipsique principes intererant.*

CAP. VIII. v. 11. 586.

TImens afflictus Raguel, ne Tobias, suæ filiæ desponsatus, primâ nuptiarum nocte perderet vitam; circa galli cantum, videlicet tribus ante diem horis, è somno excitavit servos, jussitque aperiri fossam, ut ibi sepeliretur Tobias, forsan, extinctus. *Et factum est circa pullorum cantum, accersiri jussit Raguel servos suos, & abierunt cum eo pariter, ut foderent sepulchrum.* Tob 8. v. 11.

Gallus invitat adoperandum.

Gallus proinde invitat homines ad resumendos labores, statui & conditioni proportionatos. Unde S. Ambrosius:

Surgamus ergò strenuè,
Gallus jacentes excitat.

Ad Galli cantũ solebant clientes accedere advocatos & peritos Legum, ut canit Horat. l. 1. sat. 1.

Agricolam laudet juris, legumque peritus,
Sub Galli cantum consultor ubi ostia pulsat.

Ad Galli cantum invitati sunt Agricolæ ad operationes rusticas. Unde Virgilius in Moreto;

Jam mox hybernas bis quinq; peregerat horas,
Excubitorq; diem cantu prædixerat ales.

Ad Galli cantum solebant juvenes frequentare scholas. Unde Martialis conqueritur contra quemdam discolum studiosum, quòd ante debitum tempus tractaverit scuticam, eàque minitabundus perstrepuerit.

Nondum cristati rupère silentia Galli,
Murmure jam sævo, verberibusque tonas.

CAP. VIII. ℣. 23.

DUlci quadam violentiâ Raguel per aliquod 587.
tempus apud se detenturus Tobiam, conjuravit eum; *Et adjuravit Raguel Tobiam, ut duas hebdomadas moraretur apud se.* Tob. 8. v. 23. Ubi Gaspar Sanchez; *Adjuratio aliquid importat divinum, quod urgeat aliquem, ut imperata faciat. Quare is adjurari dicitur, qui divini nominis interpositâ religione, fidem suam constringit.*

Adjurare rogando.

Hoc sensu Terent. *in Hecyra* Actu 2. sc. 2. dicebat:

- - - - *sanctè adjurat (durare.*
Non posse apud nos Pamphilo se absente per-

In hunc locum Donatus ait: *adjurare idem esse, ac vehementer jurare.* Tullius hoc sensu dixit in Philipp. 1. *Adjuras te, me invito non esse facturum.*

CAP. X. v. 1.

NUptiæ, à juvene Tobia cum filia Raguelis 588.
contractæ, prolongârunt ipsius reditum ad plures dies, quam in mente suâ præfixerat senex pater. Unde de filii salute totus anxius, ac cujusdam infortunii pertimescens, præ sollicitudine vix respirare poterat. *Cùm verò moras faceret Tobias causâ nuptiarum, sollicitus erat pater ejus Tobias, dicens; putas quare moratur filius meus? aut quare detentus est ibi? &c.* Tob. 10. v. 1. &c.

Pater sollicitus ob absentiam filii.

Cor, reverà amans, dilecto suo absente non potest non timere aliquem adversitatem. Expressè Terentius *in Adelphis*, Act. 1. scen. 1.

Ego,

Ego, quia non redit filius meus, quæ cogito?
Quibus nunc sollicitor rebus?
Ne aut ille alserit, aut uspiam ceciderit,
Aut fregerit aliquid.

Ovidius in Epistola Penelopes optimè demonstravit has timoris angustias:

Quando ego non timui graviora pericula veris?
Res est solliciti plena timoris amor.
Quæcumque æquor habet, quæcumque pericula tellus,
Tam longæ causas suspicor esse moræ.

CAP. X. ℣. 4.

589. ANna, mater Tobiæ, tenerrimà dulcedine loquens de absente suo filio, eum vocat lucem oculorum suorum. *Heu, heu me, fili mi, ut quid te misimus peregrinari, lumen oculorum nostrorum!* Tob. 10. v. 4. Fervidorum enim amantium mos est, ut res amatas vocent suam lucem, suos oculos, suas pupillas; quasi dicant, se nihil illis habere charius aut æstimabilius.

Filii sunt pupillæ parentum.

Tullius lib. 10. Ep. 2. suæ Terentiæ scribit; *Hem mea lux, meum desiderium.* Ovidius l. 3. Trist. Eleg. 3. conversus ad uxorem;

Parce tamen lacerare genas, nec scinde capillos,
Non tibi nunc primùm, lux mea, raptus ero.

Anna, loquens sorori suæ Didoni apud Virgilium 4. Æneid. v. 31.

- - - *O luce magis dilecta sorori.*

In hunc locum P. la Cerda ait: *Solent enim, qui amant, vocare lucem suam illos, quos amant.* Singularissimè tamen titulus lucis convenit illi filio, qui unicus est in domo; qualis erat Tobias; Unde Jo. Stobæus serm. 75. *Adeò egregium, visuque pulchrum nihil est, quàm cùm carentes prole, cujus desiderio maximo tenentur filiorum recens natorum domi lumen aspiciunt.*

CAP. X. ℣. 4.

590. ANna, mater Tobiæ, videbatur extremùm destituta, quando annis gravida, & spiritu afflicta, in unici filii sui absentia perdidit lumen oculorum, & sustentaculum cadentis senectutis. *Ut quid te misimus peregrinari, lumen oculorum nostrorum, baculum senectutis nostræ?* Tob. 10. v. 4.

Filii sustentaculum patris.

Antigone, princeps regia, ducis loco serviens cæco suo patri Oedipo, promeruit, ut ab ipso celebraretur charis illis titulis, quos refert Seneca in Thebaide;

Cæci parentis regimen, & fessi unicum
Patris levamen, nata.

Hi tituli miram habent similitudinem cum illis supra citatæ Annæ. Ab hoc argumento non abludit sententia Euripidis in Toro; *Filii sunt columnæ patris.*

CAP. X. ℣. 9.

591. NOn poterat disponi juvenis Tobias, ut diutius commoraretur in domo Raguelis, ejusque gratiis sibi exhibitis ultrà gauderet; cùm probè sciret, suos parentes, à quibus tenerrimè diligebatur, numerare omnia dierum momenta, & se absente esse destitutissimos solatio. *Ego novi, quia pater meus, & mater mea, modò dies computant, & cruciatur spiritus eorum in ipsis.* Tob. 10. v. 9.

Numerate dies absente amico.

Iste est verorum amantium stylus, ut suos amatos comitentur cogitationibus & affectibus; observentque momenta absentiæ. Unde benè dixit Ovidius Epist. 2. Heroid.

Tempora si numeres benè quæ numeramus amantes,
Non venit ante suum nostra querela diem.

CAP. XI. v. 5.

MAter Tobiæ, ut filium suum iterum videret, prorsùs anxia; destinatis ad ipsius reditum diebus non sine obstupescenda sollicitudine conscendebat quoddam montis fastigium, in quo subaspectu habebat totam viam, ut à longè posset videre adventantem filium, ejusque intuitu frui. *Anna autem sedebat secus viam, quotidie in supercilio montis, unde respicere poterat de longinquo. &c.* Tob. 11. 5. 592.

E longinquo videt, qui desiderat.

In hanc rem mirificè Poëtæ. Horatius l. 4. Od. 5. exprimens desideria urbis Romanæ ad videndum Cæsarem:

Ut mater juvenem, quam Notus invido
Flatu, Carpathii trans maris æquora,
Cunctantem spatio longius annuo
Dulci detinet à domo.
Votis omnibusque & precibus vocat
Curvo littore nec faciem dimovet:
Sic desideriis icta fidelibus
Quærit Patria Cæsarem.

Ægeus, desiderans reditum filii, gravissimis periculis expositi, hoc modo describitur à Catullo in Nupt. Pel.

At pater ut summâ prospectum ex arce petebat,
Anxia in assiduos consumens lumina fletus,
Cùm primùm inflati conspexit lintea veli.

Statius lib. 3. Sylv. 2. loquens cuidam amico, ad iter accincto;

At nos, hoc iterum stantes in littore, vastos
Cernemus fluctus, aliasq; rogabimus auras.

CAP. XI. ℣. 7.

SI peregrinus ad paternos lares redeat salvus & incolumis, primùm ipsius negotium ac cura esto, ut bonitati divinæ referat gratias, eique benedicat, quod dignata sit incolumem reducere. Ita Angelus consuluit suo Tobiæ; *Ubi introieris domum tuam, statim adora Dominum Deum tuum & gratias agens ei, accede ad patrem tuum &c.* Tob. 11. 7. 593.

Peregrinus reversus agat Deo gratias.

Pacatus in Panegyrico ait: *Magnas urbes ingressi, primum sacras ædes & dicata summo Numini delubra visimus: tum fora, atque gymnasia.* S. Benedictus in sua Regula jubet; *Suscepti hospites ad orationem ducantur.* Et Constitutiones Canonicorum Regularium parte 1. c. 36 ita disponunt. *Cùm hospes ex nostra congregatione advenerit, Janitor cum campanula signo facto, hospitalarium de illius adventu admonebit. Deinde ad Ecclesiam ipsum hospitem ducet, in qua post factam adorationem coram sanctissimo Eucharistiæ sacramento, ad cellam Prælati, vel Vicarii, benedictionem accepturus accedet &c.*

CAP. XI. ℣. 9.

DOmus Tobiæ, reverso juvene filio, fuit veluti cœlum, è nubilo & pluvio, commutata in serenum & gaudio plenum. Lætabatur mater, jubilabat pater gaudebat filius, & ipse etiam canis suos gressus jucundè accelerans, caudæ motibus testabatur interiorem lætitiam. *Tunc præcucurrit canis, qui simul fuerat in via: & quasi nuntius adveniens, blandimento suæ caudæ gaudebat.* Tob. 11. v 9. 594.

Canis lætus.

Simile quid refertur apud Homerum Odyss. 15. & 16. uti narrat P. Gaspar Sanchez in suis commentariis ad hunc locum.

CAP. II. ℣. 11.

595. ANima humana non solùm inter pondera doloris, sed etiam gaudii solvitur in profusas lachrymas. Josephus, præsente Benjamino, suo amantissimo fratre, largas effudit lachrymas. Gen. 43. v. 30. Jacob in Ægypto, perveniens ad amplexus chari sui Josephi, ex oculis versavit lachrymas. Gen. 46. v. 29. Tobias senex & Anna ipsius uxor, reduce filio, dulcissimè fleverunt. *Et suscipiens osculatus est eum cum uxore sua: & cœperunt ambo flere præ gaudio.* Tob. 11. v. 11. Unde benè dixit Prudentius in Apopht.

Lachrymæ præ gaudio.

Gaudia concipiunt lachrymas, dant gaudia fletum.

Homerus citatus à P. la Cerda in 1. Æneid. vers. 463.

Sic ait, & flendi dulcedine perculit omnes.

Sophocles Electr.

Statim præ gaudio, impleo oculos lachrymis.

T. Livius lib. 44. *Manare omnibus gaudio lachrymæ.* Heliodorus lib. 10. Hist. *Excellentia gaudii luctum interdum gignere solet.* Et Xenophon l. 7. rer. Græc. *Lætitiæ ac mœrori commune quiddam sunt lachrymæ.*

CAP. II. ℣. 21.

596. AD nuptias Saræ, uxoris Tobiæ juvenis, fuêre celebrata sumptuosa convivia in paterna Raguelis domo: at quando eadem sponsa in civitate Ninive ingressa est domum Tobiæ, concurrerunt omnes consanguinei & amici, cum quibus Tobias innovavit convivia; *& per septem dies epulantes, omnes cum gaudio magno gavisi sunt.* Tob. 11. v. 21.

Convivia sponsalitia.

In celebrandis sponsalibus solebant Romani instituere sumptuosum convivium in domo sponsæ; conductâ posteà ad domum mariti, innovabantur convivia & lætitiæ. *Postridie nuptiarum apud novum maritum rursus cœnabatur,* inquit Josephus Laurentius de sponsalibus; *& quasi instauraretur & renovaretur potatio, dicta repotia.* De his Alexander ab Alexandro lib. 2. cap. 5. *Repotia autem postridie nuptias apud novum maritum propiores affines lætiores convictu percolebant, quâ die nova nupta in viri domum libertatem auspicari, & dominam agere simul, & rem divinam facere assueverat &c.*

CAP. XII. ℣. 7.

597. SEcretum ab aliquibus vocatur anima negotiorum, quæ cum secreto sortiuntur felicem effectum, & sine illo evanescunt ac in nihilum recidunt. Unde Angelus Raphaël benè dicebat Tob. 12. v. 7. *Sacramentum Regis abscondere bonum est.* Aulus Gellius lib. 10. c. 25. citatus à P. Cornelio à Lapide in hunc locum ait; *Taciturnitas consiliorum thesaurus.* Celebris Poëta canit;

Secretum multùm prodest.

Eximia est virtus præstare silentia rebus.

Tiberius Cæsar, interrogatus, cur amicis non concrederet sua secreta; respondit, *Principis animum aut nemini, aut paucis cognitum esse oportere.*

CAP. XII. v. 13.

LApis lydius, quo Deus suos amicos probat, est calamitas. Deus illos exercet tolerantiâ malorum, ut compareat eorum fortitudo & patientia; fiantque capaces ad possidenda beatorum bona. *Quia acceptus eras Deo, necesse fuit, ut tentatio probaret te*, inquiebat Angelus Tobiæ c. 12. v. 13. Et S. Paulus 2. Tim. c. 3. v. 12. *Omnes, qui volunt piè vivere in Christo Jesu, persecutionem patientur.* 598.

Justi tentantur.

Seneca *lib. cur bonis viris &c.* in hoc argumentum exquisitissimè disserit. cap. 1. ait; *Parens ille magnificus* (Deus) *virtutum non levis exactor, sicut severi patres, durius educat, bonum in delitiis non habet; experitur, indurat.* & cap. 2. *Patrium habet Deus adversùs bonos viros animum, & illos fortius amat: & operibus inquit, doloribus, ac damnis exagitentur, ut verum colligant robur miraris tu, si Deus ille, bonorum amantissimus, qui illos quàm optimos esse, atque excellentissimos vult, fortunam illis, cum qua exerceantur, assignat? Ego verò non miror, si quando voluptatem capiunt Dii, dum spectant magnos viros colluctantes cum aliqua calamitate.*

CAP. XIV. ℣. 5.

TObias senex, somno mortis jamjam clausurus oculos corporis, plus quàm unquam aliàs aperuit oculos animæ, prævidens reconditos eventus, & prædicens ruinas ac desolationes Ninive, restaurationem Hierosolymarum &c. *In hora autem mortis suæ vocavit ad se Tobiam filium suum, & septem juvenes filios ejus, nepotes suos, dixitque eis; Propè erit interitus Ninive &c.* Tob. 14. v. 5. Unde benè discurrebat Arnobius lib. 2. contra Gentes; *Morti vicini, maximè valemus scientiâ, ita ut de futuris vaticinemur.* Et S. Gregorius Papa l. 4. Dial. c. 25. agnoscens in hoc partim causam naturalem, partim supernaturalem; *Ipsa aliquando animarum vis, subtilitate suâ aliquid prævidet. Aliquando autem exituræ de corpore animæ, per revelationem futura cognoscunt. Aliquando verò, jam dum juxta sit, ut corpus deserant, divinitus afflatæ in secreta cœlestia incorporeum mentis oculum mittunt.* 599.

Moribundi prædicunt varia.

Plato opinabatur, animam eo tempore, quo separatur à corpore, liberam elevari ad res divinas; ac proinde occulto & naturali instinctu nonnunquam prædicere res futuras. Tullius lib. 1. de divinat, ait; *Appropinquante morte, multò est animus divinior &c.*

LUMI-

LUMINA REFLEXA EX LIB. JUDITH.

CAP. I. v. 1.

600. Mnes sacri Interpretes observant, civitatem *Ecbatanis* fuisse extructam jam tempore Regis Darii, filii Hystaspis, de quo lib. 1. Esdræ c. 6. scribitur; *Tunc Darius Rex præcepit, & recensuerunt in Bibliotheca librorum, qui erant repositi in Babylone, & inventum est in Ecbatanis, quod est castrum in Medena provincia.* De hac civitate etiam agitur in lib. Tobiæ c. 5. v. 8. Et Diodorus lib. 2. vult, ædificatam fuisse, antequam regnaverat Semiramis; dici tamen ædificatam ab Arphaxado, quia iste eam munivit, novis mœniis cinxit, & nobilibus ædificiis instruxit; ac hunc esse sensum illorum verborum; *Ipse ædificavit civitatem potentissimam, quam appellavit Ecbatanis.* Judith c. 1. v. 1. in hunc locum textus Græcus; *Ædificavit in Ecbatanis muros circum circa ex lapidibus sectis.* Ita Rex Nabuchodonosor Dan. 4. v. 27. dicitur ædificâsse Babyloniam, quia eam auxit ædificiis & ornamentis; cum civitas illa fuerit fundata à Nemrod, uti scribitur Genes. c. 10.

Fundator vocatur qui restaurat.

Adeoque laus fundatoris attribuitur iis, qui fuère solum restauratores vel amplificatores civitatum. Sicuti ergo titulus fundatæ Ecbatanis à sacris litteris attributus est Arphaxado, qui eam munivit; & Plinius illum dedit Seleuco, qui, multis post annis, eam restauravit, lib. 6. c. 14. *Ecbatana, caput Mediæ, Seleucus Rex condidit.* Ita Evander, Rex Arcadiæ, fundavit veterem Romam, ut dixit Virgilius lib 8. Æn.

Tunc Rex Evandrus Romanæ conditor arcis.

quia verò Romulus eam ampliavit & nobilitavit, sortitus est gloriam & applausum fundatoris.

CAP. I. ℣. 12.

601. Eò devenit Gentilium principum superbia, ut neminem, sive hominem, sive Deum, agnoscerent suum superiorem; unde cùm deberent aliquid juramento stabilire, formârunt illud ex rebus propriis. Exemplo est Rex Nabuchodonosor, qui iracundo furore accensus contra populos, excussuros ipsius jugum; *Juravit per thronum, & regnum suum, quòd defenderet se*; id est, quòd vellet illud vindicare. Judith c. 1. v. 12.

Jurare per sceptrum.

Gentiles solebant jurare *per sceptrum*, quod idem est, ac *per thronum & regnum.* Faciebant juramenta, inquit Alexander ab Alexandro l. 5. cap. 10. *Per regium sceptrum, in quo jura dabant, quod præpotens jusjurandum Regibus visum.* Idipsum comprabat Homerus lib. 1. Iliad.

Sed tibi edico, & super magnum jusjurandum juro.

Certè per hoc sceptrum.

Ad hujus imitationem Virgilius 12. Æneid. v. 206. introducit Regem Latinum, jurantem per suum sceptrum. In hoc argumentum facit, quod Aristoteles lib. 3. Polit. c. 14. scribit de antiquis Regibus; *Controversias disceptabant: hoc autem faciebant alii injurati, alii jurati. Jusjurandum porrò erat sceptri sublatio.* Herodotus lib. 4. scribit, Scythas jurâsse per thronum Regis. *Scythis mos plerumque jurandi per regum solium, cùm maximum volunt interponere jusjurandum.* Valerius Flaccus introducit quemdam magnatem, qui juravit per suam lanceam:

Hanc ego magnanimi spolium Dydimaonis hastam &c.

Testor, & hoc omni ductor tibi Numine firmo.

Lancea enim principibus instar sceptri deserviebat.

CAP. II. v. 2.

Priusquàm Nabuchodonosor aciem instrueret, aut expeditiones militares auspicaretur, in consilium vocavit tam senes comprobatæ prudentiæ, quàm expertos milites, ut opinione suâ decernerent, quid agendum. *Vocavit omnes majores natu, omnesque duces, & bellatores suos &c.* Judith. 2. v. 2. Etiam Assuerus Esth. 1. v. 13. antequàm magni momenti negotium resolveret; *Interrogavit sapientes, qui ex more regio semper ei aderant, & illorum faciebat cuncta consilio, scientium leges, ac jura majorum.* Prudentia enim docet, ne præcipitentur resolutiones, sed lentis, sapientibus, & juditiosis consultationibus excoquantur. 602.

Consilium militare.

Hâc circumspectione operabantur Athenienses, *qui unà cum tribunis & quæstoribus, senesque cum junioribus de rebus singulis decernebant.* Alexander ab Alexandro l. 4. c. 11. Reges Persarum, priusquam aliquid decernerent, solebant vocare suos grandes ad consilium. Unde Herodotus lib 8. de Xerxe scribit; *Cùm in consilium vocâsset delectos Persarum proceres, placuit ei Artemisiam quoque ad consultandum accersiri.*

CAP. II. ℣. 2.

Ut sacræ litteræ vivis coloribus exprimerent propositiones, à Rege Nabuchodonosore coram suis confidentibus in grandi consilio factas, utuntur hac loquendi formâ; *Habuit cum eis mysterium consilii sui.* Judith. 2. v. 2. ut significaret, negotia Regia, veluti res sacrosanctas, debere à fidelibus consiliariis & bonis vasallis profundo silentio retineri, & tanquam maximi mo- 603.

Secreta principum sacrosancta.

 menti

menti arcana sub secreto custodiri. In hoc argumentum Herodotus lib. 8. *Servato etiam militari jurejurando: quod est unum Romani principatus mysterium sanctissimum.* Et Rex Atalricus apud Cassiodorum Var. 8. *Glorioso domino avo nostro feliciter ordinante, tam Gothorum, quàm Romanorū praesentium pro munimine indepti Regni sacramenta suscepimus.*

Ita omne illud, quod pertinebat ad imperatores, videlicet scrinium, conclave, moneta, & leges, honorabantur tanquam res sacrae, & vocabantur expressè *sacrarum Principis* l. ult. §. legati ff. de muner. & honor. Non erit ingratum adducere Ammianum Marcellinum lib. 21. *Speculatores & transfugae, subinde venientes, repugnantia prodibant: ideò futurorum incerti, quod apud Persas, nemo consiliorum est conscius, praeter optimates taciturnos & fidos, apud quos silentii quoque colitur Numen.*

CAP. II. ℣. 9. &c.

604. ADmodùm se demonstravit providum Holofernes; priusquam enim conduceret grandem suum exercitum, constituit ingentem copiam frumenti, & omnia illa, quae ad sustentandum exercitum erant necessaria. *Frumentum ex omni Syria in transitu suo parari constituit.* Insuper ex aerario regio desumpsit ingentem vim auri & argenti, quia metallum hoc, veluti nervus belli, deservit ad sustentandum exercitum. *Aurum verò, & argentum, de domo Regis assumpsit multum nimis* Judith. 2. v. 9. & 10.

Victualia pro exercitu.

Pecuniae pro solvendo exercitu.

Quod attinet victualia, tametsi de hoc argumento dictum sit suprà ad c. 1. v. 11. Josue; nihilominus addere licet cum Vegetio lib. 3 c. 3. *Antequàm inchoetur bellum, de copiis, expensisque solers, debet esse tractatus, ut pabula, frumentum, caeteraeque annonariae species, quas à provincialibus consuetudo deposcit, maturius exigantur.*

Quantùm ad divitias; Demades, rogatus ab Atheniensibus, ut naves repleret naucleris & militibus; *Omninò*, respondit, *primùm pecuniis opus est.* Bruson lib. 5. c. 10. Julius Caesar, referente Xiphilino, solebat dicere; *Potentiam duabus rebus pecuniâ scilicet, & militibus parari; Exercitum commeatu retineri.* Ita Romae, tempore Tiberii, ut semper in promptu essent pecuniae ad persolvendos milites & sustentandos exercitus, fundabatur & aperiebatur aerarium militare, ut notavit Suetonius in Augusto c. 49.

CAP. II. ℣. 17.

605. HOlofernes pro instrumento suorum progressuum non solùm adhibuit ferrum, sed ignem, cujus veloci activitate prostravit vires, & perterruit animos hostium. *Succendit omnia sata, omnesque arbores, & vineas fecit incidi.* Judith. 2. v. 17. Etiam Deus usus est igne ad justas Damascenorum oppressiones. *Succendam ignem in muro Damasci, & devorabit moenia Benadad.* Hierem. 49. v. 27 & rursùs Amos 1. v. 4. *Mittam ignem in domum Azaël, & devorabit domos Benadad.*

Ignis in bello adhibitus.

Principes profani adhibuerunt ignem, ut demonstrarent contemptum hostium, & facilem redderent viam ad omnem expeditionem. Panegyricus Constantini; *Nec incutiendo ariete tentati, quassatique sunt muri; sed statim injecta faces portis.* Virgilius 12. Aeneid.

Scalae improviso, subitusq; apparuit ignis.

Tacitus lib. 1. Annal. *Metanti castra Caesari, Angrivariorum defectio à tergo nuntiatur: missus illicò Stertinius cum equite, & armaturâ levi, igne, & caedibus perfidiam ultus est.*

CAP. III. ℣. 1.

TErrore adeò grandi oppressi sunt populi Syriae, Mesopotamiae Lybiae, Ciliciae &c. 606.
quando Holofernes exercitum per provincias illas circumduxit; ut ut omnes sponte se submiserint imperio Nabuchodonosoris, eisque obedientiam jurarint, ac se ipsius subditos & fideles vasallos professi sint. *Tunc miserunt legatos suos universarum urbium, ac provinciarum Reges ac principes &c.* Judith c. 3. v. 1.

Populi se ex terrore dedunt.

Quintus Curtius lib. 10 refert, Alexandrum Magnum moraliter coactum fuisse, ut rediret in Babyloniam, cùm ei innotuisset, *Legatos ex diversis terrarum orbis partibus undique Babyloniam confluxisse, ejusque adventum expectare. Adeo totum orbem nominis ejus terror invaserat, ut cunctae gentes, velut destinato sibi Regi adularentur.*

CAP. III. ℣. 10.

HOlofernes, exercitum suum circumducens, 607.
adeò evasit formidandus, ut omnes provinciae, terrore perculsae, ac ipsius furori sese subtracturae, venerationem, & honorem quasi divinum, ei exhibuerint; & tam nobiles, quàm plebeji passim obviam processerint. *Excipientes eum cum coronis & lampadibus, ducentes choros &c.* Judith. 3. v. 10.

Coronae ad honorem victoris.

Quod etiam apud Gentiles fuerint coronae ad aliorum honorem expositae, testatur Curtius lib. 5. *Bagistanes, Babylonia arcis, & Regis pecuniae custos, obviam victori Alexandro egressus, totum iter floribus, coronisque constraverat &c.* Ab hoc proposito non abludit Catullus;

Mihi janua frequentes, mihi limina tepida,
Mihi floridis corollis redimita domus erat.

Quòd lampades seu faces accensae in signum honoris portatae sint ante Reges & alios Principes, testantur Tertullianus in Apologet. Xiphilinus in Nerone, Xenophon lib. 8. Paediae; hic sufficiant Herodianus lib. 1. *Commodus Lucillae sorori suae honorem habuit: nam & in spectaculis in regio throno sedebat, & ignis ei praeferebatur.* Et Q. Curtius lib. 3. *Ordo agminis erat talis: Ignis, quem ipsi sacrum & aeternum vocabant, argenteis altaribus praeferebatur.*

Coronae & lampades reperiuntur conjunctae apud Plutarchum in vita Arati; *Paulò post ex ejus familiaribus cernebatur unus per forum gestans coronas, alius edens lampades* Et apud Ovidium l. 3. Fast.

Faces ad honorem.

Saepè potens voti frontem redimita coronis,
Foemina lucentes portat ab urbe faces.

Quantùm ad choros & saltus cum tripudiis; Lucianus ait, *Indi ad orientem conversi, saltatione solem consalutant, cum silentio se ipsos conformantes, Dei choream imitari atque affingere conantur: & hoc Indorum est precatio, & chori, & sacrificium.* Caelius Rhodiginius lib. 5. Antiq., Lect. cap. 3. de Persis ait; *Quibus orientem solem venerari consuetum est, non arbitrati plenam perfectamque esse numinis consalutationem, ni adhibita saltatio fuerit &c.*

Saltus & choreae ad honorem.

Cum honoribus, Holoferni exhibitis, conveniunt illi, quos contulerunt Pompejo Neapoli, de quibus Plutarch. *Multi praeterea sertis ornati, sub lampadibus eum suscepère, flores in eum jacere &c.* Multò melius Athenaeus l. 6. c. 6. *Athenienses Demetrium ex Leucade, Corcyrâque, Athenas venientem, non solis fumorum odoribus, coronisque ac vina effundentes exceperunt: verum etiam choris, ithyphallique cum sacris cantilenis tripudiantes, ac canentes ei occurrerunt.*

CAP.

CAP. III. ℣. 13.

608. GRandis fuit illa temeritas ac stultitia Nabuchodonosoris, dum se ipsum jussit publicari Deum, struens propriam suam divinitatem supra ruinas & destructiones omnium idolorum, quæ cæca Gentilitas iis temporibus adoraverat. *Præceperat enim illi Nabuchodonosor Rex, ut omnes Deos terræ exterminaret, videlicet ut ipse solus diceretur Deus.* Judith. c. 3. v. 13. Delirium iteratum cap. 5 v. 29. *Sciat omnis gens, quoniam Nabuchodonosor Deus terræ est.*

Divinitas usurpata.

In eundem scopulum impegit Alexander Magnus, volens honorari ut Deus: unde quidam Macedones, cùm tantam superbiam tolerare non possent, conjurârunt in ipsius vitam; at patefactâ conjuratione, Hermolaus; complicum unus, attulit hanc excusationem. *Tu Macedones voluisti genua tibi ponere, venerarique te ut Deum. Tu Philippum patrem aversaris, & si quis Deorum ante Jovem haberetur, fastidires etiam Jovem. Miraris, si liberi homines superbiam tuam ferre non possumus?* Simili modo Caligula & Domitianus affectârunt, ut crederentur ac adorarentur tanquam Dii, ut in ipsorum vita refert Suetonius.

CAP. IV. ℣. 6.

609. SAnissimum fuit consilium Eliachim, summi sacerdotis, ut Israelitæ occuparent ac munirent loca, conclusa intra montes, intra quos via Hierosolymas patebat. Locorum enim angustiæ cum paucorum militum subsidio repulissent ferociam immensi exercitus. *Scripsit ut obtinerent ascensus montium, per quos via esse poterat ad Jerusalem, & illic custodirent, ubi angustum iter esse poterat inter montes.* Judith. 4. v. 6. Id quod etiam executi sunt defensores Bethuliæ; *Assumentes arma sua bellica, sederunt per loca, quæ ad angusti itineris tramitem dirigunt inter montosa &c.* Judith. 7. v. 5.

Angustiæ loci sunt aptæ ad defensionem.

De simili situ loquitur Herodotus lib. 14. *Locus namque ille naturâ suâ in arctum cogitur, rupibus confragosis undique munitus, ut parvâ facilè manu defendi possit.* Præclarè huc facit præceptum Onosandri cap. 31. *Si hostium copias, equitum multitudine suis fore potiores animadvertat, seligat, si possit, loca ardua, & angusta, & montibus adjacentia.*

CAP. IV. ℣. 9.

610. INter martios terrores, & potentissimi Holofernis armatas ruinas territâ Judæâ; Sacerdotes propugnaculi sui loco elegerunt sacrum altare; tubarum loco ad evocandum cœlo auxilium, sacras preces; & loricæ loco rigidum setibus cilicium. *Et induerunt se sacerdotes ciliciis.* Judith cap. 4. v. 9. & v. 15. *Deprecantes dominum, permanebant in conspectu Domini. Ita ut etiam ii, qui offerebant Domino holocausta, præcincti ciliciis, offerrent sacrificium &c.* docebant enim, pœnitentiam & mortificationem, conjunctam sacris precibus, facilè audiri.

Orare cum cilicio.

Sacerdotes Gentiles in offerendis sacrificiis cingebant latera sua non quidem ciliciis, sed setosis pellibus, quæ multum similes sunt ciliciis. De hoc ritu Virgilius lib. 8. Æneid. v. 281.

Jamque sacerdotes, primusque Potitius, ibant,
Pellibus in morem cincti, flammasque ferebant.

CAP. V. ℣. 1.

QUando sacer textus dicit, quòd è fronte exercitus Holofernis, *Filii Israel praepararent se ad resistendum, ac montium itinera conclusissent.* Judith c. 5. v. 1. Vatablus, inhærens traductioni Græcæ, explicat; *Montium transitus interclusisse, eorumque juga munivisse omnia, atque obstacula campis opposuisse.* Ut insinuetur, ipsos non solùm munivisse juga montium, per quæ patebat transitus, sed insuper ad subjacentes vias projecisse diversa retinacula lignea & ferrea, quorum operâ impedirentur barbari, ne provinciam possent peditibus aut equis infestare. 611.

Retinacula militaria

Quando Rex Antiochus & Mithridates contra Romanos præliabantur, & in aciem producebant currus falcatos, quibus Itali converterentur in terrorem & stragem; *Ubi ad pugnam ventum est,* inquit Vegetius lib. 3. c. 24. *repentè toto campo Romani tribulos abjecerunt, in quos currentes quadrigæ cum incidissent, deletæ sunt. Tribulus autem est ex quatuor palis confixum propugnaculum, quod quomodo abjeceris, tribus radiis stat, & erecto quarto infestus est.*

CAP. V. ℣. 9.

POpulus Hebræus, intrans Ægyptum, non excedebat numerum septuaginta personarum. Exod. 1. v. 3. at ducentorum & quindecim annorum revolutione excrevit numerus ad sexcenta millia virorum, qui erant apti ad tractanda arma, extra liberos, & alios. De hoc numero dixit Achior; *Sic multiplicati sunt, ut dinumerari eorum non posset exercitus.* Judith 5. v. 9. Adeò prodigiosa erat fœminarum Hebræarum fœcunditas, ut replerent provincias ac regna multitudine liberorum quasi infinitâ. 612.

Fœcunditas.

Exemplum miræ fœcunditatis reperitur in Jo. Pancica Agrigentina, de qua scribit Fazell9; quod triginta vicibus parturiverit, & mundo pepererit septuaginta filios. Quædam fœmina Alexandrina quatuor partibus enixa est viginti filios. Margaritha, Comes Hollandiæ, unâ vice peperit trecentos sexaginta quatuor liberos. Qui plura cupit, consulat Aulum Gellium Noct. Attic. lib. 10. Solinum cap. 4. Cælium Rhodiginium l. 4. c. 23. &c. Verùm de hoc argumento egimus ad cap. 1. Exodi numero marginali 234.

CAP. V. ℣. 10.

EXtra omne dubium est, à Gentilibus fuisse adoratos multos Deos; prout sacræ litteræ centenis locis demonstrant. Deut. 32 v. 37. *Ubi sunt Dii eorum, in quibus habebant fiduciam?* 1. Reg. 4 v. 8. *Quis nos salvabit de manu Deorum sublimium istorum?* Psal. 95. v. 5. *Omnes Dii Gentium dæmonia.* Dan. 3. v. 18. *Notum sit tibi Rex, quia Deos tuos non colimus.* Et tamen Achior, utut gentilis & Ammonita, loquitur de Deo non in plurali, sed in singulari; dicens Israëlitæ *clamaverunt ad dominum suum.* Judith 5. v. 10 ubi Glossa interlinearis observat, ipsum dixisse *Dominum, & non Deos.* sicque etiam Gentiles in errorum suorum obscuritate habuerunt aliquam cognitionem singularitatis & unitatis divinæ. 613.

Deus unus.

Hos ipsos sensus apud profanos reperire est; Terentius; *Memini relinqui me Deo irato meo.* Horatius Epist.

Sit genius natale comes qui temperat astrum
Natura Deus humana.

Virgi-

Virgilius lib. 4. Georg. v.221.

- - Deum ire per omnes
Terrasque, tractusque maris, cælumque profundum,

CAP. VI. ℣. 4.

614. HOlofernes, audita religiosa relatione, ab Achiore in honorem Israelitarum factâ, contra ipsum excanduit, & in hanc sententiam prorupit; *Gladius militiæ meæ transiet per latera tua.* Judith 6. v.4. In hunc locum Lyranus. *Ex quo videtur, quod intendebat eum interficere pluribus plagis & cruciatibus: ideò non dixit militis, sed militiæ, quia intendebat eum militum ludibrio exponi.* Adeoque pœna in summo gradu ignominiosa & atrox erat, exponi non uni tantùm aut paucis ictibus carnificis, sed furori ac iræ innumerabilis exercitus, veluti quis promeritus esset infinitas mortes, & centum millia ictuum deberentur ipsius demeritis.

Occidi à toto exercitu.

Hæc crudelitas, usitata olim à Profanis, commemoratur à centenis Historicis. Tacitus lib. 1. Annal. *Stabant legiones pro concione districtis gladiis; reus in suggestu per tribunum ostendebatur; & gaudebat cædibus miles, tanquam semet absolveret.* Curtius lib. 3. *Nihil tutius fore, quam circumdatos eos exercitu toto obrui telis, documentum non inultæ perfidiæ futuros.* Ammianus Marcellinus lib. 29. *Quid de istis nefariis proditoribus fieri oportere, contubernales devoti censetis? Sequutusque acclamationes rogantium sanguine vindicari eos, qui inter Constantianos merebant, prisco more militibus dedit occidendos.* Polybius; *Fustem capiens Tribunus, condemnatum leviter tangit & delibat: quo facto, omnes qui in castris sunt, ferientes, alius fustibus, alius lapidibus, plerosque in ipsis castris occidunt.*

CAP. VI. v. 10.

615. POstquam Achior ex mandato Holofernis propè mœnia Bethuliæ fuit arctè alligatus arbori, & ab Assyriis relictus; Bethulienses mox repertum, in civitatem introduxerunt, ubi totus populus confluxit, curiosè ex ipso auditurus, quid novi accidisset. *Filii Israël descendentes de Bethulia, venerunt ad eum. Quem solventes, percontati sunt, quid rerum esset &c.* Judith. 6. v. 30.

Curiositas popularis.

Cum hoc eventu magnam similitudinem habet fabula Simonis lib. 2. Æneid. v. 57.

Ecce manus juvenem interea post terga revinctum
Pastores magno ad Regem clamore trahebant;
Undique videndi studio Trojana juventus
Circumfusa ruit, certantque illudere capto,
-- Hortantur fari, quo sanguine cretus,
Quidve ferat, memoret.

Josephus Hebræus de se ipso lib. 3. Belli Jud. c. 14 ait; *Romam omnes visendi ejus gratiâ occurrebant: & cùm se circa ducem premeret multitudo, varius tumultus erat, his exultantibus, quod captus esset: aliis minantibus: multis propius videre illum cupientibus.* Plutarchus l. de Garrulit. *Itaque circumfusi homines, alius aliunde cœperunt interrogare, quisnam iis esset notus?*

CAP. VII. ℣ 4 &c.

616. QUando Bethulienses viderunt, exercitum Assyriorum, duce Holoferne, propinquare civitati; imprimis confugerunt ad sacras preces, divinamque misericordiam implorârunt. *Ut viderunt multitudinem illorum, prostraverunt se super terram, mittentes cinerem super capita sua, unanimes orantes, ut Deus Israël misericordiam suam ostenderet.* Judith. 7. v. 4. postea instar leonum apprehenderunt arma, & sese defensioni accinxerunt. *Et assumentes arma sua bellica &c.* n. 5.

Oratio contra hostes.

Adeoque primæ dispositiones ad obtinendam victoriam sunt exercitia pietatis & religionis. Onosander in Strateg. cap. 10. *Neque unquam ad expeditionem aut conflictum copias componat Imperator, nisi prius sacris rite peractis: milites enim multò audaciores & alacriores esse solent, cum pericula subire se existimant, diis auctoribus.* Hanc observationem omnes omninò nationes habent in usu, & refertur à centenis scriptoribus. Videatur Petrus Gregorius de Republ. lib. 11. c.3 n.1. ubi id copiosè & eruditè demonstrat.

CAP. VII. ℣. 6.

BEthulia civitas erat supra montes extructa; neque tamen ei deerant aquæ, per copiosum canalem ex suburbano fonte in illam abundantissimè deductæ ac derivatæ. *Fons, qui influebat, aquæductum illorum à parte australi, extra civitatem dirigeret.* Judith. 7. v.6. ubi Lyranus ait; *Erat enim fons extra civitatem, ex quo per aquaductum fluebat aqua intra civitatem.* 617.

Aquæductus.

Etiam Roma ædificata supra colles; ab aquæductibus grandi felicitate refrigerabatur & providebatur. *Quot enim illic flumina,* inquit Cassiodorus, *quasi constructis montibus producuntur.* Et loquens de aquis, deductis à Claudio; *Claudiam,* inquit, *per tantam fastigii molem, sic ad Aventini caput esse perductam, ut cùm ibi ex alto lapsa ceciderit, cacumen illud excelsum, quasi imam vallem irrigare videatur.* Albertus Leander, citatus à Lipsio lib. 3. de Magnitud. Rom. c. 11. protestabatur; *Non majus quidquam excogitari posse humano ingenio, quam quod hic Romani* (loquitur de loco, Sublacus dicto) *effusis tanto spatio montium intimis visceribus, fecerunt.* Verùm de Aquæductibus dixi 2. Reg. 2. v. 24.

CAP. VII. ℣. 11.

MOntosa civitas Bethulia multis diebus durâ obsidione ab Assyriis constringebatur, simulque sublatis aquæductibus omne refrigerium pauperi civitati adimebatur; redactus insuper ad extremam ariditatem cisternis, populus in deploranda necessitate & summis angustiis versabatur; *Defecerunt cisternæ, & collectiones aquarum omnibus habitantibus Bethuliam.* Judith. 7. v. 1. 618.

Defectus aquæ.

In hoc argumentum serviat, quantum potest, quod refert Plinius lib. 31. cap. 4. *Proditur in Creta, expugnato oppido, quod vocabatur Arcadia, cessâsse fontes, amnesque, quòd in eo situ multi erant; Rursus condito, post sex annos emersisse.*

CAP. VII. ℣. 17.

OBsessi Bethulienses, ad extremam necessitatem deducti, priusquam de cadentis patriæ suæ deditione cum feroci hoste paciscerentur, protestati sunt versus cœlum, terram, & summum Deum, quod hoc merâ necessitate compulsi facerent. *Contestamur hodie cælum, & terram, & Deum patrum nostrorum.* Judith. c.7. v.17. Ubi Dionysius Carthusianus; *Omnem creaturam, seu Angelos & homines, in testimonium sumimus, & cum attestatione tali rogamus.* 619.

Protestatio afflictorum.

In

In similes protestationes frequenter prorumpere solent miseri afflicti. Tullius 6. in Verrem. *Deos, homines que contestans, clamare cœpit.* Virgilius 2. Æneid.

Vos æterni ignes, & non violabile vestrum
Testor Numen, ait: vos aræ, ensesq; nefandi.

Et lib. 9. Æneid.

- *Cœlum hoc, & sidera conscia testor.*

De hoc more S. Greg. Nazianz. Orat. 27. *Erubescerem quidem cœlum & terram, quæ veteribus attestari moris erat.*

CAP. VIII. ℣. 1.

610. INter primas laudes, quas sacræ litteræ attribuunt generosæ Judithæ, numeratur casta viduitas. *Cùm audisset hæc verba Judith vidua* cap. 8. v. 1. & num. 4. *Erat autem Judith relicta ejus vidua jam annis tribus.* Adeoque mortuo suo marito Manasse, non voluit alium consortem, nisi dolorem, & affectum puritatis, conservatum mirâ quadam solitudine usque ad extremum vitæ. Eandem virtutem coluit Anna Prophetissa, filia Phanuelis, quæ septem annorum spatio vixit cum suo marito, postmodùm verò viduata, in hoc statu permansit usque ad octogesimum ætatis suæ annum. De quâ Luc. 2. v. 36. &c.

Viduæ castæ.

Eodem titulo inter Gentiles insignis fuit Cornelia, uxor Tiberii Gracchi; quæ orbata suo consorte, inviolatam servavit castitatem, constanter recusans nuptias ipsius Regis Ptolomæi. Plutarch. in Gracch. Martia, filia Catonis minoris, amisso marito, noluit alteri copulari. Audiens verò celebrari virtutes cujusdam fœminæ, ad secundas nuptias progressæ, dixit; *Felix ac pudica matrona non nubit nisi semel.* Inter Christianos ob castimoniam viduitatis summè deprædicantur Natalia, uxor S. Adriani martyris; Paula & Marcella, matronæ Romanæ nobilissimi stemmatis; Galla, filia Symmachi Consulis. Elisabetha uxor Landgravii de Turrena &c.

CAP. VIII. ℣. 5.

611. COnsiderabiles fuêre pudicitia & solitudo sanctæ Judithæ, quæ solebat vivere remota à consortio hominum, & habitare in superiore contignatione suæ domûs, cum suis domicellis clausa & obserata. *In superioribus domûs suæ fecit sibi secretum cubiculum, in quo cum puellis suis clausa morabatur,* Judith. 8. v. 5. Similem solitudinem amavit filia Raguelis, de qua Tob. 3. v. 10. *Ad hanc vocem perrexit in superius cubiculum domûs suæ.*

Solitudo fœminea.

Homerus semper solet matronas venerabiles repræsentare, habitantes in locis altis & abstractis totius domus lib. 1. Odyss. de Penelope canit:

In tabulatum ascendens cum ancillis fœminis
Flebat.

Et paulò post:

Hæc autem in loco edito illic prudens Penelope
Jacebat abstinens.

Et lib. 18.

Sic dicens, ascendit superiora splendida,
Non sola, cum ea & famulæ ibant aliæ.

Et lib. 22. Iliadis de Andromacha;

Sed telam texebat conclavi in domûs altæ.

CAP. VIII. ℣. 14.

612. NEmini dubium est, quin Bethulienses totâ efficacia supplicaverint divinæ misericordiæ, cùm orationis ardori junxerint effusissimas lachrymas. *Indulgentiam ejus fusis lachrymis postulemus*; consilium erat Judithæ c. 4. v. 14. & v. 17. *Dicamus flentes Domino, ut secundùm voluntatem suam sic faciat.* & cap. 7. v. 18. *Factus est fletus & ejulatus magnus in Ecclesia ab omnibus, & per multas horas unâ voce clamaverunt ad Deum.* Nam Lachrymæ miram habent virtutem ut orationem faciant impetratoriam & exauditam.

Oratio cum lachrymis.

Hanc energiam etiam Gentiles habuêre perspectam. Unde Capurnius Controv. 16. *Tacuit & flevit. O mira, & muta sententia!* Valerius Flaccus:

Ingreditur, lachrymisque liquentibus orat.

Iphigenia apud Euripidem, loquens suo patri Agamemnoni:

Si quidem Orphei haberem, O Pater, fæcundiam,
Persuadendo incantans, ut sequantur me saxa,
Et delinire quos vellem dictis,
In hoc versarem. Nunc autem pro mea virili sapientes
Lachrymas præstabo: hæc enim possumus.

CAP. IX. ℣. 1.

613. Juditha, obligatura Deum ad exaudiendas suas preces; antequàm oraret, ingressa est suum cubiculum, ubi latera transfixit rigido cilicio, & capillos deturpavit cineribus, faciemque prostravit supra pavimentum. *Induens se cilicio, posuit cinerem super caput suum, & prosternens se Domino, clamabat ad Dominum.* Judith. 9. v. 1.

Orantes cum cilicio & cinere.

Qui desiderat in orantibus videre cineres, cum humilitate supra caput sparsos; accedat Ulyssem apud Homerum, ubi actu supplicat Alcinoo:

O Rex Alcinoe, en tibi stratus supplicat hospes;
Non decet, ut lapsus jaceat sub pulvere denso
Procumbens adeò.

Qui desiderat saccum, pulverem, & personam prostratam; audiat Menandrum; *Dein sacco induti, & in via cœno volutantes Deo supplicabant,* uti refert Josephus la Cerda in Judith cap. 9. v. 11. marginal. 14.

CAP. IX. ℣. 1.

614. INter gravissimos Barbarorum terrores, & imminentes toti patriæ rapaces prædatores; venerabilis & religiosa matrona Juditha ante omnia alia recurrit ad sacras devotiones & preces. *Clamabat ad Dominum.* Judith. 9. v. 1. Ubi Hugo Cardinalis: *Clamavit per humilitatis affectum, sperans exaudiri.*

Matronæ territæ oratio.

Insignes matronæ inter pericula propriæ civitatis semper reperiuntur applicatæ ad orationes & preces. Quando Coriolanus iratus minabatur Romanis, matronæ solutis crinibus petebat à Deo auxilium. Dionysius libro. 8. Dum expectabatur finis prælii ad Cannas; *undique matronæ in publicum effusæ, circa Deûm*

Deûm delubra discurrunt. Livius lib. 26. Cùm Romani in angustias constringerentur ab Hannibale Carthaginensi; *Mulieres cum liberis in templis rogabant, ut finis tandem esset calamitatibus*; verba sunt Appiani in Hannibale &c. Virgilius, describens Æneam cum suis Trojanis, qui armati propinquabant civitati Regis Latini; ait lib. 11. Æneid. v. 477.

Ad templum, summasque ad Palladis arces
Subvehitur magnâ matrum Regina catervâ,
Succedunt matres, & templum thure vaporant,
Et mœstas alto fundunt de limine voces.

CAP. IX. ℣. 1.

625. CAstissima vidua, & magna Dei serva Juditha, statuens liberare suos Bethulienses à violenta hostium Assyriorum obsidione, ante omnia recurrit ad sacras preces; *Prosternens se Domino, clamabat ad Dominum.* cap. 9. v. 1. postea ad obtinendam victoriam instrumenti loco adhibuit cæcos amores supremi Belliducis. *Capiatur laqueo oculorum suorum in me.* c. 9. v. 13. Sicque ab Oratorio delata in campum Holofernis; *Orans Dominum transivit per portas.* c. 10. v. 10 triumphandi occasionem desumpsit ex lauta cœna, in qua & ipse, & principes ejus ministri erant obruti vino & crapulâ. *Holofernes fecit cœnam servis suis.* c. 12. v. 10. Inde suos animans, jussit, ut ad diluculum matutinum è civitate in hostem prorumperent; *Cùm exierit sol, accipiat unusquisque arma sua, & exite cum impetu.* c. 14. v. 2. occiso dein supremo Belliduce, qui ipsam amabat, turbavit totum exercitum Assyriorum, & *solo tremore & metu agitati, fugæ præsidium sumunt.* c. 15. v. 1. recepitque ipsa, finitâ expeditione adeò præclarâ, immensos applausus, & ditissimas mercedes. cap. 15. v. 10. &c.

Judith vincens Assyrios.

Polycrita, virgo casta & sacerdos Apollinis Delphici, ut suos Naxios subtraheret hostilitati Milesiorum, è templo progressa in campum, studuit suis amoribus implicare Diognetum, clarissimum Belliducem, fœderatum Milesiis; inde accepit occasionem cujusdam diei festivi, in quo Milesii lautè convivabantur, ejusque certiores fecit, animavitque suos Naxios, ut visâ ardente facula, feroces è civitate prodirent & in hostem irruerent. Fuitque in confuso illo prælio occisus Bellidux, qui ipsam amabat, & superatæ Milesiorum vires. Unde ipsa postmodùm, à festivis civibus recepit liberalem mercedem & lætas acclamationes. Partenius in *Amatoriis*, citatus à Laurentio Beierlinck in Theatro; Tit. *Patria §. Hostem circumvenire.*

CAP. IX. ℣. 2.

626. PRimâ fronte magnam difficultatem afferunt illa Judithæ orantis verba; *Domine Deus patris mei Simeon, qui dedisti illi gladium. &c.* cap. 9. v. 2. quòd si ipsa fuerit filia & neptis Patriarchæ Rubeni, ut patet ex ejus Genealogia, descriptâ cap. 8. quomodò se ipsam vocare potuit filiam Simeonis? respondetur, cuivis principi Tribuum fuisse attributum nomen patris, si non ex generatione, saltem ex veneratione & reverentia. Quòd hoc verum sit, constat ex 4. Reg. 5. v. 13. ubi servus dixit principi Naaman; *Pater, & si rem grandem dixisset tibi Propheta: certè facere debuisses.*

Patres vocantur principes.

Ecclesiasticus antiquis Patriarchis & principibus attribuit nomen Patrum; *Laudemus viros gloriosos & parentes nostros in generatione sua.* c. 44. v. 1. Samaritana, etsi origine Chaldæa, & translata in regionem Samariæ, nulloque prorsùs modo ab Hebræis descendens; nihilominus Jo. 4. dicebat; *Nunquid tu major es patre nostro Iacob? &c.*

Quòd patris nomen tribuatur principibus, observavi suprà ad cap. 41. Genes. num. margin. 199. At veritas ista novum firmamentum accipit à Claudiano l. 3. de Laud. Stiliconis.

-- sed nunquam tanto se gratia fudit
Assensu: quis enim Princeps hac omnibus egit
Obsequiis, sese dominum, patremque vocari?

Seneca lib. 1. de Clement. c. 14. *Quod ergo officium principis? Quod bonorum parentum, qui objurgare filios nonnunquam blandè, nonnunquam minaciter solent &c. Patrem quidem patriæ appellavimus, ut sciret datam sibi potestatem patriam &c.* His jungi potest S. Benedictus, qui ultimo Regulæ suæ capite attribuit S. Basilio nomen sui sancti Patris, tametsi ab eo nec acceperit institutum religiosum, nec monasticam cucullam. *Collationes patrum, & instituta eorum, sed & Regula sancti patris nostri Basilii, quid aliud sunt, nisi benè viventium, & obedientium Monachorum exempla?*

CAP. IX. ℣. 12.

SIngulari energiâ precata est Judith, ut Deus
gratiosè disponeret, ne occisio & mors Holo- 627.
fernis ullo alio, nisi proprio ipsius gladio contingeret. *Fac Domine, ut gladio proprio ejus superbia amputetur.* Judith. 9. v. 12. eò quòd hoc modo mors Tyranni foret magis probrosa & infamis; ac victoria Judithæ memorabilior ac magis gloriosa. Eidem probro subjacuit Goliath, proprio suo gladio à Davide plexus capite. 1. Reg. 17. v. 51.

Occisi proprio gladio.

Inter antiqua adagia recensetur istud; *Suo gladio jugulari.* Hoc casu Holofernes cum Ovidio Epist: Heroid. suspirare posset;

Heu patior telis vulnera facta meis!

Ad hoc propositum refert Plutarchus, hostem à celebri Belliduce Brasida fuisse interfectum eodem telo, quod ipse contra Brasidam vibrabat. Trebellius Pollio commemorat, quemdam militem infixisse gladium pectori Marii, unius è triginta tyrannis; cum dicto, *Hic est gladius, quem ipse fecisti.* Marius enim, priusquam ad imperium eveheretur, exercuit machæropæi artem, suâque manu elaboravit illum gladium.

CAP. X. ℣. 3.

JUdith, comparitura in habitu jucunditatis & gaudii; *Lavit corpus suum, & unxit se myro optimo.* cap. 10. vers. 3. Imprimis lavabatur, ut è capite & fronte tolleret horrorem cinerum, quibus pœnitens se conspergebat; aquis dein mundata, nobilibus & oderiferis unguentis se unxit. Eodem ordine operata est Magdalena, quæ imprimis *lacbrymis cæpit rigare pedes ejus*, & postea *unguento ungebat.* Luc. 7. v. 38. Illo ordine Christus exprobravit Pharisæo: *Aquam pedibus meis non dedisti.* Luc. 7. v. 44. Et postea: *Oleo caput meum non unxisti.* v. 46.

Idipsum

Idipsum observatur in Homero lib. 3. Odyss. *Postquam lavit, & pingui oleo unxit.* Et rursùs; *Hos postquam famula laverunt & unxerunt.* Antiphanes Poëta, citatus ab Athenæo lib. 15. primum locum concedit lavacris, secundum unguentis.

Lavat is in aureo quodam solio, unguento:
Ægyptio pedes linit; & crura &c.

Ex hac eruditione discat Christianus animæ suæ spurcitiem lavare, ut efficiatur dignus unctione spiritus sancti, supra ipsum descendentis.

CAP. X. ℣. 3.

629. VT capilli pulchræ Judithæ, paulò ante à cinerum conspersione cooperti & implicati, ad primævam & nativam venustatem reducerentur; confugit ad pecten eburneum, quo crines dividebantur, & in gratiosos orbes crispabantur; id quod significatur his verbis; *Discriminavit crinem capitis sui* Judith. c. 10. v. 3. Capilli pectinati.

Hæ diligentiæ describuntur à Claudiano de Nupt. Honor. & Mar.

-- *Hac morsu numerosi dentis eburno*
Multifidum discrimen arat: sed tertia retrò
Dat varios nexus.

Callimachus:

Pectinem & ex auro producite, possit ut udos
Extergens crines pectine dividere.

De capillis ita pectinatis & divisis canit Ovid. 1. Eleg.

Candida dividuâ colla tegente comâ.

CAP. X. ℣. 3.

630. INter alia ornamenta, quibus pomposa comparuit Juditha, numerabatur fascia byssina, distincta auro & scintillantibus gemmis, cingensque majestatem capitis & frontis. *Imposuit mitram super caput suum.* c. 10. v. 3. Mitra ornamentũ fœmineũ.

Numanus, reprehendens Trojanos tanquam homines effœminatos, ait, ipsos portâsse supra caput mitras, seu ornamenta, fœminarum propria. Et lib. 9. Æneid. v. 614.

Vobis picta croco, & fulgenti murice vestis:
Desidia cordi, juvat indulgere choreis.
Et tunicæ manicas, & habet redimicula mitræ.

Plinius lib. 35 c. 9. *Polygnotus Thasius, qui primus mulieres lucidâ veste pinxit, capita earum mitris versicoloribus operuit &c.* Moscus, Poëta Græcus, loquens de Helena:

Hanc quidem aurotexta mitra circùm coronabat.

Clodium in habitu prorsus effœminato demonstrans Tullius, de Arusp. Respons. dixit; *P. Clodius à crocata (veste fœmineâ) & mitra, à muliebribus soleis, purpureisque fasciolis, est factus repentè popularis.* Id quod etiam exprobatum fuit Herculi, ut ait Ovidius Dejaniræ ore:

Ausus in hirsutos mitrâ redimire capillos.

Et Seneca in Hercul. furente.

Mitra ferocem barbara frontem premens.

CAP. X. ℣. 3.

631. EXquisitæ pulchritudinis & excellentis pretii fuêre calcei seu cothurni, quibus Juditha candidos suos pedes exornabat de his cap. 10. v. 3. *Induitque sandalia pedibus ejus*; id est, ut explicat S. Hieronymus ad Salvinam, *aureos soccos.* Ornamentum hoc erat usitatum in Judæa, ejusque mentio fit Cant. 7. v. 1. *Quàm pulchri sunt gressus tui in calceamentis.* Isaiæ 3. v. 18. *Auferet Deus ornamentum calceamentorum.* Et Ezech. 16. v. 10. *Calceavi te Janthino.* Sandalia pretiosa.

Superfluitatem & superbiam horum ornamentorum, quibus ditabantur calcei Plinius in fœminis sui temporis detestatus est lib. 9. c. 35. *Quin & pedibus nec crepidarum tantùm obstragulis sed totis socculis addunt margaritas. Neque enim gestare jam margaritas, nisi calcent, ac per uniones etiam ambulent, satis est.* Ælianus 1 Var. cap. 18. loquens de luxu fœmineo; *Corollam sublimem capiti imponebant, pedes verò sandaliis induebant.* Phidias, ut Minervam exprimeret omnibus ornamentis conspicuam, sandalia circùm ipsius pedes posuit; ut scripsit Pollux lib. 7. c. 22.

CAP. X. ℣. 4.

632. PUlchritudinem Judithæ, naturâ sua raram & excellentem, splendidi luminis beneficio Deus immensùm auxit; uti ipsemet Deus testatur cap. 10. v. 4. *Cui etiam Dominus contulit splendorem.*

Veris splendoribus, à Deo concessis, non absimiles sunt scintillæ, quæ Veneris beneficio ex generosi Æneæ aspectu fulgurabant; de his Virgilius 1. Æneid. v. 592. Splendor divinus concessus.

Restitit Æneas; clarâque in luce refulsit,
Os, humerosque Deo similis: Namque ipsa decoram
Cæsariem nato genitrix, lumenque juventæ
Purpureum, & lætos oculis afflârat honores.
Quale manus addunt ebori decus, aut ubi flavo
Argentum, Pariusque lapis circumdatur auro.

In hunc locum etiam servire potest, quod 2. Æneid. v. 590. scribitur;

-- *Et purâ per noctem in luce refulsit*
Alma parens, confessa Deam &c.

Adeoque claritatis lumen est quasi indicium divinitatis.

CAP. X. ℣. 17.

633. OBtinuit Juditha quod desideravit, quando Holofernes solo ipsius aspectu captus & captivus est factus. Et sicuti ipsa supplicabat cap. 9. v. 13. *Capiatur laqueo oculorum suorum in me*; ita planè secutum est, quia cap. 10. v. 17. dicitur; *Cumque intrâsset ante faciem ejus, statim captus est in suis oculis Holofernes.* Josephus la Zerda observat; *Ipsemet fuit oculis captus est, non aliis appar..oribus dignus erat, qui laqueos injiceret impudico.* Unde ipsum alloquens, ait: *Non oculorum Juditha, si culpa tuorum fuit, illico prehendis: volantes oculos tumet in speciosum vete injecisti &c.* Oculi proprii capiunt.

Sicuti Holofernes hic captus fuit impudicâ propriorum oculorum temeritate; ita profani in aliis casibus amatoriis capti sunt à fœmineo deceptrice aspectu. Lucianus Dialog. *Imagines*; de quâdam fœmina ait; *Si illa conversis oculis te met inspexerit, quæ facultas tibi relinquetur, ut ab illa avellendi? Abducet te illigatum, quocunque collibuerit.* Id quod expressit ille Cygnus:

Cynthia prima suis miserum me cepit ocellis,
Contactum nullis ante cupidinibus.

Et Franciscus Petrarcha p. 1. Sonetto 2.

I bei vostr' occhi ò Donna mi legaro.

CAP. X. ℣. 18.

634. MIlites Holofernis, excellenti ac prodigiosâ pulchritudine Judithæ prorsus attoniti, existimârunt, omnes labores & extrema belli pericula meritò impendi ac tollerari, si ipsis cederet adeò insigne ac pretiosum lucrum. *Quis contemnat populum Hebræorum, qui tam decoras mulieres habent, ut non pro his meritò pugnare contra eos debeamus?* Judith cap. 10. v. 18.

Præmium facit superare labores.

Civitate Trojâ à Græcis dura obsidione constrictâ; Priamus cum Helena & quibusdam Consiliariis intimis, conscenderunt turrem, è qua poterant tota hostium castra distinctè prospicere; & cùm ex unâ parte viderent spectacula tragica & sanguinea inter Trojanos è civitate erumpentes, & Græcos eandem obsidentes; ex altera verò oculos defigerent in pulchritudinem Helenæ, dixerunt, sudorem adeò grandem ac copiosum sanguinem optimè impendi pro tantæ venustatis possessione. Homerus Iliad. lib. 3. v. 156.

Non indignatio Trojanos, & fortes Achivos
Talem propter mulierem multo tempore dolores pati:
Valde immortalibus Deabus vultu similis est.

Et verò si corruptibilis pulchritudo tantum potuit, ut humana pectora persuaderet ad sufferenda gravissima mala; quid non poterit aspectus & memoria beatæ gloriæ, & æternæ mercedis?

CAP. X. ℣. 19.

635. PApiliones, erecti à ducibus exercituum, non solùm deserviunt ad arcendas injurias elementorum; sed etiam ad ostentandam Belliducum magnificentiam & splendorem. Constat id ex papilione Holofernis, undique resplendente gemmis, ac distincto purpurâ & auro *Erat ex purpura & auro & smaragdo & lapidibus pretiosis intextum.* cap. 10. v. 19.

Papilio pretiosus.

De Romanis scribit Josephus lib. 3. de Bello c. 3. ipsos in mediis castris habuisse papilionem, qui prætorii loco deserviebat, & adeò politus, copiosisque ornamentis instructus servabatur, ac si esset templum sumptuosissimè exornatum. De Cæsare affirmat Suetonius, quod etiam pavimentum, circùm ipsius papilionem, stratum fuerit ex marmore artificiosissimè polito & commisso. Ælianus Var. Hist. l. 9. c. 3. de Macedonum Rege ait; *Ipsi Alexandro tabernaculum erat centum mensarum, quinquaginta columnis interstinctum, quibus tectum suffulciebatur. Ipsum verò tectum erat inauratum, & mirificâ arte, varietateque concinnatum.*

CAP. X. ℣. 20.

636. PRæsente magno principe Holoferne, Juditha inclinata, & in terram usque prostrata, eum adoravit, id est, exhibuit profundam reverentiam & honorem. *Cùm in faciem ejus intendisset, adoravit eum, prosternens se super terram.* Judith c. 10. v. 20. Adoratio hæc diversissima est à cultu Divino, nihilque denotat, nisi merum obsequium humanæ venerationis & reverentiæ, Ita Abrahamus adoravit Ephron. Gen. 23 fratres Josephum. Gen. 44. v. 26. Achior Juditham cap. 13. v. 20.

Adorare pro venerari.

Hanc profundam venerationem exigebant veteres Persarum Reges. Ælianus de Var. Hist. lib. 1. c. 21. *Lex est apud Persas recepta, ut is, qui in conspectu Regis venit, non antè cum eo sermonem conferat, quàm eum adoraverit.* Q. Curtius lib. 8. refert, Macedones, conformiter ritui Persarum, facie in terram prostratâ exercuisse actum adorationis. Justinus lib. 6. scribit; Cononem non fuisse introductum ad præsentiam Regis, quia non volebat eum juxta Persarum ritum adorare. Val. Maximus l. 7. c. 3. testatur, quod Dario ad hinnitum sui equi vix declarato Rege cæteri sex principalissimi Magnates *continuò equis delapsi (ut est mos Persarum) humi prostratis corporibus, Darium Regem salutaverunt.* Lampridius denique de Alexandro Severo refert; *Adorari se vetuit, cum jam cœpisset Heliogabalus adorari Regum more Persarum.*

CAP. XI. ℣. 6.

INter alia encomia, quæ Juditha attribuit Holoferni, etiam epitheton istud recensetur; *Tu solus bonus & potens.* cap. 11. v. 6. quasi diceret, ipsum non quidem esse justum, rectum, & innocentem, sed tamen bonum militem, præstantem Belliducem, & fortem Heroem. Usitatum enim est Latinis & Græcis, ut titulum boni attribuant cuicumque in aliqua arte aut professione conspicuo & excellenti; veluti bonus pictor, bonus Rhetor, bonus Poëta. 637.

Bonus, id est, præstans.

Herodotus lib. 1. c. 136. *Esse bonum ad bella,* & rursùs; *Bonus & fortis vir à fortuna juvatur.* Virgilius 6. Georg. *Bona bello cornus.* Eustatius *Bonus miles.* Iterum Virgilius Eclog. 5. de duobus pastoribus, excellentibus in cantu & inflandâ fistulâ:

Cur non Mopse (boni quoniam convenimus ambo,
Tu calamos inflare leves, ego dicere versus.

Et lib. 10. Æneid. loquens de Euritione, excellenti fabro;

-- *Rapiens immania pondera Balthei*
Quæ bonus Eurytion multo calaverat auro.

CAP. XI. ℣. 19.

QUando milites Holofernis aspexerunt pulchritudinem, majestatemque; & audierunt prudentes discursus Judithæ, veluti extra se abrepti, fatebantur, in toto mundo non reperiri similem. *Non est talis mulier super terram in aspectu, in pulchritudine, & in sensu verborum.* cap. 11. v. 19. De quâ S. Ambrosius lib. 1. offic. c. 1. *Quæ primò forma gratia, & virtutis decore perculit, & inde sermonis elegantiâ circumscripsit.* 638.

Pulchritudo incomparabilis.

Hæc penè ipsissima verba reperiuntur in Xenophonte lib. 5. Pæd. quæ aulici Cyri pronuntiârunt in laudem pulcherrimæ fœminæ. *Scito, mi Cyre, tam mihi, quàm aliis eam intuentibus visum esse, nunquam mulierem in Asia vel esse natam, vel extitisse talem ex mortalibus.*

Quòd si Juditha fuit typus Mariæ virginis, de hâc audimus cani à S. Ecclesia; *Nec primam similem visa est, nec habere sequentem.*

CAP. XII. ℣. 1.

NUllam artem intentatam reliquit impurus Holofernes, ut Juditham induceret ad suam libidinem; eam enim introduxit in omnium sumptuosissimum & ditissimum papilionem, ubi immensæ divitiæ erant congregatæ; veluti eam declaret tantorum thesaurorum dominam, modò vel- 639.

dò vellet esse serva impudicitiæ, & ipsius libidini famulari. *Jussit eam introire, ubi erant thesauri ejus.* Judith. 12. v. 1. similem favorem à dilecto suo se recepisse gloriatur sponsa in sacris Canticis c. 1. v. 4. *Introduxit me Rex in cellaria sua*; ubi Cornelius à Lapide; *Cellaria significat intima, sive penetralia, qualia sunt conclavia, & cubicula, in quibus herus ipse secretò degit, ac suas opes, & thesauros recondit.*

Ad thesaurum admittuntur soli amici Principis.

Crœsus, Rex Lydiæ, ex singularissima gratia & in signum specialis affectus, introduxit Alcmeonem in ærarium, eique concessit, ut pro suo libitu sumeret, quantum efferre posset. Ita refert Jo. Tzetze Chiliad. 1. Hist. 1.

Crœsus - - in Lydiis regnans
Venientem ad ipsum Alcmeona illustrem
Quantùm posset capere, jussit, auri &c.

CAP XII. v. 12.

640. VAgao, sollicitans honestatem Judithæ ad actus impuros, allicit eam gratiosis & amatoriis verbis; *Non vereatur bona puella introire ad Dominum meum.* cap. 12. v. 12. Tametsi verò ipsa non fuerit puella, sed vidua trium annorum, nihilominus cognominata fuit *puella*; sive ut demonstraretur adhuc florida & vigorosa; sive ut obsecundaretur genio muliebri, qui amat laudes & adulationes.

Puellæ titulus.

In voluminibus Eruditorum reperitur titulus *puella* attributus fœminis conjugatis, & etiam viduis. Helena erat uxor Menelai, cui multos pepererat liberos; & tamen à Paride vocabatur nomine puellæ. Ovidius:

Da modò te facilem, nec dedignare maritum,
Rure Therapnæo nata puella Phrygem.

Penelope apud eundem Ovidium de uxoribus militum, ante Trojam fatigatis, ait:

Troja jacet certè Danais invisa puellis,

Scævola in L. Uxorem § Testamento. ff. de Legat. 3. *Postea marito defuncto. puella dote receptâ nupsit alii.* Ovidius 2 Fast.

Dum tamen hæc fiunt, viduæ cessate puellæ.

Qnantùm porrò ad genium fœminarum, quæ, quantumvis pudicæ, amant laudari, gratiosè cecinit ille Cygnus:

Delectant etiam castas præconia formæ.

CAP. XIII. v. 8.

641. UT Juditha suo generoso molimini daret felicem terminum, non tulit secum aliquod instrumentum militare aut offensivum, sed usa est illis armis, quæ è columna lecti pendebant ad caput Holofernis; *Accessit ad columnam, quæ erat ad caput lectuli ejus, & pugionem ejus, qui in ea ligatus pendebat, exsolvit.* c. 13. v. 8.

Arma ad caput lecti.

Erat proinde antiquus mos, ut dormientes tenerent arma vicina capiti, possentque illa exigente necessitate promptè arripere. Homerus 10. Iliad describens Nestorem, jacentem *in molli lecto*, subjungit:

Juxtaq; eum arma variegata jacebant.

Appianus l. 3. scribit, quòd Cato, *ensem solitum lecto adstare minimè inveniens, exclamavit, se hostibus à domesticis prodi.* Turnus in somno à furia agitatus lib. 7. Æneid. v. 460.

Arma amens fremit, arma thoro, tectisq; requirit.

Theocritus Idill. 24. loquens de Amphitryone; *Gladius pendebat semper ad lectulum.*

Neque solùm tenebantur arma ad caput lecti, sed etiam, ut hic observatur, suspensa ad columnam. Ita apud Homerum Iliad. 17. & Odyss. 1. hasta fuit collocata *ad columnam longam.* Virgilius 12. Æneid. v. 92. de Turno ait:

Exin quæ in mediis ingenti adnixa columna
Ædibus adstabat; validam vi corripit hastam.

CAP. XIII. ℣. 9.

SIcuti Juditha dextera sua generosâ manu evaginavit & strinxit gladium; ita sinistrâ providè & sollicitè retinuit comam jacentis Holofernis, ne sylva capillorum circa collum remoraretur ictum, sed libera esset via, qua gladii acies penetraret. *Cumque evaginâsset illum, apprehendit comam capitis ejus.* cap. 13. v. 9. 642.

Capilli reorum retinentur.

Hæc est diligentia, adhiberi solita ab homicidis. Seneca in Troad.

— Cum ferox sævâ manu
Coma reflectens regium torta caput.

Hippolytus, occidens impudicam novercam, apud Senecam:

En impudicam crine contorto caput
Lævâ reflexi.

Euphemius, dum occidebatur, *validè tenetur crinibus*, inquit Cedrenus. Verùm de hoc argumento egimus ad lib. 2. Reg. c. 2. v. 16.

CAP. XIII. ℣. 10.

MIrabilis est potentia divina, quæ instrumenta fragilia & debilia adhibens, prosternit & dissipat formidabilissimas potentias. Et sicuti unius fœminæ manu interfectus est Rex Abimelech, tyrannus Sichimitarum. Judic. 9. v. 53. ita Judithæ brachio sublatus est è mundo superbus Holofernes, & dispersus formidandus ille exercitus, qui totum Orientem replevit summo horrore. Proinde Judith *percussit bis in cervicem ejus, & abscidit caput ejus* c. 13. v. 10. 643.

Occisi à fœminis.

Attila, Rex Hunnorum; ille, qui conduxit exercitum sexcentorum millium armatorum; qui se jactabat flagellum Dei; qui coëgit Theodosium Imperatorem, ut sibi penderet tributum; qui secum machinabatur evertere totum mundum; ille, inquam, unius fœminæ manu in occasum mortis præcipitatus periit, &, ut scribit Baronius Anno 454. *Noctu mulieris cultro confoditur.* Idipsum accidit multis militibus, quos refert Balthasar Bonifacius in Historia Ludicra lib. 12. cap. 11.

CAP. XIII. ℣. 16.

REditus Judithæ è castris Assyriorum ad civitatem Bethuliam, omnes Bethulienses inexplicabili gaudio replevit, qui manibus tenentes faculas, innumerabi i copia ei processerunt obviam non solùm ut fugarent tenebras noctis, sed cordis sui lætitiam explicarent. *Et accendentes luminaria, congyraverunt circa eam universi.* cap. 13. v. 16. 644.

Faces lætitiæ.

Variis usibus deserviunt faces ac luminaria, ut observat Ludovicus la Cerda in 6. Æneid. v. 118. Unus est, *Ad adventum amicorum significandum, & ostendendam lætitiam.* Valerius Maximus, citatus à Josephus la Zerda in hunc locum Judithæ; *Insignem bellica rei successum nocturna celebratio.*

bratione testando. S. Paulinus in Natali 3. S. Felicis;

- - - - Diemque
Exspectare piget: votis avidis mora noctis
Rumpitur, & noctem flammis funalia vincunt.

CAP. XIII. ℣. 16.

645. JUditha suis civibus plenè explicatura mirabilem successum, ipsius operâ in occiso Holoferne peractum: elegit locum sublimem & eminentem, è quo posset integrè ab omnibus intelligi. *Illa autem ascendens in eminentiorem locum, jussit fieri silentium,* c. 13. v. 16. Simili modo Esdras suis conterraneis promulgaturus legem Dei; *stetit super gradum ligneum, quem fecerat ad loquendum & aperuit Esdras librum coram omni populo: super universum quippe populum eminebat.* 2. Esdr. 8. v. 4. &c.

Perorare è loco eminenti.

De tali loco eminenti, è quo Oratores loquebantur populo, intelligendus est T. Livius lib. 8. *Suggestum in foro extructum adornari placuit.* Cicero 5. Tuscul. dixit; *Idemque cùm in communibus suggestis consistere non auderet, concionari ex turri alta solebat.* Et Sidonius Carm. 16.

Seu te conspicuis gradibus venerabilis ara
Concionaturum plebs sedula circumsistit

CAP. XIII v. 29.

646. AChioris anima, conspecto Holofernis capite reciso, fortissimis passionibus fuit agitata. Videbatur enim, ipsius viscera, horribili tempestate oppressa, concussum iri in medio pectore. Unde etiam tantopere æstuabat, ut deficiente spiritu, crederetur, ad extrema deductus. *Videns autem Achior caput Holofernis, angustiatus præ pavore cecidit in faciem suam super terram, & æstuavit anima ejus.*

Agitatio timoris.

Simili methodo usus est Tullius, ut exprimeret hominem terrefactum & exsanguem. De Arusp. respons. an; *Exanguis, atque æstuans se è curia proripuit cum quibusdam fractis atque manibus minis.* Virgilius 4. Georg.

Interea teneris tepefactus in ossibus humor
Æstuat.

Et Ovidius 4. Metam.

Ut primum valido mentem [illegible] collegit ab æstu.

CAP. XIV. ℣. 1.

647. JUditha, quemadmodum valida brachio, detruncavit Holofernis caput; ita prudens consilio jussit, ut horribile illud caput supra Bethuliæ mænia suspenderetur. *Dixit aut Judith: suspendite caput hoc super muros.* cap. 14. v. 1. Ut Assyrii, videntes supremum suum Ducem trucidatum, exterriti solverent obsidionem, & conjicerentur in turpem ac probrosam fugam. Ita David, monstrans Philistæis recisum Goliathi caput omnes in fugam conjecit. 1. Reg. 17. v. 52. Judas Machabæus è muris Hierosolymarum suspendit caput impii Nicanoris. 2. Mach. 15. v. 35.

Capita Ducum recisa terrent exercitum.

Ita Marcus Livius & Claudius Nero, Consules Romani, postquam occiderunt Asdrubalem, & cum eo quinquaginta sex millia Carthaginensium, projecerunt illius Belliducis caput ante castra Hannibalis sui fratris; quod istum adeò vehementer afflixit, ut dixerit; Fortunam Carthaginensium esse perditam; unaque aufugiens, se in quodam Italiæ angulo occultavit T. Livius lib. 26. in fine.

CAP. XIV. ℣. 2.

648. CIves, in Bethulia obsessi, interfecto Holoferne, generosam fecère eruptionem in castra Assyriorum, ut hos dissiparent, & gloriosam referrent victoriam. Ad hunc assultum sagax Juditha elegit primos auroræ radios, & solem in Ortu comparentem. *Cùm exierit sol, accipiat unusquisque arma sua, & exite cum impetu &c.* cap. 14. v. 2. Simili modo 1. Machab. c. 4. v. 6. *Cùm dies factus esset, apparuit Judas in campo cum tribus millibus virorum.*

Assultus militares sub auroram.

Ammianus Marcellinus lib. 9. *Cumque primùm aurora surgeret, universaque videri poterant, armis stellantibus coruscabant.* Virgilius Æneid. l. 7.

Horrescit strictis seges ensibus, æraq; fulgent
Sole lacessita, & lucem sub nubila jactant.

Et lib. 9.

Et jam prima novo spargebat lumine terras
Tithoni croceum linquens aurora cubile;
Turnus in arma viros armis circumdatus ipse
Suscitat, aratasq; acies in prælia cogit.

CAP. XIV. v. 2.

649. POstquam Juditha magnanimi Belliducis partes peregit, dum formidandum Holofernis caput truncavit; ita tanquam Dux exercituum suâ eloquentiâ animavit milites Bethuliæ ad eruptionem armatâ manu è civitate faciendam, hostemque assaliendum, & fugandos à viciniis mæniis barbaros. *Accipiat unusquisque arma sua, & exite cum impetu &c.* Judith c. 14. v. 2. Nam, ut scribit Vegetius l. 3. c. 12. *Monitis & adhortatione Ducis exercitui virtus accrescit, & animus, præcipuè si futuri certaminis talem acceperunt rationem, quâ sperent se facilè ad victoriam perventuros.*

Fœminæ militares.

Judithæ genio imbuta fuit Bonduica, Regina Britanniæ, quæ, ut scribit Dion, militari oratione animavit milites ad arripienda arma. Zenobia, Regina Palmirenorum, in variis expeditionibus bellicis tam consilii sui prudentia, quàm fortitudine brachii obtinuit memorabiles victorias. Amalesunta, Regina Italiæ, intrepido ac virili animo ex Italia profligavit Burgundos & Germanos, qui Luguriam acerrimè infestaverant. Omitto complures alias, ab Historicis passim celebratas.

CAP. XIV. ℣. 2.

JUditha, animans milites Bethuliæ, ut erumperent in castra Assyriorum, ait, id fieri de- 650.
bere animoso ac forti impetu, quo irruant in hostem; cùm hic furoris modus soleat parere certam victoriam. *Exite cum impetu non ut descendatis deorsum, sed quasi impetum facientes.* Judith. cap. 14. v. 2.

Impetus assilientiû disponit ad victorias.

Hæc assiliendi forma laudatur à Xenophonte lib. 3. *Nam multò præstabat facto ex vico impetu, quàm inter proficiscendum adversùs eos irruentes dimicare.* Eam quoque suasit Tullius pro Rosc. Amer. *Vos autem maximè debetis in eos impetum facere, qui merentur.* Illa usus est C. Pompejus in Cappadocia, ubi, teste Frontino lib. 2. cap. 2. *Elegit locum castris editum, unde adjuvante proclivo impetum militum facilè ipso discursu Mithridatem superavit.* Lucullus, in Armenia majore contra Mithridatem dimicaturus, dum Tigranes *collis proximi planum verticem raptim cum copiarum parte adeptus, in subjectos hostes decucurrit,* obtinuit nobilissimam victoriam, Frontinus ibid.

CAP.

CAP. XIV. ℣. 7.

651. BEthulienses eruperunt ex civitate armatis manibus, grandi vocum ululatu, & pleno per aëra clamore; ut tali modo hostium phalanges obruerent repentino timore, sibique vicinam ominarentur victoriam. *Acceptisque unusquisque vir arma sua, & egressi sunt cum grandi strepitu & ululatu.* Judith cap. 14. v. 7 & rursùs cap. 15. v. 3. *Descenderunt clangentibus tubis, & ululantes post ipsos.* Hic observabatur præceptum legis divinæ Num. 10. v. 9. *Si exieritis ad bellum de terra vestra contra hostes, qui dimicant adversùm vos clangetis ululantibus tubis.*

Ululatus militaris minarum & jubili.

De his ululatibus militaribus, excitari solitis tam in assultu præliorum, quàm in jubilis triumphorum, plena sunt omnia volumina. Livius lib. 20. *Galli occursant in ripam cum variis ululatibus.* Plutarchus in vita Crassi; *Hi fusum & dirum clamorem edunt, velut ululatu belluino, & tonitrui asperitate mistum.* Plinius l. 26. cap. 4. *Terribili marte ulularent.* Cæsar lib. 5. de Bello Gallic. *Tum verò suo more victoriam conclamant, atque ululatum tollunt.* Et Lucanus:

- - - *Lætis ululare triumphis.*

CAP. XIV. ℣. 14.

652. VAgo, occisum suum dominum, propriosque immersum sanguini conspiciens, prorupit in doloriferos clamores, ex oculis profudit largissimas lachrymas, & in signum inexplicabilis sui doloris scidit vestimenta. *Exclamavit voce magnâ cum fletu, & scidit vestimenta sua.* c. 14 v 14.

Affectus erga mortuum.

Affectum hujus Eunuchi, doloribus ac suspiriis plenissimi, videri possit descripsisse Q. Curtius lib. 5 *Post hanc vocem Spado gemitu non modo tabernaculum sed etiam castra complevit* (id quod exactè etiam fecit Vagao) *irrupêre deinde alii, laceratisque vestibus, lugubri & barbaro ululatu Regem deplorare cœperunt.*

CAP. XV. ℣. 1.

653. QUando anima nostra forti timore obruitur, omnis consilii fit inops; & qui antea erat perfectæ prudentiæ homo, remanet stupidus, & insensatus instar trunci. Ita S. Thomas 1. 2. q. 44. a. 2. ad 2. *Quando timor fuerit fortis, vult quidem homo consiliari, sed adeò perturbatur in suis cogitationibus, quod consilium adveniré non possit.* Id experti sunt milites Assyrii; viso enim duce suo decollato, *fugit mens & consilium ab eis, & solo tremore & metu agitati, fuga præsidium sumunt.* Judith 15. v. 1.

Timor stupidus.

Virgilius, describens Turnum, bellicis fragoribus terrefactum, tribus vicibus ait, quod factus sit *amens*, id est, stupidus animo, & consilii expers. lib. 12. Æneid v. 6 o.

Hei mihi, quid tanto turbantur mœnia luctu?

Quisve ruit tantus diversâ clamor ab urbe?

Sic ait: adductisq; amens subsistit habenis.

Et rursus: v. 742.

Ergo amens diversa fugâ petit æquora Turnus.

Et v. 776.

- - *amens formidine Turnus.*

Plutarchus in Artaxerxe, *Cui præsens formido consilium excussit.*

CAP. XV. ℣. 2.

654. INter alios effectus, quos timor producere solet, & suppressio vocis ac verborum. S. Thomas 1. 2. q. 44. a. 1. ad 2. ita philosophatur; *In timentibus fit motus interioris caloris, & spirituum à corde ad inferiora: & ideò timor contrariatur formationi vocis, quæ fit per emissionem spirituum ad superiora per os: & propter hoc timor tacentes facit.* Experentia id docuit in militibus Holofernis, qui auditâ improvisâ supremi Ducis sui morte, oppressi sunt timore adeò grandi; *ut nullus loqueretur cum proximo suo.* c. 15. v. 2.

Timor facit obmutescere.

Obmutescentiam, à timore productam, expressit Lucretius lib. 1.

Muta metu terram genibus submissa petebat.

Virgilius 2. Æneid. de persona timore oppressa, canit v. 774.

Obstupui, steteruntque comæ, & vox faucibus hæsit.

Et lib. 12. v. 718.

Stat pecus omne metu mutum, mussantque juvencæ.

Tullius in Verrem: *Metu, conscientiâq; peccati mutum.* Seneca in Octavia:

Continet vocem timor.

Herodotus lib. 1. de Astyage, timore oppresso, ait; *bis perculsus, aliquando sine voce mansit.*

CAP. XV. v. 2.

TImor, conceptus ab Assyriis ob improvisam Holofernis mortem, junctusque rubori & erubescentiæ, tantoperè obruit illorum faciem ac frontem; ut stupefacti & confusi, demisso capite reliquerint castra, & fugam capessiverint. *Inclinato capite, relictis omnibus, evadere festinabant.* Judith. c. 15 v. 2. 655.

Oculi demissi præ timore & rubore.

Bene proin' dixit Plutarchus in Agesilao; erubescentiæ & rubori proprium esse, ut versùs terram respiciat. Idem in vita Phocionis de quibusdam afflictis ait; *Lamentabantur dejecto capite.* Et Ovidius lib. 5. Metam.

Demisêre oculos omnes, gemitumq; dedêre.

CAP. XV. ℣. 9.

QUando Juditha, generosa triumphatrix Assyriæ potentiæ, trophæi sui loco in patriam portans recisum Holofernis caput; ingressa est Bethuliam; Princeps sacerdotum cum venerabilium seniorum & magistratuum comitatu ei processit obviam, retulitque claros & gloriosos applausus. *Joachim autem summus Pontifex de Jerusalem venit in Bethuliam cum universis Presbyteris suis, ut videret.* Judith. c. 15. v. 9. & postea *benedixerunt eam omnes unâ voce.* similiter Judic. 11. v. 34. *Revertente*, cum triumpho *Jephte, occurrit ei unigenita filia sua cum tympanis & choris.* Et 1. Reg. c. 18. v. 6. *Cùm reverteretur percusso Philisthæo David, & ferret caput ejus in Jerusalem, egressæ sunt mulieres de universis urbibus Israël canentes &c.* 656.

Victores recepti festivis plausibus.

Exceptiones non tantùm à numeroso populi concursu, sed etiam à summis magnatibus in honorem Victorum factæ, reperiuntur passim apud Eruditos. Plutarchus de Pompejo in ejus vita ait; *Obviam undique procedentes, nullus capiebat locus, sed via, vici, porticus epulantibus, & sacra facientibus erant referta &c.* Nicetas de Alexio, filio Manuelis, ait; *Reditus appropinquante die, omnes magistratus, omnes sacerdotes honestatem amantes, & tota civitatis multitudo concursu ad Cœnobium facto, progressio à civibus splendidissima facta est.* Et Q. Curtius lib. 1. circa initium, *Magna pars Babyloniorum consti-*

constiterat in muris, avida cognoscendi novum Regem: plures obviam egressi sunt.

In applausibus, Judithæ factis, dignoscuntur adumbratæ laudes ac gloria Mariæ virginis, quæ cum triumpho & pompa in cœlestem patriam delata, omnes spiritus beatos habuit sibi obviam progressos cum encomiis & acclamationibus. *Quis cogitare sufficiat*, inquit S. Bernar ferm. 1. in Assumpt. *quàm gloriosa hodie mundi Regina processerit, & quando devotionis affectu tota in ejus occursum cœlestium legionum prodierit multitudo?* Et S. Petrus Damianus ferm. de Assumpt. *Matri cœlorum palatia penetranti filius ipse, cum tota curia tam Angelorum, quàm justorum, solemniter occurrens evexit ad beata consistorium sessionis.* Maria V. assumpta.

CAP. XV. v. 9.

657. UBi vulgata nostra Biblia legunt, summum Pontificem Joachimum Hierosolymis profectum esse Bethuliam *cum universis presbyteris suis, ut videret Judith.* cap. 15. v. 9. textus Græcus expresse nominat *senatum*; quasi *presbyter* idem esset ac *senior*. Adeoque Ordo senatorius, Hierosolymis residens, advenit cum ingenti majestate ac decore, salutaturus & meritis applausibus excepturus nobilem triumphatricem. Supremis exercituum ducibus victoribus in patriam revertentibus, senatus extra civitatem processit obviam, ut cum iis consultaret, ac triumphi pompam stabiliret. Ita T. Livius lib. 40. *In æde Apollinis extra urbem senatus interdum datus est, triumphusque decretus.* Et veluti istud non sufficeret, triumphanti assistebat, eumque comitabatur senatus, ut observavit Servius in 4. Æneid. *Qui triumphat, albis equis vehitur quatuor, & senatu praeunte in Capitolio de tauris sacrificat.* Ita Alexander ab Alex. l. 6. c. 6. *Imperatori triumphanti oleagineis sertis ornati, aureas coronas præferebant ministri, quæ his, cui triumphum meritum procuràssent, dari assueverant, universo mox senatu in albis prætextis juxta currum longè maximum triumphi spectaculum exhibente* Et post illum Josephus Laurentius synops de Triumpho. *Currum stipabant Senatores albati omnes.* Senatus obviam venit victori.

CAP. XV. ỳ. 15.

658. TOtus populus videbatur consecratus gloriæ triumphantis Judithæ, ad cujus honorem pulsabantur instrumenta musica, & prorumpebatur in lætissimas voces, immortalesque applausus. *Omnes populi gaudebant cum mulieribus, & virginibus, & juvenibus, in organis & citharis* Judith. c. 15. v. 15. id est, ut traducit Vatablus; *Viri Israëlita omnes armati subsequebantur cum coronis atque hymnis, quos ore suo decantabant.* Musica in triumphis.

Quando celebrabantur veteres triumphi, undique resonabant symphoniæ & musicæ; omniumque aures replebantur encomiis triumphatoris. Livius lib. 45. *Imperatoris laudes canentes per urbem incedunt.* Plutarch. in Paul. Æmil. *Canens autem partim quædam carmina vernacula risu admixta: tum verò Paeanas victoriæ & præconio.* Æmil. Alex. ab Alex. l. 6. c. 6. *Tum citharædorum, & tibicinum solertissimi artifices, quos Lydios vocant, canentes, pallentesque ibant coronati.* Et rursùs; *Victrices legiones, milites que victoris exercitus armati, ac divisi in turmas, pleni fortunarum, gloriaque cum jocorum lascivia & carmine triumphali, ludibundi, & spoliis ornati, verba, & inconditos versus in triumphantem militari modo jactantes sequebantur.*

CAP XV. v. 15.

UBi nostra Biblia vulgata legunt, quòd in triumpho Judithæ *Omnes populi gaudebant cum mulieribus & virginibus, & juvenibus in organis & citharis.* cap. 15. v. 15. Vatablus traducit; *Concurrerunt videndæ ejus causâ mulieres omnes Israëliticæ, eamque collaudârunt atque unà ei chorum, statuerunt.* Adeoque vel circa ipsam jucundissimas ducebant choreas; vel ipsius honori formabant suavissimas symphonias. 659. Choreæ & musica in triumpho.

Ejusmodi jubilus reperitur expressus in L. Apulejo l. 10. Metamor. *Nam pueri, puellæque virenti florentes ætatulâ, formâ conspicui, veste nitidi, Grecanicam saltantes pyrrhicham, dispositis ordinibus decoros ambitus inerrabant; nunc in orbe rotatione flexuosi, nunc in obliquam seriem connexi.* Virgilius 8. Æneid. v. 717.

Lætitia, ludisq; viæ, plausuq; fremebant
Omnibus in templis matrum chorus.

Simocatta lib. 7. c. 15 agens de victoriis & triumphis, mentionem facit *hymnorum & symphonia peracta in choris*; eumque citat la Cerda in hunc locum. Denique Plutarchus in Paulo. *Præibant Imperatori lictores tunicis puniceis amicti, & chorus citharistarum & satyrorum, Hetrusca pompa ritu, cinctorum, ornatorumque coronis aureis, qui pariter incedunt ordine, cum cantu & tripudio.*

CAP. XVI. ỳ. 11.

A capite ad calcē erat Juditha superbè ac sumptuosè exornata. Colorum exquisita venustas flammescebat in vestibus flavedo auri splendebat in armillis, pretiositas gemmarum scintillabat in cimeliis, quæ tenebat in pectore & capite. Et tamen Holofernes captus est calceis; ipsiusque pectus rapiebatur amentiis, quibus ligabantur pedes Judithæ. *Sandalia ejus rapuerunt oculos ejus.* c. 16. v. 11. Sammeticus, Rex Ægypti, videns fortè ante pedes suos decidentem calceum, quem aquila rapuit Rhodope, insignis pulchritudinis meretrici; proinde ex venustate & pulchritudine calcei concepit sublimes cogitationes de domina calcei; bibensque prostitutæ fœminæ amorem in calceo, jussit eam accersiri, & in thori sui dilectam consortem assumpsit. Ælianus de Var. Hist. l. 13. c. 33. 660. Sandalia attractiva amoris.

CAP. XVI. ỳ. 13.

QUando Israëlitæ per aëra spargebant ululatum ferociæ & minarum contra Assyrios, ut observatum est suprà cap. 14. v. 7. Assyrii, videntes occisum supremum suum belliducem, Hebræorum armis infestati, & coacti in probrosam fugam, ululârunt præ terrore. *Tunc ululaverunt castra Assyriorum, quando apparuerunt humiles mei.* Judith. 16. v. 13. Hi flebiles & doloriferi ululatus commemorantur in Isaia 13. v. 6. Hieremia 4. v. 8. Ezechiele 30. v. 2. Joële 1. 5. v. 11. & 13. Michea c. 1. n 8. &c. 661. Ululare præ dolore.

De his ululatibus Virgilius 2. Æneid. v. 486.

At domus interior gemitu, miseroq; tumultu
Miscetur, penitusq; cavæ plangoribus ædes
Fœmineis ululant.

Statius 5. Thebaid.

-- *Resonant ululatibus ædes*
Fœmineis.

Homerus;

Omnes cum ululatu manus ad Palladem protendebant.

LUMI-

LUMINA REFLEXA EX LIB. ESTHER.

CAPUT. I. v. 5.

662. ASsuerus ad ostentandam propriam magnificentiam non solùm convivio per sex continuos menses excepit præcipuos Regni sui Magnates; sed etiam septem integris diebus invitavit omnes populos, qui reperiebantur in Susan, civitate Regia, vastissima, & maximè populosa; adhibens subditos omnis sexûs, conditionis, & ætatis ad delitias lautissimi convivii. *Invitavit populum, qui inventus est in Susan à maximo usque ad minimum &c.* Esth. 1. v. 5.

Convivium publicum.

Similem magnificentiam & generositatem demonstravit Arianne, ditissimus Galatarum princeps, de quo refert Athenæus lib. 4 cap. 11. quòd promiserit, *se omnibus Galatis per anni spatium epulas esse traditurum.* Id quòd etiam executus est; dum *Sacrificia taurorum, suum, ovium, aliorum jumentorum singulis diebus multa persolvit, vini dolia, farinaque irrigata magnam copiam paravit, ita ut non solùm ii Galatæ, qui ex vicis, civitatibusque convenerant, his vescerentur, verùm etiam omnes, qui accedebant externi non priùs à pueris detinentibus dimittebantur, quàm cibum simul sumpsissent.*

CAP. I. ℣. 5.

663. OBlectamentum planè nobile ac illustre est agricultura, quam ipsimet Principes & coronati Monarchæ geniali felicitate & voluptate exercuerunt. Unde quando sermo fit de horto seu sylvula contigua palatio Regis Assueri, seu Artaxerxis Longimani, dicitur, utrumque ostentasse magnificentiam & gravitatem regiam; & tamen propriæ manûs industria ac labore ab ipsismet Regibus fuisse plantatum & cultum. *Jussit septem diebus convivium præparari in vestibulo horti & nemoris, quod regio cultu & manu consitum erat.* Esth. 1. v. 5. Etiam Salomon de se ipso testatur; *Feci hortos & pomaria, & consevi ea cuncti generis arboribus.* Ecclef. 2. v. 5.

Horti culti regiâ manu.

Cyrus minor, Rex Persarum, propria manu coluit hortos; & cùm in eum introduxisset Lysandrum, insignem Atheniensium magnatem; *Cùm admiraretur Lysander, & proceritatem arborum, & directos in quincuncem ordines, & humum subactam, atque puram, & suavitatem odorum, qui efflarentur è floribus: tum eum dixisse, mirari se in eo diligentiam, sed etiam solertiam ejus, à quo essent illa dimensa atque descripta; & ei Cyrum respondisse. Atqui ego ista sum dimensus, mei sunt ordines, mea descriptio; multa etiam istarum arborum meâ manu sunt sata.* Uti refert Cicero in Catone Majore. De hoc facto Ælianus lib. 1. Animal c. 59. *Cyrus minor ex hortis, quos purpura nitore, & gemmarum fulgore ornatus in Lydia sua manu consevisset, gloria magna cùm apud omnes Græcos. tum apud Lysandrum Lacedemonium, quum is in Lydiam ad eum venisset, fuit.* Maxinissa, Rex Numidiæ, ultra modum excellens fuit in colendis campis, ut refert Diodorus Siculus lib. 32. Childebertus, Rex Galliæ, oblectabatur colendo quodam horto, de quo Venantius lib. 6. Carm: 8.

Hac magno inseruit Rex Childebertus amore,
Carius ista placent, quæ manus illa dedit.
De cultore trahit mellitum planta saporem,
Forsan & hic tacitos miscuit ille favos.
Regis honore novis duplicata est gratia pomis,
Nare suavis odor, dulcis in ore sapor.

CAP. I. ℣. 6.

TEntoria, & peristromata, erecta à Rege Assuero, quando in suis hortis celebravit sumptuosissimum convivium; erant ex multis causis dignissima consideratione. distincta enim erant pulchris & pretiosis coloribus; sustentata à sublimibus columnis; instructa copiosis lectis, elaboratis ex auro & argento, in commodum convivarum, qui ibi accumbebant. *Et pendebant ex omni parte tentoria aërii coloris & carbasini &c. & columnis marmoreis fulciebantur. Lectuli quoque aurei & argentei super pavimentum smaragdino & pario stratum lapide &c. quod mirâ varietate pictura decorabat.* Esth. 1. v. 6. 664.

Pomposus apparatus.

Huic apparatui ex aliqua parte mirificè similis est papilio Alexandri Magni, de quo Ælianus de Var. Hist. lib. 9. cap. 3. ait; *Ipsi verò Alexandro tabernaculum erat centum lectorum spatii capax, quinquaginta columnis aureis interstinctum, quibus tectum suffulciebatur. Ipsum verò tectum erat inauratum, & magnificâ arte, varietateque concinnatum.* Huic adjungi potest apparatus, ab eodem factus ad celebrandum suum nuptiale convivium, de quo loquitur Athenæus lib. 12. cap. 8. *Alexander, cùm Darium cepisset, nuptias suas celebravit. Habebat autem domus centum thalamos, in quibus singulis lectus erat. Ornata erat domus vestibus sumptuosis, ac velaminibus magnificè & splendidissimè: atque sub his purpureis ac puniceis, auro intertextis. Ut verò scena firmaretur, atque consisteret, columnæ viginti cubitorum aurata atque gemmata, circumque argento obducta constituebantur, circumponebanturin ambitu aulæa magnifica belluata, ac auro conserta, quæ columnas habebant aureas & argenteas &c.*

CAP. I. ℣. 6.

665. MAgnates in Persia non solebant mensis assidere, sed accumbere in lectis, qui ad ostentationem & magnificentiam erant confecti ex argento & auro. Unde quando describuntur regia Assueri convivia, non solùm exprimuntur papiliones & aulæa, pulcherrimis coloribus exornata; *Pendebant ex omni parte tentoria aerii coloris, & carbasini, ac hyacinthini.* Esth. 1. v. 6. sed etiam additur; *Lectuli quoque aurei, & argentei super pavimentum smaragdino & pario stratum lapide &c.*

Lecti convivales superbi.

Pompam ac pretium horum lectorum conjicere licet ex convivio, quod Alexander Magnus cum amicis suis celebravit tempore suarum nuptiarum; uti refert Ælianus lib. 8. Var. Hist. cap. 7. *Locus in quo convivio recipiebantur, & accumbebant, centum habebat lectos, quorum unusquisque argenteis pedibus nitebatur, ipsius verò aureis: & omnes purpureis stragulis erant exornati, variaque veste textura barbarica & pretiosissima.* Et Athenæus de iisdem Alexandri nuptiis lib. 12. cap. 8. *Habebat autem domus centum thalamos, in quibus singulis lectus erat, nuptiali stolâ viginti argentearum minarum ornatus, at ipsius thorus pedes habebat argenteos.*

CAP. I. ℣. 6.

666. IN hortis & conviviis Assueri ipsum etiam pavimentum, vilibus pedibus calcari solitum, ex nobili & pretiosa materia undique erat stratum. *Pavimentum smaragdino & pretioso stratum lapide.* c. 1. v. 6. adeoque candor marmoris parii concurrebat cum smaragdorum virore ad exornandum illud superbissimum pavimentum.

Pavimentum pretiosum

Quod veteres Romani amaverint pretiosa pavimenta, demonstrat ille Lucilii versus;

Ante pavimento, atque emblemate vermiculato.

Seneca lib. de Tranquill. animi cap. 1. reprehendit superbiam horum pavimentorum; *Jam domus etiam, quæ calcatur, pretiosa divitiis per omnes angulos dissipatis.* Statius lib. 2. Sylv. de Surrentino Pollii, id est, de illius domo, ruri ædificatâ, canit;

- - Hic Grajis penitus desecta metallis.
Saxa quot Eoa respergit vena sienis.
Synnade quot mæstæ Phrygiæ fodêre secures
Per Cybeles lugentis agros; ubi marmore picto
Candida purpureo distinguitur area Cyro.
Hic & Amiclæi cæsum de monte Lycurgi
Quod viret, & molles imitatur rupibus herbas.

CAP. I. ℣. 6.

667. UT pavimenta illius loci, ubi celebrabantur convivia Assueri, essent in summo gradu admiranda; factus est recursus ad nobilissima naturæ opera, & ingeniosissimas artis industrias. committebantur enim rarissimæ æstimationis saxa, & quod ad operis hujus stupendum decorem conferre non poterant colores naturales, supplebatur à picturis, addebatque industria penicilli ultimum ornamentum. *Lectuli quoque aurei & argentei, super pavimentum smaragdino & pario stratum lapide dispositi erant, quod mirâ varietate pictura decorabat.* Esth. 1. v. 6.

Marmor cum pictura.

Neque paradoxum alicui videatur, quòd pictura jungatur marmori ad pavimenti excellentiam summè extollendam. Nam etiam Apulejus lib. 5. dixit; *Pavimenta ipsa, lapide pretioso cæsim diminuto, in varia picturæ genera discriminantur.* Et S. Gregorius Nazianzenus imprimis orat: 16. *Nos splendidas domos habitabimus, variis marmoribus excultas, auro & argento fulgurantes: ac minutorum calculorum dispositione, picturaque varietate &c.* Et postea od. 2.

Cupis ædes amplissimas
Auro laqueatas: picturaque
Et lapilli artificia,
Viventibus ferè similia &c.

CAP. I. ℣. 8.

MUlta in convivio Regis Assueri erant reprehensione digna; Plenum tamen laude est illud mandatum, quo ordinabatur, ut nullus convivarum cogeretur ad bibendum ultra id, quod appeteret; essetque id cujusvis liberæ voluntati relictum. *Nec erat, qui nolentes cogeret ad bibendum, sed sicut Rex statuerat, præponens mensis singulos de principibus suis, ut sumeret unusquisque quod vellet.* Esth. 1. v. 8. 668.

Bibere pro sua libertate.

Athenæus lib. 4. c. 4. de cœna Cleomenis Regis Spartarum ait; *Neque potus cuiquam ferebatur, nisi prius poposcisset. Dabatur unus cyathus ante cœnam, isque primùm cùm ille annuisset, sic postea & reliqui petebant.* Plato in suo convivio introducit Pausaniam ita loquentem; *Videndum est, O viri, quo pacto levius, suaviusque bibamus. &c. Hæc cùm audissent omnes, concessêre, non ad ebrietatem in præsenti convivio, sed ad voluptatem esse bibendum. Visumque est, uniuscujusque arbitrio fore, quantum bibat, neminem verò supra quàm vellet cogi.* Plutarchus in Agite & Cleomene; *Crater æneus ponebatur, vini plenus, & phiala argenteæ binas heminas capientes; ex quibus, cui libebat bibere, bibebat: invitum invitabat ad bibendum nemo.* Beatus Rhenanus lib. 2. Rer. German: scribit; Salica lex fuit; *Nemo militiæ secum suum, aut quemlibet alium ad potandum invitato.* Et Sophocles in Satyrico;

-- -- Vi coactum bibere,
Par malum est, ac si quis sitim vi patiatur.

CAP. I. ℣. 9.

SUb initium Libri Estheris describuntur convivia, facta à Rege Assuero tam Magnatibus sui regni, quàm incolis civitatis Susan. Postea subjungitur Esth. 1. v. 9. *Vasthi quoque regina fecit convivium fœminarum in palatio.* Ex quo colligitur, fœminas non accubuisse mensis virorum, sed separatim sua celebrasse convivia, prout in Regno Persiæ consuetum erat. 669.

In conviviis fœminæ separatæ à viris.

Tullius Orat. 3. in Verrem ait, Græcos non permisisse, ut fœminæ cum maribus assiderent conviviis. Romani habebant triclinia & cœnacula separata, ut aliqua servirent viris, reliqua mulieribus. Macrobius l. 3. cap. 13. describens sumptuosam cœnam, à Metello, Summo Pontifice, factam, ait; *Duobus tricliniis Pontifices cubuerunt Q. Catulus, M. Æmilius, Lepidus, D. Sylvanus, &c. in tertio triclinio Popilia, Perpenia, Licinia Aruncia &c.*

CAP.

CAP. I. ℣. 10.

670. Extra omne dubium est, Persarum more fœminas in conviviis fuisse separatas à viris. Certis tamen insolitæ lætitiæ diebus, & in conviviis extraordinariæ magnitudinis, solebant introduci etiam fœminæ, ut sua præsentia exhilararent convivas. Hoc præsupposito, complanata evadit historia illa Esth. c. 1. v. 10. *Cùm Rex esset hilarior, & post nimiam potationem incaluisset mero, præcepit Maumam, & Bazatha, & Harbona &c. ut introducerent reginam Vasthi coram Rege &c.*

Fœminæ introductæ in cœnaculum.

In rem præsentem plurimùm confert, quod refert Herodotus in Terpsichore; videlicet, ab Amyntha, Rege Macedoniæ, fuisse certos Principes Persiæ adhibitos convivio; *Persæ postquàm à cœna ad potum pervenêre: Hospes inquiunt, Macedo, nobis Persis consuetudo est, quoties magnam exhibuimus cœnam: tunc etiam concubinas & adolescentulas uxores ad assidendum introducere: proinde tu nunc, quoniam libenter excepisti nos, & liberali hospitio prosecutus es &c. sectare consuetudinem nostram. Ad hæc Amynthas; Nobis inquit, ò Persæ, ista consuetudo non est. Sed viros à fœminis semovendi: verùm quandoquidem vos exigitis, qui Domini estis: hoc quoque vobis præstabitur. Hactenus locutus Amynthas, fœminas accersit. &c.*

CAP. I. ℣. 10. &c.

671. Summi momenti negotium fuit, repudiare Reginam Vasthi; & tamen Assuerus non sine grandi stultitia illud tractavit. *cùm Rex esset hilarior, & post nimiam potationem incaluisset mero.* Esth. 1. v. 10. Proinde Rex, plenus vino, in consilium vocavit suos ministros prorsùs ebrios; sicque consultatione animo penitus obfuscato peracta, condemnarunt & oppresserunt miseram innocentem.

Consiliarii ebrii.

De hac stultitia, usitata apud Persas, multi scriptores agunt. Herodotus libro 1. ait, Persas ebrios tractare gravissima negotia; & quod ebrii statuerunt, exequi si ipsis ita videatur, quando fiunt sobrii. Quod autem approbarunt tempore sobrietatis, rursus resolvi tempore ebrietatis. Idipsum affirmat Strabo l.15. Athenæus l.4.c.6 Q.Curtius l.7.& multi alii, relati à Gaspare Sanchez in c. 2. Judith v. 1. n. 2. & prolixius Josephus la Zerda in Judith cap. 2. n. 9. marginal.

CAP. I. v. 13.

672. Magna & formidabilis erat potentia Assueri, qui habuit centum & viginti septem provincias, suo sceptro subjectas: nihilominus in definiendis & resolvendis occurrentibus negotiis non gubernabat juxta proprium libitum, sed cum consilio sapientissimorum & litteratissimorum totius Regni, qui in legibus Persarum, & antiquorum ritibus optimè instructi erant. *Interrogavit sapientes, qui ex more regio semper ei aderant, & illorum faciebat cuncta consilio, scientium leges, ac jura majorum.* Esth. 1. v. 13.

Consiliarii auditi à Rege.

Dionysius Halicarnassæus, loquens de Principibus antiquis, ait; *Consilium habebant ex Optimatibus, neque ut fit nostro sæculo, veteres, veteres illi Reges, ex animi sui tantùm sententia potestatem exercebant.* Hanc laudem Lampridius attribuit Alexandro Severo; *Præficiebat rebus litteratos & maximè qui historiam nôrant, requirens, quid in talibus causis, quales in disceptatione versabantur, veteres Imperatorum, vel externarum gentium fecissent.*

CAP. II. ℣. 12.

Numerosum gynecæum pulcherrimarum puellarum asservabatur in Persia, unicè ad beneplacitum Regis, ad cujus thalamum determinatis temporibus conducebantur. De hoc more agitur Esth. c. 2. v. 12. *Cùm autem venisset tempus singularum per ordinem puellarum, ut intrarent ad Regem &c.* & v. 15. *Evoluto autem tempore per ordinem instabat dies, quo Esther &c. deberet intrare ad Regem.* Qui ordo transiliri non poterat absque expresso mandato Regis, ut dicitur Esth. 2. v. 14. 673.

Circulares uxores.

Hujus moris meminit Herodotus in Thalia, ubi de Persarum Monarchis loquens, testatur; *Uxores Persarum, per vices in orbem, ad illos pergunt.* Adeoque cùm mulieres determinata temporum revolutione ingrederentur lectum regium juxta ordinem; benè poterunt vocari *Uxores circulares.*

CAP. II. ℣. 12.

Unius anni spatio habitabant fœminæ in Aula Regis Persarum, ut lavarentur, ungerentur, & profumarentur; sicque habiles redderentur ad thalamum regium. *Ita ut sex mensibus oleo ungerentur myrrhino, & aliis sex pigmentis, & aromatibus uterentur.* Esth. 2. v. 12. 674.

Fœminæ annum impendunt ad ornandum.

Eandem temporis mensuram, quam Persæ exigebant in fœminis ad lectum regium ornandis & profumandis; Sibaritæ determinarunt fœminis, ad convivia cum omni decore & præparatione disponendis. De his Plutarchus in *Convivio septem sapientùm* ait; *Sibaritæ feruntur toto ante anno mulieres invitare soli, ut eis liceret per otium vestibus, auroque ornatis ad cœnam venire.* Quantùm verò attinet tempus, à fœminis in exornando adhibitum; Plautus ait, *Negotii quantùm in muliere una est? quæ noctes, diesque omni ætate semper ornantur, lavantur, poliuntur;* Et rursùs; *dum comuntur, dum poliuntur, annus est.*

CAP. II. ℣. 15.

Qualitates Estheris in Sacris Litteris minutim exprimuntur. Erat pauper, pupilla, orbata patre & matre. c. 2. v. 7 erat *pulchra nimis & decora facie.* ibid. & num. 15. *Erat formosa valde, & incredibili pulchritudine;* aggregata numero puellarum, quæ ad beneplacitum Regis Persarum selectæ erant. v 8. nihili curabat superbas pompas & mundum muliebrem. v 15. præ omnibus aliis puellis amata à Rege v. 17 declarata charissima ipsius Regina & sponsa. v 18. 675.

Qui legit, quod Ælianus l. 12. Var. Hist. cap. 1. scribit de Aspasia, miram Estheris effigiem deprehendet. Illa enim nata est matre, in ipsius partu mortua; *In orbitate educata est, atque in penuria. Et pulchritudine formosissima fuit,* imò in mundo non erat ipsa pulchrior. A Satrapis Regis Cyri cum aliis puellis conducta fuit ad oblectamentum hujus Monarchæ; *Ab omni curioso, exquisito, & superfluo ornatu muliebri aliena erat. Quamobrem Cyrus eam plus amavit omnibus, cum quibus unquam consuetudinem habuisset.* Crevit inter ipsos tantus amor & affabilitas, *ut propemodùm etiam æquabilitas intercederet.* Ita quoad singulas partes præfatus Historicus.

CAP. II. ℣. 17. &c.

Assuerus tantoperè gaudebat obstupescentis qualitatibus Esth. ut eam amaverit *super omnes mulieres,* ejusq; frontē cinxerit regia corona. *Et jussit* con- 676.

convivium praparari permagnificum cunctis principibus & servis suis pro conjunctione & nuptiis. Esth. 2. v. 17. &c. Adeoque veteres nuptiarum tempore celebrabant convivia, uti apparet in Hymenæis Jacobi Gen. 31. Samsonis; Judic. 14. v. 10. Tobiæ. cap. 7. v. 17. eratque convivium illud ita Joviale, ut ei attributus fuerit titulus nuptiarum; quemadmodùm videri potest apud S. Matth. c. 22. S. Luc. c. 12. Apoc. c. 9. &c. Convivia nuptialia.

Quòd Gentiles junxerint convivia nuptiis, omnia volumina testantur. Videatur Alexander ab Alex. lib. 2. cap. 5. Josephus Laurentius Synops: de sponsalibus. & nostra Lumina Reflexa ad cap. 7. Tobiæ v. 16. Hic sufficiat dictum Juvenalis Satyr: 6.

Si tibi legitimis pactam, junctamque tabellis
Non es amaturus, ducendi nulla videtur
Causa, neque est, quare cœnam, & mustacea perdas &c.

CAP. II. ℣. 18.

677. QUando finitum est sumptuosum convivium, quod celebravit Assuerus in nuptiis pulchræ Estheris; dimissis è regia aula convivis, *dona largitus est.* Esth. 2. vers. 18. ut lætitiâ tanto majore reverterentur in suas domos, dum secum portabant dona, quæ à Regis munificentia acceperunt. Dona convivalia.

Ita Græci & Latini, finitis conviviis genialibus, distribuerunt singulis convivis aliquod donum, quod Græci vocabant *apophoretum*; & Latini *convivale munus.* De hoc argumento scribit Martialis toto lib. 14. quem vocat *Apophoreta*; ubi proponit varia dona, quæ à divitibus & pauperibus in ea occasione distribui possunt. Unde in Epigrammate proœmiali canit;

Divitis alternas, & pauperis accipe sortes,
Præmia convivæ det sua quisque suo.

De his apophoretis etiam loquitur Suetonius in Caligula & Vespasiano.

CAP. III. ℣. 5.

678. REges Persarum non solùm volebant honorari tanquam Dii, sed etiam subditos suos obligabant, ut similes honores etiam exhiberent aliis, prout Regibus placebat. Ad hanc gloriam promotus fuit Aman, de quo scribitur Esth. 3. v. 2. *Cunctique servi Regis --- flectebant genua, & adorabant Aman: sic enim praceperat eis Imperator.* At postea superbus iste observans, *quòd Mardochæus non flecteret sibi genu, nec se adoraret, iratus est valde;* & implacabili odio contra ipsum machinatus est crudelissimam vindictam. n. 5. &c. Ministri Principis adorati.

Genium Amani dignoscere licet in Sejano, quem Tiberius singulariter fovebat, sicuti Amanum Assuerus. De illo Dion. l. 58. ait; *Is homo superbissimus studiosè ab omnibus colebatur omnia enim acriter, & maximè Procerum observabat & verba & nutus: nam qui propriâ potentiâ nituntur, neque salutationes, aut hac obsequia valde requirunt; & si omissa fuerint, vitio non vertunt, ipsi nempe sibi conscii, contemptui sibi hoc non factum. Qui verò fuco, & adscititio splendore utuntur, ii omnia talia magnoperè & tamquàm ad dignitatis sua culmen pertinentia requirunt, & nisi consequantur, graviter ferunt, ut abjecti & irascuntur, quasi injuriâ affecti. Ideoque istos magis penè, quàm ipsos Imperatores vulgò observant, & circa eos satagunt, quoniam apud hos, si quid peccatur, virtus censetur remittere, & ignoscere; apud illos imbecillitas, & virium inopia; contra autem ulcisci facere, ad stabiliendam, ostentandamque potentiam arbitrantur.*

CAP. III. ℣. 10.

ASsuerus, malignis Amani accusationibus nimiùm credens, ei dedit annulum regium, ut 679.
potestate & authoritate quasi regia & absoluta expediret decreta & obsignaret mandata, quæ concernebant negotia publica &c. *Tulit ergò Rex annulum, quo utebatur, de manu suâ, & dedit eum Aman &c.* Esth 3. 10. Eodem modo Pharao Gen. 41. v. 42. Josepho dedit annulum regium, ut eo uteretur, tanquam esset Rex Ægypti. Annulus potestatis regiæ.

Alexander Magnus, victo Dario, sustulit annulum ex infelici manu hujus Monarchæ, obsignavitque litteras ad populos Asiæ, declarans se Regem illorum regnorum. Idem postea vicinus morti cùm vix amplius posset pronuntiare verba, desumptum è digito annulum regium dedit Perdicæ, declarans illum hoc actu suum successorem. Q. Curtius l. 6. & Justinus l. 17.

CAP. V. ℣. 6.

MEns humana, sive obfuscata fumo vini, sive excæcata passione amoris, nihil reflectit ad 680.
ea, quæ dicit vel facit, sed inconsideratè promittit, quod nullo modo observatum vellet. Assuerus, loquens Estheri; *postquàm vinum biberat abundanter: Quid petis, ut detur tibi? & pro qua re postulas? etiamsi dimidiam partem regni mei petieris, impetrabis.* Esth. 5. v. 6. Idem obtulit Herodes suæ saltatrici; *Pete à me, quod vis, & dabo tibi: & juravit illi: quia quidquid petieris, dabo tibi, licet dimidium regni mei.* Matth. 6. v. 23. Promissa larga.

Simile promissum, tametsi non dimidii regni, fecit Xerxes Demarato, qui ei prudens consilium dederat. De hoc Seneca lib. 6. de Benef. c. 31. *Demarato gratias egit, quòd solus sibi verum dixisset, & permisit petere quod vellet.* Idem promissum fecit etiam Xerxes cuidam Artaxintæ, ut refert Herodotus lib 9.

CAP. VI. ℣. 1.

INter propriissimas Principis prærogativas 681.
numeratur vigilantia. Cui commissum est regimen, cœlo similis est, quòd etiam nocturno tempore debeat habere apertos centum oculos, attendendo negotiis publicis, politicis, militaribus, & privatis. Quod Assuerus, magnus Persarum Rex, transegerit noctes nullo clauso oculo, testantur Sacræ Litteræ. *Noctem illam duxit Rex insomnem.* Esth. 6. 1. Princeps vigilans.

Homerus dicebat;

Non decet integram noctem dormire regentem
Imperio populos &c.

Et Iliad: fingit, dormientibus cæteris Diis, Jovem vigilâsse.

Jovem autem non tenebat somnus suavis.

Suetonius, loquens de Vespasiano. *In principatu maturus semper, ac de nocte vigilabat: deinde perlectis epistolis, officiorumque omnium breviariis amicos admittebat.* S. Chrysost: Orat. 1. de Principe ait; *Ne somnum quidem per totam noctem capere se debere putet, ut cui nullum sit otium ad socordiam.* Eusebius Cæsariensis lib. 4. de Vita Constantini Magni. cap. 13. ait; *Totas sæpè noctes sine somno traduxit, & cùm per otium liceret, orationes scribebat, idque ad summam usque senectutem.*

CAP.

CAP. VI. ỳ. 1.

682. ASsuerus insomnem ducens integram noctem, sublevando animo non vocavit blandientes Veneres aut cantatrices Syrenes; Sed relicto omni oblectamento, legit historias prætitorum temporum. *Jussit sibi afferri historias, & annales priorum temporum.* Esth. 6. v. 1. ut attendens rebus præteritis, posset discere, quomodò gubernandæ essent futuræ. Ita Nicolaus Lyranus. *Ideò fecit coram se legi facta præterita regni sui, quia memoria præteritorum dirigit in agendis respectu futurorum &c.*

Princeps legat historias.

T. Livius Præfat. 1. lib. ait; *Hoc illud est præcipuè in cognitione rerum salubre ac frugiferum, omnis te exempli documenta in illustri posita intueri, ut inde tibi, tuæque reipublicæ, quod imitere, capias, inde fœdum inceptu, fœdum exitu quod vites.* Ptolomæus, quærens ex septuaginta Interpretibus, in qua re posset omnium utilissimè suum tempus impendere? hoc responsum tulit; *In rerum gestarum cognitione, in legendisq; incumbentium operum libellis.* Basilius Imperator, filio suo Leoni inter alia documenta etiam hoc dedit; *Per historias veteres ire ne recuses, ibi enim reperies sine labore, quod alii cum labore collegerunt, atque illinc hauries & bonorum virtutes, & improborum vitia &c.*

CAP. VI. ỳ. 7. &c.

683. EX multis actibus externis conjici potest animus Regis, volentis alicui conferre insignes honores, si videlicet alicui committat insignia regia, concedat sedere supra equum regium, faciatque ei deferri servitium tenendi freni à quodam aulæ magnate &c. *Homo, quem Rex honorare cupit, debet indui vestibus regiis, & imponi super equum, qui de sella regis est, & primus de regiis principibus ac tyrannis teneat equum ejus. &c.* Esth. cap. 6. vers. 7.

Mardochæus quomodò honoratus.

Similes omninò fuêre honores, quos Constantinus Magnus contulit S. Sylvestro; *ita ut Imperator de regali solio descendens, in eo collocaret S. Sylvestrum; & ad pedes ejus se humiliaret: ipse quoque in equo suo consedere eum fecit, & ad modum servi, ei ministravit, pedester incedens ante eum, & fræno eum deducens &c.* uti refert Eckbertus *Sermon. 3. adversus Catharos.*

CAP. VII. ỳ. 6.

684. MIser Aman, audiens querelas & accusationes, contra se à Regina Esthere formatas, veluti totidem fulmina ad ipsum prosternendum ex ejus lingua prorupissent, adeò attonitus & obstupefactus evasit, ut nec haberet cor, nec frontem ad sustinendum Regis & Reginæ vultum. *Quod ille audiens, illicò obstupuit, vultum Regis ac Reginæ ferre non sustinens.* Esth. cap. 7. vers. 6.

Timor regiæ majestatis.

Cùm Rex Agrippa præsens adstaret Imperatori Caligulæ, qui suam iram evomens, *plura intonaturus erat*: *Rex*, id est, Agrippa, *anxius, & præ metu per singula momenta colore mutato, à vertice ad calcem horrore corripitur; solutisque nervis collapsus fuisset, nisi eum sustentâssent proximi, qui jussi domum eum retulerunt, nil sentientem, & subitaneâ vi mali sopitum ac stupidum*, ita refert Philo *de Legat. ad Cajum.*

CAP. VII. ỳ. 6. &c.

UT ictus mortis tantò majore dolore & acerbitate pervaderet superbi Amani, accidit ei in loco convivalis lætitiæ. Ibi Regina eum accusavit tanquam hominem crudelem, iniquum, & sceleratum Esth. 7. v. 6. ibi Rex contra eum invehebatur plenus iracundia. v 8 ibi destinatus fuit ad infamem trabem, è qua ultimas daret pœnas. v. 9. 685.

Mors denuntiata in convivio.

Simile spectaculum fuit repræsentatum in Asia, ubi Achmat, unus è primis magnatibus, cùm assideret mensæ Bajazethis, Turcarum Imperatoris, hujus jussu oblatam accepit nigram vestem, tanquam evidens signum, quòd condemnatus sit ad vitam violenta morte amittendam. Chalcondila *in Hist. Turcica in vita Bajazet.* Anno 1484.

CAP. VII. ỳ. 8.

MInistri Regii vix apposuêre manus ad capiendum Amanum; *statim operuerunt faciem ejus.* Esth. 7. v. 8. limbo vestium operuerunt faciem & oculos Amani, *tamquam jam condemnati, vel proximè condemnandi ad mortem*; ut in hunc locum ait Glossa. Adeoque initium factum est à tollenda luce solis, cùm paulò post deberet amittere lucem vitæ; & velaminis illius umbris disponebatur ad noctem sepulchri & inferni. 686.

Facies condemnati cooperta.

Idipsum solebant Romani, quando aliquem ad supremum supplicium condemnabant; uti refert T. Livius lib. 1. *I Lictor, colliga manus, caput obnubito, verberato, arbori infelici* (cruci) *suspendito.* Silius Italicus, describens captivitatem & misera infortunia Decii, lib. 11. canit;

Nec plura effari concessum; obnubitur atrâ
Veste caput, trahiturque ferox ante ora suorum.

CAP. VII. ỳ 10.

JUstitia divina imminet sceleratis, & pro majore eorum confusione eligit instrumentorum loco eadem supplicia, quæ ipsimet ad opprimendos justos destinaverant. Certè Aman suspensus fuit illa ipsa trabe, quam malignus & sceleratus in suo palatio præparaverat violentæ & infami morti Mardochæi. *Suspensus est itaq; Aman in patibulo, quod paraverat Mardochæo.* Esth. cap. 7. v. 10. 687.

Faber proprii mali.

Perillus à tyranno Phalaride coactus fuit suam vitam finire in illo ipso thesauro, quem elaboravit ad cruciandos lenta morte homines. de hoc Ovidius l. 1. de Art. amand.

Et Phalaris tauro violenti membra Perilli
Torruit; infelix imbuit auctor opus.

Busiris, persuadens Thraso, quòd suos hospites deberet Jovi offerre in victimam ad impetrandas pluvias, ab eodem Thraso in victimam oblatus fuit. De hoc eventu Claudianus l. 1. in Eutrop.

Quàm benè dispositum terris? ut dignus iniqui
Fructus consilii primis authoribus instet?
Sic multos fluvio vates arente per annos

Hospite, qui caso monuit placare Tonantem:
Inventus primùm Busiridis imbuit aras,
Et cecidit savi, quo dixerat, hostia sacri,
Sic opifex tauri, tormentorumque repertor
Qui funesta novo fabricaverat ara dolori:
Primus inexpertum Siculo cogente tyranno
Sensit opus: docuitque suum mugire juvencum.

Euthymius, contra S. Ambrosium à Justina Imperatrice instigatus, *tanto furore exagitatus est, ut juxta Ecclesiam sibi domum pararet, atq; in eadem currum constitueret, quo facilius raptum ad exilium perduceret. Sed post annum, eodem die, quo illum rapere se arbitrabatur, eodem carpento impositus, de eâdem domo ipse ad exilium destinatus est, reputans sibi justo judicio Dei id in se esse conversum, ut in eo carpento dirigeretur ad exilium, quod ipse paraverat sacerdoti.* Paulin. in vita S. Ambrosii.

CAP. VII. ℣. 10.

688. PRobè intellexit Seneca in Thyeste, eminentiores aulæ regiæ gradus esse lubricos, & vix in iis ita progredi aut subsistere posse ministros regios, quin labantur, & in extrema mala præcipitentur.

stet, quicumque volet potens
Aulæ culmine lubrico.

Amici Principum superbæ fallaci. Amici Principum, in culmine superbæ felicitatis absorpti à voragine extremæ miseriæ, privantur honoribus & vita. Sacræ litteræ id demonstrant in Amano, cujus authoritate gubernabantur omnes provinciæ Assueri. Esth. 13. v. 6. qui tamen postea infami patibulo suspensus periit. *Suspensus est itaq; Aman in patibulo.* Esth. c. 7. v. 10.

Similem finem sortitus est Parmenio, singularissimus amicus Alexandri Macedonis, cujus jussu postea trucidatus fuit. Curt. lib. 7. Ælius Sejanus sub Imperatore Tiberio gubernabat omnia negotia Monarchiæ Romanæ; at postea per scalas gemonias præcipitatus, & à furibundo populo per plateas civitatis raptatus, gravissimo contemptu dejectus est in Tyberim. Belisarius, manus dextera Justiniani, conductis exercitibus, obtinuit memorabiles victorias; at postea privatus omnibus facultatibus, ipsisque etiam oculis excæcatus, infelix debuit ostiatim mendicare. Qui plures ejusmodi calamitosos ministros cupit, consulat Laurentium Beyerlinck in suo Theatro, tit. *Aula.*

CAP. VIII. ℣. 1.

689. QUamprimùm Aman expiravit animam, suspensus ex infami patibulo, facultates ipsius additæ sunt fisco, earumque possessionem accepit Regina. *Die illo dedit Rex Assuerus Esther Reginæ domum Aman.* Esth. 8. v. 1. Ejusmodi etiam fuit decretum Regis Darii 1. Esd. c. 6 v. 11. *A me positum est decretum, ut omnis homo, qui hanc mutaverit jussionem, tollatur lignum de domo ipsius, & erigatur, & configatur in eo: domus autem ejus publicetur.*

Condemnatorum bona traduntur fisco.

Cum hoc convenit decretum Cyri, Regis Persarum, uti refert Josephus lib. 11. Antiquit. cap. 1. *Qui per inobedientiam hac mandata nostra* (loquitur de aliquibus edictis, spectantibus ad fabricam templi) *irrita habuerint, eos in crucem agi volo, & facultates ipsorum fisco nostro attribui.*

CAP. VIII. ℣. 15. &c.

INsidiæ, structæ innocenti Mardochæo, tandem finem accepêre in excelsis & honoratis majestatibus. Et dum Aman machinatus est, illum infami patibulo suspendere; Assuerus eudem jussit vestiri habitu regio, redimiri corona, & sibi quasi æqualem declarari; quo viso, veluti exoriente novo sole, jubilavit tota civitas Susan, & natio Hebræa è tenebris ad lucem prodiit. *Omnisque civitas exultavit, atque letata est. Judæis autem nova lux oriri visa est. &c.* Esth. 8. v. 15. &c. Eodem conceptu usus est Isaias ad exprimendum gaudium, allatum mundo in adventu verbi incarnati. *Habitantibus in regione umbra mortis lux orta est eis.* Isa. 9. v. 2. 690.

Horatius ad explicandam lætitiam, quam populus in adventu Cæsaris sensit, ita canit;

— — — *Vultus ubi tuus*
Affulsit populo, gratior it dies,
Et soles melius nitent.

CAP. IX. ℣. 6. &c.

MEnsis duodecimus, quem crudelis Aman destinaverat ad exterminandos miseros Israëlitas, stupenda catastrophe repræsentavit mundo non tantùm infamem mortem ipsiusmet Amani, in crucem confixi; sed etiam stragem decem filiorum Amani, qui imprimis occisi, & postea pro majore ignominia publicè in patibulis suspensi sunt, ut describitur Esth. 9. v. 6 & v. 13. & 14. Ita iniquitas illius maligni ministri non solùm nocuit soli ipsi; sed toti miseræ & afflictæ familiæ. 691.

Culpa domini nocet familiæ.

Hæc consuetudo servabatur apud Persas, ut ob culpam unius solius puniretur tota familia. Ita Ammianus Marcellinus lib. 23. *Leges apud Persas impendio formidatæ: inter quas diritate exuperant latæ contra ingratos & desertores; & abominandæ aliæ, per quas ob noxam unius, omnis propinquitas perit.* Ita Darius, teste Herodoto lib. 3. ob delictum aliquod ad mortem condemnans Intaphernem, simul occidit omnes ipsius filios, totamque familiam. Artaxerxes non solùm illum è vita sustulit, qui contra ipsius majestatem conspiravit, sed etiam uxores ac liberos, ut refert Justinus lib. 10.

CAP. X. ℣. 6.

ESther ab humili & paupere sorte ad regiæ majestatis celsitudinem evecta, describitur metaphora admodùm emphatica, dum dicitur, exiguum fontem mutatum esse in lucem, & quidem in lucem, soli non absimilem. *Parvus fons — in lucem, solemque conversus est.* Esth. 10. v. 6. 692.

Principes comparati soli.

Phreneticus iste genius occupavit capita omnium Regum Persiæ, quòd eorum quilibet sit frater & æmulus solis; unde etiam portârunt coronam, ornatam radiis, quasi cum ipso sole certaturi. Quamobrem Sapor, Rex Persarum, scribens Constantio Imperatori, suis litteris hanc præfixit epigraphen; *Rex regum Sapor, particeps*

triceps siderum, & frater solis & lunæ, Constantio fratri meo salutem; uti refert Ammianus Marcellinus lib. 7. forsans alludens ad ambitionis hujus temeritatem. Horatius lib. 1. Sat. 7. Brutum vocavit *Solem Asiæ*.

CAP. XIII. ℣. 6.

693. GRandis fuit dignitas & authoritas, ad quam promotus erat Aman in regno Persiæ; de illo enim Assuerus, seu Artaxerxes ita loquitur; *Jussimus, ut quoscumq; Aman, qui omnibus provinciis præpositus est, & secundus à Rege, & quem patris loco colimus, monstraverit. &c.* Esth. 13. v. 6. adeoque à Rege honorabatur tanquam pater; cui veluti prudenti magistro, Assuerus consecrabat aures & affectum, quasi obediens ipsius filius. Simili modo Josephus Genes. 45. v. 8. vocabatur pater Pharaonis; & Elisæus pater Regis Israël. 4. Reg. 16. v. 12.

Amici Princi pis vocantur patres.

Patritiorum nomen apud antiquos Imperatores grandem significabat dignitatem; eratque, teste Suidâ, Patritius idem, ac pater patriæ, seu Reipublicæ. At tempore Constantini titulus iste tribuebatur solummodò hominibus insigniter emeritis, innuebatq; titulus patritii veluti patrem Imperatoris. Unde Justinian. C. de Consul. l. ult. & Instit. quibus modis jus pat. pot. solu. §. sed ex Constitutione nostra. *Quis enim*, inquit, *patiatur, patrem quidem posse per emancipationis modum potestatis suæ nexibus filium adaxare, Imperatoriam autem Celsitudinem non valere eum, quem sibi patrem elegit, ab aliena eximere potestate?* Et in Authent. Constit. quæ dignit. in princ. *Non enim*, inquit, *decens putavimus, ut hos, quos nos in officium patrum provehimus nostrorum, hi sub aliena sint potestate.*

CAP. XIII. ℣. 13.

694. MArdocheus, loquens de Aman, Regis Assueri amico, ait: *Libenter enim pro salute Israël etiam vestigia pedum ejus deosculari paratus sum.* Esth. 13. v. 13. In hunc locum Josephus Gorionides hanc facit paraphasin; *Fuissem paratus lingere calceos, qui in ejus pedibus, & pulverem, quem ipse calcâsset.* Huic loquendi formæ respondet Psal. 131. v. 7. *Adorabimus in loco, ubi steterunt pedes ejus.* Isaiæ c. 49. v. 23. *Erunt Reges nutritii tui, & reginæ nutrices tuæ, vultu in terram demisso adorabunt te, & pulverem pedum tuorum lingent.* Et rursus cap. 60. v. 14. *Adorabunt vestigia pedum tuorum.*

Osculari aliorum vestigia.

Hæc loquendi forma de exosculandis aliorum vestigiis, frequenter est usitata apud Profanos. Inter Græcos Nonnus l. 42. Dionys.

Et osculatus est innumeris osculis occultè repens.
Locum ubi pedem poneret, & quem calcavit pulverem.

Inter Latinos Statius lib. ult. alloquens suam Thebaidem, canit;

Vive precor, nec tu divinam Æneida tenta,
Sed longè sequere, & vestigia semper adora.

CAP. XIV. ℣. 2.

695. ESther, obimminentes populo Hebræo sanguineas ruinas vehementer afflicta, plangens, vestita sacco, & cooperta cineribus, totam se impendit ad invocandum auxilium divinum. Præ omnibus tamen, *Omnia loca, in quibus antea lætari consueverat, crinium laceratione complevit.* Esth. 14. v. 2. Idipsum fecit Esdras, quando ipsi innotuit, Israëlitas fuisse matrimonio junctas externis fœminis. *Cùm audissem sermonem istum, scidi pallium meum, & tunicam & evelli capillos capitis mei, & barbæ.* 1. Esd. 9. v. 3.

Capilli evulsi præ dolore.

Ad exprimendum internum dolorem solent afflicti irata manu lacerare & evellere crines. Dido, videns se ab Ænea proditam & derelictam 4. Æneid. v. 589.

Terque, quaterque manu pectus, percussa decorum
Flaventesq; abscissa comas: prô! Juppiter ibit
Hic, ait &c.

Hecuba apud Homerum graviter afflicta, *vulsit comam.* Apulejus l. 2. Asin. *Occurrit ad latus quidam mœstus lachrymis, genialem canitiem revellens senex.* Et Theseus apud Senecam in Hippol.

— — — Capitis exuvias cape,
Laceraque frontis accipe abscissam comam.

Verùm de hoc ritu egimus suprà ad lib. 1. Esd. cap. 9. v. 3.

CAP. I. ℣. 4.

NOn erat contenta affectuosa Esther, quòd populum suum subtraxisset sanguinario macello, præparato à malignitate Amani; sed insuper supplicabat Deo, ut in hostium capita converteret illam stragem, quam ad opprimendos innocentes destinaverant. *Converte consilium eorum super eos.* Esth. 14. v. 11. Idipsum rogavit etiam Assuerum Regem. c. 9. v. 25. *Ingressa est Esther ad Regem, obsecrans, ut conatus ejus* (impii Amani) *litteris Regis irriti fierent, & malum, quod contra Judæos cogitaverat, reverteretur in caput ejus.* 696.

Malum recidit in authorem.

Quòd Deus infinita sua providentia in iniquos convertat omnia illa mala, quæ ipsi contra alios machinati sunt, est veritas etiam Gentilibus nota. Seneca Tragædus;

Quod quisq; fecit, patitur; auctorem scelus
Repetit, suoq; premitur exemplo nocens.

Et Marcus Seneca in quadam declamatione. *Sunt Dii immortales lenti quidem, sed certè vindices generis humani, & magna exempla in caput invenientium regesserunt, ut justissima patiendi vice, quod quisque alieno excogitârit supplicio, sæpè excipiat suo.*

CAP. XV. ℣. 9.

SAcræ litteræ describunt Regem Assuerum, sedentem supra majestatis suæ thronum; dicuntque Esth. 15. v. 9. *Ille residebat super solium regni sui, indutus vestibus regiis, auroq; fulgens, & pretiosis lapidibus,* adeoque aurum, intertextum sumptuosis pannis sericis, & gemmæ, quibus undique fulgurabat, per omne latus spargebant scintillantia lumina. 697.

Aurum cum gemmis.

Proinde auri flavedo jungitur varietati gemmarum, ad formandas Principum & Regum vestes. Sidonius Apollinaris lib. 4. Epist. 20. loquens de Sigcinifere, regii sanguinis Principe, ait, quòd fuerit *flammeus cocco, rutilus auro, lacteus serico.* Evagrius lib 6 Histor. Ecclesiast. cap. 1. ait, quòd Mauritius Imperator portârit *vestem auro intextam, purpura & lapidibus Indicis collustratam.* Claudianus de 4. Honor. Consul.

— — — asperat Indus
Velamenta lapis, pretiosaque fila smaragdis
Ducta virent, amethystus adest, & fulgor Iberus
Temperat arcanis hyacinthi cærula flammis.

CAP.

CAP. XV. ℣. 10.

698. ADeò formidabilis erat majestas Assueri, ut concitatæ in pectore irati animi flammæ, ex oculis prorumperent; ipsaque etiam Regina, illo viso, corruerit præ timore. *Cumque elevâsset faciem, & ardentibus oculis furorem pectoris indicâsset, regina corruit, &c.* Esth. 15. v. 10. *Majestas enim Regia,* uti commentatur Cornelius à Lapide, *mirè percellit accedentes ad eam.*

Majestas regia formidabilis.

De Philippo II. Austriaco, Hispaniarum Monarcha, referunt, quòd homines aliàs magnanimi, & assueti agere cum Regibus, si oculos fixissent in magnifico & gravi aspectu illius Monarchæ, loquelam amiserint. Et licet Rex eos affabili modo animâsset ad proponendum pro libitu, quod vellent, non tamen habebant vires pronuntiandi vel unicum verbum.

CAP. XV. ℣. 10.

699. ESther, videns ex irati Regis accenso vultu prorumpentes flammas, prorsus elanguit, & instar lilii impallescens, suaviter reclinavit caput, rogans vicinam domicellam, ut eam sustentaret. *Cumque elevâsset faciem, & ardentibus oculis furorem pectoris indicâsset; Regina corruit, & in pallorem colore mutato, lassum super ancillam reclinavit caput.* Esth. 15. v. 10.

Languor mortalis.

Cum Estheris languore plurimùm convenit ille Hiacynthi juvenis, jamjam morituri; de quo Ovidius 10. Metam.

Ut si quis violas, riguoque papavera in horto
Liliaque infringat fulvis hærentia virgis:
Marcida demittant subitò caput illa gravatum,
Nec se sustineant, spectentque cacumine terram:
Sic vultus moriens jacet, & defecta vigore
Ipsa sibi est oneri cervix, humeroque recumbit.

CAP. XV. ℣. 11. &c.

ANgustiæ pectoris, conceptæ ab Esthere, & tam in pallore vultûs, quàm in prostratarum virium languore patefactæ, Assuerum ex iracundo Leone commutârunt in benignissimum agnum; nam è regio throno prosiliens, veluti sponsus eam amplexabatur & consolabatur. *Exilivit de folio, & sustentans eam ulnis suis, donec rediret ad se, his verbis blandiebatur. Quid habes Esther? ego sum frater tuus &c.* Esther cap. 15. vers. 11. &c. 700.

Uxor consolata à marito.

Cornelia, filia Metelli Scipionis, in memoriam vocans molestas adversitates Pompeji, sui mariti; oppressa extremo deliquio jacuit, veluti vitam amissura. Unde Pompejus, ipsius maritus, eam animans, totoque affectu amplexans, eousque consolatus est, donec ad se ipsam reversa, pristinas vires recuperârit, ita Plutarchus in vita Pompeji.

CAP. XV. ℣. 12. &c.

EStherem inter excessivos terrores animavit & consolatus est Assuerus; eique dixit, legem, pro omnibus factam, non esse contra ipsam, sed debita exceptione constringendam esse; personam enim adeò singularem meritis, qualis esset ipsa, non debere subjici ordinariæ dispositioni decretorum, sed speciali exemptione ac differentia discerni. *Noli metuere. Non morieris: non enim pro te, sed pro omnibus hæc lex constituta est.* Esth. 15. v. 12. &c. 701.

Lex universalis habet suam exceptionem.

Plurimùm huc convenit doctrina Aristotelis 3. Polit. c. 9. *Si unus sit usque adeò superexcellens virtute, ut neq; comparanda sit aliorum omnium virtus, neq; facultas gerendi Rempublicam ad hanc: non amplius is ponendus est civitatis pars. Fieret enim illi injuria, si pariter atq; alii censeatur, cùm sit usq; adeò superior secundùm virtutem, & civilem potentiam. Putandum est enim, talem virum, tanquam Deum esse in hominibus. Ex quo manifestum est, positionem legum necessariam esse circa æquales genere & potentia, sed in illos tales non est lex: ipsi enim lex sunt.*



LU-

LUMINA REFLEXA
EX
LIB. I. MACHABÆORUM.

CAP. I. v. 1.

701. AD primam hujus capitis periodum, exoritur gravis difficultas, quomodò verum sit, quòd *Alexander Philippi Macedo, regnavit primus in Græcia*; cùm ante ipsum multi alii Principes fuerint in Græcia coronati. Ad hoc respondet Serarius; alios regnâsse in una, & alios in alia parte Græciæ; Alexandrum verò fuisse primum, qui suo exercitu omnes provincias sibi soli subjugavit, & *regnavit primus in Græcia*, adeoque prius habuit totum regnum Græcorum, & postea occupavit Imperium Asiæ. Alii respondent, Alexandrum, etsi non fuerit primus Rex quoad seriem & numerum, fuisse tamen primum quoad valorem, excellentiam, famam, & gloriam, ad hoc propositum Lyranus in c. 7. Genes. *Primus annus Alexandri Magni, vocatur primus annus regni Græcorum, propter facta notabilia Alexandri: & tamen ante eum fuerunt plures Reges in Græcia.*

Primus denotat dignitatem.

Adeoque vox *primus*, non tantùm significat prioritatem temporis, sed etiam præcedentiam felicitatis ac meriti. Testatur id Statius, qui summo solatio affectus, quòd eum Cæsar invitâsset ad cœnam, l. 4. Sylv. 2. canit;

— — *steriles transmisimus annos,*
Hæc ævi mihi prima dies, hæc limina vitæ.

Et rursus lib. 1. Sylv. 1. loquens de Julio Cæsare;

Primus iter nostris ostendit in æthera divis.

Et tamen ante ipsum multi alii fuère à Romanis culti tanquam Dii; Verùm astutus poëta volebat suo Cæsari adulari, sicque Julium, antepositum Romulo & aliis, vocabat primum. Simili modo, etsi post expugnatam Trojam multi ante Æneam pervenerint in Italiam, uti dicunt omnes Commentatores Virgilii; iste Poëta tamen, ut significaret, Æneam fuisse omnibus aliis præstantiorem ac digniorem, majoreque cum comitatu illuc pervenisse; ait, illum fuisse primum, qui venerit in Italiam.

Arma, virumq; cano, Trojæ qui primus ab oris
Italiam, fato profugus, Laviniaq; venit
Littora.

CAP. I. ℣. 3.

703. ALexander ultra modum cupidus novorum regnorum; non fuit contentus, quòd subjugâsset totam Græciam & Persiam; sed ad extremas mundi partes penetravit, ipsos etiam Indos expugnans. *Et pertransiit usq; ad fines terræ*, ut ait sacer Textus 1. Mach. c. 1. v. 3.

Alexander avidus regnandi.

De insatiabili hâc regnandi aviditate Seneca l. 6. Nat. quæst. cap. 23. ait; *Omnia Oceano tenus vicit: ipsum quoq; tentavit novis classibus, & imperium ex angulo Thraciæ usq; ad orientis terminos transtulit.* Et Epist. 94. *Agebat infelicem Alexandrum furor aliena devastandi, & ad ignota mittebat &c.* De hoc Lucanus lib. 1.

— *Oceano classes inferre parabat*
Exteriore mari. Non illi flamma, nec undæ,
Nec steriles Lybiæ, nec Syrticus obstitit Ammon,
Isset in occasum mundi devexa secutus,
Ambîsset q; polos &c.

Et Juvenalis Satyr. 10.

Unus Pellæo juveni non sufficit orbis,
Æstuat infelix angusto limite mundi. &c.

CAP. I. ℣. 3.

ALexander Macedo tanto terrore perculit omnes provincias ac regna; ut populi, ipsius viribus subjugati, non sint ausi aperire os, aut minimam querelam proferre; ne dicam resistere, aut formidandæ ipsius potentiæ se subtrahere. Hoc innuere vult sacer Historicus 1. Mach. 1. v. 3. *Et siluit terra in conspectu ejus.* In hunc sensum Jesaias 15. v. 1. *Quia nocte vastata est Ar Moab conticuit: quia nocte vastatus est murus Moab, conticuit.* Hierem. 25 v 35. *Conticuerunt arva pacis à facie iræ furoris Domini.* & cap. 49. v. 26. *Cadent juvenes ejus in plateis ejus: & omnes viri prælii conticescent in die illa.* 704.

Tacere præ timore.

In hunc sensum exactè Seneca Epist. 94. *Agebat infelicem Alexandrum furor aliena devastandi, & ad ignota mittebat — Lacedæmona servire jubet. Athenas tacere &c.* Huc præclarè facit discursus Justini l. 11. c. 14. *Hoc prælio, quo victus est Darius, Asiæ imperium rapuit, quinto post acceptum regnum anno. Cujus tanta felicitas fuit, ut post hoc nemo rebellare ausus sit, patienterque Persæ, post imperium tot annorum jugum servitutis acceperint.*

CAP. I. ℣. 10.

MOrtuo Alexandro Macedone, ipsius amici & domestici sive habuerint rationem legitimam, sive non habuerint; sive fuerit voluntas, & consensus populorum, sive non fuerit; *Imposuerunt sibi omnes diademata.* 1. Mach. 1. v. 10. quasi diceret, ipsos violenter usurpâsse coronam, titulum & authoritatem regiam, solâque usos esse potentia, cum nec micam rationis haberent. 705.

Diadema assumptum.

Aristobulus, teste Josepho Hebræo lib. 13. cap. 19. *Volens principatum in regni formam vertere, diadema sibi primùm imposuit*, usurpans videlicet, quod sibi nullo jure competebat.

CAP. I. ℣. 11.

706. ANtiochus, cognominatus illustris, qui re ipsa mille sceleribus fuit obscurus; vocatur in sacris litteris *radix peccatrix*. 1. Mach. 1. v. 11. ut innueretur, quemadmodùm ex radice producuntur flores & fructus; ita ex ipso, tanquam venenosa radice, progerminâsse amaros fructus crudelitatis, impietatis, & sacrilegiorum, quibus tota inficiebatur Judæa.

Radix iniquitatis.

Simili titulo Theodoretus lib. 1. Hæret. fab. affecit Simonem magum, vocans eum *radicem amarissimam*, quia ex ipso pullulârunt enormissimæ hæreses. Ita Lucifer Calaritanus Constantium Imperatorem, qui totis viribus propagabat hæresin Arrianam; vocavit *Gurgitem omnium malorum, caput totius nequitiæ, hæreticorum fornicem, radicem amaritudinis, sentinam blasphemiæ, templum omnium dæmonum.*

CAP. I. ℣. 18.

707. QUando describuntur militares Antiochi progressus, referunt sacræ litteræ 1. Mach. 1. v. 18. *Intravit in Ægyptum in multitudine gravi, in curribus & elephantis &c.* adeoque instructus multis curribus falcatis & formidandis elephantibus, ingressus est Ægyptum ad devastandam pinguem ejus planitiem.

Currus falcati.

De his falcatis curribus loquitur Vegetius l. 3. de re militari. cap. 24. *Quadrigas falcatas in bello Rex Antiochus & Mithridates habuerunt. Quæ ut primum magnum intulêre terrorem, ita postmodum fuêre derisui &c.* De iisdem discurrit Q. Curtius lib. 4. & nos suprà ad Exod. c. 14. v. 6. & Josue c. 17. vers. 16.

De Elephantibus introductis in exercitum, Vegetius loc. cit. ait; *Elephanti in præliis magnitudine corporum, barritûs horrore, formæ ipsius novitate, homines, equosq; conturbant. Hos contra Romanum exercitum primus in Lucania Rex Pyrrhus eduxit, postea Annibal in Africa; Rex Antiochus in oriente, Jugurtha in Numidia copiosos habuerunt. &c.*

CAP. I. ℣. 50.

708. ANtiochus, sacrilegiis Judæam replens, ut religionem Israeliticam profligaret, multiplicavit templa & altaria gentilium, erexit idola, & coegit Hebræos, ut porcos iis offerrent in victimas. *Et jussit ædificari aras, & templa, & idola, & immolari carnes suillas.* 1. Mach. 1. v. 50.

Porci oblati in victimas.

In variis casibus solebant Gentiles consecrare porcos in victimas; uti observat Varro l. 2. de re rustica. cap. 4. *A suillo pecoris genere immolandi initium primum sumptum videtur. Cujus vestigia, quòd initiis Cereris porci immolantur: & quod initiis pacis fœdus cum feritur, & quod nuptiarum initio antiqui Reges, ac sublimes viri in Hetruriâ in conjunctione nuptiali nova nupta, & novus maritus primum porcum immolant.*

CAP. I. ℣. 59.

709. SAcrilegi Gentiles, qui tempore Antiochi crudelissimum bellum indixêre pietati & religioni, etiam contra ipsa sacra volumina furebant, quæ, lacerata in frusta, condemnârunt ad ignem. *Et libros Legis Dei combusserunt igni, scindentes eos.* 1. Mach. 1. v. 59. Similem excessum commisit Joachimus Rex Judææ, coram quo *cùm legisset Judi tres pagellas vel quatuor*, sacri voluminis, *scidit illud scalpello scribæ, & projecit in ignem.* Hier. 36. v. 23.

Libri sacri igne combusti.

Talia omninò fuêre edicta Imperatoris Diocletiani, crudelissimi Christianorum hostis; nam, teste Eusebio l. 8 Histor. cap. 3. *Per Imperatoris litteras palam edictum fuit, ut deturbarentur Ecclesiæ, soloque æquarentur, & scripturæ absumerentur igni.* De hac iniquitate conqueritur Arnobius lib. 4. & S. Augustinus Tom. 7. cont. Crescon. Grammat. l. 3. c. 27. Et Prudentius Hymn. de Elemeterio & Cheledonio, canens;

O vetustatis silentis,
Obsoleta oblivio.
Invidentur ista nobis,
Fama & ipsa extinguitur.
Chartulas blasphemus olim
Nam satelles abstulit:
Ne tenacibus libellis
Erudita sæcula
Ordinem, tempus, modumque
Passionis proditum
Dulcibus linguis per aures
Posterorum spargerent.

CAP. II. ℣. 13.

MAtathias ob desolationem pauperis Hierosolymæ, dolorem adeò grandem sensit in animo, ut non reperirit dulcius solatium ipsa morte. *Quid ergò nobis adhuc vivere?* inquiebat. 1. Mach. 2. v. 13. 710.

Anchises post ruinam Trojæ non amplius curabat vitam, sed, ut canit Virgilius 2. Æneid.

Mors desiderata.

Abnegat excisâ vitam producere Troja.

Euripides in Troade introducit Hecubam, quæ videns nobilem illam civitatem combustam & destructam, nihili amplius æstimabat vitam.

Age in ignem curramus, honestum namq; est mihi.
Urbe hac flagrante, me quoque simul mori.

CAP. II. ℣. 24.

CUm videret Matathias, sacrilegum quemdam Judæum effronti temeritate sub aspectu suo progredi ad victimas simulachro offerendas; plenus timore & amore Dei, sacroque accensus zelo, & visceribus inter mille affectus animi agitatis ac commotis, decrevit ulcisci grande illud scelus. *Et vidit Matathias, & doluit, & contremuerunt renes ejus, & accensus est furor ejus secundùm judicium legis, & insiliens trucidavit eum super aram.* 711.

Turbatio animi.

Mezentius, videns suum filium ab inimico occisum, plenus confusione, dolore, furore, ira, amore, & impatientia, se accinxit ad sumendam vindictam, de hoc Virgilius lib. 10. Æneid.

Sic cursum in medios rapidum dedit; æstuat ingens
Imo in corde pudor, mixtoq; insania luctu
Et furiis agitatus amor, & conscia virtus.

CAP. II. ℣. 27. &c.

VIdens Matathias, libertatem Judaicam ad extrema deductam, & ægrè posse cum debita maturitate & quiete congregari exercitum; ab eminente colle suas voces instar militaris tubæ 712.

Exercitus congregatus viva voce.

tubæ levavit, omnesq; honoris divini zelo addictos invitavit, ut ipsum sequerentur; offerens se Ducem ad prælium, pro religionis & fidei defensione ineundum. *Et exclamavit Matathias voce magna in civitate dicens. Omnis, qui zelum habet legis, statuens testamentum, exeat post me.* 1. Mach. 2. vers. 27. &c.

Servius ad lib. 8. Æneid. scribit: *Si esset tumultus, id est, ex periculi vicinitate timor multus, quia singulos milites interrogare non vacabat, qui erat ducturus exercitum, ibat ad capitolium, & inde proferens duo vexilla, unum roseum, quod pedites evocabat, & alterum cæruleum, quod erat equitum insigne, dicebat: qui rempublicam salvam esse vult, me sequatur.* Idipsum dixit C. Marius, volens se opponere Syllæ, qui tentabat opprimere Rempublicam. Item Scipio post cladem Cannensem; & Nasica contra Gracchum, ut affirmat T. Livius, Vellejus Paterculus, & Val. Maximus l. 3. c. 2.

CAP. II. ℣. 50.

713. MAtathias, generosos suos filios efficaciter incitaturus ad exercitia fortitudinis, patientiæ, & fiduciæ in Deum; eorum oculos convertit ad exempla nobilissimorum progenitorum; probè gnarus, è memoria tantarum virtutum ipsos excitatum iri. *Mementote operum patrum, quæ fecerunt in generationibus suis: & accipietis gloriam magnam, & nomen æternum. Abraham &c.* 1. Mach. 2. v 50. Hoc sensu David Psal. 77. v. 3. *Quanta audivimus, & cognovimus ea: & patres nostri narraverunt nobis &c. ut cognoscat generatio altera. Filii, qui nascentur & exurgent, & narrabunt filiis suis, ut ponant in Deo spem suam &c.*

Exemplum majorum utile.

Plinius lib. 8. Epist. 14. ad Aristonem; *Erat antiquitùs institutum, ut à majoribus natu, non auribus modò, verùm etiam oculis disceremus quæ facienda, mox ipsi, ac per vices quasdam tradenda minoribus haberemus.* Et paulò post; *Suus cuiq; parens pro magistro, aut cui parens non erat, maximus quisque, & vetustissimus pro parente.* Et T. Livius Præfat. lib. 1. *Hoc illud est præcipuè in cognitione rerum salubre ac frugiferum, omnis te exempli documenta in illustri posita monumento intueri: inde tibi, tuæq; Reipublicæ, quod imitere, capias &c.* Ita Æneas 12. Æneid. tam suo, quàm Hectoris exemplo incitavit Ascanium ad actiones heroicas & generosas.

— *Te animo repetentem exempla tuorum,*
Et Pater Æneas, & avunculus excitet Hector.

CAP. III. ℣. 4.

714. GEnerositas & fortitudo Judæ Machabæi meretur applausum totius mundi. Videbatur potius leo, quàm miles; eratque instructus spiritu adeò vigoroso ac forti, ut etiam validissimus exercitus ab ipsius præsentia & virtute, veluti mandra ovium dissiparetur. *Similis factus est leoni in operibus suis, & sicut catulus leonis rugiens in venatione.* 1. Mach. 3. v. 4. & 2. Mach. 11. v. 11. Ita etiam de Juda & aliis ipsius fratribus dicitur; *Leonum autem more impetu irruentes in hostes, prostraverunt ex eis undecim millia &c.* Simili modo deprædicantur Saul & Jonathas 2. Reg. 1. v. 23. *Aquilis velociores, leonibus fortiores.*

Leones dicuntur fortes belliduces.

Ad Leonis metaphoram recurrit Virgilius 10. Æneid ut exprimeret militarem ardorem & magnanimitatem Turni;

— *Utq; Leo specula cùm vidit ab alta*
Stare procul campis meditantem prælia taurum;
Advolat: haud alia est Turni venientis imago.

Euripides in Taur. loquens de Oreste;

Ruens in medios vitulos ut leo.

Et Silius Italicus lib. 12. de Paulo, Consule Romano;

Paulus ut adversam videt increbescere pugnam;
Censera, quæ telis circumcingentibus ultrò
Assilit in ferrum, & per vulnera colligit hostem,
In medios fert arma globos.

CAP. III. ℣. 19.

INter alia divini Monarchæ nomina recensetur etiam quòd sit Dominus exercituum; quia pro libitu suo dissipat potentias Barbarorum, & aliis tribuit felicitatem victoriæ. Unde benè dicebat non minus generosus quàm pius Judas Machabæus 1. Mach. 3. v. 19. *Nec in multitudine exercitûs victoria belli, sed de cœlo fortitudo est.* Et lib. 2. c. 15. v. 21. *Non secundùm armorum potentiam, sed prout Domino placet, dat dignis victoriam.* 715.

Deus dat victoriam.

Quando Galli, duce Brenno, deprædati sunt templum Apollinis; dicitur, ex oraculo prodiisse has voces: *Ego providebo rem istam, & virgines albæ.* Unde quædam spectra coloris albi apparuerunt in exercitu Gallorum, eosque omnes interfecerunt. Sed relictis Gentilium fabulis; Eusebius l. 4 de vita Constantini. c. 19. scribit, grandem hunc Monarcham solitum dicere; *Non debere milites in armis, aut viribus corporum spem ponere: sed universitatis Deum rerum omnium bonarum, & ipsius victoriæ auctorem agnoscere.* Cum hoc conveniunt documenta Leonis Imperatoris de Bellic. apparat. c. 20. n. 47. & 75. & documenta Onosandri Stratag. c. 5.

CAP. III. ℣. 54.

CUm Israëlitarum exercitus staret è fronte hostium, jamjamque auspicaturus esset prælium; *Tubis exclamaverunt voce magnâ.* 1. Mach. 3. v. 54. id est, stridori tubarum junxerunt clamorem vocum, uti declarat textus Græcus; *Et sonuerunt tubis, & clamaverunt voce magna.* Et rursus c. 4. v. 40. *Et exclamaverunt tubis signorum, & clamaverunt in cœlum.* Similiter c. 5. v. 31. & 33. & in Josue c. 6. v. 20. *Omni populo vociferante, & clangentibus tubis. &c.* 716.

Sonus tubarum & voces militum.

A profanis in simili congressu junguntur clamores vocum, & sonus stridentium tubarum. Virgilius 2. Æneid. v. 313.

Exoritur clamorque virûm, clangorque tubarum.

Et ibid. v. 337.

In flammas & arma feror: quo tristis Erynnis,
Quò fremitus vocat, & sublatus ad æthera clamor.

Cæsar l. 3. de Bello civili ait, non sine causa ab antiquis institutum fuisse, ut tubis daretur signum ad prælium, & milites extollerent vocum suarum clamores. Cato opinabatur, teste Plutarcho in vita Coriolani; *Debere militem non modò* for-

fortem manu esse, sed etiam contentione vocis terribilem. Solimanni exercitus, in castra Christianorum irruens, stridori tubarum junxit barbaros clamores; de quibus Torquatus in Conquist. lib. 10. St. 20.

Dan fiato à l' hora à i barbari metalli
Gli Arabi avari, oltra l' usanza arditi;
Van gridi orridi al Cielo; e de i cavalli
Co' l suon del calpestio vari nitriti &c.

CAP. IV. ℣. 1. &c.

717. Gorgias, validissimus Antiochi Bellidux, oppressurus Hebræos, nocturno tempore cum quibusdam selectis militibus contra eos prorupit. *Assumpsit Gorgias quinq; millia virorum, & mille equites electos: & moverunt castra nocte, ut applicarent ad castra Judæorum.* 1. Mach 4. v. 1. &c.

Assultus nocturni.

Ita Abrahamus, superaturus quatuor Reges victores, suumque nepotem Lothum in libertatem reducturus; *Irruit super eos nocte, percussitque eos.* Gen. 14. v. 15. Josue nocturno tempore assiliit quinque Reges, qui infestabant Gabaonitas, fœderatos Hebræis. *Irruit itaq; Josue super eos repentè, tota nocte ascendens de Galgalis.* Josue 10. Gedeon *incipientibus vigiliis noctis mediæ* irruit in Madianitas. Judic. 7. v. 19. &c.

Hoc strategemate, videlicet assultu improviso & nocturno, *Annibal cecidit Romanos & Romani Asdrubalem, fratrem Annibalis*; inquit P. Cornelius à Lapide in hunc locum, hic tamen solùm adduco Torquatum Tassum de Solimanno, noctu assiliente exercitum Sueni l. 9. St. 18.

Già la notte copria l' humane cose,
De' l alto sonno, e del silentio amica
Al' hor che d' urli barbareschi udissi
Rumor, che giunse al cielo, e ne gli abissi.

Solimannus ipsemet in castra Christiana irruit nocturno tempore. l. 10. stanz. 14.

Però Pluton gli abissi, e la sua notte
Tutta versò da le tartaree grotte,
Per si profondo horr l' eccelse tende
D' Assalir l' empio, e d' infiammar destina &c.

Similiter l. 15. Stanz 54. scribit de Argante, Clorinda, & Ismeno.

Tutti con nere spoglie uscir nel colle
Piani, e notturni, à passo lungo, e spesso
Bramosi d' abbruciare certa torre &c.

CAP. IV. ℣. 9.

718. JUdas Machabæus, suos Israëlitas incitaturus, ut generosè irruerent in exercitum Gorgiæ; revocavit iis in memoriam tum prodigia suorum progenitorum, tum beneficentiam Dei erga nationem Hebræam. *Mementote, qualiter salvi facti sunt patres nostri, & nunc clamemus in cœlum: & miserebitur nostri Dominus &c.* 1. Mach. 4. v. 9.

Valor antecessorum & auxilium Dei animant exercitum.

Cùm Phidenati, instar furiarum, ardentibus facibus in manu assilirent Romanum exercitum; & iste jamjam videretur moliri fugam, Mamercus Æmilius eos in hæc verba ad prælium animavit; *Agite nominis Romani ac virtutis patrum, vestraq; memores: vertite incendium hoc in hostium urbem.* Et A. Cornelius Dictator Romanus; *Veniat in mentem unicuique. Deos esse, qui Romanum adjuvent; Deos, qui secundis avibus in prælium miserint.* ita refert T. Livius lib. 4.

CAP. IV. ℣. 17.

POstquam Judas ab ingenti hostium exercitu retulit insignem victoriam, occisis barbarorum tribus millibus; sagaci providentia suis militibus mandavit, ut abstinerent à colligendis spoliis, sed firmi persisterent in ordine, ne ab hoste obruerentur & interficerentur. *Dixitque Judas ad populum. Non concupiscatis spolia, quia bellum contra nos est &c.* 1. Mach. 4 v. 17. 719.

Spolia illicita.

Hæc cautela, benè observata, plurimùm prodest exercitui victrici, neglecta verò, gravissimum damnum affert. Polybius lib. 10. *Et quoniam plurimi prædæ inhiant, atque victoriam plenam obtinere nequeunt, fit ut de summa rerum periclitentur. Multis hoc accidit, ut licet fælicissimi voti compotes, & vel in castra hostium irruerint, vel civitatem ceperint, attamen non solùm ejecti sint, sed & totius causæ periculum & detrimentum incurrerint.* Complura militum exempla, qui subitò fuêre obruti, quia hostium prædæ nimiùm avidè inhiarunt, colligit Cornelius à Lapide, & prior illo Frontinus in suis Stratag. lib. 2. c. 5.

CAP. IV. ℣. 24.

MIlites Judæ cum suo clarissimo Belliduce, post generosum conflictum, & obtentam insignem, ditissimamque prædam, Domino exercituum, & victoriarum largitori retulerunt debitos sacros applausus, benedictiones, & laudes. *Et conversi hymnum canebant, & benedicebant Deum in cœlum, quoniam bonus est. &c.* 1. Mach. 4. v. 24. 720.

Victoria à Deo.

Quia victoria est specialissimum Dei donum, qui eam concedere solet suis devotis ac gratis fidelibus; & denegare ingratis; idcircò fideles Christiani, obtenta aliqua victoria, solemniter canunt hymnum *Te Deum laudamus*, tum ut supremo exercituum Domino reddantur gratiæ, tum ut divina misericordia obligetur, ut favores illos ad incrementum suorum servorum repetat, omnemque prosperitatem impertiatur in despectum superborum hostium.

CAP. IV. ℣. 38.

POstquam Antiochus profanavit sacrum templum; augusta loci illius majestas fuit transformata in desertum, destituta hominibus, & consita virgultis ac spinis, quæ ex omni latere non sine dolendo horrore progerminârunt; *Viderunt sanctificationem desertum, & altare profanatum, & portas exustas, & in atriis virgulta nata, sicut in saltu.* 1. Mach. 4. v. 38. 721.

Virgulta nata in civitate desolata.

Hæ calamitates acciderunt miseræ civitati Trojæ, permutatæ è sede Regum, in cubile ferarum: cujus diruta ædificia ac ruinæ à sterilibus virgultis squalidè cooperiebantur. Ovidius Ep. 1 Heroid.

Jam seges est, ubi Troja fuit, resecandaque falce
Luxuriat Phrygio sanguine pinguis humus.

Semi-

semisepulta virûm curris feriuntur aratris
Ossa ruinosas occulit herba domos.

CAP. VI. ℣. 43.

712. Ceræmoniæ in restaurando templo.

MAchabæi, post fractas hostium vires, & allatum afflictæ Judææ auxilium, ex honoris divini zelo mox restaurando sacro templo omnem impenderunt operam. *Itaque mundaverunt sancta, & tulerunt lapides contaminationis in locum immundum.* 1. Mach. 4. v. 43. *Obtulerunt sacrificium secundùm legem.* n. 53. *Cecidit omnis populus in faciem, & adoraverunt.* v. 55. *Ornaverunt faciem templi coronis &c.* v. 57.

Cùm Vespasianus restauraret templum Capitolii, à Vitellianis combustum & profanatum; referente Cornelio Tacito, adhibitæ sunt penè eædem ceremoniæ ac ritus, qui apud Machabæos recensentur. *Curam restituendi Capitolii*, inquit ille Historicus l. 20. *in L. Vestinum confert, equestris ordinis virum -- Ab eo contracti Aruspices, monuêre, ut reliquiæ prioris delubri in paludes averterentur, templum iisdem vestigiis sisteretur. -- Undecimo kalendas Julias serenâ luce spatium omne, quod templo dicabatur evinctum vittis coronisque -- Tum Helvidius Priscus Prætor, præeunte Plauto Heliatio Pontifice, lustrata bove, taurisque areâ, & super cespitem redditis extis, Jovem, Junonem, Minervam, &c. precatus est &c.*

CAP. IV. ℣. 57.

713. Coronæ & scuta militaria, oblata Deo.

CUm Sancti Machabæi agnoscerent, à Deo sibi concessas victorias contra suos hostes; consecrârunt Deo nobilissimas partes spoliorum militarium, suspensis ad templi parietes coronis aureis, & scutis, pretiosè elaboratis; uti refert Sacer Historicus; *Ornaverunt faciem templi coronis aureis & scutulis.* 1. Mach. 4. v. 57.

Quantùm ad coronas; Antiqui solebant iisdem ornare tam frontes templorum, quàm charas sibi domos; uti observat Athenæus l. 15. c. 2. *Coronant valvas eorum, quos amant, honoris causâ, perinde ac in templi cujusdam Dei vestibulum.* Simili modo coronas, implicatas spicis, templo obtulerunt Gentiles, ita Tibullus lib. 1.

Flava Ceres, tibi sit nostro de rure corona
Spicea, quæ templi pendeat ante fores.

Quantùm ad scuta; Hæc præsertim militaria, solebant in templis appendi. Unde Virgilius l. 7. Æneid.

Multaque præterea sacris in postibus arma. &c.
Spiculaque, clypeique, ereptaque rostra carinis.

Ad hujus imitationem Silius Italicus libro 1. Punic.

In foribus sacris, primoque in limine templi &c.
Perfossi clypei, & servantia tela cruorem.

Ita Athenienses templo dedicârunt scuta aurea, obtenta in victoria contra Persas, ut ait Æschines in Oratione *contra Cresiphontem.*

CAP. V. ℣. 40.

714. CUm exercitus Timothei & Judæ Machabæi ab intercurrente aliquo torrente essent separati; Timotheus, peritissimus Bellidux, primis ministris de suo exercitu dixit; *Si Judas transierit ad nos prior, non poterimus sustinere eum, quia potens poterit adversùm nos; si verò timuerit transire, & posuerit castra extra flumen, transfretemus ad eos, & poterimus adversùs illum.* 1. Mach. 5. v. 40. adeoque Timotheus certum victoriæ prognosticon desumsit ex observata generosa audacia inimici; & indicium evidens amittendæ victoriæ ex ipsius timiditate.

Andacia ducis est signum victoriæ.

Agesilaus, celebris Rex Spartanorum, interrogatus, quid primariò exigeretur in supremo Belliduce? respondit; *Audacia adversus hostes, & in oblata opportunitate ratio, & consilium.* In rem præsentem admodùm gratiosum est, quod refert Cornelius à Lapide. In Flandriæ civitate Noviomago civiles discordiæ versabantur inter Catholicos & Hæreticos, utraque parte in publica platea machinante sanguineum prælium. Tum Hæreticorum Capitaneus accessit Capitaneum Catholicum tractaturus cum illo pacem; at Catholicus, apprehensa hæretici manu, sensit eam esse tremulam; unde è tremore manus argumentans ad timorem animi, suos incitavit ad conflictum, obtinuitque plenam victoriam, profligatis è civitate omnibus hæreticis monstris.

CAP. V. ℣. 43.

VIdens generosus Judas Machabæus, suos Israëlitas non habere tantum animi, ut trans torrentem progrederentur, terrefacti formidando hostium numero; ille primus omnium transfretavit. *Et transfretavit ad illos prior,* 1. Mach. 5. v. 43 ut alii, viso generoso Belliducis exemplo, resolverent illum libera audacia sequi, prout etiam contigit, obtinueruntque insignem ab hoste victoriam. Prævia Belliducum exempla in difficillimis casibus animârunt suos exercitus. Cato, ducens exercitum per deserta Africæ, suosque milites animans, referente Lucano l. 9. dixit; 715.

Exemplum Ducis animat.

-- -- Primus arenas
Ingrediar, primusque gradus in pulvere ponam.

Et paulò post;

-- -- Fatoque pericula vestra
Prætentate meo.

Id quod in praxin deduxêre Alexander Macedo, Julius Cæsar, ut in ipsius vita refert Suetonius cap. 58. &c. Albertus Dux Austriæ, ut scribit Æneas Sylvius lib. 3. dicebat suis militibus; *Si alium, quàm me, exercitus contra Bohemos ductorem petitis, frustra me Austriæ ducem nominatis. Dux enim reverà est, qui exercitum ducit, & quem acriter pugnantem exercitus sequitur.*

CAP. VI. ℣. 1. &c.

QUando describitur majestas celeberrimi in Persia templi; dicitur ibi reperiri suspensa, trophæi loco, ornamenta militaria, loricæ, & scuta, aquisita ab Alexandro Macedone in prodigiosis suis prælüs. *Audivit esse civitatem Elymaidem in Perside nobilissimam -- Templumque in ea locuples valde: & illic velamina aurea, & loricæ, & scuta, quæ reliquit Alexander &c.* 1. Mach. 6. v. 1. &c. 616.

Arma in templo appensa.

De

De hoc ritu suspendendi in templis arma, pleni sunt Authores profani. Ovidius lib. 4. Trist. Eleg. 7.

Miles ut emeritis non est satis utilis armis,
Ponit ad antiquos quæ tulit arma lares.

Justinus l. 20. scribit, sagittas Herculis fuisse oblatas in templo Apollinis. Demosthenes *Orat: ad Nearam* refert distichon, quo Pausanias post obtentam contra Persas victoriam, consecravit Apollini sua spolia; estque istud;

Græcorum ductor, Medos qui perdidit hostes,
Pausanias Phœbo consecrat exuvias.

T. Livius lib. 10 *Tanta spoliorum multitudo fuit, ut non templum tantùm Quirini, forumque his ornaretur, sed sociis etiam, coloniisque finitimis, ad templorum ornatum dividerentur.* Verùm de hoc argumento egimus suprà ad Gen. c. 14. v. 20. Josuæ c. 6. v. 17. 1. Reg. c. 31. v. 10.

CAP. VI. ℣. 11.

727. REx Antiochus ob sacrilegas deprædationes templi Hierosolymitani, justi supplicii loco, sustinere debuit cladem sui exercitus, lethalem infirmitatem corporis, & passiones animæ, quæ ipsum immedicabili dolore exulcerabant. Hæc omnia ipsemet agnoscens, dixit 1. Mach. 6. v. 11. *In quantam tribulationem deveni, & in quos fluctus tristitiæ, in qua nunc sum, qui jucundus eram, & dilectus in potestate mea. Nunc verò reminiscor malorum, quæ feci in Jerusalem, unde & abstuli omnia spolia aurea & argentea, quæ erant in ea &c. cognovi ergò, quia propterea invenerunt me mala ista. &c.*

Sacrilegium est radix suppliciorum.

T. Livius introducit Legatos Locrenses, hoc modo loquentes; *Pyrrhus thesauros Proserpinæ, intactos ad eam diem, spoliavit &c. nec illi unquam postea prosperè quidquam evenit: pulsusque Italiâ, ignobili atque inhonestâ morte, temerè nocte ingressus Argos, occubuit &c.* Livius l. 29. n. 18.

CAP. VI. ℣. 37.

728. STupendum robur elephantum non potuit non admiranda efficere; dum ingressi castra portarunt proprio dorso innixam turrim, fortibus lignis, & considerabili pondere constructam, in qua erant triginta duo milites armis benè instructi, & magister ducis loco serviens, erat director elephantis. *Sed & turres ligneæ super eos firmæ protegentes super eas machinæ, & super eas viri virtutis triginta duo, qui pugnabant desuper: & Indus magister bestiæ.* 1. Mach. 6. v. 37.

Elephantes in exercitu.

De Elephantibus, qui onusti turribus serviebant in prælio, multi, loquuntur. Irtius de Bello Africano ait; *Statim ex itinere ante oppidum Thapsum constitit, elephantosque sexaginta quatuor ornatos, armatosque cum turribus, ornamentisque capit.* Idipsum reperitur apud Polybium lib. 5. L. Florum lib. 1. c. 18. ubi refert, quando incremento Pyrrhus elephantes supra dorsum turritos adhibuerit contra Romanos; tandem verò his vincentibus, elephantes cum suis turribus fuère circumducti in triumpho; de quo Florus ait; *Nihil libentius populus Romanus aspexit, quàm illas, quas timuerat cum turribus suis belluas, quæ non sine sensu captivitatis, summissis cervicibus victores equos sequebantur.*

CAP. VI. ℣. 39.

ANtiochi Eupatoris exercitu juxta militarem ordinem progrediente, scuta militaria mirificè polita, & radiis solaribus contacta, spargebant igneum fulgorem adeò clarum, ut vicini montes illustrarentur. *Ut refulsit sol in clypeos aureos, & æreos, resplenduerunt montes ab eis &c.* 1. Mach. 6. 39. 729.

Arma splendentia.

De hoc splendore, quem arma militaria, solaribus radiis percussa, reverberant, frequenter loquuntur Profani Authores. Virgilius 7. Æneid:

- - Ferro ancipiti decernunt, atraque latè
Horrescit strictis seges ensibus, æraque fulgent
Sole lacessita.

Lucanus l. 2. Pharsal.

Ardentesque acies, percussis sole corusco
Conspexit telis.

Claudianus de 3: Consul. Honorii.

-- -- Perstringit ahena
Lux oculos, nudique seges Mavortia ferri
Ingeminat splendore diem.

Democritus, referente Aulo Gellio l. 10. cap. 17. *Clypeum constituit contra exortum Hyperionis, oculos effodere, ut posset splendore æreo.*

CAP. VI. ℣. 39.

SCuta militaria, portata à militibus Antiochi Eupatoris, vocantur scuta aurea & ærea. *Ut refulsit sol in clypeos aureos & æreos.* 1. Mach. 6. v. 39. 730.
Ubi advertendum est, scuta illa fuisse quidem ex ære, chalybe, aut alio metallo, tum ut validè resisterent ictibus hostium, tum ut facili pondere sustineri ac tractari possent. Sed tamen undique exornata auro; licèt non ex solido auro, quia tali modo nimiùm fuissent portatu gravia, & ad resistendum vix habilia.

Simili modo Virgilius describit scutum Æneæ, factum ex ære, chalybe, & auro. lib. 8. Æneid.

-- -- Fluit æs rivis, aurique metallum
Vulnificusque chalybs vastâ fornace liquescit,
Ingentem clypeum informant unum omnia contra
Tela Latinorum.

Postmodùm lib. 9. Æneid: repræsentat istud scutum, centum sagittis onustum, quas Mezentius vibravit contra Æneam; additque, illud fuisse chalybeum seu æreum.

Immanem ærato circumfert tegmine sylvam.

Tandem concludit, fuisse scutum aureum;

-- -- Telumque intorsit in hostem
Inde aliud super, atque aliud figitque volatque
Ingenti gyro, sed sustinet aureus umbo.

Adeo-

Adeoque idem est dicere arma aurea, ac arma inaurata.

CAP. VI. ℣. 45. &c.

731. Eleazarus, fortissimus miles, videns in exercitu Antiochi elephantem, cæteris eminentiorem ac superbius exornatum, judicavit, Regem ei in prælio insidere. Proinde Monarcham illum præcipitaturus; per hostium phalanges penetravit, & supponens se elephanti, eum interfecit. *Et vidit Eleazar - unam de bestiis loricatam loricis regis &c. & visum est ei, quòd in ea esset Rex &c.* 1 Mach. 6. 45. &c de quo S. Ambrosius lib. 1. Offic. c. 40. *Quanta ista virtus animi! primò, ut mortem non timeret; deinde ut circumfusus legionibus inimicorum in confertos raperetur hostes, medium penetraret agmen, & contemptâ morte ferocior, abjecto clypeo, utraque manu vulnerata molem bestiæ subiret. &c.*

Miles generosus.

Similem heroicam expeditionem peregit miles gentilis, qui, referente Xenophonte lib. 7. Cyripædiæ; animosè propinquans equo Cyri, ejusque ventri horrendum infligens vulnus, coëgit Cyrum, ut in terram rueret.

CAP. VI. ℣. 51.

732. Exercitus Antiochi Eupatoris, ingressus Hierosolymas, mox cœpit expugnare templum, paulò antè à Juda munitum; ibique adhibitis per multos dies violentis machinis, impendit omnes vires. *Et convertit castra ad locum sanctificationis multos dies, & statuit illic balistas, & machinas, & ignis jacula, & tormenta ad lapides jactandos, & spicula, & scorpios ad mittendas sagittas &c.* 1. Mach: c. 6 v 51.

Machinæ militares

Hæ militares machinæ, adhibitæ ab exercitu Antiochi ad diruendum templum & arcem Hierosolymarum; proponuntur à Vegetio pro beneficio civitatis prostratæ, & in defensionem quassatorum mœniorum, & lib. 4. de Re militari. c. 22. ait; *Obsessos defendere consueverunt balistæ, onagri, scorpiones, arcubalistæ, fustibali, sagittarii, fundæ*; sicque minutim describit singulas machinas.

CAP. VI. ℣. 51.

733. Inter alia instrumenta, à militibus Antiochi Eupatoris assumpta ad expugnandum templum & arcem Hierosolymarum, etiam usi sunt accensis faculis, aliisque incendiariis machinis, voluti totidem ex inferno furiæ prodiissent. *Et statuit illic balistas, & machinas, & ignis jacula.* 1. Mach. c. 6. 51.

Ignis adhibitus in prælio.

Eadem arma adhibita sunt in conflictu Attico contra M. Antonium, de quibus Virgilius 8. Æneid.

Stupea flamma manu, telisque volatile ferrum
spargitur.

Et Dion de eodem prælio; *Hi in adversarios tela ignita conjiciebant, facesque ardentes manu emittebant, ollas complures carbonibus & pice refertas eminùs machinis jaculabantur.* Rursus Virgilius lib. 9. describit ista arma ignea, portata à Mezentio contra Trojanos.

Parte aliâ horrendus visu quassabat Etruscam
Pinum, & fumiferos infert Mezentius ignes.

Eodem libro loquens de Turno;

Princeps ardentem conjecit lampada Turnus,
Et flammam affixit lateri, quæ plurima vento
Corripuit tabulas.

De his machinis incendiariis, & instrumentis spargentibus ignem, plenæ sunt Historiæ Flandriæ, Germaniæ, & Italiæ; servieruntque plurimùm ad defensionem Papiæ, destructionem exercitus Gallici, qui eam multis diebus arctè obsidebat Anno 1655.

CAP. VII. ℣. 47.

Quemadmodùm temerariæ minæ Nicanoris evanuerunt; ita exercitus sui potentia fuit fracta & dissipata ab incomparabili fortitudine Judæ Machabæi, qui auxiliante Deo, in hostes irruebat, eosque superabat, non tantum multis millibus occisis, sed ipsis etiam belli ducibus trucidatis, prout Nicanori contigit, cujus caput à trunco recisum, circumtulerunt, & trophæi loco è regione Hierosolymitanorum mœniorum suspenderunt. *Acceperunt spolia eorum in prædam, & caput Nicanoris amputaverunt - & suspenderunt contra Jerusalem.* 1. Mach. 7 v. 47. 734.

Capita recisa suspenduntur in conspectu omnium.

Pro majore superatorum ignominia, solent eorum, maximè principalium personarum, capita ostentari è suprema hastarum parte in conspectu civitatum. Ita Dolabella, teste Cicerone in Philipp: supra hastam erexit caput Trebonii. A Justino lib. 24, repræsentatur caput Ptolomæi *lanceæ fixum*. Caput Rufini videbatur pendens *de cuspite summa*, ut loquitur Claudianus. Caput Maxentii, ut scribit panegyricus Constantini, per totam Romam portatum fuit *suffixum hastæ*. Albertus Kranzius l. 3. Hist. Vandal. cap. 4. de Joanne Episcopo ait; *Caput desectum Barbari conto infigentes, in titulum victoriæ, Deo suo Radigasto immolaverunt.* Verùm de hoc argumento egimus suprà ad 1. Reg. c. 17. v. 54.

CAP. VIII. ℣. 3.

Militaris Romanorum fortitudo ac clarissima fama omnes Mundi angulos peragravit; Gloriosa hæc fama etiam innotuit Machabæis; unaque intellexerunt; *Quanta fecerunt in regione Hispaniæ, quòd in potestatem redegerunt metalla argenti & auri, quæ in eis sunt.* 1. Mach. 8. v. 3 Adeoque Hispania non solùm meretur gloriam stupendæ fortitudinis, utpote quæ à Romanis superari non potuit, nisi bellis, ducentorum & triginta annorum spatio continuatis; sed etiam copiosarum divitiarum, cùm felicissimas auri argentique fodinas suo sinu recondat. 735.

Hispania dives fodinis.

Quòd Hispania multas habeat fodinas auri, scribunt Strabo lib. 3. & Diodorus Siculus lib. 6. c. 9. quòd etiam argenti fodinæ reperiantur in Hispaniis, testantur Mariana & alii ejusdem nationis Historici. De his divitibus fodinis videatur Pineda lib. 4. de Reb: Salom. cap. 4. n. 6. Mihi nunc sufficiat, quod refert Plinius l. 3. c. 3. *Metallis plumbi, ferri, æris argenti, auri, tota fermè Hispania scatet.*

CAP. VIII. ℣. 3.

Multis virtutibus ornati fuêre veteres Romani, attamen lib. 1. Mach. 8. v. 3. celebratur eorum prudentia & patientia, quibus 736.

vasta

Miles cum patientia vincit.

vasta & gravissima regna Hispaniarum suo subjugârunt imperio. *Possederunt omnem locum*, id est, omnes civitates & propugnacula Hispaniarum, *consilio suo*, *& patientia*; dum absque fastidio prosecuti sunt bellum ducentis & triginta annis, talique modo obtinuerunt absolutum horum regnorum dominium.

Perseverantia in continuandis obsidionibus, & patientia in superandis difficultatibus sunt dispositiones efficacissimæ ad difficillimas expeditiones felicissimè absolvendas. Aristides Tom. 2. Orat. Rhodiac: ait; *Non tam rerum copia, quàm consilio, fiducia, & patientia pleraque res geruntur.* Et Vegetius: *Vrbis, quam capere conaris, obsidio constanter urgenda est, & acriter premenda.*

CAP. VIII. ℣. 22.

737. Ut nullo prorsus tempore possent aboleri leges à Romanis conditæ, aut ipsorum fœdera, cum aliis principibus stabilita; pro æterna memoria formârunt characteres in tabulis æreis, quæ publico loco affigebantur. Ad hunc morem alludit lib. 1. Mach. 8. v. 22. *Hoc rescriptum est, quod rescripserunt* (Romani) *in tabulis æreis, & miserunt in Jerusalem.* Et cap. 14. v. 26. *Descripserunt in tabulis æreis.*

Scriptura in ære.

Plato in Minoe scribit, quòd Talus, tempore Minois & Rhadamanti, per totam Insulam Candiæ portârit tabulas æreas, quibus incisæ erant leges. Duodecim tabularum leges, desumptæ ex legibus Solonis, à Romanis efformatæ sunt in tabulis æreis & publico expositæ. Plinius lib. 34. c. 9. *Vsus æris ad perpetuitatem monumentorum jam pridem translatus est tabulis æreis, in quibus publicæ constitutiones inciduntur.* De tabulis æreis, quibus incisæ erant leges, mentionem facit Vlpianus *l. qui tabulam. ff. ad Leg. Iuliam pecul.* ubi ait; *Qui tabulam æneam legis, formamque agrorum continentem refixerit, vel quid inde immutaverit, lege Iulia peculatûs tenetur.*

Quòd etiam fœdera insculpta sint æri, demonstrat Tullius Orat: pro Balbo; *Cum Latinis omnibus ictum fœdus, Spurio Cassio, Posthumio Geminio consulibus, quis ignorat? quod quidem nuper in columna ænea meminimus post rostra incisum, & perscriptum fuisse.*

CAP. IX. ℣. 8.

738. Videns Judas Machabæus, suos milites præ timore partim fuga dilapsos, partim dispositos ad declinandum prælium; animosis vocibus eos stimulavit ad assiliendos feroces hostes; *Et dixit his, qui residui erant: Surgamus, & eamus ad adversarios nostros, si poterimus pugnare adversus eos.* 1. Mach. 9 v. 8. Ad hoc propositum S. Basilius orat. 5. de Jejunio. *Imperatores, cùm exercitum educunt; adhortatione ante conflictum utuntur: tanta enim vis est adhortationis; ut sæpe multos etiam in ipsum contemptum mortis adducat;* uti contigit in casu Judæ Machabæi.

Exhortatio ducis animat militem.

Ad has exhortationes militares allusit Tullius Philipp. 4. *Faciam, ut imperatores instructa acie solent; quamquam paratissimos milites ad præliandum videant, ut eos tamen adhortentur.* In hoc argumentum Vegetius l. 3. c. 12. *Monitis & adhortatione Ducis exercitus virtus accrescit & animus, præcipuè si futuri certaminis talem acceperint rationem, qua sperent, se facilè ad victoriam perventuros.* His exhortationibus, quas Belliduces ante prælium fecêre, plenæ sunt omnes Historiæ Plutarchi, T. Livii, Q. Curtii, Xenophontis, Polibii &c. Torquatus Tassus in sua Conquist. l. 10. Stanz. 15. ait, Solimannum conduxisse suos Arabes propè castra Gallica;

Qui sì cibar le genti: e poscia ei, d'alto
Parlando, le conforta al duro assalto.
Vedete là di furti ingombro, e pieno
Vn campo più famoso assai che forte
Che, quasi un mar nel suo vorace seno
Tutte de l' Asia hà le ricchezze absorte;
Quest' hora à voi (ne già potria con meno
Vostro periglio) espon benigna sorte;
L' arme, e i destrier d' ostro guerniti è d' oro
Preda sian vostra, e non difesa loro. &c.

Idem Poëta lib. 9. Stanz. 16. introducit Suenum, incitantem suos Danos ad constans prælium, mortemque heroico ac imperterrito animo in obsequium Salvatoris subeundam. Et l. 24. format pulcherrimam exhortationem, incipiens à Stanz. 14. &c. ubi accendit exercitum Christianum ad committendum prælium contra unitas Orientis vires. &c.

CAP. IX. ℣. 10.

Cum Judas Machabæus staret è fronte hostilis exercitus, qui viginti millibus peditum, & duobus millibus equitum constabat; 739.
ipse verò nonnisi octingentos milites in sua acie numeraret; amici ei suaserunt, ut fugeret, & prælium in aliud tempus reservaret, ubi plures vires colligi possent; at ille liberè respondit; *Absit istam rem facere, ut fugiamus ab eis.* 1. Mach. 9. v. 10. Proinde adeò probrosam existimavit fugam, ut decreverit potius mori, quàm fugere. In hoc argumentum Tertullianus lib. *de fuga in persecut:* cap. 10. *Pulchrior est miles in pugna amissus, quàm in fuga salvus; malo miserandum, quàm erubescendum.*

Fuga præ morte horrida.

Hujus sententiæ etiam fuêre Spartani, qui suos milites onerabant calceis plumbeis, ut in prælio ad fugiendum impediti, dimicarent usque ad ultimum suspirium; nonnunquam etiam eorum collo alligabant anchoras, ut harum dente ferreo cohibiti; & firmati in prælio, deberent vel in illo loco amittere vitam, vel obtinere victoriam.

Apud Romanos ille censebatur fortissimus, qui in prælio nunquàm fugisset. L. Dentatus, Romanorum Achilles dictus, interfuit centum & viginti præliis, eamque gloriam retulit, quòd nullum unquàm vulnus à tergo acceperit, quia semper è fronte ac pectore se hostibus opposuit.

CAP. IX. v. 10.

Judas, suadentibus amicis, ut fugeret, cùm ultra modum validus esset exercitus hostium, 740.
& ipse nonnisi octingentos milites in sua acie numeraret; nihili curavit periculum, promtumque se declaravit potius mori, quam fugere. Unde auspicatus prælium, decrevit, aut obtinere victoriam, aut perdere vitam. *Absit istam rem facere ut fugiamus ab eis; & si appropiavit tempus nostrum, moriamur in virtute propter fratres nostros.* 1. Mach. c. 9. v. 10.

Resolutio vincendi aut moriendi.

Leo-

Leonidas cum trecentis Spartanis perveniens ad Thermopilas, ut dimicaret contra millionem, & centum millia militum Xerxis; conversus ad exiguum numerum suorum magnanimorum militum dixit; *Narrant, barbarum esse in vicinia, nos autem tempus terere: jam enim aut moriendum est nobis, aut vincendi barbari.* Insuper hortatus est suos milites; *ut ita prandêrent, velut apud inferos cænaturi.* Plutarchus *in Lacon:* Simili exhortatione allocutus est quidam Bellidux suos milites; *Moriamur milites, & morte nostrâ eripiamus ex obsidione circumventas legiones.* T. Livius lib. 22. & Æneas apud Virgilium lib. 2. Æneid. v. 353.

— *Moriamur, & in media arma ruamus.*

CAP. IX. ℣. 10.

741. JUdas in gravissimis suis angustiis videns, se non habere plures octingentis militibus; hostem econtra viginti millia peditum, & duo millia equitum; noluit tamen ullo modo fugere; sed ex una parte considerans nobilem ac militarem gloriam; ex altera horrorem imminentis mortis, decrevit, nullam gloriæ maculam inferre, vitamque potius exponere periculo. *Si appropiarit tempus nostrum, moriamur in virtute propter fratres nostros. & non inferamus crimen gloriæ nostræ.* 1 Mach. c. 9. v. 10.

Gloria præfertur vitæ.

Hoc sensu locutus est Ulysses apud Euripidem in Cyclope;

Sed si moriendum est, moriemur gloriosè
Aut viventes, gloriam pristinam fortiter tuebimur.

Ennius, relatus à Prisciano;

Nunc est illa dies, quo gloria maxima sese
Ostendat nobis, seu vivimus, aut moriamur.

Et Catullus de Nupt. Pelei;

Aut mortem oppeteret Theseus, aut præmia laudis.

Ita Agesilaus, interrogatus, quomodo aquisivisset tantam gloriam? respondit; *contemnendo mortem.* Plutarch: *in Lacon.*

CAP. IX. ℣. 19.

742. QUando mortuus est fortissimus Judas Machabæus; ipsius fratres, perfusi lachrymis, & dolore pleni, propria manu ei contulerunt ultimos exequiarum & sepulturæ honores. *Et Jonathas, & Simon, tulerunt fratrem suum, & sepelierunt eum* 1. Mach. 9. v. 19. Idipsum contigit in morte fortis Samsonis, nam, *Descendentes fratres ejus, & universa cognatio, tulerunt corpus ejus, & sepelierunt.* Judic 16. v. 31.

Exequiæ.

Nero mortem fratris sui Drusi comitatus est vultu pallido, oculis solutis in lachrymas, & capillis squallide fluentibus. De hoc Ovidius Consolat. ad Liviam.

Vidimus attonitum fraternâ morte Neronem,
Pallida promissâ flere per ora comâ.

Alexander ab Alexandro l. 3. cap 7. ait; *Antiochus, audito fratris obitu, purpurâ depositâ, phæum induit, qui inter album & nigrum fuisse color traditur.* Ausonius in suis Parentalibus Carm. 13. metro, doloris pleno, comitatus est exequias & funus sui fratris Avitiani.

CAP. IX. ℣. 37.

QUando celebrabantur nuptiæ; Sponsam comitabantur ad domum mariti cum instrumentis musicis, & vocibus, lætitiam ac jubilos resonantibus. *Filii Jambri faciunt nuptias magnas, & ducunt sponsam ex Madaba, filiam unius de magnis Principibus Canaan cum ambitione magna; & ecce tumultus, & apparatus multus, & sponsus processit, & amici ejus, & fratres ejus obviam illis cum tympanis & musicis. &c.* 1. Mach. 9. v. 37. 743.

Sponsam comitantur cum Musica.

Hæ festivæ acclamationes in recipienda nova sponsa, fuerunt etiam apud Gentiles usitatæ. Unde Catullus *in Carm. Nupt.*

Jam veniet Virgo, jam ducetur Hymenæus.

Et Plautus;

Age tibicen, dum illam educunt hoc nuptum foras,
Suavi cantu concelebra omnem hanc plateolam Hymenæo.

CAP. IX. ℣. 45.

HEbræis coarctatis ab exercitu Bacchidis; Jonathas, supremus Bellidux eos invitavit ad generosum conflictum; desumens animum id faciendi ex angustiis loci ac sitûs, in quo versabantur, & ex necessitate generosè ac liberè confligendi, cùm non superesset aliud vitæ conservandæ remedium. *Ecce enim bellum ex adverso, è fronte enim cernimus* hunc hostium exercitum, *aqua verò Jordanis hinc & inde, & ripa, & paludes, & saltus: & non est locus divertendi.* 1. Mach. 9. v. 4. 744.

Angustiæ loci animant milites.

His acutissimis stimulis etiam alii celebres Belliduces incitârunt suos milites ad generosum prælium; eisque proposuerunt necessitatem aut vincendi, aut moriendi. Hannibal, citatus à T. Livio l. 21. suos hoc modo alloquebatur; *Dextrâ, lævaque duo maria claudunt, nullam ne ad effugium quidem navem habemus &c. hic vobis vincendum, aut moriendum milites est.* Idem Livius, loquens de Romanis, redactis in angustias loci; *ab lateribus montes, & lacus; à fronte & à tergo hostium acies claudebat, apparuitque, nullam nisi in dextra, ferroque salutis spem esse.* Conformiter Ajax apud Homerum. 15 Iliad.

Mari circumdati longè sedemus à patria terra,
Quare in manibus salus, non in belli languore.

Pallas, incitans suos Arcades ad virile prælium, apud Virgilium lib. 10. Æneid. v. 377. ait.

Ecce maris magno claudit nos obice pontus,
Deest jam terra fugæ. &c.

Adeoque ex angustiis capitur animus ad generosissimos ausus.

CAP. IX. ℣. 48.

POstquam Jonathas viriliter dimicavit cum turmis Bacchidis, occisis penè mille viris, & vix non etiam ipso Bacchide è vivis sublato, videns autem, se paucis militibus instructum, & armis malè provisum, diutius contra millenos hostes subsistere non posse; sese cum armis commisit aquis Jordanis, & transnatans cum suis militibus, pervenit ad castra Israëlitarum. *Et dissiluit Jonathas, & qui cum eo erant, in Jordanem,* 745.

Bellidux salvatur natando.

& transnataverunt ad eos Jordanem. 1. Mach. cap. 9. verſ. 48.

Julius Cæſar, in exigua navicula tranſmittens ſinum maris, ſubitò ſe circumdatum vidit ingenti hoſtium numero; unde ne cogeretur vitæ periculum in ſanguine ſubire, aquis ſe commiſit, & profiliens è navicula, natando ſalutem feliciter conſervavit. Ita Plutarchus in ipſius vita.

CAP. X. ℣. 20.

746. Alexander, dictus filius nobilis Antiochi, Rex Aſiæ & Syriæ, deſiderans amicitiam ac fœdus cum Jonatha, ſummo ſacerdote & Principe Hebræorum, ſcripſit ei amicas litteras, miſitque doni loco *purpuram & coronam auream.* 1. Mach. 10. v. 20. Similiter Simon Princeps & ſummus ſacerdos, contrahens amicitiam cum Rege Demetrio, miſit ei *coronam auream & bahem &c.* c. 13. v. 37. Et Alcimus, *venit ad Regem Demetrium — offerens ei coronam auream &c.* 2. Mach. 14. v. 4.

Coronæ donatæ.

Ad demonſtrandum honorem & benevolentiam, ſoliti ſunt antiqui dono mittere coronas aureas. T. Livius l. 37. refert, M. Acilium in ſuo triumpho portâſſe aliquot coronas aureas, quas ab amicis & fœderatis civitatibus dono acceperat. Plutarchus narrat, M. Æmilium, poſt obtentam à Perſis victoriam, à variis civitatibus accepiſſe donum quadringentarum coronarum. Et Plinius l. 23. cap. 3. *Claudius, cùm de Britannis triumpharet, inter coronas aureas unam 12 pondo habuit, quam contuliſſet Hiſpania citerior: alteram 9. quam Gallia comata, ſicut titulus indicavit.*

CAP. X. ℣. 36.

747. Rex Demetrius, probè intelligens, ſtatûs ſui politici plurimùm in eo eſſe, ut cum Judæis contraheret fœdus & amicitiam, obtulit illis maximos favores ac promiſſa; & inter alia, quòd Judæi, hactenus ſolummodò inter ſervos Regis numerati, impoſterum poſſent conſcribi in militia, & accenſeri Regis exercitui; ſicque nobilitarentur & ſublimarentur. *Et adſcribantur ex Judæis in exercitu Regis &c.* 1. Mach. cap. 10. verſ. 36.

Servi aggregati militiæ.

Romani in ſuis anguſtiis nonnunquam diſpenſarunt, ut ſervi poſſent annumerari militibus, & arma tractare. Ita Livius lib. 22. *Aliam formam novi delectus, inopia liberorum capitum, ac neceſſitas dedit: octo millia juvenum validorum ex ſervitiis primùm ſciſcitantes ſingulos, vellentne militare, empta publicè armaverunt.* Et rurſus lib. 23. *Servorum delectum, cohorteſq; ex agro Piceno & Gallico collectas, ad ultimum propè deſperata reipublica auxilium.*

CAP. X. ℣ 88.

748. Rex Alexander, ut Principi Jonathæ particularia honoris ſigna exhiberet, miſit ei laminam auream, fibulæ nomine deſcriptam, qua purpureum pallium ſeu pluviale ante pectus clauderet. *Ut audivit Alexander Rex ſermones iſtos, addidit adhuc glorificari Jonatham, & miſit ei fibulam auream, ſicut conſuetudo eſt cognatis Regum.* 1. Mach. 10. v. 88. Ejuſmodi donum etiam juvenis Rex Antiochus miſit Jonathæ, ut refertur 1. Mach. 11. v. 58. & Rex Demetrius Simoni. 1. Mach. 14. v. 44. De hujus fibulæ uſu Tertullianus l. de Pallio. c. 1. ait. *In viris autem pallii extrinſecùs, & ipſe quadrangulus, ab utroque laterum regeſtus, & cervicibus circumſtructus, in fibulæ morſu humeris requieſcebat.*

Fibula regia.

Has fibulas aureas, ſive à Principibus donatas ad honorandos alios, ſive à præcipuis perſonis pompæ loco portatas, frequenter commemorant Eruditorum volumina. Livius Dec. 4. l. 7. ait, quòd Imperator, ornamenti loco, nobili *puero annulum aureum, tunicam lato clavo, cum Hiſpano ſagulo, & aurea fibula, equumq; donat ornatum.* Trebellius Pollio in Gallienis; *Cum chlamyde purpurea, gemmatiſq; fibulis & aureis, Romæ viſus eſt. &c.* Vopiſcus in vita Aureliani; *Ut fibulas aureas gregarii milites haberent, idem primus conceſſit: cùm antea argenteas habuiſſent.* De hoc ornamento loquitur etiam Virgilius 4. Æneid.

Aurea purpuream ſubnectit fibula veſtem.

ubi ſermo eſt de Regina Didone, accincta ad venationem.

CAP. XI. ℣. 58.

Quia Reges Perſiæ & Aſiæ ſibi ſolis ad uſum particularem reſervârunt aurum; idcircò nemini licebat illo uti abſque conſenſu & privilegio Regis expreſſo. Hunc favorem Rex Antiochus juvenis contulit Principi Jonathæ; *Miſit illi vaſa aurea in miniſterium, & dedit ei poteſtatem bibendi in auro, & eſſe in purpura, & habere fibulam auream.* 1. Mach. 11. v. 58. Simili modo Balthaſar unicuique, interpretaturo verba deſcripta in pariete, promiſit catenam auream. Dan. 5 v. 7. Et Aulici lib. 3. Eſd. c. 3. dicebant, Regem Darium omnium ſapientiſſimo promiſiſſe *dona magna, purpura cooperiri, & in auro bibere, & ſuper aurum dormire.* &c. v. 5. &c. 749.

Uſus auri conceſſi privilegio.

Xenophon lib. 1. Expedit. Cyri; ait, inter maximos honores, à Regibus Perſarum conferri ſolitos, numerari, ſi concedant privilegium portandi catenam auream, armillas aureas, & capulos gladiorum aureos, idque repetit lib. 1. Cyropædiæ. Procopius lib. 1. *de Bello Perſico* ſcribit; nulli fuiſſe licitum portare annulum, fibulam, cingulum, aut aliud ornamentum aureum ſine expreſſo Regis privilegio.

CAP. XI. ℣. 70. &c.

Cum viderent Hebræi, ſe infeſtari numeroſo exercitu Demetriani, obruti timore, arripuerunt fugam. *Et fugerunt, qui erant ex parte Jonathæ omnes &c.* 1. Mach. 11. v. 70. At Jonathas in deſperato hoc caſu reſumens audaciam, cum paucis reſiduis ſuis militibus generosè aggreſſus eſt pugnam; cujus exemplo ſtimulati fugitivi, ſeſe collegerunt, & ſimul uniti fecêre ſtragem trium millium hoſtium. v. 73. &c. 750.

Bellidux generoſus animat puſillos.

Adeoque fortitudo ac generoſitas Belliducis tanta eſt, ut fugiente proprio exercitu, ſtimulet puſillanimes, eoſque ad dimicandum, & victoriam obtinendam diſponat. Vegetius l. 3. de Re milit. c. 25. *Si pars exercitûs fugerit, minimè deſperandum, cùm in ejuſmodi neceſſitate Ducis conſtantia totam ſibi poſſit vendicare victoriam. Innumerabilibus hoc accidit bellis, & pro ſuperioribus ſunt habiti, qui minimè deſperârunt. Nam in ſimili conditione fortior creditur, quem adverſa non frangunt.* Frontinus l. 2. cap. 8. hanc veritatem multis exemplis comprobat. *L. Sylla, cedentibus jam legionibus, exercitui Mithridatico, ductu Archelai, ſtricto gladio in primam aciem procurrit, appellanſque milites, dixit: ſi quis quæſiſſet, ubi Imperatorem reliquiſſent, reſponderent,*

derent, pugnantem in Beotia, cujus rei pudore universi eum secuti sunt. Divus Julius ad Mundam, suis referentibus pedem, equum suum abduci à conspectu suo jussit, & in primam aciem pedes prosilit, milites dum destituere Imperatorem erubescunt, redintegrârunt prælium.

CAP. XII. ℣. 10.

751. JOnathas, summus sacerdos & Princeps Hebræorum, expedivit aliquot Legatos, qui cum humanissimis litteris proficiscerentur Romam & Spartham, ne amicitia, ante complures annos cum populis illis contracta, dissolveretur, sed providè innovaretur. *Maluimus mittere ad vos renovare fraternitatem, & amicitiam, ne fortè alieni efficiamur à vobis. &c.* 1. Mach. 12. v. 10. Et v. 17. *Mandavimus itaque eis, ut veniant etiam ad vos, & salutent vos: & reddant vobis epistolas nostras de innovatione fraternitatis nostra.* Proinde serviunt litteræ ad conservandam & innovandam amicitiam. Unde S. Basilius Ep. 55. exhortans S. Ambrosium ad litteras sibi scribendas, ait; *Quod dilectionis erga nos fundamentum jecisti, in ipsam structuram assiduitate mutui nostri alloquii excitare, atque provehere stude.*

Litteræ renovant amicitiam

Seneca Epist. 40. *Quòd frequenter mihi scribis, gratias ago. Nam quo uno modo potes, te mihi ostendis. Nunquam epistolam tuam accipio, ut non protinus unà simus. Si imagines, nobis amicorum absentium jucunda sunt, quæ memoriam renovant, & desiderium absentiæ falso, atque inani solatio levant; quantò jucundiores sunt litteræ, quæ vera absentis amici vestigia, veras notas afferunt?*

CAP. XII. v. 21. &c.

751. Arius, Spartanorum Rex, scribens summo sacerdoti Oniæ, restrinxit totam epistolam ad tres tantùm periodos; de quibus dici potest, quòd potius sint conceptus & substantia, quàm verba; uti videri potest 1. Mach. c. 12. v. 21. 22. 23. & observavit P. Gaspar Sanchez; *Hæc porrò Epistola Laconismo tyre, id est, paucissimis verbis, scripta est.* Sic nimirum Spartani vehementer amârunt brevitatem tam litterarum, quàm discursuum.

Litteræ Laconicæ

Gravissima accidêre negotia, quæ Hippocrates, filius Mindari, tractare debebat coram senatu Spartano; nihilominus haud aliud quidquam scripsit, nisi succosa & compendiosa hæc verba; *Perdita sunt omnia. Mindarus cecidit. fame milites laborant, nos quid fieri oporteat, dubii sumus.* Ita Xenophon lib. 1. *de Rebus Græcorum*, sub initium.

CAP. XII. ℣. 25.

752. CUm innotuisset Jonathæ, turmas Demetriani, ultra solitum numerosas, irruere ad infestandam Judæam; non minus generosus, quàm prudens, cum proprio exercitu egressus Hierosolymis, hosti obviam prodiit usque ad confinia Palæstinæ, ut vastatio non contingeret suas provincias, sed terras hosti subditas. *Exiit ab Jerusalem, & occurrit eis in Amathite regione; non enim dederat eis spatium ut ingrederentur regionem ejus.* 1. Mach. 12. v. 25.

Bellum in terra hostili.

Scipio, illis ipsis temporibus vivens, renuit contra Hannibalem dimicare in sua Italia; sed bello artificiosè in Africam translato, ibidem constrinxit Hannibalem ad fugam, & denique prævaluit ad expugnandam Carthaginem, clarissimumque triumphum inde referendum.

CAP. XII. ℣. 28.

QUamprimùm militibus Demetrii innotuit, Jonatham cum valido exercitu suis castris propinquare, ac prælium moliri, undique multos ignes accenderunt, ut tali modo Hebræis persuaderent, se adhuc suis locis persistere. Hoc stratagemate se subtraxerunt furori Jonathæ, qui non credidit eos citius arrepturos fugam, nisi die sequente. *Accenderunt focos in castris suis. Jonathas autem, & qui cum eo erant, non cognoverunt usque manè; videbant autem luminaria ardentia. &c.* 1. Mach. 12. v. 28. 753.

Ignes in castris accensi, ad decipiendum hostem.

Mithridates, à Pompeji militibus cinctus, decrevit postero die fugere, ut autem hanc suam intentionem absconderet, varia stratagemata adhibuit; inter alia *ignes frequentiores per tota castra fieri jussit. Secundâ deinde vigiliâ præter ipsa castra hostium agmen eduxit.* Frontinus lib. 1. Stratag. cap. 1. Spartacus, constrictus à Proconsule L. Varinio; *palis per modica intervalla fixis ante portam, erecta cadavera (adornata veste atque armis) alligavit, ut procul intuentibus stationis species esset, ignibus per tota castra factis, imagine vanâ deluso hoste, copias silentio noctis eduxit.* Frontinus lib. 1. cap. 5. ubi insuper adducit exemplum Iphicratis, qui suos salvaturus, *nocte paucis intra castra relictis, imperavit, ut multos ignes facerent. &c.*

CAP. XII. ℣. 45.

SImulatio conferendi favoris, est machina à sceleratis adhibita ad obruendos incautos & innocentes. Ita Triphon, simulans, se traditurum Jonathæ civitatem Ptolemaidem, ei persuasit, ut ingentem suum exercitum dimitteret; cùm ergò paucis militibus stipatum cerneret, captivum duxit, & paulò post occidit. 1. Mach. 12. v. 45. &c 754.

Captivi facti sub prætextu acquirendi.

Balaccus Turca, Dominus Sergiopoleos, pervenit Edessam ad recipiendum Comitem Balduinum, & fingens, se amore ipsius captum, promisit Comiti tradere parvulum quidem, sed tamen forte castellum, ubi ipsemet Balaccus habitabat ad propulsandos hostiles insultus. Comite proin cum ducentis equitibus illuc adveniente, ei persuasit, ut equitatum adeò copiosum relinqueret extra castellum; sicque machinatus est, Comitem ducere captivum; id quod etiam successit, non quidem in ipso Comite, qui, ut sibi caveret, monitus erat; sed in duodecim ipsius nobilibus equitibus, intra castellum captis. Joan. Franciscus Niger in 1. Cruciat. n. 180.

CAP. XII. ℣. 51.

MIlites Triphonis magno numero & generoso animo progrediebantur contra Hebræos; quando autem viderunt, istos in extremis angustiis, decrevisse dimicare ad ultimum usque spiritum; saniore consilio determinârunt fugam, probè gnari, quod homo, constitutus in angustiis desperationis, se ipsum superet, & instar furibundi leonis stupenda prodigia operetur. *Videntes hi, qui insecuti fuerant, quia pro animatis est illis, reversi sunt.* 1. Mach. 12. v. 51. 755.

Desperatio fortem facit.

Grandis prudentia est, nolle cum animis desperatis confligere, quia plus ab iis timendum est, quàm sperandum. Frontinus lib. 2. Stratig. c. 6. *De emittendo hoste ne clausus prælium ex desperatione redintegret;* refert in hanc rem complura exempla Historica; & inter alia de Themistocle, qui victo Xerxe, *volentes suos pontem rumpere, prohibuit;* asserens, *aptius esse, eum expelli ex Europa, quàm cogi ex desperatione pugnare.* Pyrrhus, Rex Epirotarum, inter alia præcepta militaria etiam istud injunxit; *Non esse pertinaciter instandum hosti fugienti, ne fortius ex necessitate resisteret.* De hoc argumento vide suprà ad 2. Reg. 2. v. 26.

CAP. XIII. ℣. 27.

756. QVia Matathias, & clarissimi ipsius filii fuerunt non minus prodigiosi in vita, quàm gloriosi in morte; idcircò Simon, summus sacerdos, illius filius, & reliquorum frater, ad ipsorum honorem extruxit superbum sepulchrum, ornatum pyramidibus, dives columnis, & instructum armis militaribus. &c. *Ædificavit Simon super sepulchrum patris sui, & fratrum suorum, ædificium, altum visu, lapide polito retrò & antè. Et statuit septem pyramidas, unam contra unam patri & matri, & quatuor fratribus, & his circumposuit columnas magnas; & super columnas arma. &c.* 1. Mach. c. 13. v. 27.

Sepulchra cum statuis & columnis.

Alexander ab Alexandro l. 3 c. 7. loquens de magnificentia Romanorum erga defunctos, ait; *Domi quoque, & in loco celebri, defuncti imagines in memoriam posteritatis, plerumque cereas, aut marmoreas, vel æneas: columnas quoque cum trophæis & titulis ac magnificentissimis decretis publico consilio erigere, & res gestas monumentis insculpere, levandi desiderii causâ antiquo more servatum est.* De columnis, solitis erigi in loco, ubi sepulti erant homines emeriti, loquitur Tullius lib. 2 & l 4. *de Legibus* scribitque l. 4. Tuscul. in Sicilia supra tumulum Archimedis repertam fuisse parvulam columnam, cui innitebatur sphæra cum cylindro. De pyramidibus, usitatis in Ægypto ad sepulchra Regum, omnes Authores discurrunt. Inter alios Lucanus;

Et Regum cineres extructo monte quiescunt,
Cui Ptolomæorum matres, seriemque pudendam
Pyramides claudunt.

CAP. XIII. ℣. 29.

757. SUmptuosum sepulchrum, à Simone in æternam memoriam magni sui patris ac nobilissimorum fratrum extructum, passim erat conspicuum imaginibus militarium armorum & navium. *Et super columnas arma ad memoriam æternam; & juxta arma naves sculptas. &c.* 1. Mach. 13. v. 29. ut significaret, interprete Cornelio à Lapide, *eos tam mari, quam terrâ fuisse potentes, & utrobique illustres obtinuisse victorias, etsi bellorum navalium ab eis gestorum, nulla hoc libro facta sit mentio.* Et licet etiam nunquàm dimicassent navali prælio, significabatur tamen, quod eorum vires *transierunt tanquam umbra, & velut nuntius velociter percurrens, & velut navis, quæ pertransit fluctuantem aquam &c.* Sap. 5 v. 9.

Arma & naves supra sepulchra.

Quòd supra sepulchra collocata sint arma, aliaque instrumenta, cujusvis statui convenientia, demonstrat Virgilius lib. 6. Æneid. loquens de Miseno;

At pius Æneas, ingenti mole sepulchrum
Imponit, suaq; arma viro, remumque, tubamq;
Monte sub aërio.

Quòd naves insculptæ fuerint marmoribus sepulchralibus, testatur Philostratus in vita Apollonii Thianæi. Philippus II. Rex Hispaniarum, Bruxellis celebrans exequias Caroli V. sui patris, tametsi iste nunquam fecerit navale prælium, nihilominus produxit navim, circùm quam efformatæ erant variæ Historiæ; nimirum Africa ab ipsius militibus capta, *cum Aphrodisio deleto*; ex altera parte fugitivos Turcas, *cum Solymanno profligato*; inde *Orbe novo invento*; & ex altera, *Tuneto capto & restituto &c.* Ludovicus Dulcis in ipsius vita.

CAP. XIII. v. 41.

PRivilegia Judææ concessa à Juvene Rege Demetrio, erant adeò grandia; ut eorum virtute subtraheretur jugo nationum exterarum, essetque libera sub suo Principe nativo, qui plena & independente authoritate ac dominio regnabat: unde sicuti eo tempore, quo in Judæa regnabant Persæ aut Græci, in fronte litterarum publicarum indicabantur anni regnantium Persarum aut Græcorum; ita nunc hi initium commemorandi absolutos Principes Judææ; *Ablatum est jugum gentium de Israël: & cœpit populus Israel scribere in tabulis anno primo sub Simone summo sacerdote.* 758.

Anni denominati à Principibus regnantibus.

In Hispania, priusquam Mauri illam possederant, solebant anni & tempora singulari forma ac modo signari & computari. At oppressa à Barbaris, ab iis desumptus est annorum computus; prout hodie adhuc videntur antiquæ memoriæ, titulis Arabum signatæ. At subtracta barbaro huic jugo, cœpit introducere novam formam distribuendi & computandi annos; uti docet Sanchez in hunc locum.

CAP. XIV. ℣. 12.

SIcuti tumultuantibus in aperto campo armatis turmis, rustici coguntur villis suis aufugere, & in civitate recipi. Ita vicissim, cessante militari strepitu, & pace provinciis reddita, quilibet sub arborum umbris gaudet amœnitate cœli ac villæ. Hanc felicitatem obtinuit Judæa sub Simone Machabæo; quo tempore *sedit unusquisque sub vite sua, & ficulnea sua: & non erat, qui eos terreret.* 1. Mach 14. v. 12. Hæc proverbii forma fuit usitata 3. Reg. 4. v. 25. ubi de regno Salomonis scribitur; *Habitabat Juda, & Israël absque timore ullo, unusquisque sub vite sua, & sub ficulnea sua &c.* Item Micheæ c. 4. v. 4. *Et sedebit vir subtus vineam suam, & subtus ficum suam, & non erit qui deterreat.* Et Zachariæ 3. 10. *In die illa vocabit vir amicum suum subter vineam & subter ficum.* 759.

Sedere sub vite in pace.

Melibæus apud Virgilium Eclog. 1. belli causa è patria exul, dulcem sensit invidiam contra Tityrum, qui gaudens otio pacis, quievit sub umbra fagorum ac quercuum.

Tityre,

Tityre, tu patulæ recubans sub tegmine fagi.

Et rursus;

Nos patriam fugimus, tu Tityre lentus in umbra.

Horatius lib. Epodon. Od. 2. loquens de felicitate, quam experitur ille, qui remotus vivit à civilibus tumultibus, & bellico strepitu;

Libet jacere modò sub antiqua ilice:
Modò in tenaci gramine.

CAP. XIV. ℣. 24.

760. Simon, summus sacerdos ac Princeps Hebræorum, cupiens fœderari Romanis, misit ad eos Numenium, suum ablegatum, donavitque iis scutum aureum ingentis molis ac pretii. *Misit Simon Numenium Romam, habentem clypeum aureum magnum pondo mnarum mille, ad statuendam cum eis societatem.* 1. Mach. 14. v. 24.

Dona in tractatu pacis.

Æneas appulsus in Italiam, & desiderans bonum amicum habere Regem Latinum, misit ei solemnem legationem, divitibus instructam muneribus. de hoc hoc Virgilius 7. Æneid. v. 552.

Tum satus Anchisâ delectos ordine ab omni
Centum oratores augusta ad mœnia Regis
Ire jubet, ramis velatos Palladis omnes:
Donaque ferre viro, pacemque exposcere Teucris.

Similiter Silius Italicus l. 2. refert, Legatos ab Hispanis ad Hannibalem missos, attulisse ditissima munera, & inter ista

— Clypeum sævo fulgore micantem
Oceani gentes ductori dona ferebant
Callaica telluris opus, galeamque coruscis
Subnixam cristis, vibrant cui vertice coni
Albentes nivea tremulo nutamine penna.

CAP. XIV. ℣. 40.

Machabæi expressis legationibus, & amplissimis muneribus moliti sunt confœderationem cum Romanis, eamque etiam obtinuerunt. Unde etiam Rex Demetrius audivit ex fama publica, quòd Judæi passim cognominentur amici & socii Romanorum. *Audivit enim quòd appellati sunt Judæi à Romanis amici & socii. &c.* 1. Mach. 14. v. 40. 761.

Fœderati Romanorum socii & amici.

Quòd hi duo tituli amicorum & sociorum à Romanis attributi fint iis, quos habebant fœderatos, pluribus locis docet T. Livius. Decad. 5. d. 5. ait: *L. Cornelius Scipio missus est obviam Prusiæ Regi, amico, socioq; populi Romani.* Eadem Decade & eod. lib. ait; *Rhodios non ita meritos eo bello, ut amicorum & sociorum nomine habendi sint.* Et Decade 4. lib. 1. *Vermina filio Syphacis Regis per legatos petenti, ut Rex sociusq; & amicus ab senatu appellaretur. &c.*



LUMINA REFLEXA
EX
LIB. II. MACHABÆORUM.

CAP. I. v. I.

761. Uando Judæi, habitantes Hierosolymis, mittebant litteras ad alios Judæos, commorantes in Ægypto; tam illi, qui accipiebant, quàm qui scribebant litteras, usi sunt fratris nomine. *Fratribus, qui sunt per Ægyptum Judæis salutem dicunt fratres, qui sunt Jerosolymis.* 2. Mach. I. v. I. Adeoque fratris nomen usitatum est iis, qui non solùm tales sunt natalibus, sed etiam qui sunt ejusdem fidei, vel civitatis, vel etiam amici & amore devincti. Hujus formæ plena sunt sacra volumina. Unde Matth. 5. v. 27. *Omnis qui irascitur fratri suo, reus erit judicio.* c. 18. v. 15. *si peccaverit in te frater tuus, vade & corripe &c.* cap. 23. v. 8. *Omnes autem vos fratres estis &c.* Omnes homines non abs re vocari possunt fratres, præsertim fideles; *quoniam*, inquit S. Basilius Hom. 21. *non modò spiritualis pater unus est Deus, sed terrenus quoq; Adam, & mater tum Ecclesia, tum terra,*

Fratris nomen commune fidelibus.

Plato in Menexeno dixit; *Omnes, qui in una civitate vivunt, fratres esse.* Quintilianus scripsit; *Quoties blandiri volumus his, qui & amici esse videntur, nulla adulatio procedere potest, quàm ut fratres vocemus.* Et Lucretius lib. 2.

Cælesti sumus omnes semine oriundi,
Omnibus ille idem pater est.

CAP. I. ỹ. 13. &c.

763. ANtiochus Sedetes, Rex potens, conatus est desponsari cum Nanea, id est, Diana, seu, ut alii volunt, Venere; ob hanc causam ad templum illius Deæ, ut illud deprædaretur, & omnes divitias dotis titulo acciperet, se contulit, at in eodem templo, ubi volebat contrahere nuptias, vitam amisit, interfectus à sacerdotibus illius Deæ. *Cùm in Perside esset Dux ipse, & cum ipso immensus exercitus cecidit in templo Naneæ, consilio deceptus sacerdotum Naneæ, etenim cum ea habitaturus, venit in locum Antiochus, & amici ejus, & ut acciperet pecunias multas dotis nomine.* 2. Mach. cap. I.

Sponsalia cum Dea.

In hæc deliria incidêre antiqui, ut sponsas ducerent Deas, & cum iis matrimonia contraherent. De hoc argumento Seneca l. I. Suasor. *Despronderunt Athenienses Antonio in matrimonium Minervam: Antonius ait, se ducturum, sed dotis nomine imponere se illis mille talenta.* Ita Numa gloriabatur, se esse maritum Egeriæ, Anchises Veneris, Heliogabalus Uraniæ, Peleus Thetydis; unde Poëta,

Peleos & Thetydis veteres mirentur Achivi
Nobile conjugium. &c.

Unde etiam Caligula solebat gloriari, se esse matrimonio junctum Veneri, ut scribit Suetonius in ipsius vita. cap. 22.

CAP. I. ỹ. 20.

IGnis sacrificiorum, ab antiquis sacerdotibus absconditus in profundo cujusdam vallis puteo, reperiebatur penitus extinctus; unde quæsitus ab eorum successoribus, *non invenerunt ignem, sed aquam crassam.* Cùm verò hac aqua aspergerent victimas & ligna sacrificii, primo solis radio *accensus est ignis magnus, ita ut omnes mirarentur.* 2. Mach. I. v. 20. &c. 764.

Ignis accensus à se ipso.

Etiam apud Profanos reperitur ignis accensus, & seipso iterum accensus. Pausanias lib. 5. propè finem, scribit, se vidisse in quibusdam templis Lydiæ supra altaria cinerem coloris longè diversi à consueto; subjungitque; *Huic ingressus Magus, ubi sicco lignis impositis tiara caput velaris, implorat cognomen Dei; quicumque ille sit. Ex libro enim carmen recitat barbaricum, lingua plane ignota Græcis; ubi peroravit, sponte sua è lignis, nullo igne admoto, purissima emicat flamma.* Suetonius in vita Tiberii c. 74. inter præsagia, quæ ipsius mortem indicabant, etiam istud numerat; *Misenl cinis è favilla & carbonibus ad calefaciendum triclinium illatus, extinctus, & jam diu frigidus exarsit repentè &c.*

CAP. I. ỹ. 20.

IGnis descriptus lib. 2. Mach. c. I. n. 20. qui videbatur totus extinctus, & ab unico solis radio splendidissimè revivíscebat; significat ignem amoris, qui quidem nonnunquam creditur sopitus aut extinctus; quando verò subit oculos illius, quem homo mundanus vocat suum solem, mox reaccenditur, & amplissimas flammas concipit, ad hoc propositum S. Joannes Chlimacus *de fuga inanis vitæ.* gradu 3. *Solent diu sopita vitia reviviscere. &c.* 765.

Flamma impudica reviviscit.

Idipsum dixit Ovidius l. 2. de Remed.

Ut penè extinctum cinerem, si sulfure tangas,
Vivet, & ex minimo maximus ignis erit.

Sic

Sic nisi vitabis, quidquid revocabit amorem,
Flamma redardescet, quæ modò nulla fuit.

CAP. II. ℣. 26.

766. AUthor libri 2. Mach. testatur, se in brevem synopsin contraxisse, quæ alii prolixè & pluribus voluminibus scripserunt; idque ob majorem amœnitatem, facilitatem, & profectum legentium. *Curavimus volentibus quidem legere, ut esset animi oblectatio, &c. omnibus autem legentibus utilitas conferatur. Et nobis quidem ipsis, qui hoc opus breviandi causa suscepimus, non facilem laborem &c.* 2. Mach. 2. v. 26.

Compilatores Historiarum.

Ita omninò Valerius Maximus in Prologo sui operis. *Populi Romani, exterarumque gentium facta simul ac dicta memoratu digna, quæ apud alios latius diffusa sunt, quàm ut breviter cognosci possint ab illustribus electa auctoribus deligere constitui: ut documenta sumere volentibus, longa inquisitionis labor absit.* Justinus Historicus ait, quod quadraginta quatuor voluminibus Trogi Pompeji evolutis; *per otium, quo in urbe versabamur, cognitione quæq; digna excerpsi, sed omissis his, quæ nec cognoscendi voluptate jucunda, nec exemplo erant necessaria, breve velut corpusculum florum feci: ut haberent, & qui Græca didicissent, quo admonerentur, & qui non didicissent, quo instruerentur.*

CAP. II. ℣. 33.

767. PRoœmia voluminum respondere debent iis, quæ in corpore seu progressu operis succedent. Absonum enim foret, prolixo proœmio subjicere brevem historiam, & in optica erigere sumptuosum palatium, quod intus nonnisi quatuor miseris mansionibus terminaretur. *Stultum est, ante historiam effluere: in ipsa autem historia succingi.* 2. Mach. 2. v. 33.

Proœmia sint proportionata operi.

Ita docent bonorum scriptorum præcepta; inter alios Horatius in arte Poëtica reprehendens hanc improportionem, ait;

— — — *Amphora cœpit*
Institui; currente rota, cur urceus exit?

Et rursus:

Parturient montes, nascetur ridiculus mus.

CAP. III. ℣. 10.

768. ONias, summus sacerdos, interrogatus ab Heliodoro de multis divitiis collectis in ærario templi Hierosolymitani, respondit & demonstravit, *Deposita esse hæc, & victualia viduarum & pupillorum: quædam verò esse Hircani Tobiæ. &c.* 2. Mach. 3. v. 10. Adeoque templum serviebat pauperibus, ut ibi securè deponerent suas facultates. &c.

Templum est depositum civium.

Quod Hierosolymis in templo Dei usitatum erat, solebat etiam fieri in templis gentilium. Cicero lib. 2. de Leg. circa medium ait. *Sacrilego pœna esto, neq; ei soli, qui sacrum abstulerit, sed etiam ei, qui sacro commendatum. Quod & nunc multis fit in fanis. Alexander in Cilicia deposuisse apud Solem in delubro pecuniam dicitur; & Atheniensis Clisthenes Junoni Samiæ, civis egregius, cum rebus timeret suis, filiarum dotes credidit.* Herodianus lib. 1. describens incendium templi Palladis, ait; *Occultaverant in eo omnes, quas habebant, opes.* De hoc more etiam loquuntur Suetonius in vita Julii Cæsaris, & Josephus Hebræus lib. 14. Antiquit. c. 8. Virgilius 2. Æneid. v. 761. canit;

Et jam porticibus vacuis Junonis asylo
Custodes lecti Phœnix, & dirus Ulysses
Prædam asservabant; huc undique Troia gaza
Incensis erepta adytis, mensæque Deorum
Crateresque auro solidi, captivaque vestis
Congeritur &c.

Inter alios Dion Chrysostomus Orat. Rhodiaca 31. *Nostis haud dubiè Ephesios, apud quos multa sunt pecuniæ, partim privatorum recondita in Dianæ templo non solùm Ephesiorum, sed & hospitum, & hominum undecumque gentium: partim etiam populorum, regumque: Deponunt autem omnes eò, securitatis gratia, nemine unquam auso locum afficere injuria, tametsi plurima jam bella gesta sint, civitasque sæpius fuerit capta. &c.*

CAP. III. ℣. 19.

CAlamitas totius Hierosolymæ, & terror popularis nimiùm quantùm excreverunt, 769. quando viderunt, ab armata potentia Regis Seleuci, & à furibundis ac sacrilegis ipsius ministris spoliatum iri templum Dei, & ærarium sacrum. Unde etiam fœminæ, alias separatim vivere solitæ, præ terrore currebant per totam civitatem; aliæ properabant ad mœnia, ut viderent turmas regias, singulis momentis irrupturas; aliæ festinabant ad summum sacerdotem, & ad templum, ubi flebiles suas voces in cœlum spargebant, *Sed & virgines, quæ conclusæ erant, procurrebant in Oniam aliæ autem ad muros &c. universæ autem protendentes manus in cœlum deprecabantur.* 2. Mach. 3. v. 19. &c.

Fœminæ territæ currunt per civitatem.

Inter terrores civitatis, à potente hoste infestatæ vel occupatæ, semper videmus fœminas imbelles circumcurrere, & ad muros properare, suasque supplices voces ad cœlum elevare. Virgilius, loquens de Troja, à Græcis capta, 2. Æneid. v. 486. canit.

At domus interior gemitu, miseroque tumultu
Miscetur, penitusque cavæ plangoribus ædes
Fœmineis ululant: Ferit aurea sidera clamor,
Tum pavidæ tectis matres ingentibus errant.

Et v. 515.

Hic Hecuba, & natæ necquicquàm altaria circùm
Præcipites atra ceu tempestate columbæ
Condensæ, & Divûm amplexæ simulachra tenebant.

Ita etiam lib. 11. Æneid. v. 213.

Jam verò in tectis prædivitis urbe Latini
Præcipuus fragor, & longè pars maxima luctûs.
Hic matres, miseræque nurus, hic chara sororum

Pecto-

Pectora mœrentum puerique parentibus orbi.
Dirum execrantur bellum &c.

Statius lib. 3. Thebaid.

At nuptæ exanimes, puerique, agrique parentes
Manibus effusi per plana, per ardua passim
Quisque suas avidi ad lachrymas miserabile currunt
Certamen.

Et lib. 7.

Nondum hostis contra, trepido tamen agmine matres
Conscendunt muros. &c.

Torquatus Tassus in Jerus. Conquist. lib. 4 St. 20. ait, quòd Hierosolymis comparente exercitu Christiano;

I semplici fanciulli, e i vecchi inermi,
El volgo de le donne sbigottite,
Che non sanno ferir, ne fare schermi,
Supplicando ingombrar l' alte meschite,
Gli altri di corpo, e d' animo più fermi
Già frettolosi l' arme havean rapite
Altri à le porte, altri à le mura accorre &c.

CAP. III. ℣. 24. &c.

770. INjuriæ, irrogatæ templo, tamquam domui Dei, ab ipsomet Deo severissimis ac justis suppliciis vindicantur. Exemplo est sacrilegus Heliodorus & ipsius satellites; quibus ad deprædandum sacrum ærarium concurrentibus, isti ingenti timore perculsi, ac debilitate oppressi sunt; Heliodorus autem equi calce percussus, & flagellis cæsus, amisit visum & loquelam, mortuo similis elatus templo. *Spiritus omnipotentis Dei magnam fecit suæ ostensionis evidentiam, ita ut omnes, qui ausi fuerant parere ei, ruentes Dei virtute, in dissolutionem & formidinem converterentur. Apparuit enim illis quidam equus, terribilem habens sessorem &c. is, cum impetu Heliodoro priores calces elisit — Alii etiam apparuerunt duo juvenes &c. qui circumsteterunt eum, & ex utraque parte flagellabant, sine intermissione multis plagis verberantes. Subitò autem Heliodorus concidit in terram, eumque multa caligine circumfusum rapuerunt — & ille quidem per Divinam virtutem jacebat mutus &c.* 2. Mach. 3. à num. 24 ad 28.

Prædatores templorum puniti.

Valerius Maximus lib. 1. c. 1. refert, Appium Censorem fuisse excæcatum pœnæ loco, quòd administeria sacrificiorum Herculis assumpserit servos, cum ad eam functionem destinati essent nobiles ex familia Potitia; unde etiam intra unius anni spatium ex iis mortui sunt triginta juvenes. Fulvius Flaccus, ob ablatos ex Junonis Laciniæ templo aliquot lapides marmoreos, *post hoc factum mente non constitit: quin etiam per summam ægritudinem animi expiravit.* Duo insuper ipsius filii, dum in Dalmatia præliabantur, id luere debebant, uno prorsus extincto, & altero gravi infirmitate detento. Heliodori historiæ non absimile est, quod refert Henricus Spondanus in epitome Cardinalis Baronii ad Annum Domini 845 n. 4. ubi scribit, Ragenarium, supremum Nortmannorum belliducem, quòd sacrilega temeritate deprædatus esset Monasterium S. Germani, ab hoc sancto ita rigidè ac justè percussum jacuisse, ut trium dierum spatio vitam miserè amiserit.

CAP. IV. ℣. 14.

INiquitas Antiochi & Jasonis grandem corruptelam introduxit in Judæam; dum ipsi etiam sacerdotes, templi frequentandi loco accedebant palæstras, & relictis altarium ministeriis, occupabantur exercitiis luctæ & disci. *Ita ut sacerdotes jam non circa altaris officia dediti essent, sed contempto templo, & sacrificiis neglectis, festinare*nt *participes fieri palæstræ, & præbitionis ejus injustæ, & in exercitio disci.* 2. Mach. 4. v. 14. 771.

Luctæ & discussus exercitia militaria.

Etiam Græci ac Romani solebant exerceri in lucta & disco, versando massam quamdam marmoream aut plumbeam, præmium autem merebatur ille, qui eam vel altius, vel longius projiciens, majores demonstrabat vires. De his exercitiis minutim discurrunt Hieronymus Mercurialis & Petrus Faber in Gymnastica & Agonistica; De disco in particulari agunt Tullius l. 2. de Oratore. & Ovidius l. 10. Metam. Martialis l. 14. Epigr. 164.

Splendida cùm volitent Spartani pondera disci
Este procul pueri &c.

CAP. IV. ℣. 22.

IMpius Jason, ad gratiam scelerati Antiochi tanto magis conservandam, eum Hierosolymas summa pompa & magnificentia recepit; obviam ei procedens cum toto populo, manibus gestante faces, & excelsas laudes decantante. *Magnificè à Jasone & civitate susceptus cum facularum luminibus & laudibus ingressus est.* 2. Mach. 4. v. 22. 772.

Receptio cum facibus.

Accensæ faces solebant olim portari ante Reges Persarum, ut scribunt Xenophon. l. 8. Cyripædiæ. Q. Curtius lib. 3. Procopius lib. 1. Belli Persici. Ammianus Marcellinus lib. 13. Tertullianus in Apolog. c. 13. Cælius Rhodiginius l. 8. c. 2. & alii. de quo ritu vide suprà ad Lib. Judith. c. 3. v. 10.

Quantùm ad acclamationes populi, qui jubilantibus choris decantabat laudes Regis; etiam Athenienses Demetrio *cum sacris cantilenis tripudiantes ac canentes occurrerunt*, Plutarchus.

CAP. IV. ℣. 30.

QUando agitur de quadam fœmina, impudicè amata à Rege Antiocho; dicunt sacræ litteræ, eam habuisse nomen Antiochæ; ut nimirum utrique amanti commune esset idem nomen. *Contigit Tharsenses & Mallotas seditionem movere, eò quòd Antiochidi, Regis concubinæ, dati essent.* 2. Mach. c. 4. v. 30. Ita multi opinantur, uxorem Philippi, fratris Regis Herodis, habuisse peculiare nomen; vocatam tamen fuisse Herodiadem; *Herodes enim tenuit Joannem, & alligavit eum, & posuit in carcere propter Herodiadem uxorem fratris sui.* Matth. 14. v. 3. ut, quemadmodum erant socii incestus, etiam essent nominis; *& sociaretur Herodi Herodias*, inquit S. Petrus Chrysologus Serm. 73. *ne essent vel nomine dissimiles, qui erant scelere, moribus, vitaq; consimiles, & jungerentur vocabulo, quos criminum junxerat turpitudo.* Ita Salomon, volens dici pacificus, junxit sibi sponsam, cognominatam Sulamitidem Cant. 6. v. 12. quod nomen significat pacificam. 773.

Nomen amantis datum amatæ.

Vetus

Vetus amantium mos fuit, ut sponsi suas sponsas proprio insignirent nomine. Athenæus l. 13. c. 13. *Euxenus mulierem accepit, unà habitabat, mutatoque nomine Aristoxenam appellavit*; quæ puella, ut testatur Athenæus, paulò ante *appellabatur Petta*. Unde quia nomen *Euxenus* significat benè *hospitalis*; charæ suæ sponsæ dedit nomen *Aristoxena*, quod significat *optimè hospitalem*. Simili modo Stella, nobilissimus juvenis, uxorem ducens Violantillam, sæpius eam vocat nomine *Asteris*, quod Græcè significat *stellam*; sicque sponsæ suæ ipsum etiam nomen suum commune faciens, ut insinuat Statius lib. 1. Sylv. 2.

Asteris, & vatis totam cantata per urbem:
Asteris ante dapes, noctu Asteris, Asteris ortu.

CAP. IV. ℣. 30.

774. Civitates Tharsus & Mallo, sitæ in Cilicia, ultra modum stomachabantur & seditiosos tumultus commovebant contra Antiochum, quod destinatæ essent obsequio cujusdam effrontis meretricis, Antiochidis nomine. *Contigit Tharsenses & Mallotas seditionem movere, eò quòd Antiochidi, Regis concubinæ, dono essent dati*. 2. Macch. 4. v. 30.

Civitas donata concubinæ.

De hac liberalitate Regum Persiæ versùs suas concubinas ait Cicero Act. 5. in Verrem; *Solere aiunt barbaros Reges Persarum & Syrorum plures uxores habere: his autem uxoribus civitates attribuere hoc modo: hæc civitas mulieri redimiculum præbeat, hæc in collum, hæc in crines: ita populos habent universos non solùm conscios libidinis suæ, verùm etiam administros.* Idem affirmant Socrates, citatus à Platone in vita Themistoclis; Athenæus l. 1. Strabo lib. 14. &c.

CAP. IV. ℣. 33.

775. Onias, sanctus Pontifex, ab Antiocho Rege iniquè privatus sacerdotio, exul habitavit Antiochiæ, ut enim tutus esset à furore tyrannico illius barbari, extra civitatem se recepit propè Daphnem, securitatis & asyli locum. *Ipse in loco tuto se continens Antiochia, secùs Daphnem*. 2. Mach. c. 4. v. 33.

Asylum Daphne.

Apud omnes propè nationes semper fuêre loca refugii pro miseris infestatis; quorum insigniora commemorat Alexander ab Alex. l. 3. c. 20. Inter hæc nobilissimus fuit lucus, plantantus extra Antiochiam, nomine Daphne; sive quia abundabat lauris, sive quia lauri ibidem erant consecratæ Apollini. De hoc Strabo lib. 15. *Ulterius est Daphne ad stadia quadraginta mediocris habitatio, & lucus ingens, & opacus, fontanis aquis irriguus, in cujus medio est fanum, & asylum Apollinis, & Dianæ delubrum &c.* Verùm de Asylis egimus suprà ad Num. c. 35. v. 6.

CAP. V. ℣. 2.

776. Priusquàm Antiochus cum suo exercitu excurreret ad Judæam infestandam & vix non evertendam; viderunt in cœlo manifesta prognostica; comparentibus in aëre coordinatis turmis equorum, & armatorum equitum, qui inter se acerrimè præliabantur. *Contigit autem per universam Hierosolymorum civitatem videri diebus quadraginta per aëra equites, discurrentes, auratas stolas habentes, & hastis, quasi cohortes armatos. Et cursus equorum per ordines &c.* 2. Mach. 5. v. 2. &c.

Præsagia belli.

Priusquam Titus cum exercitu Romano caperet Hierosolymas, visa fuêre similia prodigia. Nam, ut scribit Josephus lib. 7. de Bello c. 12. *visi sunt per inane ferri currus totis regionibus, & armatæ acies, tranantes nubila, & civitati circumfusa.* Idquod confirmat Egesippus l. 5. Excidii. cap. 44. Plinius l. 2. c. 57. scribit; *Armorum crepitus, & tubæ sonitus auditos è cœlo Cimbricis bellis accepimus, crebrosque & prius & postea. Tertio verò consulatu Marii ab Amerinis & Tudertibus expectata arma cælestia ab ortu, occasuque inter se concurrentia, qui ab occasu erant.* Similia signa præcesserunt occisionem Cæsaris; de quibus Appianus l. 4. Civil. *Hominum immanes voces, armorum strepitus, equorum cursus inspectante nemine audiebantur.* Idem accidit tempore S. Gregorii, quando Longobardi infestabant Italiam; ait enim Hom. 1. in Evangel. *Priusquam Italia gentili gladio ferienda traderetur, igneas in cœlo acies vidimus &c.* De his signis videatur Josephus Obsequens l. de Prodigiis c. 7. & 9. Cornelius à Lap. in hunc loc. Ludovicus la Cerda 1. Georgic. v. 474.

CAP. V. ℣. 21.

Postquàm Antiochus sacrilego ausu templum Dei spoliavit mille & octingentis talentis, 777. superbè existimavit se absolutum elementorum dominum, aususque est præsumere, se facturum, ut terra fieret navigabilis, possentque naves supra illam currere; mare econtra consolidaretur, turmæque peditum & equitum supra illud progrederentur. *Antiochus, mille & octingentis ablatis de templo talentis, velociter Antiochiam regressus est, existimans, se præ superbia, terram ad navigandum, pelagus verò ad iter agendum deducturum.* 2. Mach. 5. v. 21 ubi Textus Græcus; *Terram quidem navigabilem, & ipsum mare pedibus pervium seu ambulabile facturum.*

Attentata impossibilia.

Simili phrenesi occupatus fuit Xerxes, de quo Joannes Tzetze Chiliad. 1. Hist. 32. *Etiam naturas elementorum voluit innovare.* Et Chiliad. 7. Histor. 138. *In terram quidem mare, & montes in mare convertit.* Volens enim alterutrum facere aut tentare, rem molitur prorsùs arduam & impossibilem.

CAP. VI. v. 3.

Execranda fuêre scelera, commissa in Judæa, 778. quando Antiochus ad eam contaminandam advenerat; augustissimum Dei templum commutabatur in lupanar, ubi omnes perceptibiles turpitudines sine rubore peragebantur. *Pessima autem, & universis gravis erat malorum incursio: nam templum luxuriâ & commessationibus gentium erat plenum, & scortantium cum meretricibus &c.* 2. Mach. 6. v. 3. &c.

Templum factum lupanar.

Propria Gentilium fuit temeritas, profanandi templa suis lasciviis. De his Arnobius l. 8. contra Gentes; seu rectius Minutius Felix in Octavio: *Ubi autem magis à sacerdotibus, quàm inter aras & delubra conducuntur stupra, tractantur lenocinia, adulteria meditantur? frequentius denique in æditorum cellulis, quàm in ipsis lupanaribus flagrans libido defungitur.* Juvenalis, abominans dissolutas licentias suorum templorum:

Sed nunc ad quas non Clodius aras?

Clodii nomine intelligens quemcunque adulterum. Et Satyrâ 9 repræsentat templa Isidis, Cereris, Cybeles, & Pacis, contaminata omnis generis libidinibus.

Nuper enim ut repeto fanum Isidis, & Ganymedem
Pacis, & advecta secreta palatia Matris,
Et Cererem (nam quo non prostat fœmina templo?)

CAP. VI. ℣. 7.

779. VEhementi & tyrannicâ violentiâ fuêre miseri Israëlitæ à barbaro Antiocho oppressi, & die ipsius natali coacti, accedere profana altaria, assistere sacrilegis sacrificiis, & manducare carnes, quas instar mortis abominabantur. *Ducebantur autem cum amara necessitate in die natali Regis ad sacrificia.* 2. Mach. 6. v. 7.

Sacrificia in die natali.

Quòd Gentiles in suis natalibus consueverint offerre sacrificia, demonstrat Martinus Roa *de die Natali.* cap. 6. *Ita Tibullus*, inquit, *natalem diem acturus, ea præfatur, quæ in sacrificiis imperantur;*

Dicamus bona verba, venit natalis ad aras &c.

Idque comprobat testimoniis Ovidii, Persii, & Horatii, post quos adducit Plinium l. 18. *Et hodie sacra prisca, atque natalium, pulte fitilla conficiunt.*

CAP. VI. ℣. 7.

780. ANtiqui Gentiles in venerandis falsis Diis solebant coronari iisdem frondibus & ramusculis arborum, quæ Diis illis erant consecratæ. Unde mirum non est, quòd Hebæi, coacti assistere sacrificiis, in honorem Bacchi institutis, sese coronârint hederâ, cum hæc sit consecrata Baccho. *Cum Liberi sacra celebrarentur, cogebantur hederâ coronati Libero circuire.* 2. Mach. 6. v. 7.

Hedera dicata Baccho.

Erat proinde hedera dedicata Baccho, uti docuit Plutarchus 3. Probl. 6. *Nonne majores nostri hederam Libero patri assignaverunt, & consecraverunt?* Idem refert Novarinus lib. 2. Elect. n. 761. Ovid. 3. Fast.

Cur hedera hac cincta est? hedera est gratissima Baccho.

Ita Pindarus *in Olimpiis* vocat Bacchum *hederaceum*; & Aristides ad Numen istud conversus Orat. 4. *Salve, O Rex hedera Dionysi.* Rursùs Ovidius l. 6. Fastor.

Bacche racemiferos hederâ redimite capillos.

Præclarè ad propositum nostrum Plinius lib. 16. c. 4. *Ferunt primùm omnium Liberum patrem imposuisse capiti suo ex hedera coronam. Postea Deorum honori sacrificantes sumpsêre &c.*

CAP. VI. ℣. 7.

781. UT manifestum esset, Israëlitas fabuloso numini Baccho contulisse divinos honores, cogebantur coronari hederâ, & civitatem instar bacchantium circuire; vel certè tanquam ebrii circuire templum aut altare. *Cogebantur hederâ coronati Libero circuire,* 2. Mach. c. 6 v. 7. De hoc circuitu, usitato in rebus sacris, David Psalm. 25. v. 6. ait; *Lavabo inter innocentes manus meas, & circumdabo altare tuum Domine &c.*

Circuitus in adoratione.

Hic ritus adorandi Deum cum circuitu corporis, sæpè commemoratur apud profanos. Pithagoras inter alia symbola etiam istud affert; *Adorandum circumactu corporis.* Plutarchus in vita Numæ ait: *Numæ quædam instituta rationem habent involutam, ut sunt illa: ne libes Diis ex vite non putata: ut sacrifices sine farre; circumagas te, dum Deos adoras.* Ita Plinius l. 28. c. 2. *In adorando dexteram ad osculum referimus, totumque corpus circumagimus,* de hoc ritu videatur Cælius Rhodiginius lib. 1. cap. 1.

CAP. VI. ℣. 14.

MAlè usuvenit illis peccatoribus, qui à Deo longanimiter supportantur: ipsius enim plagæ, quantò tardius inferuntur, tandem accidunt tantò graviores & magis doloriferæ. *In aliis nationibus dominus patienter expectat, ut eas, cum judicii dies advenerit, in plenitudine peccatorum puniat.* 2. Mach. 6. v. 14. 782.

Ira à quo tardior, tantò gravior.

Lento enim gradu, inquit Valerius Maximus lib. 1. c. 1. *ad vindictam sui divina procedit ira: tarditatemque supplicii gravitate compensat.* Hanc sententiam cum applausu acceptavit S. Hieronymus, eamque doctis suis voluminibus providè inseruit.

CAP. VI. ℣. 24.

MUltæ rationes persuasêre Eleazaro, ut abstineret carnibus porcinis, vetitis in lege Mosaica; primaria tamen fuit, ne juventuti præberet malum exemplum, quæ solet observare actiones suorum majorum, & vestigia hominum celebriorum insequi. *Non enim ætati nostra dignum est, inquit, fingere; ut multi adolescentium, arbitrantes, Eleazarum nonaginta annorum transisse ad vitam alienigenarum: & ipsi propter meam simulationem &c. decipiantur &c.* 2. Mach. 6 v. 24. &c. De hàc imitatione, quæ deprehenditur in minoribus ergà suos majores, differit S. Hieronymus in Epistola ad Heliodorum, rursus promotum ad Episcopatum; *In te omnium oculi diriguntur: domus tua, & conversatio tua, tamquam in specula constituta, magistra est publicæ disciplinæ, quidquid feceris, id sibi omnes faciendum putant.* 783.

Exemplum majorum.

Tullius lib. 3. de Leg. *Non tantùm mali est peccare principis; quamquam est magnum hoc per se malum, quantum illud, quod permulti etiam imitatores principum existunt. Principes non solum vitia concipiunt ipsi, sed ea infundunt in civitatem, neque solùm obsunt, quod illi ipsi corrumpuntur, sed etiam quod corrumpunt, plusque exemplo, quàm peccato nocent.*

CAP. VI v. 27.

PLus, quàm unquàm aliàs, generosus Eleazarus geminavit animi sui fortitudinem, quando meminit, virtutem, in senibus observatam, servire juvenibus instructionis loco, & tanquàm miræ efficacitatis magistram; insuper ætate minores ad ipsos imitandos ita concitari, ut leoninâ magnanimitate superent omnes adversitates. *Fortiter* 784.

tiser vitâ excedendo, senectute quidem dignus apparebo: adolescentibus autem exemplum forte relinquam. &c. 2. Machab. 6. v. 27. & num. 31. *Et iste quidem hoc modo vitâ decessit, non solùm juvenibus, sed & universæ genti memoriam mortis suæ ad exemplum virtutis & fortitudinis derelinquens.* Unde S. Ambrosius lib. 2. de Jacob cap. 11. justè ridet Antiochum Regem, quòd carnificinam incipiens ab hoc generoso sene, non tantùm non terruerit, sed animaverit Israëlitas ad heroicam illam tollerantiam. *Insultare licet tyranno, qui dum callidè à sene incipiendum putat, magistrum eligit, quo discipulos faceret fortiores.*

Exemplum senis animat juvenes.

Simile spectaculum fuit innovatum in Leone Gallo, de quo Eusebius Gallicanus Homil. de Martyr. Lugdunens. *Rapitur ad impiam quæstionem grandævus & plenus dierum beatus pater noster Photinus, Ecclesiæ hujus Antistes cui in ipso vitæ limine constituto, finem suum non tam natura contigit debere, quàm gloria. Corroborantur hinc pia mentes tanti parentis exemplo, & parata supplicia non tam suscipiunt, quàm invadunt.* Agesilaus, Rex Spartarum, onustus annis & canitie, inter rigores hyemis sæpius visus fuit ambulare detecto capite, excalceatus, & absque tunica. Interrogatus cur hoc faceret: respondit; *Ut juvenes hanc vitæ rationem imitentur, cum exemplum habeant, & extremæ senectutis hominem, & principem.*

CAP. VII. ℣. 1.

785. ANtiochus, spumans iracundiâ, ac ignito & furibundo tauro similis; cùm sacrilegos suos furores contra juvenes Machabæos evomeret, præ omnibus aliis suppliciis assumpsit nervos taurorum, quibus eos jussit ferocissimè verberari ac dilaniari. *Contigit autem & septem fratres, unà cum matre sua apprehensos, compelli à Rege edere contra fas carnes porcinas, flagris, & taureis cruciatos* 2. Mach 7. v. 1.

Nervus tauri est instrumentum supplicii.

Cælius Rhodiginius lib. 10. Lection. Antiq. cap. 5. innixus relationi Eutropii, scribit; Tarquinium Superbum fuisse primum, qui inter Romanos invenerit *vincula, tauteas, fustes*: quibus utebantur Domini irati ad castigandos delinquentes servos. Id quod insinuavit Plautus:

Ubi vivos homines mortui incursant boves.

Et Juvenalis Satyrâ 6.

. . . Taurea punit
Continuò flexi crimen, facinusque capilli.

CAP. VII. ℣. 4.

786. ÆGerrimè ferens superbus Antiochus, quod primus septem fratrum Machabæorum se generosè obtulerit promptum ad omnia tormenta potius subeunda, quàm ut legem Moysis ac Dei unquam transgrederetur: jussit ei amputari linguam. *Jussit ei, qui prior fuerat locutus, amputari linguam.* 2. Mach. 7. v. 4. In hunc locum aliqui Rabbini opinantur, magnanimum juvenem non expectâsse operam carnificum, sed propriâ manu sibi linguam abscidisse. *A fortissimo juvene truncatam dentibus linguam in faciem Regis fuisse projectam.* Balthasar Bonifacius Ludic. Histor. lib. 1. c. 22.

Lingua amputata.

Nicocreon Tyrannus, cùm sub ipsius aspectu in mortario contunderentur membra & ossa Anaxarchi; superatus ab heroica hujus patientiæ fortitudine, qui in tormentis semper jocabatur, jussit, ut carnifices ei linguam abscinderent. At Anaxarchus eos præveniens, propriis dentibus illam præcidit, & in faciem Tyranni expuit. Valer. Max. lib. 3. c. 3. n. 4.

Leonissa, fœmina Atheniensis, ne revelaret arcana suorum amicorum, cum à tyranno crudeliter torqueretur, *linguam comestam in faciem Tyranni sævientis expuit, ut expueret & vocem.* Tertullianus Apolog. cap. 50. & Plinius lib. 7. cap. 23.

CAP. VII. ℣. 4.

JUssit Antiochus, ut primo generosorum juvenum Machabæorum horrendâ crudelitate detraheretur pellis è capite, & truncaretur summis pedibus & manibus. *Et cute capitis abstractâ, summas quoque manus & pedes ei præscindi.* 787.

Pellem detrahere.

Si de excoriando capite aut aliis membris agatur, Astyages, Princeps majoris Armeniæ; *vivo Bartholomæo pellem crudeliter detrahi jussit, ac caput abscindi.* Brev. Rom. 24. Aug. Totila, Rex Gothorum, in furorem actus, quòd septem annos impendisset expugnandæ civitati Perusinæ, rabiem suam evomuit in sanctissimum Episcopum Herculanum, meum Concanonicum; cui *jussit pellem à vertice capitis, usque ad calcaneum in corrigiæ modum detrahi.* offic. Can. Reg. 1 Martii. De Marsia fingunt Poëtæ, quòd ab Apolline vivus fuerit excoriatus. Ovidius *in Ibin.* Cambises, Persarum Rex, Judici cuidam injusto ac corrupto, fecit detrahi pellem, eâque cooperiri jussit tribunal judiciarium, in quo successorem constituit defuncti filium. Valerius Maximus lib. 6 cap. 3. Theodoretus de persecutione Persica scribit; *Quorundam manibus, aliorum tergis, corium detrahebant: aliorum capita à fronte excorsi ad barbam usque, cute exuunt.* Victor Uticensis de persecutione Vandalica lib. 2. scribit, quòd Barbari isti, quando viderunt Catholicos ad Ecclesiam euntes, *illicò palis minoribus dentatis, jactis in capite, crinibusque in eisdem colligatis, ac vehementius stringentes simul cum capillis omnem pelliculam capitis auferebant. Nonnulli dum hoc fieret, statim oculos amiserunt, alii ipso dolore defuncti sunt.* Mustapha, Turcarum Imperatoris Præses provincialis, vulgò Bassa, postquam in obsidione Famagustæ perdidit octoginta millia militum, tandem civitatem accepit cum certis conditionibus, inter quas erat, ut Veneti servarentur incolumes. At subjugatâ civitate, ruptisque barbaro modo pactis, Marco Antonio Bragadino, qui civitatem integro anno generosè propugnavit, detraxit pellem, ac vitam abstulit. Boissard. in vita Mustaph.

Si loquamur de manibus & pedibus truncatis; sub Imperatore Claudio sanctis Martyribus Mario, Marthæ, Audifaci, & Abachum, inter alios insultus fuêre Romæ truncatæ manus. Brev. Rom. 19. Jan. Crescens, Patritius Romanus, ab Ottone Imperatore debellatus, victus, & fugatus; posteà verò rursus captus, fuit punitus mutilatione membrorum, & tandem suspendio. Simili modo Phocæ Imperatori imprimis recisæ manus, & posteà vita ferro ablata est. Ita Arcadio manus, posteà pedes, & dein aliæ cor-

poris partes resecatæ sunt. Laurentius Beyerlinck Theat. tit *Mors, mutilatione*.

CAP. VII. ℣. 9.

781. SAncti Machabæi lætâ fiduciâ occurrerunt morti, cum meminissent, se non perdere animam, sed depositi loco committere, ut iterum recipiant. Eorum unus, conversus ad Antiochum, dixit; *Tu quidem scelestissime in præsenti vita nos perdis: sed Rex mundi defunctos nos pro suis legibus in æterna vita resurrectione suscitabit*. 2. Mach. 7. v. 9. Alius v. 11. *E cœlo ista possideo. sed propter Dei leges nunc hæc ipsa despicio, quoniam ab ipso me recepturum spero*. Et alius v. 14. *Potius est, ab hominibus morti datos spem expectare à Deo, iterum ab ipso resuscitandos, &c.*

Resurrectio corporum.

Mirificè in rem præsentem Seneca Epist. 46. *Desinunt ista*, inquit, *non pereunt. Et mors, quam pertimescimus, ac recusamus, intermittit vitam, non eripit. Veniet iterum, qui nos in lucem reponat dies &c.*

CAP. VII. ℣. 27.

789. MAter Juvenum Machabæorum, juxta morem Judææ, conversa ad suum filium natu minimum, dixit; O mi chare fili! recordare, quòd *te in utero novem mensibus portavi, & lac triennio dedi*. 2. Mach. 7. v. 27. Adeoque in Palæstina tribus annis lactabant suos filios.

Infantes lactati tribus annis.

Quòd hæc temporis dimensio plurimùm conveniat lactandis infantibus, demonstrat, juxta doctrinam Galeni, Valesius cap. 83. suæ sacræ Philosophiæ. Nostræ leges Civiles in Codice, tit. *de patria potestate*, disponunt, matrem teneri primis tribus annis ad nutrimentum lactis teneræ suæ proli dandum.

CAP. VII. v. 27.

790. MAter sanctorum Machabæorum, ut filium natu minimum ad supplicia viriliter & generosè sustinenda incitaret, in memoriam ei revocavit labores, in ipso nutriendo tolleratos; petiitque, ut nunc sanguine, in honorem Dei oblato, compensaret lac, quod ex matris uberibus suxit; adhæc sub oculos ipsius posuit cœlum, ad quod aspiraret, tanquam ad felicem terminum; & terram, quam magnanimo pectore contemneret. *Fili mi, miserere mei, quæ te in utero novem mensibus portavi, & lac triennio dedi &c. Peto, nate, ut aspicias ad cœlum & terram &c.* 2. Mach. 7. v. 27. &c.

Mater incitans filium ad mortem.

P. Nicolaus Caussinus, inhærens Historiis Ecclesiasticis, introducit S. Felicitatem in Tragœdia, quæ ab ipsa nomen sortita est; ubi scenâ penultimâ, Act. 5. cum suo filio natu minore ita discurrit.

O Martialis, lumen afflictæ domûs,
Miserere matris, nate, miserere, obsecro.
Emancipatum Cæsari subdes caput?
Non es tuus, non es meus, sacer es Deo.
Fili, tuere candidum cœli globum,
Tuere puras solis ardentis faces,
Tuere terram, & spatia prætexti maris &c.

CAP. VII. ℣. 28. &c.

ANima, attentè considerans gloriam, in cœlo paratam iis, qui virtuosè agunt, accipit validissimas vires ad superanda omnia supplicia, & ipsos etiam tyrannos contemnendos. Unde mater juvenum Machabæorum, animatura suum filium natu minimum, ad mortem liberè sustinendam, dixit; *Peto, nate, ut aspicias ad cœlum &c. ita fiet, ut non timeas carnificem istum* 2. Mach. cap. 7. v. 28. &c. 791.

Cœlum considerantem ro. bur.

His ipsis affectibus mater S. Symphoriani, die 22. Augusti, suo filio, in tormentis constituto, dixit; *Nate, nate, memento æternæ vitæ, cœlum suspice, & ibi regnantem intuere*. S. Felicitas, uti in ipsius vita refertur, septem filios, in carnificum manibus positos, ita hortata est; *Videte, filii, cœlum, & sursum aspicite: ibi vos expectat Christus cum sanctis suis. Pugnate pro animabus vestris &c.* Et Sophronia, consolatura Olindum, mortis imminentis terrore suspirantem, dixit:

Mira il cielo com' è bello, e mira il Sole,
Che à se par che m'invite, e ne console.

CAP. VIII. ℣. 23.

OLim solebant Belliduces suis militibus dare nomen, quo subditi fideles discernerentur ab hostibus. Judas Machabæus cum sex millibus suorum militum è fronte habens immensum exercitum Nicanoris, indidit suis militibus hoc nomen; *Auditor suis est Deus*. Ita certè insinuat sacer textus 2. Mach. 8. v. 23. *Et dato signo adjutorii Dei, in prima acie ipse Dux commisit cum Nicanore*. Benè videlicet demonstrans, in adjutorio Dei unicè repositam esse suam spem consequendæ victoriæ. 792.

Nomen Dei, datum militibus.

Etiam Gentiles solebant inter alia nomina, quæ suis exercitibus imponebant, isto uti; *Nobiscum Deus*; ut affirmat Vegetius l. 3. c. 5. Ita Appianus l. 2. *de Bellis civilibus*, refert, quòd Pompejanis in prælio Pharsalico datum fuerit nomen; *Hercules invictus*. & Cæsarianis; *Victrix Venus*. Cyrus major, teste Xenophonte lib. 3. suos milites hoc nomine insignivit; *Jupiter belli socius & Dux*. Et Cyrus minor; *Jupiter Servator*; ut rursus meminit Xenophon l. 7. Cyropæd. de quibus nominibus multa colligit Alexander ab Alexandro lib. 4. cap. 2.

CAP. VII. ℣. 28.

JUdas Machabæus non minorem demonstravit pietatem erga miseros, quàm fortitudinem erga hostes. Sicuti enim in prælio occisis suo gladio superbis barbaris, obtinuit victoriam, ita prædas omnes distribuit inter debiles, pauperes, & viduas ad sublevandam eorum miseriam. *Post Sabbathum verò debilibus, & orphanis, & viduis diviserunt spolia*. 2. Mach. 8. v. 28. 793.

Bellidux misericors

Quivis bonus Bellidux deberet, post obtentam victoriam, se Deo gratum sistere, & partem spoliorum impendere in opera pietatis, charitatis, & misericordiæ. Discant hanc maximam non solùm à S. Juda Machabæo, sed ab ipso Turca, qui, obtentâ insigni victoriâ, ad reddendas gratias solet erigere aliquod hospitale, eique opportunam dotem assignare, ad alendos & sustentandos pauperes ac infirmos.

CAP.

CAP. IX. ℣. 9.

794. MOrbus pedicularis, tametsi nonnunquam oriatur ex subtilitate & dulcedine temperamenti; aut ex sorditie & unctura corporis parùm culti; sæpè tamen est merum flagellum seu supplicium, à Deo expresè immissum; uti accidit Antiocho, ejusmodi infirmitate oppresso. *Ita ut de corpore impii vermes scaturirent &c.* 2. Mach. 9. v. 9. Etiam Herodes Agrippa, occisor S. Jacobi, & capitalis persecutor S. Petri Apostoli; percussus ab Angelo, *consumptus à vermibus expiravit.* Act. 12. v. 23.

Morbus pedicularis.

Huic morbo subjacuêre Maximianus Imperator, crudelis Christianorum inimicus teste Eusebio l. 8. c. 18. Julianus Apostata, teste Sozomeno l. 5. c. 8. Hunnericus, Rex Vandalorum, capitalis persecutor Catholicorum de quo Victor Uticensis lib. 3. Vandal. persecut. ait: *Tenuit dominationem regni annis septem, mensibus decem, meritorum suorum mortem consummans; nam putrefactum, & ebulliens vermibus, non corpus, sed partes corporis ejus videbantur esse sepultæ.*

CAP. IX. ℣. 10.

795. QUando agitur de persona superbo fastu, & arroganti elatione agitatâ; proverbii loco dici solet, quòd ambulet inter stellas, capite cœlum tangat &c. Hæc loquendi forma pluribus locis sacrarum litterarum usitata est; expresè tamen de Rege Antiocho, divinitùs castigato, dicitur. 2. Mach. 9. v. 10. *Et qui paulò ante sidera cæli contingere se arbitrabatur, eum nemo poterat propter intolerantiam fœtoris portare.*

Tangere cœlum & stellas.

Proverbio illo frequenter utuntur Poëtæ; Horatius:

Quod si me Lyricis vatibus inseras,
Sublimi feriam vertice sidera.

Ovidius:

Et Dis cara ferar, & sidera vertice tangam.

Seneca in Thyeste.

Æqualis astris gradior, & cunctos super
Altum superbo vertice contingens polum.

Et Propertius lib. 1.

Nunc mihi summa licet contingere sidera plantis.

CAP. IX. ℣. 11.

796. OCuli mentis à felicitate clauduntur, & ab infelicitate aperiuntur; ita superbus ille peccator, gaudens perfectâ salute, nec se ipsum cognoscebat, nec Deum; tortus autem infirmitate, confessus est propriam vilitatem, & agnitâ potentia ac majestate divinâ, humiliter ad eam recurrit. Certè Antiochus, incurabili morbo oneratus; *cœpit, ex gravi superbia deductus ad agnitionem sui venire, divinâ admonitus plagâ &c.* Unde ita ait. *Justum est, subditum esse Deo, & mortalem non paria Deo sentire.* 2. Mach. 9. v. 11.

Morbus facit oculatum.

Hanc veritatem comprehendit Plinius minor l. 7. Epist. 26. ad Maximum, *Nuper me cujusdam amici languor admonuit, optimos esse nos, dum infirmi sumus. Quem enim infirmum aut avaritia, aut libido sollicitat, non amoribus servit, non appetit honores, opes negligit, & quantulumcumque, ut relicturus, satis habet, tunc Deos, tunc hominem esse se meminit &c.* adeoque infirmitas est medicina purgans animæ, eamque mundans à malis & vitiosis humoribus; est insuper collyrium, expurgans infirmos & obfuscatos oculos.

CAP. IX. ℣. 12.

SUperbia Antiochi eousque progressa est, ut se Deum existimaverit, sacrilego furore protestans, à se non agnosci aliam Deitatem, at quando in lecto decubuit, vivus corrosus à vermibus, tortus à doloribus, & instar fœtidi cadaveris à nemine supportandus; tunc *ita ait; Justum est, subditum esse Deo, & mortalem non paria Deo sentire.* 2. Mach. 9. v. 12. 797.

Infirmitas corporis est salus animæ.

Antigonus, Rex Macedoniæ, convalescens ex quadam infirmitate, dixit; *Hic morbus submonuit nos, ne animo efferamur, cum simus mortales.* Alexander Magnus à suis adulatoribus libenter accepit titulum filii Jovis; at graviter in prælio vulneratus, agnovit inane suum delirium; dixitque hic sanguis, è meo vulnere profiliens, me edocet, ac confiteri jubet, quòd nihil ultra hominem sim. Terentius Heauton. Act 1. Scena 1. canit:

Humani homo à se nihil alienum putet.

Sanior ratio persuadet, teste Sophocle in Trachiniis; *Mortalem sapere mortalia*; & ut vult Tullius l. 5. Ep. 16. seu 17. *Hominem meminisse se hominem.*

CAP. X. v. 7.

MAchabæi, post obtentas victorias, recuperatas Hierosolymas, & purificatum templum, à Gentilibus profanatum; ad honorem Dei celebrârunt aliqua festa, instructi ramis arborum, & palmas manibus tenentes. *Thyrsos & ramos virides, & palmas præferebant ei, qui prosperavit mundari locum suum.* 2. Mach. 10. v. 7. 798.

Rami arborum portati diebus festivis.

Gentiles, quando celebrârunt festa Bacchi, manibus tenebant hastas, circumdatas viridibus hederis, quas vocabant thyrsos, sicque cum lætitia circuibant. Ovidius 4. Metam. loquens de festis Bacchi.

- - - Festum celebrare sacerdos,
Immunesque operum famulas, dominasque suorum
Pectora pelle tegi, crinales solvere vittas
Serta comis, manibus frondentes sumere thyrsos
Jusserat.

CAP. X. ℣. 13.

QUando agitur de Ptolomæo, cognomine Macro, homine justo, & Israëlitarum amico, refert sacer Historicus 2. Mach. 10. v. 13. quòd bibens venenum, vitam miserè finiverit, cùm non posset sufferre titulum proditoris, quod sibi è multis locis in faciem objectum audiverat. *Cùm frequenter proditor audiret &c. veneno vitam finit.* id est, *frequenter proditor appellaretur*, seu; *audiret hoc nomen proditor sibi frequenter objici.* 799.

Audiret pro appellaretur.

Hæc loquendi forma familiaris est literatis. Unde Horatius l. 1. Epist. 7.

Sæpè verecundum laudâsti: Rexque, Paterque
Audisti coram.

Id est, audisti salutationes, quæ te acclamabant Regem & Patrem. similiter lib. 1. Satyr. 7.

Subtili, veterum judex, & callidus audis.

Unde est frequentissimum illud; *Benè audis, malè audis.*

CAP X. v. 29.

300. COepto jam prælio inter Judæ Machabæi pauculas turmas, & numerosum exercitum Timothei; subitò in auxilium Judæ comparuerunt cœlestes Angeli, qui in forma fortissimorum militum defenderunt Judam, & hostem ad internecionem deleverunt. *Cùm vehemens pugna esset, apparuerunt adversariis de cælo viri quinque in equis, frenis aureis decori, ducatum Judæis præstantes &c.* 2. Mach. 10. v. 29. Et rursus cap. 11. v. 8. de Juda, & ipsius militibus dicitur; *Apparuit præcedens eos eques in veste candida, armis aureis hastam vibrans &c.*

Angeli comparent in castris.

Exemplo non absimili scribit T. Livius Dec. 1. Castorem & Pollucem, candidis insidentes equis, apparuisse in prælio ad defendendos Romanos. Hic tamen sufficiat, quòd S. Joannes & Philipus, Apostoli, dimicârint pro Theodosio seniore, ut notat Theodoretus lib. 5. Hist. cap. 24. In auxilium Theodosii minoris pugnârunt Angeli contra Saracenos, ut scribit Socrates lib. 7. c. 18 Ad preces S. Martini comparuerunt armati Angeli, ut canit Fortunatus lib. 1. cap. 16.

Militia Angelica coram duo protinus adsunt
Syderei proceres, hastas, & scuta tenentes &c.

Qui plura exempla desiderat, consulat Serarium in hunc locum fol. 676.

CAP. X. ℣. 35.

301. TImotheus, in prælio victus, se recepit in Gazaram, munitissimum propugnaculum. Ad hoc obsidendum mox se contulit Judas Machabæus; & cum videret, Barbaros, propugnaculi situ confisos ac elatos prorumpere in insuperabilis arrogantiæ voces; *viginti juvenes ex his qui cum Machabæo erant, accensis animis propter blasphemiam, viriliter accesserunt ad murum, & feroci animo incedentes ascendebant &c.* 1. Mach. 10. v. 35.

Propugnaculum superatum.

Q. Curtius sub finem lib. 7. scribit, Alexandrum se contulisse ad obsidendam rupem, ab aliis separatam, quam Arimazes cum triginta millibus militum, victualibus abundè instructam, defenderat. Evocatus proinde Barbarus ad deditionem; *loco fretus, superbè multa respondit. Ad ultimum, an Alexander volare possit interrogat.* At Alexander noctu misit trecentos suorum militum, spe præmiorum incitatos ad conscendenda loca penè inaccessibilia. Et certè captâ superiore rupis parte, coacti sunt Barbari ad deditionem; præcipuis eorum postea patibulo suspensis.

CAP. I. ℣. 23.

302. ANtiochus Eupator certis litteris significavit præcipuo suo ministro Lysiæ, Antiochum Epiphanem, suum patrem, atrocissimis doloribus cruciatum, nunc finiisse vitam; addiditque; *Patre nostro inter Deos translato.* 2. Mach. c. 11. v. 23. Etsi ergò ob sua sacrilegia & enormissima scelera esset damnatus ad Diabolos inferni; nihilominus adulatio aulica eum extollebat tanquam associatum Diis.

Consecratio Regum in Deos.

Gentiles in morte Regum & Imperatorum celebrabant eorum *Apotheosin*, seu consecrationem vel translationem illorum in numerum Deorum; faciebantque, ut è medio defuncti rogo aliqua aquila evolaret versus cœlum; veluti ipsa mortui Principis anima sub aquilæ specie ascenderet supra stellas. De hâc ceræmonia Herodianus sub initium lib. 4. Et Pierius in Hierogl. L. 19. Tit. *Apotheosis.*

CAP. XII. ℣. 36.

VIdens Judas Machabæus unum è Capitaneis cum subditis suis turmis ad extrema deductos, confugit ad Deum, invocans ipsius assistentiam & auxilium inter summas illas belli angustias. *Illis, qui cum Esdrin erant, diutius pugnantibus & fatigatis, invocavit Judas Dominum adjutorem & ducem belli fieri &c.* 2. Mach. 12. v. 36. Forsan recitans Psalmum 67. *Exurgat Deus, & dissipentur inimici ejus &c.* In ejusmodi angustiis David Psal. 19. *Hi in curribus, & in equis, nos autem in nomine Domini Dei nostri invocabimus.* 303.

Deus invocatus angustiis belli.

Macedones inter discrimina belli invocabant nomina suorum Regum, tanquam Deos tutelares. Ita Justinus l. 24 *Nunc excidia urbium metuebant, nunc Alexandri, Philippique, Regum suorum nomina, sicuti numina in auxilium vocabant.* Et Cornelius Tacitus, de moribus Germanorum ait; *Fuisse apud eos Herculem memorant, primumque omnium ituri in prælia canunt.* Ita Hispani, aggressuri prælium, invocant S. Jacobum; & Galli S. Martinum.

CAP. XII. v. 36.

INter terrores bellicos Judas Machabæus linguam suam solvit in Psalmos & hymnos; sicque cantans divinas laudes, se accingebat ad tractanda arma, & obtinendas victorias. *Invocavit Judas Dominum adjutorem, & Ducem belli fieri. incipiens voce patriâ & cum hymnis clamorem extollens.* 2 Mach. 12. v. 36. Idipsum consuevêre Syri, ut ibidem dicitur cap. 15. v. 25. *Nicanor, & qui cum eo erant, cum tubis & canticis admovebant.* 304.

Cantus usitatus in exercitu.

S. Clemens Alexandrinus Pædag. cap. 4. *In bellis itaque suis tubâ utuntur Hetrusci, fistulâ Arcades Cretenses lyrâ, Lacedæmonii tibiâ & Arabes cymbalis.* Athenæus L. 12. cap. 4. *Cum ad bellum exeunt Lydi, cum tubis & syringibus in acie instruuntur.* Lucianus in Saltat. loquens de Spartanis; *Omnia cum carminibus facere soliti, adeò ut ad tibiarum quoque modulos, & rhytmum, & moderatum pedis ingressum, prælium committere illi genti moris fuerit.* De Thracibus ait Cornelius Tacitus lib. 4. Annal. *More gentis cum carminibus & tripudiis præsultabant.* De Lusitanis Diodorus Siculus; *In bellis ad numerum incedunt, & carmina canunt, cum aggrediuntur hostem.*

CAP.

CAP. XII. ℣. 46.

805. QUando agitur de officiis affectûs & suffragii erga defunctos, sacer Historicus 2. Mach. 12. v. 46. hanc format sententiam; *Sancta ergò, & salubris est cogitatio pro defunctis exorare.* ubi P. Cornelius à Lapide ex Græco interpretatur, *id est, pia.*

Sanctus pro pius.

Epitheton *sanctus*, id est *pius*, reperitur etiam apud profanos Authores, quando agunt de exequiis & defunctis. Julius Capitolinus, loquens de Antonino Pio, qui Romam transtulit cadaver Adriani, sumptuosum ei sepulchrum erigens; *Adriano apud Bajas mortuo, reliquias ejus Romam pervexit, sanctè ac reverenter, atque in hortis Domitii collocavit.*

CAP. XIII. v. 5.

806. MEnelaus homo inquietus & superbus, postquàm pontificatum Judææ pessimis artificiis obtinuerat, jussu Regis Antiochi Eupatoris è fastigio altissimæ turris præcipitatus, intra cineres suffocatus est. *Erat autem loco turris quinquaginta cubitorum, aggestum undique habens cineris: hæc prospectum habebat in præceps; inde in cinerem dejici jussit sacrilegum.* 2. Mach. 13. v. 5. &c. *Et quidem satis justè,* subjungit sacer Historicus v. 8. *Nam quia multa erga aram Dei delicta commisit, cujus ignis & cinis erat sanctus, ipse in cineris morte damnatus est.*

Mori in cinere.

Darius Ocho, Rex Persarum, juravit, se reos conjurationis nec fame, nec ferro occisuros; ut tamen eos merito supplicio afficeret; *crudeliorem mortis rationem excogitavit,* inquit Valerius Maximus lib. 9. cap. 2. n. 6. *qua onerosos sibi, non perrupto religionis vinculo, tolleret. Septum enim altis parietibus locum cinere complevit, suppositoque tigno prominente benignè cibo & potione exceptos in eo collocabat; è quo, somno sopiti, in illam insidiosam congeriem decidebant.*

CAP. XIV. ℣. 37. &c.

807. INter nobilissimos senes & præclarissimos Senatores Judææ erat Razias. Iste infestatus à ministris Nicanoris, ne propriæ nobilitati injuriam irrogaret, & Barbaris ludibrio fieret, decrevit sibi vitam eripere. Unde imprimis pugione pectus transverberavit, postea è sublimi muro se præcipitavit, & denique viscera sua propriis manibus extraxit; demonstrans vigorem animi summè admirandum & prodigiosum. 2. Mach. 14. v. 37. &c.

Mori, ne injuriam patiatis.

Cato, celeberrimorum Belliducum unus, quibus unquam Roma gloriari potuit; cum videret oppressam à Cæsare libertatem patriæ; satius existimavit cadere in sepulchrum, quam incidere in alterius tyrannidem. Unde *impressit mortiferum corpori vulnus,* ut refert Seneca Epist. 24. *quo obligato à medicis, cum minus sanguinis haberet, minus virium, animi idem, jam non tantùm Cæsari, sed sibi iratus, nudas in vulnus manus egit, & generosum illum, contemptoremque omnis potentiæ spiritum non emisit, sed ejecit.*

CAP. XV. ℣. 12.

808. JUdæ Machabæo in somno seu visione apparuère summus sacerdos Onias, & Propheta Hieremias, eique promiserunt validam assistentiam, & lætam de superbis hostibus victoriam; ut legimus 2. Mach. 15. v. 12. &c.

Viso defuncto.

Plutarchus in vita Romuli propè finem, scribit, quòd post ipsius mortem Julius Proculus, nobilissimus inter Senatores Romanos cum expresso juramento coram toto populo retulerit; *Romulum iter facienti sibi augusta facie, & humanâ majore, armis fulgentibus & coruscantibus ornatum, obvium se dedisse & dixisse; Vale, & nuntia Romanis, ut temperantiam & rem militarem colant; iis artibus futuram caput orbis Romam. Ego vobis propitius Deus adero Quirinus.*

CAP. XV. ℣. 16.

809. VIdebatur Judæ Machabæo, quòd Hieremias, ab eo visus in somno, porrexerit ipsi gladium, ornatum auro; cum dicto, *Accipe sanctum gladium, munus à Deo, in quo dejicies adversarios populi mei Israël &c.* 2. Mach. 15. v. 16.

Gladius allatus Duci.

Trajanus Imperator, Præfecto Romano porrigens gladium, ceu symbolum collatæ in eum authoritatis, dixit: *Hoc utere pro me, si meâ potestate ritè defungar: sin autem, eodem utere contra me.* Sancta sedes Romana solet principibus & militibus Christianis, qui præliantur, aut ad accinguntur ad prælium contra Hæreticos, mittere gladium benedictum, veluti symbolum victoriæ, aut incitamentum generosæ fortitudinis. Jacobus Rex Scotiæ similem gladium dono accepit à summo Pontifice, ut stimularetur ad infestandum armis Angliam. Andreas Doria, supremus Caroli V. Architalassus, simile donum accepit à Paulo III. ut eo uteretur contra Mahumetanos. Pius V. misit Ferdinando, Duci Albano, pileum & gladium, dum re ipsa dimicabat contra Hæreticos Belgas; ut scribit Famianus Strada Decad. 1. lib. 7. Anno 1569. Complura exempla reperiuntur in Laurentii Beyerlinck Theatro ad Tit. *Honor.*

CAP. XV. ℣. 40.

810. ADmodum benè dicit scriptor secundi libri Machabæorum, amœnam esse variam mixturam rerum, modò propitiarum, modò adversarum; modò tristium, modò lætarum; modò turbidarum, modò serenarum. *Alternis uti delectabile.* 2. Mach. 15. v. 40.

Varietas delectat.

In hoc argumentum conveniunt omnes Authores; inter quos Euripides in Oreste dixit:

Dulcem esse varietatem, seu mutationem.

Publius Syrus

Jucundum nihil est, nisi quod reficit varietas.

Virgilius Eclogâ 3. v. 59.

— *Amant alterna Camœnæ.*

Et Italus:

Per molto variar natura è bella.

Ob

Ob hanc causam S. Clemens Alexandrinus aliqua volumina vocavit *stromata*, quia instar peristromatum, cortinarum, & tapetum, erant variis eruditionibus intertexta & colorata. Nicolaus Caussinus lib. 8. Eloquentiæ cap. 12. de Affectibus meminit, *Delectationis mater est varietas, quam ut natura in rebus, sic in oratione ars, & ipsa quæ conficitur ex arte oratio, prudenter observat.* Et Aristoteles lib. 1. Rhetor. c. 18. *Commutatio res est jucunda: nam commutari naturæ accommodatum est. Quod enim semper idem est, in exuperantiam transit, & præsentem habitum corrumpit: unde benè dictum est. Omnium rerum vicissitudo est jucunda.* Proinde sublimes laudes meretur P. Magister Paulus Richiedei, insignis filius illustrissimæ Religionis Dominicanæ; qui postquam uno tomo Panegyricorum versabat flumina melleæ eloquentiæ; in libro Poëtico suavissimam dulcedinem Parnassi; in aliis operibus auream venam doctrinæ suæ Theologicæ; tandem in tomo Exercitiorum Academicorum explicat apparatum adeò varium & pulchrum materiarum politicarum, moralium, poëticarum, philosophicarum, & mixtarum; ut videatur repræsentare Iridem, filiam admirationis, & matrem jucundissimæ voluptatis.

Finis secundæ Partis.



LUMI-


LUMINUM REFLEXORUM

PARS TERTIA,

Continens

LIBRUM JOBI.
PSALTERIUM.





LUMINA REFLEXA
IN LIBRUM JOB.

CAP. I. n. 3.

1. QUando sacræ litteræ describunt opulentiam Jobi, qui non solùm inter præcipuos totius Orientis magnates numerabatur, sed etiam regiâ coronâ cinctus erat; recurrunt ad ingentem multitudinem camelorum, boum, jumentorum, & aliorum gregum, quibus ditissimus fuit. *Et fuit possessio ejus septem millia ovium, & tria millia camelorum, quingenta quoque juga boum, & quingenta asinæ.* Job. 1. n 3.

Armenta fuerunt divitiæ veterum.

Eodem modo Virgilius lib. 7. Æneid. exprimens pinguem conditionem Galesi, canit:

-- *Ausoniisque olim ditissimus arvis,*
Quinque greges illi balantum, quinque redibant
Armenta, & terram centum vertebat aratris.

Horatius ad describendas grandes divitias, lib. 2. Od. 16. dixit:

Te greges centum, Siculæque circum
Mugiunt vaccæ.

Homerus 2. Iliad. de divitiis Erictonii ait:

Hujus ter mille equæ paludem circa pascebantur.

Unde Proclus: *Veteres in quadrupedibus divitias reponebant.*

CAP. I ℣. 4.

2. FIlii Job, certis diebus celebrârunt sumptuosa convivia, ad quæ alternis vicibus sese invitârunt, clareque demonstrârunt, mutuam inter ipsos concordiam, & amicam benevolentiam vigere. Ita refert sacer textus c. 1. v. 4. *Et ibant filii ejus, & faciebant convivium per domos unusquisque in die suo.* In hunc locum commentatur Pineda; *Certè hujus convivii dies notandus albo lapillo, ut qui fraternam concordiam promoveret.*

Conviviũ est signum concordiæ

Inter Græcos vigebat convivii genus, quod vocabatur *charistia*, cui intervenerunt soli consanguinei; ubi solebant tolli omnes inimicitiæ, fortè inter ipsos exortæ. *Convivium*, inquit Valerius Maximus l. 2. c. 1. *solemne majores instituerunt, idque charistia appellaverunt, cui præter cognatos & affines nemo interponebatur: ut si qua inter necessarios querela esset orta, apud sacra mensæ, & inter hilaritatem animorum fautoribus concordiæ adhibitis tolleretur.* Unde sagax antiquitas ea meritò appellavit convivia quia *convivere* idem est, ac *simul vivere*; sicque innuebant amicum affectum & bonam inter ipsos conjunctionem sanguinis. Tullii hæc doctrina est de Senectut. *Benè majores nostri accubationem epularum, quod amicorum, & vitæ conjunctionem haberet, convivium nominârunt; melius quàm Græci, qui hoc idem tum compotationem, tum concœnationem vocant.*

CAP. I. ℣. 5.

FIlii Job, nati ex sanctissimo patre, & omni religiosâ diligentia ab eo educati, credi debent, fuisse optimos. Et tamen quando isti cum omni fraterno jubilo & amore celebrârunt genialia sua convivia, sanctus Job volebat, ut conviviis succederent sacrificia, sicque purificarentur ab omni culpa, in conviviis illis forsan contractâ. *Cumque in orbem transissent dies convivii, mittebat ad eos Job, & sanctificabat illos: consurgensque diluculo offerebat holocausta pro singulis. Dicebat enim; ne fortè peccaverint filii mei.* c. 1. v. 5 &c. In hunc locum S. Gregorius; *Vir quippe sanctus noverat, quia celebrare convivia sine culpa vix possent.* Et Petrus Blessensis; *Cunctis diebus offerebat holocausta pro filiis, quia se in quotidianis conviviis peccandi materia ingerebat; oportebatque continuum esse remedium, ubi continua erat occasio, & pronitas ad peccandum.* Unde Elias Cretensis Orat. 4. sancti Gregorii Naz. reflectens ad illud Rom. 13. v. 13. *Non in commessationibus & ebrietatibus, non in cubilibus & impudicitiis*; ait: *Cubilia & impudicitias cum commessationibus & ebrietatibus copulavit: quod re ipsâ hæc cum illis connexa sint &c.* 3.

Convivia sunt occasio peccandi.

Probè id intellexit ac protestatus est Diogenes, qui obviam factus cuidam juveni, ad convivium abeunti, dixit; *Redibis deterior.* Laërt. l. 6. Unde Epictetus Enchirid. cap. 41. *Convivia cum extraneis ac vulgaribus respue. Quòd si quando tempus incidat: intentum habe animum, ne in vulgarem statum diffluas: scias enim necessarium esse, qui cum inquinato conflictetur; & ipsum inquinari.*

CAP. I. ℣. 9.

DÆmon, malignus calumniator, ad imminuendam virtutem & meritum Jobi, ei exprobrat, quòd Deo serviat, non ex mero & puro amore, sed solius lucri ac propriæ utilitatis gratiâ. *Cui respondens Sathan, ait; Numquid Iob frustra timet Deum?* Job. 1. v. 9. in quem locum Pineda; *Objicit sanctissimo viro nequissimus delator, quòd Iobi erga Deum charitas & amicitia non sit gratuita.* 4.

Servire ob lucrum.

Seneca, loquens de turba adulatrice, quæ solet adhærere Principi, ait; *Prædam sequitur turba ista, non hominem.* Ovid. de Ponto gratiosè canit:

Nec facile invenies multis in millibus unum,
Virtutem pretium qui putet esse sui.
Ipse decor recti, facti, si præmia desint,
Non movet, & gratis pœnitet esse probum.

CAP. I. ℣. 11.

5. DÆmon, incitans Deum ad percutiendum sanctum Jobum, ait, ut gravem suam manum supra ipsum extendat. *Extende paululùm manum tuam, & tange cuncta quæ possidet.* Job. 1. v. 11. Idem enim est, extendere manum, ac percutere, ferire, & malè tractare. In hunc sensum Psal 105. v. 26. *Elevavit manum suam super eos, ut prosterneret eos in deserto.* Isa. 5. v. 25. *Adhuc manus ejus extensa.* & Ezechiel. 6. v. 14. *Extendam manum meam super eos, & faciam terram desolatam.*

Extendere manum significat percutere.

Eâdem loquendi formâ utuntur Profani. Virgilius lib. 10. Æneid. v. 419.

Injecêre manum Parcæ, telisque sacrârunt
Evandri.

Ovidius 3. Amor. Eleg. 8.

Scilicet omne sacrum mors importuna profanat,
Omnibus obscuras injicit illa manus.

Et in quodam Epitaphio Romæ:

Nondum bis denos ætas mea viderat annos,
Injecêre manus invida fata mihi.

CAP. I. ℣. 11.

6. MUndani homines, improvisâ quâdam adversitate obruti, impatiẽte furore prorumpunt in querelas & blasphemias contra Deum; neque sufferre possunt, quòd à summo bono ipsis immittatur aliquod malum aut infortunium. Idipsum persuasit sibi diabolus factum iri à Jobo, si Deus ipsum aliqua calamitate affligeret. Unde Deo dixit: *Extende paululum manum tuam, tange cuncta, quæ possidet, nisi in faciem benedixerit tibi.* Job. 1. v. 11.

Afflicti queruntur contra Deum.

Quòd cæca Gentilitas in adversitatibus consueverit adversùs Deum furere, & convitia in eum jacere, demonstrant Virgilius Eclog. 5. v. 22. ubi agit de morte Daphnes:

Cùm complexa sui corpus miserabile nati
Atque Deos, atq; astra vocat crudelia mater.

Æneas, religiosi ac pii titulum alias obtinens, de suis adversitatibus l. 2. Æn. v. 745. dixit:

Quem non incusavi amens hominumq; Deorumque.

Aristides Orat. 5. sacr. *Aërem, stellas, & similia incusabat.* Et Livius lib. 28. *Deos, hominesque accusans, quòd tanta rei fortunam ex oculis propè raptam amisisset.*

CAP. I. ℣. 15. &c.

7. UNo nuntio post alium referente coram Jobo calamitates subitò illatas, quilibet adjunxit, se solum effugisse; ut videlicet infortunium illius sancti, cùm videret, unicum tantùm salvatum, redderetur tantò atrocius & intolerabilius. Ita Job. 1. v. 15. *Sabæi tulerunt omnia, & pueros percusserunt gladio, & evasi ego solus.* v. 16. *Ignis Dei cecidit è cælo, & tactas oves, puerosque consumpsit & effugi ego solus.* Idipsum repetitur. v. 17. & 19. Unde S. Chrys. relatus in catena aurea; *Illud enim servatus sum ego, in aliis quidem quidpiam fortasse valeat ad obtundendam animi ægritudinem: hic autem augeat multo magis. &c.*

Salus unius auget miseriam.

Paulus Orosius lib. 2. cap. 5. agens de infelici bello Romanorum contra Vejentes, affirmat solum illum, qui è Fabiis post omnium aliorum stragem superstes erat, deservisse ad augendam atrocitatem infortunii. *Cùm Fabii, verè clarissima lumina Romani statûs, speciale sibi adversùs Vejentes decerni bellum expetivissent, spem temerè sumptæ expeditionis primis successibus firmaverunt: dein inducti in insidias, circumventique ab hostibus, omnes ibidem trucidati sunt, uno tantùm ad enuntiandam cladem reservato, ut miserius audiret patria perditos, quam perdidisset.*

CAP. I. ℣. 17.

8. MUlti aggeres fuerunt successivè extructi ad evertendam Jobi constantiam: unde nuntiis intervenêre nuntii, qui pessima nova accumularent. Inter ista fuit etiam hoc, quòd Latrones Chaldæi non solùm deprædati sint camelos, sed etiam occiderint servos, custodiendis & dirigendis camelis destinatos. *Venit alius, & dixit: Chaldæi fecerunt tres turmas, & invaserunt camelos, & tulerunt eos, nec non & pueros percusserunt gladio.* Job. 1. v. 17.

Mala concatenata.

Cùm Godofredus, videns exercitum suum Armidæ insidiis imminutum, gravissimis cogitationibus esset oppressus; innumera, eaque pessima nova accepit. De hoc Tassus in Liberat. Cant. 5. st. 86.

Mentre à ciò pur ripensa, un messo appare
Polveroso, anhelante, in vista afflitto,
In atto d'huom, ch'altrui novelle amare
Porti, è mostri il dolore in fronte scritto
Disse cosi, Signor, tosto nel mare
La grande armata apparirà d'Egitto
El'aviso Guglielmo, il quale comanda
A i Liguri navigli à te ne manda.

Aggiunse questo poi, che da le navi
Sendo condotta vettovaglia al campo,
I Cavalli, e i Cameli, onusti, e gravi
Trovato havano à mezza strada inciampo
E che i lor difensori uccisi, e schiavi
Restar pugnando, e nessun fece scampo
Da i Ladroni d'Arabia in una valle
Assaliti à la fronte, & à le spalle &c.

CAP. I. ℣. 20.

9. AUditis nuntiis, quorum unus ex alio multiplicatus referebat ruinas; Jobus, præcisis suis capillis, in terram prostratus, adoravit Deum. *Tonso capite corruens in terram, adoravit.* Job. 1. v. 20. Quòd si hæc capillorum evulsio facta est ad demonstrandum internum animi dolorem, uti solent afflicti, & omni solatio destituti; egimus de hoc argumento suprà ad lib. 1. Esdræ. c. 9. v. 3. & ad hoc propositum videri possunt Isaias c. 15. v. 2. & c. 22. v. 12. Hieremias 7. v. 19. & c. 16. v. 6. Ezechiel c. 24. v. 17. & v. 23.

Capilli præ dolore secti.

Si Job ex recisis capillis voluit Deo offerre voluntarius sacrificium illius rei, quæ sola ipsi permansit post tot calamitates residua: egimus de capillis, in sacrificium oblatis, suprà ad Num. c. 6. v. 18.

Etiam dici potest, Jobum recisis capillis se obtulisse promptum ad acceptandam mortem, si Deo placeret illam ei immittere. Consueverunt enim illi, qui ad mortem disponuntur, deponere capillos & alia ornamenta capitis. Unde Amphicareus Poëta, jamjam submergendus, apud Statium lib. 7. abstulit è capite coronam & comam.

Capilli Deo oblati.

Audio jam rapidæ stygis, atraq; ditis
Flumina, tergeminosq; mali custodis hiatus.

Accipe

Accipe commissum capiti decus, accipe laurus,
Quas Erebo deferre nefas.

Phædra, jamjam occidenda, apud Senecam in Hippolyt. Act. 5. ait;

Placemus umbras; capitis exuvias cape,
Laceraque frontis accipe abscissam comam.

Apud Gentiles communis fuit opinio, à Proserpina auferri illorum capillos, qui mori debent; ut tali modo ad fatum extremum disponantur. Ad hoc propositum Virgilius 4. Æneid. de moribunda Didone canit.

Tum Juno omnipotens longum miserata dolorem,
Difficilesq; obitus, Irim demisit Olympo,
Quæ luctantem animam, nexosque resolveret artus,
Nondum illi flavum Proserpina vertice crinem
Abstulerat, stygioq; caput damnaverat Orco:
Ergo Iris croceis per cœlum roscida pennis
Devolat, & supra caput astitit. Hunc ego Diti
Sacrum jussa fero, teq; isto corpore solvo;
Sic ait, & dextrâ crinem secat, omnis & una
Dilapsus calor, atq; in ventos vita recessit.

CAP. I. v. 21.

10\. ALiquam ambiguitatem involvunt illa patientissimi Jobi verba; *Nudus egressus sum de utero matris meæ, & nudus revertar illuc.* Job. 1. v. 21. Quia verò de regressu in terram loquitur; idcircò, interprete S. Chrysostomo, dicere volebat; quòd, tanquam filius Adæ, egressus sit è ventre terræ, ad quem rursùs esset reversurus. In hunc sensum Ecclesiasticus c. 40. v. 1. *Jugum grave super filios Adam à die exitus de ventre matris eorum, usque in diem sepulturæ in matrem omnium.*

Terra est nostra mater.

Quòd matris nomen attribuatur terræ, affirmat Apulejus de mundo; *Genitrix atque altrix animantium omnium tellus.* Et Plinius, loquens de terra l. 2. c. 63. dixit; *Cui uni rerum naturæ partium, eximia propter merita, cognomen indidimus maternæ venerationis. Sic hominum illa, ut cœlum Dei, quæ nos nascentes excipit, natos alit, semelque editos sustinet semper: novissimè complexa gremio jam à reliqua natura abdicatos, tum maximè ut mater operiens.* Similiter Varro; *Ista terra gentes omnes peperit, & resumit denuò.* Et Lucretius lib. 6.

Omniparens eadem rerum commune sepulchrum.

CAP. I. ỷ. 21.

11\. NIhili curabat Jobus omnes sibi in hac terra ablatas divitias & bona, probè gnarus, eas sibi solummodò mutuò concessas, ut haberet illarum usum, non dominium. Unde sicuti nudus ingressus est mundum, ita se debere illo egredi nudum, pauperem, & spoliatum. *Nudus egressus sum de utero matris meæ, & nudus revertar illuc.* Job. 1. v. 21. De hac veritate S. Paulus 1. Tim. 6 v. 6. *Nihil enim intulimus in hunc mundum: haud dubium, quòd nec auferre quid possemus.*

Homo nudus nascitur, & nudus moritur.

Ad differentiam omnium aliorum animalium, solus homo nascitur nudus; & ubi provida natura *cæteris varia tegumenta tribuit, testas, cortices, coria, spinas, villos, setas, pilos, plumam, pennas, squamas, vellera. Truncos etiam, arboresque cortice, interdum gemino, à frigoribus & calore tutata est. Hominem tantùm nudum, & in nuda humo homo natali die abjicit &c.* Ita Plinius in Proœmio lib. 7. Ad argumentum nostrum S. Maximus serm. 12. allegat quamdam sententiam Luciani, prorsùs similem dicto Jobi:

Editus in lucem nudus sum, nudus abibo.
Quid frustra sudo, funera nuda videns?

CAP. I. ỷ. 21.

CÙm nuntiaretur Jobo, à Sabæis spoliatas ipsius mandras, à fulmine devoratos greges; à Chaldæis ablatos camelos; à ventis diruta palatia, & interfectos filios; nec fuit conquestus, nec se spoliatum aut malè tractatum clamabat; sed oculis in Deum defixis, protestatus est; illum ipsum Dominum, qui ei divitias dedit, rursus eas, tanquam suas, abstulisse. *Dominus dedit, Dominus abstulit: sicut Domino placuit, ita factum est,* Job. 1. v. 21. Qui enim hoc contemplatur, non affligitur ob calamitates irreparabiles, sed conformatus divinæ voluntati, agit Deo gratias, eique benedicit. 12.

Mala à Deo sunt tolerabilia

Seneca Epist. 107. mirificè in rem præsentem. *Optimum est pati, quod emendare non possis: & Deum, quo auctore cuncta proveniunt, sine murmuratione comitari. quare impigri, atque alacres excipiamus imperia.* Et paulò post; *Hic est magnus animus, qui se Deo tradidit &c.* Demetrius, citatus à Seneca, conformiter dixit ad Fortunam; *Tu me extulisti, tu rursus dejicis.*

CAP. II. ỷ. 7.

SUmmâ commiseratione dignus fuit morbus, quem hostis Tartareus intulit sancto Jobo; cùm ab extremo pede usque ad supremum capitis non haberet ullam partem, quæ non esset putrida, ulcerosa, & sordida. *Percussit Job ulcere pessimo, à planta pedis usque ad verticem ejus.* Job. 2. v. 7. De quo S. Chrysostomus in Cat. Græc. *Illud perfecit Dæmon, ut ulcus esset unum, unaque plaga corpus ejus universum.* De hâc miseria Isaias c. 1. v. 6. *A planta pedis usque ad verticem capitis non est in eo sanitas.* 13.

Totum corpus una plaga.

Hâc ipsâ loquendi formâ utuntur Profani. Ovidius in Ibin.

Unum qui toto corpore vulnus erat.

Et lib. 6. Metamorph. de Marsia:

Clamanti cutis est summâ direpta per artus,
Nec quidquid, nisi vulnus erat.

Statius lib. 5. Thebaid. describens Archemorum, à serpente laceratum.

-- non ora loco, non pectora restant:
Rupta cutis, tenera ossa patent, nexusque ridentis
Sanguinis imbre novi: totumque in vulnere corpus.

Martialis in Amphiteatro, loquens de Laureolo:

Vivebant laceri membris stillantibus artus,
Inque omni nusquam corpore corpus erat.

Torquatus Tassus in Jerus. Liber. Cant 8. de Sueno, pluribus membris vulnerato, canit Stanz. 22.

Tempra non sosterebbe eletta, e fina
Benche fosse di lucido diamante
I feri colpi, ond' egli il campo allaga,
E fatto, è il corpo suo tutto una piaga.

CAP. II. ỷ. 10.

PRudens Jobus amaritudinem præsentis calamitatis temperat revocatâ in memoriam pristinæ felicitatis dulcedine: unde protestabatur, quemadmodum à DEO res 14.

 prospe-

prosperæ & jucundæ recipiuntur prompto animo; ita etiam adversas & calamitosas debere animo prorsus composito recipi. *Si bona suscepimus de manu Domini, mala quare non suscipiamus?* Job. 2. v. 10.

Felicitas prætet ta mitigat mala præsentia.

Seneca consolat: ad Polyb. c. 29. docet, quod ad sublevandum animum, aliqua calamitate oppressum: *In præteritum tempus animus, mittendus est, & quidquid nos unquam delectavit reducendum, ac frequenti cogitatione pertractandum est.* Plutarchus libell. de Animi tranquillitate ait: *Id quod multum ad animi tranquillitatem confert, si bis, quæ nobis invitis evenerunt, non negligamus in hac intueri, quæ nobis grata & venusta adsunt: sed mixtione utrorumque institutâ, meliorum momentis deteriora aboleamus.* & paulò post; *Oportet autem, sicut in tabula colorum, ita in animo rerum eas, quæ maximè nitent ac splendent, proponere, iisque tetrica obscurare & opprimere, quandoquidem omninò deleri, & amoveri non possunt &c.*

CAP. II. v. 11.

15. HOmo inter miserias, quibus opprimitur, non reperit majus solatium, quàm boni amici sinceram assistentiam, à quo visitatur, roboratur, & solatiis demulcetur. Hoc sensu scribitur Job. c. 2. v. 11. *Audientes tres amici Job omne malum, quod accidisset ei, venerunt singuli de loco suo condixerant enim ut pariter venientes visitarent eum, & consolarentur &c.*

Amicus consolatur.

Seneca Epist 78. fatetur, se ab amicorum benignitate inter suas adversitates accepisse suave lenimen. *Multum mihi contulerunt ad bonam valetudinem amici quorum adhortationibus vigiliis sermonibus allevabar. Nihil æquè ægrum reficit, quàm amicorum affectus: nihil æquè expectationem mortis ac metum surripit.*

CAP. III. ℣. 2. &c.

16. CÙm videret Job, se obrutum diluvio malorum, ac, veluti metam infinitarum calamitatum, acerbissimis doloribus transfixum, æquali modo fastidiens vitam, & desiderans mortem, in has prorupit voces. *Pereat dies, in qua natus sum, & nox &c. Dies ille vertatur in tenebras* Job. 3. v. 2. id est, ut interpretatur P. Sanchez; *deleatur è fastis, & hominum memoria, neque anniversariis festis renovetur &c.*

Diem natalem ab horrere inter calamitates.

Ovidius, stipatus miseriis, querebatur, diem suum natalem toties redire, & prolongare vitam ad sustinendam infelicitatem. l. 3. Trist. Eleg. 13. ita canit:

Ecce supervacuus (quid enim fuit utile nasci?)
Ad sua natalis tempora noster adest.
Dure quid ad miseros veniebas exulis annos.
Debueras illis imposuisse modum.
Si tibi cura mei, vel si pudor ullus inesset,
Non ultra patriam me sequerere meam.
Quoque loco primùm male sum tibi cognitus infans,
Illo tentâsses ultimus esse mihi.

Hercules, desiderans mori, apud Senecam in Oeteo act. 4. similes Jobi sensus exprimit;

Converte Titan clarè anhelantes equos,
Emitte noctem, pereat hic mundo dies
Quo morior; atrâ nube inhorrescat polus.

Quæ ultima verba respondent versui 3. *Obscurent eum tenebræ, & umbra mortis: occupet eum caligo.*

Crispinus apud Statium l. 5. Sylv. 2. loquens de quâdam die, ad comittendas actiones sceleratas & proditorias electâ; ait:

Excidat illa dies ævo, ne postera credant
Sæcula; nos certè taceamus: & obruta multâ
Nocte, tegi propria patiamur crimina gentis.

CAP. III. ℣. 11.

CAlamitates, quibus opprimebatur Jobus, erant adeò graves & doloriferæ, ut satius existimaverit mori in utero materno, aut subitò claudere oculos vitæ, quàm tantis adversitatibus subjacere. *Quare non in vulva mortuus sum, egressus ex utero non statim perii?* Job. 3. v. 11. id quod repetit cap. 10. v. 18. & Hierem. c. 20. v. 18. *Quare de vulva egressus sum &c.* 17.

Afflicti cupiunt mori.

Hos Jobi sensus exactissimè exprimit Quintilianus declamat. 4. *Melius quidem fuerat, hunc spiritum aut in ipsa maternorum viscerum sede comprimere: aut ut primùm contactu suo cœlum, terrasque polluerat, festinatâ morte dimittere.* Et Ausonius:

Optima Grajorum sententia, quippe hominem ajunt
Non nasci esse bonum, natum autem citò morte perire.

CAP. III. ℣. 13.

JObus silentium inseparabilem mortis comitem dixit; *Nunc enim dormiens silerem.* cap. 3. v. 13. quisquis enim expirat animam, paulatim perdit loquelam. Unde doctissimus Pineda. *Tum mors, tum defunctorum sepulchra, silentium dicuntur.* Hanc veritatem insinuat Psaltes 113. v. 17. *Non mortui laudabunt te Domine.* Malè enim ad cantandas Dei laudes sunt apti mortui, condemnati ad exactam & vigorosam taciturnitatem. 18.

Mortui silent.

Virgilius lib. 6. Æneid. canit:

Dii, quibus imperium est animarum, umbræq; silentes
Et chaos, & Phlegeton, loca nocte silentia latè.

Et Ovidius lib. 5. Fastorum:

Mox etiam Lemures animas dixêre silentûm,

De hoc silentio videatur 1. Reg. c. 2. v. 9.

CAP. III. v. 19.

QUisquis in hac vita natus est pauper, necessariò subjacet violentiis potentiûm; & qui sortitus est conditionem servilem, non potest non duris illis catenis coarctatus vivere. Siccuti verò mors tollit coronam è capite Principum; ita & catenas à servis, eosque libertati restituit. De hoc Jobus c. 3. v. 19. *Parvus & magnus ibi sunt, & servus liber à Domino.* 19.

Mors facit liberos.

Seneca in Consol. ad Marciam. cap. 20. *Mors servitutem, invito Domino, remittit, hæc captivorum catenas laxat, hæc è carcere educit, quos exire imperium impotens vetaverat &c. Hæc ubi res fortuna malè divisit, & æquo jure genitos alium alii donavit, exæquat omnia.*

CAP. III. ℣. 25.

JObus in sufferendis calamitatibus fuit insuperabilis fortitudinis columna, & admirandæ patientiæ colossus; priusquam enim tantis adversitatibus obrueretur, eas providâ considera- 20.
tione

tione prævenit; ficque præparatus erat ad eas generosè ac constanter sustinendas id quod insinuavit hoc dicto; *Timor, quem timebam, evenit mihi; & quod verebar, actidit.* Job. 3. v. 25. De quo S. Jo. Chrysostomus Tom. 5. Hom. 14. de Avaritia. *Cùm dives esset, expectabat egestatem; cùm sanus esset, expectabat ægrotationem; cum tot liberorum esset pater, expectabat, ut subitò fieret orbus. Atque hunc timorem semper apud se suscepit, & hanc anxietatem semper apud se aluit, intelligens rerum humanarum naturam, momentaneamque volubilitatem negotiorum considerans.*

Mala præmeditata facilius tolerantur

Ne adversitas tibi accidat improvisa, debes eam prævenire consideratione & voluntaria mortificatione. *Interpone aliquot dies*, inquit Seneca Epist. 18 *quibus contentus minimo atque vilissimo cibo, dura atq. horrida veste dicas tibi: Hoc est, quod timebatur. Tum ipsâ securitate animus ad difficilia se præparat, & contra injurias fortunæ, contra beneficia firmetur. Miles in media pace decurrit sine ullo hoste: vallum jacit, & sine ullo labore lassatur, ut sufficere necessario possit. Quæ in re ipsa trepidare nolueris, ante rem exerceas &c.*

CAP. IV. ℣. 2.

21. Cùm amici Jobi advenirent, ut eum inter amarissimos dolores consolarentur; Eliphaz timebat, ne miser ille afflictus, & malorum cumulo stupefactus, molestè ferret suorum amicorum voces. *Si cœperimus tibi loqui, forsitan molestè accipies.* Job. 4. v. 2. Proprium enim est afflicti & prostrati animi, recusare solatia, & aliorum consiliis surdas præbere aures.

Afflicti non admittunt solatium.

Idipsum observavit Plutarchus lib. de Different. adulat. & Amici. *Haud scio, quo pacto complures in rebus quidem adversis consolationes non ferunt, sed magis hos admittunt, qui unà secum lamentantur ac deflent.*

CAP. IV. ℣. 13.

22. Eliphaz refert, se inter horrores noctis, quando homines incipiunt immergi somno, habuisse certam visionem, quâ vehementer terrebatur. *In horrore visionis nocturnæ, quando solet sopor occupare homines, pavor tenuit me &c. stetit quidam, cujus non cognoscebam vultum, imago coram oculis meis.* Job. 4. v. 13. &c.

Visio nocturna.

Similem visionem refert Virgilius 2. Æneid. sub initium noctis factam; unde v. 268. canit:

Tempus erat, quo prima dies mortalibus ægris
Incipit, & dono Divûm gratissima serpit.
In somnis ecce ante oculos mæstissimus Hector
Visus adesse mihi &c.

Porrò spectra, umbras, & visiones solere nocturno tempore apparere, testatur Propertius lib. 4. Eleg. 7. introducens spectra hoc modo:

Nocte vagâ ferimur, nox clausas liberat umbras,
Errat, & objectâ Cerberus ipse serâ.
Luce jubent leges Lethæa ad stagna reverti &c.

CAP. IV. ℣. 14.

23. Eliphaz inter suos terrores testatur, omnia sua membra fuisse tremore concussa, & capillos capitis cohorruisse. *Pavor tenuit me, & tremor, & omnia ossa mea perterrita sunt &c. inhorruerunt pili carnis meæ.* Job. 4. v. 14.

Timor facit tremere & horrere crines.

Hoc ipso modo Deïanira apud Senecam in Hercul. Oeth. Act 3 suos repræsentat timores,

Vagus per artus errat, excussus tremor;
Erectus horret crinis, impulsis adhuc
Stat terror animis, & cor attonitum salit,
Pavidumq. trepidis palpitat venis jecur.

Membrorum tremor exprimitur 2. Æn. v. 120.

Obstupuêre animi, gelidusq. per ima cucurrit
Ossa tremor.

Horror capillorum lib. 2. Æneid. v. 774.

Obstupui, steteruntque comæ, vox faucibus hæsit.

Utrumque in Lucano lib. 1.

- - Tum perculit horror
Membra Ducis, riguêre comæ.

CAP. IV. v. 16.

Articulatæ voces illius spectri, quod nocturno tempore apparuit Eliphazo, erant debiles; tenues, & languidè expressæ. *Et vocem quasi auræ lenis audivi*; inquit ille Jobi c. 4. v. 16. Conformiter Isaias de vocibus dæmonum & spectrorum infernalium ait; *Et erit quasi Pythonis de terra vox tua: & de humo eloquium tuum mussitabit*, c. 29. v. 4. 24.

Voces spectrorum sunt tenues.

De vocibus his debilibus, & malè formatis, multa scripserunt Gentiles. Virgilius lib. 6. de animabus defunctis Græcorum ait v. 492.

- - - Pars tollere vocem
Exiguam: inceptus clamor frustratur hiantes.

Dido apud Ovidium in Epist. de umbra Sichei, sui defuncti conjugis:

Hic ego me sensi noto quater ore citari;
Ipse sono tenui dixit; Elisa veni.

Et lib. 5. Fast. loquens de umbra Remi:

Umbra cruenta Remi visa est assistere lecto,
Atque hæc exiguo murmure verba loqui.

CAP. V. ℣. 5.

Cupiditas avari cordis omnium optimè repræsentatur metaphorâ hominis sitibundi, & anhelantis potum. Job. 5. v. 5. *Et bibent sitientes divitias ejus*; id est, ut traducit Chaldæus; *Diripient prædones substantiam ejus*; & longè melius ad propositum nostra Tigurina; *Sitibundus avide hauriat illius opes.* S. Leo Papa serm. 9. de Passione Dom. in scelerato Juda reperit hanc sitim. Unde de illo scribit; *Dum sitit lucrum, pervenit ad laqueum.* Prudentius Hymn. 3. alloquens avarum Tyrannum: 25.

Sitis divitiarum.

Aurum quod ardenter sitis,
Effossa gignunt rudera.

Hujus metaphoræ frequentissimus est usus apud Profanos. Horatius lib. 1. Satyr. 1.

Tantalus à labris sitiens, fugientia captat
Flumina. Quid rides? mutato nomine de te
Fabula narratur, congestis undiq. saccis
Indormis inhians &c.

Aristonimus, citatus à Maximo serm. 12. *Quemadmodùm ex iis, qui idem vinum biberint, alii bacchantur, alii furunt, alii tamen mitiores redduntur; sic etiam qui pares habent divitias, non tamen pariter afficiuntur.* Et centeni alii.

CAP. V. ℣. 7.

Quemadmodum volucres, agilibus instructæ pennis, destinatæ sunt ad promptitudinem volandi; ita homo, dotatus insigni judicio ac fortitudine, se exerceat in adversitatibus & laboribus. *Homo nascitur ad laborem, & avis ad volatum.* Job. 5. v. 7. In hunc locum Augustinus Steucus, Canon. Regularis; *Incisa est lex in natura, & à Deo posita, ut ad labores veniremus.* S. Basilius in c. 1. Isa. *Primum igitur, & maximè proprium humanæ conditioni studium est, ut operetur: ita ut iners otium* 26.

Homo natus ad laborem.

otium sit propemodùm præter hominis naturam. Et S. Bernardus serm. *Ecce nos reliquimus.* inquit: *Homo ad laborem natus, si laborem refugit, non facit, ad quod natus est, ad quod venit in mundum.*

Prorsus conformiter discurrunt Profani; Tullius lib. 2. de Finibus, inhærens Aristoteli, ait; *Hominem ad duas res, intelligendum & agendum esse natum, quasi mortalem Deum.* Seneca lib. de Otio sapientis. c. 31. &c. *Natura nos ad utrumque genuit, & contemplationi rerum, & actioni.* Si de actione loquamur; absque omni dubio ei annexus est labor & incommodum: si de contemplatione; habet hæc comitem molestiam studii, & assiduam ac laboriosam applicationem animi & intellectus; quam proinde sapiens Ecclef. 1. v. 5. vocavit *Occupationem pessimam.*

CAP. V. ỷ. 18.

17. DEus, dum punit homines, procurat eorum salutem, non interitum; instar prudentis chirurgi ferit, secat, vulnerat; sed ut sanet. *Quia ipse vulnerat, & medetur percutit, & manus ejus sanabunt.* Job. 5. v. 18. S. Augustinus in Psalm 50. gratiosè ait; *Illa est vox Domini; Ego percutiam, & ego sanabo. Percutit putredinem facinoris, sanat dolorem vulneris. Faciunt hoc medici: secant percutiunt, & sanant: armant se ut feriant, ferrum gestant, & curare veniunt.*

Deus ferit & sanat.

Hippocrates lib. de capitis vulneribus suadet medico incisionem, ut applicare possit medicamenta. *Ulcera, quæ non habent sufficientem magnitudinem longitudinis, ac magnitudinis ad ossis inspectionem, an quid malum sit à telo, & quantum caro contusa est, & ad curationem, qualinam ulcus opus habeat; si verò subcava fuerint ulcera in obliquum, cavitatem quamplurimùm resecare oportet, ubi non facile est medicamento quocunque pervenire.*

CAP. V. ỷ. 21.

18. MOllis & delicata haud dubiè est lingua humana; fit tamen nonnunquam rigidior, magisque dolorifera, quàm durissimum flagellum. Mala enim ipsius verba sunt instar gravium & intolerabilium plagarum. Hanc veritatem insinuat Job. c. 5 v. 21. *A flagello lingua absconderis.* Hos malos effectus tangit Salomon Prov. 14. v 3. *In ore stulti virga superbiæ*; quia lingua hominis vitiosi, sive sit imprudens, sive maligna, percutit instar virgæ seu ferulæ. Et Ecclef. c. 28. v. 21. *Flagelli plaga livorem facit: plaga autem linguæ*, offensâ longè graviore, *comminuit ossa.* Ad hoc propositum S. Joan. Chrys. illud documentum S. Pauli 1. Tim. c. 3. *Non percussorem*; interpretatur de percussionibus, à calumniatrice & perversâ linguâ provenientibus.

Lingua est flagellum.

Hâc loquendi formâ usus est Horatius lib. 3. Carm. od. 11. ubi canit:

Patruæ metuentes verbera linguæ.

Adeoque linguæ patrui attribuit verbera; quia patruus, minus prædominante amore, in reprehendendis defectibus nepotum est rigidior & severior, quàm pater erga suum filium. Pythagoras solebat dicere: *Gladii plagam, quàm linguæ, leviorem esse.* Longè enim tolerabiliores, & minus offensivæ sunt plagæ gladiorum, quàm linguarum; quia ferrum incidit corpus, lingua verò animam, & honoris existimationem. *Ille enim corpus, hæc animam vulnerat.* Maxim serm. de Loquut.

CAP. V. ỷ. 22.

19. TAmetsi grandes & calamitosæ sint miseriæ, quæ pauperi humanitati nostræ continuò imminent, videlicet violentæ incursiones armatorum Barbarorum, noxii influxus cœlorum ac stellarum, extrema terræ sterilitas, deplorabiles angustiæ victualium, quæ hominem penuriâ ac fame obruunt. Nihilominus homo sese conservans in Dei amicitia, teste Eliphazo, ridet, vilipendit, & ludibrii loco habet omnes calamitates. *In vastitate & fame ridebis.* Job. 5 v. 22. servatque animum semper liberum, intrepidum, & securum.

Ridere miserias.

Martialis, loquens de penula, contexta è forti ac firma lana, ait: quod tectus hoc pallio

Ridebis ventos, hoc munere tutus, & imbres.

Huc accommodatus est celebris ille versus:

Conscia mens recti famæ mendacia ridet,

Quantum ad heroicam fortitudinem ridendi adversa; Democritus, teste Juvenale, Senecâ, & centenis aliis, cunctas mundi calamitates ridendo pertransiit, Hannibal, certior factus de clade suis illata, uti & de morte Asdrubalis, sui fratris, & internecione totius exercitûs; *composito vultu conditionem humanam risisse fertur.* Idem, quando Romani iniquissimis conditionibus pacis onerabant Carthaginenses, omnibus effusissimè plangentibus, solus risit. Plutarchus.

CAP. VI. ỷ. 2.

30. SAnctus Job, gravissima malorum violentia abreptus, videtur prorupisse in quasdam querelas contra Deum, quasi nimium exonerasset manum suam contra ipsum; sicque tacitè voluisse reprehendere arcana & profundissima Dei judicia. Unde c. 6. v. 2. ait; *Utinam appenderentur peccata mea, quibus iram merui: & calamitas, quam patior, in statera. Quasi arena maris hæc gravior appareret,* Et cap. 10. v. 2. *Indica mihi, cur me ita judices? Numquid bonum tibi videtur, si calumnieris me, & opprimas me opus manuum tuarum? &c.* Proinde Deus ei exprobravit c. 38. v. 2. *Quis est iste, involvens sententias sermonibus imperitis?* & cap. 39. v. 32. *Numquid qui contendit cum Deo, tam facilè conquiescit? utique qui arguit Deum, debet respondere ei.* Quamobrem resipiscens Job 9, humiliter respondit v. 34. *Qui leviter locutus sum, respondere quid possum? Unum locutus sum, quod utinam non dixissem &c.*

Judicia reprehensa.

Tandem in illud delirium prolabuntur homines, ut audeant linguam suam in cœlum ponere, & prodigiosa Dei opera ad crisin revocare. Laurentius Beyerlinck pluribus locis sui Magni Theatri refert, Alphonsum X Regem Hispaniarum, in sapientia mundana satis versatum, dixisse, quòd si fuisset Deo præsens, quando creavit mundum, multa ei insinuâsset, quæ dispositione longè pulchriore, & conditionibus multò melioribus coordinari potuissent. Ovidius impiâ temeritate reprehendit Jovem l. 2. Pont.

Juppiter in multos temeraria flumina torquet;
Qui pœnam culpâ non meruêre pati.

Euripides in Hercul. Fur. introducit aliquos senes Thebanos, conquerentes contra Deos hoc modo; *Si Diis esset prudentia, & sapientia apud homines, geminam sanè juventam attulissent, manifestam notam virtutis, quibus adfuerit: & mortales ad splendores iterum solis duplices utique iniissent cursus.* Et paulò post: *Nunc verò nullus ex Diis Judex neque bonis est, neque malis certus &c.*

CAP. VI. ỷ. 4.

31. UT dignosceretur, dolores, quibus Jobus transfigebatur, esse in summo gradu acutos & pe-

Sagittæ symbolum malorum. & penetrantes; attribuit iis nomen sagittarum; *Sagittæ Domini in me sunt.* Eodem conceptu usus est David Psal. 119. v. 4. *Sagittæ potentis acutæ.* & Propheta Habacuc cap. 3. v. 11. *In luce sagittarum tuarum ibunt.*

Homerus, fingens Apollinem iratum Græcis, ait, quòd contra ipsos vibrârit sagittas, afferentes populis illis pestem. Ovidius l. 9. Metamor. ut vivis coloribus exprimeret torturas & afflictiones Herculis, recurrit ad metaphoram sagittarum.

— — *Perque altam saucius Oeten*
Haud aliter graditur, quàm si venabula taurus
Corpore fixa ferat.

CAP. VI. ℣. 4.

32. UBi vulgata nostra Biblia dolores, à Joboto-leratos, repræsentant his verbis; *Sagittæ Domini in me sunt, quarum indignatio ebibit spiritum meum.* Job 6. v. 4. Pagninus ex Textu Hebraico ita traducit; *Sagittæ fortes mecum sunt, quarum venenum bibit spiritus meus*, cui etiam consentit Textus Chaldæus ubi alluditur, inquiunt Interpretes, ad morem sagittariorum, qui sagittas suas inficiunt lethali veneno. Unde hoc modo demonstratur, vulneribus Jobi fuisse insitam peculiarem acerbitatem ac molestiam, qualis à sagittis venenatis infligi solet.

Ut tantò acerbior esset dolor sagittarum, Scythæ invenerunt artem, eas inficiendi veneno; uti eam describunt Aristoteles, Plinius l. 11. c. 53. Theophrastus l. 9. Hist. Plant. & alii. De his Barbaris Ovidius 1. de Pont. Eleg. 2.

Qui mortis sævo geminent ut vulnere causas,
Omnia vipereo spicula felle linunt.

Consueverunt, teste Silio l. 3.

Spicula dirigere, & ferrum infamare veneno.

Seu, ut canit Virgilius l. 10. Æneid.

— — *calamos armare veneno.*

CAP. VI. ℣. 4.

33. DOlores Jobi describuntur similes talibus sagittis, quæ sitiebant ipsius sanguinem ac spiritum, venis relictis vacuis, viribusque debilitatis ac prostratis. De iis Jobus 6. v. 4. *Sagittæ Domini in me sunt, quarum indignatio ebibit spiritum meum.* Sagittæ sitientes sanguinis.

Hoc sensu Virgilius lib. 11 Æneid. de Camilla, in castris vulnerata, ait v. 803.

Hasta sub exertam donec perlata papillam
Hæsit: virgineumque altè bibit acta cruorem.

Et Petronius arbiter:

— — *Syllanus bibit ensis.*

CAP. VI. ℣. 9.

34. DIgna considerationis est methodus illa, quam observavit Jobus, ut hortaretur Deum, ad infligenda supplicia accinctum; *Solvat*, inquit, *manum suam, & succidat me.* Job. 6. v. 9. ubi præsupponit, manus Dei esse ligatas: ut significaret, bonum Principem & Judicem in puniendis subditis debere admodùm lentè procedere. Et sicut David Psal. 34. v. 4. dixit. *Effunde frameam, & conclude adversùs eos, qui persequuntur* Manus Dei ligatæ seu tardæ ad puniendum. *me.* Symmachus traducit; *Denuda lanceam.* Ut demonstraret, gladium justitiæ non esse strictum & nudum, sed alligatum lateri, & coopertum sua vagina; quia Princeps non debet in pœnis infligendis esse præceps, sed operari lentè, ac cum consilio.

Plutarchus observans morem Romanorum, qui portabant secures colligatas virgis, in suis Problematis ait; *Quid est, quòd Prætorum virgæ securibus alligatæ præferuntur? An signum est, non oportere magistratûs iracundiam promptam ac dissolutam esse. An virgarum dissolutio mora & tarditate iram frangit, & impetum moderatur?*

CAP. VI. ℣. 12.

UT demonstraret Jobus, suum genium non esse stupidum, insensibilem, ac pœnæ, dolorisque incapacem; dixit, pectus suum nec esse lapideum, nec æneum. *Nec fortitudo lapidum fortitudo mea, nec caro mea ænea est.* Job. 6. v. 12. quasi diceret, ut interpretatur P. Pineda; *Non sum saxeus, non sum ferreus, & sine sensu, ut percussus neque sentiam, neq; ingemiscam.* 35.

Tibullus, citatus à P. Gaspare Sanchez in hunc locum, similiter dixit:

Flebis, non tua sunt duro præcordia ferro
Vincta, neque in tenero stat tibi corde silex.

CAP. VI. ℣. 26.

CUm probè sciret Jobus, exprobrationes sibi à falsis amicis factas, non habuisse ullum fundamentum, & fuisse convitia absque ullo proposito; dixit, quòd verba stultè in ventum sparserint. *Ad increpandum tantùm eloquia concinnatis, & in ventum verba profertis.* Job. 2. v. 26. Hæc proverbii forma repetitur cap. 15. v. 2. *Nunquid sapiens respondebit quasi in ventum loquens.* Et Hierem. c. 5. v. 13. *Prophetæ fuerunt in ventum locuti.* Et 1. Cor. 14. v. 9. *Eritis in aëra loquentes.* 36. Verba in ventum sparsa.

Ventis loqui, juxta profanos idem est, ac loqui sine profectu, vana, & inutilia. Hac phrasi usus est Plautus, dicens, *fabulari vento.* Virgilius l. 9. loquens de Ascanio:

Multa patri portanda dabat mandata, sed auræ
Omnia discerpunt.

Et lib. 6.

— — *foliis tantum ne carmina manda,*
Ne turbata volent rapidis ludibria ventis.

Et lib. 11.

Audiit, & voti Phœbus succedere partem
Mente dedit, partem volucres dispersit in auras.

CAP. VII. ℣. 1.

VItæ humanæ conditio melius exprimi non potest, quàm similitudine vitæ militaris, ubi quilibet homo expositus est ad plurima sustinenda & laboranda, nunquam deficientibus adversitatibus, calamitatibus, & miseriis. *Militia est vita hominis super terram.* Job. 7. v. 1. 37. Vita nostra est militia.

Hanc veritatem probè assecutus est Euripides, qui in Suppl. dixit:

Sed, ô vani, agnoscite hominum mala;
Lucta est enim vita nostra.

Ovidius l. 2. *de Arte* in vita amantium deprehendit labores & calamitates militares.

Militiæ species amor est: discedite segnes,
Nec sunt hæc timidis signa tuenda viris.
Nox & hyems, longaq; via, sævique labores
Mollibus his castris, & dolor omnis inest.
Sæpè feres imbrem, cælesti nube solutum,
Frigidus in nuda sæpe jacebis humo.

Textus Græcus loco *militia* ponit *piraterium*; ut insinuet, vitam hominum, piratis haud absimilem, consistere in assiduis rapinis & deprædationibus. Ovidius lib. 1. Metam. canit;

Vivitur ex rapto, non hospes ab hospite tutus. &c.

CAP. VII. ℣. 4.

38. DOlores corporis, & afflictiones animæ, veluti carnifices indefessi, nullam sancto Jobo permittebant quietem aut respirationem, sed diu noctuque eum torquebant. Cruciatus noctu, desiderabat pro suo solamine claritatem diei; tortus interdiu, expectabat aliquam quietem ab umbra noctis. *Si dormiero, dicam: quando consurgam? & rursum expectabo vesperam: & replebor doloribus usque ad tenebras.*

Miseria continua.

Eadem loquendi forma Profani Authores repræsentant calamitates, quæ nullam unquam concedunt respirationem. Ovidius in Ibin.

Nec corpus querulo, nec mens vacet ægra dolore;
Noxque die gravior sit tibi: nocte dies.

Et Tibullus lib. 2. Eleg.

Nunc & amara dies, & noctis amarior umbra,
Omnia nam tristi tempora felle madent.

CAP. VII. ℣. 7.

39. UT significaret sanctus Job, quàm tenuis, & fugitiva sit humana vita, eam cum vento comparat; *Memento, quia ventus est vita mea* In hunc locum Gaspar Sanchez; *Dum venti instar dicitur esse vita fugax omninò dicitur, & quæ citò suam periodum & cursum peragit.* Sacræ litteræ enim solent ventis attribuere velocitatem. Unde Psalm. 17. v. 11. *Et ascendit super Cherubim, & volavit: volavit super pennas ventorum.*

Venti symbolum velocitatis.

Quòd in ventis repræsentetur velocitas, docet Horatius l. 2. Carm. Od. 16.

Ocyor cervis, & agente nimbos
Ocyor Euro.

Virgilius lib. 5. Æneid. canit;

Emicat, & ventis, & fulminis ocyor alis.

Rursùs lib. 12.

Ne fuga subsidio subeat, fugit ocyor Euro.

CAP. VII. ℣. 13. &c.

40. SUmmè miserabilis fuit vita Jobi eo tempore, quo calamitatibus subjacebat; cùm etiam à somno, destinato alias à natura ad reparandas membrorum vires, nullam caperet quietem; utpote continuis somniis, & horridis visionibus turbato ac interrupto, unde dolens dixit: *Si dixero; consolabitur me lectulus meus — terrebis me per somnia, & per visiones terrore concuties* Job. cap. 7. vers. 13. &c.

Somnia horrida.

Crudelibus & calamitosis somniis infestatum legimus Neronem, postquam occidit suam matrem, ut in ipsius vita refert Suetonius cap. 34. Caligula non poterat quiescere, nisi trium horarum spatio, quæ tamen prodigiosis & horribilibus spectris erant interturbatæ. Suetonius c. 50. Idem accidit Othoni prima nocte, postquàm ad Imperialem thronum evectus est; peragens eam inter turbida & adeò tristia somnia, ut totus perterritus, in altissimos gemitus prorumperet. &c. Sueton. in ipsius vita. c. 7. videatur Historia Ludicra Balthasari Bonifacii lib. 8. c. 14. ubi copiosas in hoc argumentum eruditiones suppeditat. Mihi hic sufficiat meminisse inquietudinum, quibus subjacuit Ovidius, quando versabatur in exilio; ubi de se ipso ait lib. 1. de Ponto. Eleg. 2.

At puto, cùm requies, medicinaque publica curæ
Somnus adest, solitis nox venit orba malis.
Somnia me terrent, veros imitantia casus,
Et vigilant sensus in mea damna mei.

CAP. VII. ℣. 14. &c.

ADeò horridæ ac terribiles erant visiones nocturnæ & somnia, quæ turbabant Jobum, ut si fuisset licitum, potius elegisset vitam ex infami patibulo claudere, quàm eam inter terrores continui illius inferni transigere. *Terrebis me per somnia, & per visiones terrore concuties. Quamobrem elegit suspendium anima mea, & mortem ossa mea.* Job. 7. v. 14. &c. 41.

Somnia horribiliora morte.

De his terroribus, per imaginarias visiones, productis; uti & de morte violenta, tanquàm dulci contra illas remedio, loquitur Hippocrates lib. de virginum morbis; ubi ait, *Adeò fortiter pavere homines, ut delirent, & dæmones quosdam se videre putent ipsi, infestos, quandoque nocte, quandoq; interdiu, aliquando verò utroque tempore, & ab hujusmodi spectris multos se jam strangulâsse, & prosiluisse in puteos; tanquam meliora sint hæc, & omnem vitæ utilitatem excedentia. &c.*

CAP. VII. ℣. 17.

PRæsupposita summa fragilitate, vanitate, & miseria hominis; Jobus dulcem Deo querelam proponit, quòd ipsius majestas, infinitam habens potentiam ac magnitudinem, eam velit ostendere erga reculam adeò miseram ac fragilem, *Quid est homo, quia magnificas eum, aut quid apponis erga eum cor tuum?* Job. 7. v. 17. & cap. 13. v. 25. *Contra folium, quod vento rapitur, ostendis potentiam tuam, & stipulam siccam persequeris.* & cap. 14. v. 1. &c. *Homo natus de muliere, &c. qui quasi flos egreditur & conteritur, & fugit velut umbra &c. & dignum ducis super hujuscemodi aperire oculos tuos, & adducere eum tecum in judicium?* 42.

Querela humanæ miseriæ contra potentiam Dei.

Tibullus, loquens de amore, inter omnes Deos potentissimo, conqueritur hoc modo;

Quid tibi sævitia mecum est? an gloria magna est,
Insidias homini supposuisse Deum?

CAP. IX. ℣. 9.

TEmpestates aëris ac maris, excitantur non tantùm à causis naturalibus & qualitatibus elementorum, sed longè magis à voluntate & 43.

pot-

Tempestas sunt opera Dei. potentia divina, cui serviunt cœli, stellæ & aliæ res omnes. *Qui facit Arcturum, & Oriona, & Hyadas.* Job. 9. v. 9. Signa cœlestia, à Deo assumpta, tanquam instrumenta gravium & calamitosarum tempestatum.

Plinius lib. 18. cap. 28. loquens de tempestatibus, quas signum Arcturi & Orionis excitare solet, ait, eas fuisse productas à viribus majoribus naturali & ordinaria potentia, videlicet solummodò à divina. *Ante omnia autem duo genera esse cœlestis injuriæ meminisse debemus. Unum quod tempestates vocamus, in quibus grandines, procellæ, cæteraq; similia intelliguntur, quæ cùm acciderint, vis major appellatur. Hæc ab horridis sideribus exeunt, ut sæpius diximus, veluti Arcturo, Orione, Hyadis. Alia sunt, quæ silent. &c.*

CAP. IX. ℣. 12. &c.

44. Formidabilis est majestas divini judicis; cui interroganti non sciunt quid respondeant peccatores; cujus iræ nemo potest resistere; Deus terribilis. cujus pedibus supplices advolvuntur rei, si tamen ipsis permissum fuerit aliqua pronuntiare verba. *Si repente interroget, quis respondebit ei? vel quis dicere potest, cur ita facis? Deus, cujus iræ nemo resistere potest &c. Qui, etiamsi habuero quippiam justum, non respondebo, sed meum judicem deprecabor.* Job. 9. v. 12. &c.

Seneca lib. 1. de Clement. cap. 5. loquens de Principe, videri possit suam loquendi formam desumpsisse ex hoc loco Jobi; *Quid enim est mirabilius, quàm eum, cujus iræ nihil obstat, cujus graviori sententiæ ipsi, qui pereunt, assentiuntur, quem nemo interrogaturus est, immò si vehementius excanduit, nec deprecaturus quidem, ipsum sibi manum injicere, & potestate sua in melius, placidiusq; uti?*

CAP. X. ℣. 9.

45. Sicut principium cujusvis hominis in primo parente Adamo derivatur ex luto terræ, ita cujusvis terminus rursus reducitur in pulverem Homo de terra, revertitur in terram. terræ. *Memento, quæso,* inquiebat Jobus ad Deum, *quòd sicut lutum feceris me, & in pulverem reduces me.* Job. 10. v. 9. *Pulvis es, & in pulverem reverteris;* dixit Deus Adamo & ipsius posteris, Gen. 3. v. 4. *Exibit spiritus ejus,* & corpus, *revertetur in terram suam.*

Exactè in rem præsentem Phocilides;

Ex terra est corpus nobis, & rursus in illam
Solvimur, & pulvis sumus.

Et Horatius lib. 4. Carm. Od. 7.

Nos ubi decidimus,
Pulvis & umbra sumus.

CAP. X. ℣. 10.

46. Sanctus Job, expressurus generationem hominis in utero materno, recurrit ad similitudinem lactis; sicuti enim istud coaguli benefi-Homo in generatione similis lacti. cio condensatur & coagulatur; ita corpusculum, virtute seminis masculi, conglutinati cum sanguine fœmineo, consolidatur. *Nonne sicut lac mulsisti me, & sicut caseum me coagulâsti?* Job. 10. vers. 10.

Eadem similitudine usus est Aristoteles lib. 1. de Generat. Animalium. c. 20. *Evenit, quod ex recta ratione est, ut cùm mas formam & principium motûs præbeat fœmina corpus atq; materiam (quemadmodum in lactis concretione corpus lac ipsum est succus, at coagulum principium spissandi, cogendiq; obtinet) sic quod à mare in fœmina distinguitur, intelligi debeat.* Plinius l. 7. c. 15. loquens de sanguine menstruo: *Quando hæc est generando homini materia, semine è maribus coaguli modo hoc in sese glomerante, quod deinde tempore ipso animatur.*

CAP. X. ℣. 9. 11.

Miseria hominis præclarè adumbrata fuit à 47.
S. Jobo, quando dixit; ipsum esse factum ex luto, materie ad contaminandum & inquinandum destinata, simulque esse undique vestitum seu circumdatum pelle, carnibus, & nervis, quibus colligatur, ac compaginatur. *Memento quæso, quòd sicut lutum feceris me &c. pelle & carnibus vestisti me, ossibus & nervis compegisti me.* Job. 10. v. 9. & 11. S. Ambrosius lib. de bono mortis. cap. 3. ait; *Multas occupationes nobis corporis hujus necessitas gignit, atq; usus invehit, quibus impeditur animæ vigor, & revocatur intentio; unde de se pulchrè dicit S. Job; Memento quia sicut lutum me finxisti: si ergò lutum est corpus, oblinit nos utique, non diluit & coinquinat animam inquinamento intemperantiæ. Corium & carnem me, inquit, induisti; ossibus & nervis intexuisti. Ligatur itaque & distenditur anima nostra istius corporis nervis. &c.*

Idipsum, prior illo, scripsit Seneca in consol. ad Marciam. cap. 24. *Imago duntaxat filii tui periit, & effigies non simillima; ipse quidem æternus, meliorisque nunc status est, spoliatus oneribus alienis, & sibi relictus. Hæc, quæ vides, ossa circumvoluta nervis, & obductam cutem vultumque, & ministras manus, & cætera, quibus involuti sumus, vincula animorum, tenebræque sunt. Obruitur his animus, offuscatur, inficitur. &c.*

CAP. X. ℣. 20. &c.

Sanctus Job vivo affectu à Deo petit faculta- 48.
tem plangendi, antequàm caderet in tenebras inferni, id est, ne cadat. *Dimitte ergò me, ut plangam paululùm dolorem meum, antequam vadam, & non revertar ad terram tenebrosam, & opertam mortis caligine, terram miseriæ & tenebrarum. &c.* Job. 10. v. 20. &c. idest, inquit S. Augustinus; *antequam eat in pœnas æternas, ad hoc utique, ut non eat;* uti refert Pineda ad v. 21. & 22. n. 4. Infernus itaque Infernus tenebrosus. vocatur terra tenebrosa, & operta umbris &c. Idipsum innuit Anna 1. Reg. 2. v. 9. *Impii in tenebris conticescent.* Et Christus apud S. Matth. c. 22. v. 13. *Mittite eum in tenebras exteriores.* Et in Epist. Judæ v. 6. *Angelos, qui non servaverunt suum principatum, in judicium magni diei, vinculis æternis, sub caligine reservavit.*

Virgilius, tractaturus de rebus infernalibus lib. 6. Æneid. v. 266.

Sit mihi fas, audita loqui, sit numine vestro
Pandere res alta terra, & caligine mersas.

Ennius in Andromacha;

Acherusia templa alta, Orci pallida,
Lethi obnubila, obsita tenebris loca.

Unde Proserpina, desponsanda Plutoni, apud Claudianum l. 2. *de Raptu.* dolens dixit;

O fortunatas alias quascumque tulêre
Raptores, saltem communi sole fruuntur,
Sed mihi virginitas pariter, cœlumque negatur.
Eripitur cum sole pudor. &c.

CAP. XI. ℣. 2.

49. IN domesticis amicorum congressibus exigit ratio, ut, qui alteri concessit tempus loquendi, postea etiam illum benigna aure percipiat, à quo fuit benevolè auditus. Hanc maximam insinuat Sophar, amicus Jobi, quando ait cap. 11. v. 2. *Numquid qui multa loquitur, non & audiet?*

Qui est auditus, debet audire.

Ergò bonorum morum lex exigit, ut amici mutuò loquantur; & quisquis libenter dicit multùm, etiam libenter audiat multùm.

Ad hoc propositum alludit dictum Terentii;

Si pergit dicere, quæ volt, porrò quæ non
volt audiet.

CAP. XII. ℣. 12.

50. QUia ætatis progressu multæ res videntur & audiuntur, semperque major capitur experientia; idcircò benè dicitur, senes esse aliis prudentiores & sapientiores. *In antiquis est sapientia, & in multo tempore prudentia.* Job. 12. v. 12.

Senes prudentes.

Tullius de Senectute ait; *Temeritas est florentis ætatis, prudentia senectutis.* Plautus in Trinummo;

Sapientia ætas condimentum est, sapiens
ætati cibus est.

Baptista Guarinus in suo Pastor. Fid.

Quanto più l' huomo invecchia;
Deventa più perfetto;
E se perde bellezza, acquista senno.

Senilem hanc prudentiam probè perspectam habuit Alexander Severus, de quo Lampridius; *Si de jure tractaretur, solos doctos in consilium adhibebat: si verò de re militari, milites veteres, & senes, & benemeritos, ac locorum peritos.* Spartianus in vita Adriani; *Nihil non consulto senatu faciebat* (probè gnarus, quòd ipsum Senatûs nomen significet congregationem Senum) *execratusq; est Principes, qui minus Senatoribus detulissent.*

CAP. XIII. ℣. 5.

51. OBservans Jobus, discursus suorum amicorum parùm conferre ad temperandam atrocitatem dolorum, neque promereri laudem perfectæ prudentiæ, quæ de iis debebat præsumi; jussit eos tacere, ut sub silentio occultarent suam ignorantiam, & ab aliis existimarentur sapientes. *Utinam taceretis, ut reputaremini esse sapientes.* Job. 13. v. 5. Id quod etiam Salomon comprobavit Prov. 17 v. 28. *Stultus si tacuerit, sapiens reputabitur: & si compresserit labia sua, intelligens.*

Silentium facit, ut reputetur sapiens.

Ita etiam Andreas Alciatus Eblem. 11.

Cùm tacet, haud quidquam differt sapientibus, amens.

Forsan id desumpsit ex lib. 1. Anthologiæ Græcorum Epigrammatum.

Dum tacet indoctus, poterit cordatus
haberi;
Is morbos animi namque tacendo tegit.

CAP. XIII. ℣. 15.

52. IN anima Jobi de palma contendebant heroica fortitudo, & spes invincibilis, unde protestabatur, si etiam à Deo occideretur, se tamen semper in bonitate divina speraturum. *Etiamsi occiderit me, in ipso sperabo.* Job. 13. v. 15. De quo S. Ambrosius Serm. 19 in Psalm. 118. *Job tot gravatus incommodorum acerbitatibus, pio spem cumulabat affectu.* Et accommodari potest discursus S. Gregorii lib. 13. Moral. cap. 17. *Præliator Dei, cùm vim tentationis incumbere conspicit — ex ipsa validius adversitate confidit.*

Animus fortis semper sperat.

L. Florus dixit l. 4. c. 8. *Magnæ indolis signum est, sperare semper.* Tacitus l. 2. Hist. docuit; *Fortes & strenuos etiam contra fortunam insistere spei: timidos & ignavos ad desperationem formidine properare.* Ovidius, in exilium proscriptus ab Augusto, & graviorum adhuc pœnarum minis oneratus, lib. 2. Trist. protestabatur;

Ipse licèt sperare vetes, sperabimus: atq;
Hoc unum fieri te prohibente potest. &c.

CAP. XIII. ℣. 25.

FRagilis, misera, & vilis est humana vita, quia repræsentata foliis arborum, levissimi cujusvis venti afflatu concuti & prosterni solitis. 53.
Contra folium, quod vento rapitur, ostendis potentiam tuam; inquiebat ad Deum de se ipso loquens Jobus c. 13. v. 25. Hâc similitudine etiam usus est Ecclesiasticus cap. 14. v. 18. *Omnis caro sicut fœnum veterascit, & sicut folium fructificans in arbore viridi, alia generantur, & alii dejiciuntur; sic generatio carnis & sanguinis, alia finitur, & alia nascitur.*

Homo similis folio.

Glaucus apud Homerum Iliad. 6.

Tale quidem genus est hominum, quale est
foliorum;
Quorum hæc ventus humi fundit, rursum
illa virescens
Profert sylva simul veris jam afflaverit aura.

Et rursùs Homerus Iliad. 9.

Frondibus arboreis similes nunc ubere fœtu
Exuperant, lætique satis vescuntur agrorum,
Nunc rursum intereunt, evanescuntque caduci.

CAP. XIV. ℣. 1.

HOmo sine operatione viri generari non potest; & tamen præcisè dicitur natus ex fœmina. *Homo natus de muliere.* Job. 14. v. 1. ut insinuatur, hominem coagulatum ex iis infirmitatibus, debilitatibus, & miseriis, quæ fragiliori sexui sunt propriæ. Unde P. Pineda; *Mulieris, & matris potius, quàm viri, & parentis meminit, tum quòd plus mollioris, infirmiorisq; substantiæ à matre habeamus, quàm à patre: tum quòd in materna alvo, tanquam in totius imbecillitatis atq; miseriarum officina formetur homo.* 54.

Homo similius fœminæ magis, quàm viri.

Populi Lyciæ hanc expressam habuêre legem; ut origo & genealogia familiarum duceretur non à viris, sed à fœminis. De his Herodotus lib. 1. *Si quis obvium percontetur, quinnam sit, quâve familia ortus, à matribus, aviisq; protinus genus suum repetet.*

CAP. XIV. ℣. 2.

TRansitoria vitæ humanæ fragilitas apprimè repræsentatur imagine florum, sicuti enim isti unius diei revolutione perdunt vivacem suam pulchritudinem, flaccescunt, & pereunt; ita etiam homo, *quasi flos egreditur & conteritur.* Job. 14. v. 2. Idipsum comprobat David Psal. 102. v. 15. *Homo sicut fœnum, dies ejus tanquam flos agri sic efflorebit.* Et Isaias 40. v. 6. *Omnis caro fœnum, & omnis gloria ejus quasi flos agri.* 55.

Vita humana est flos caducus.

Plinius l. 21. c. 1. *Flores, odoresque in diem gignit natura: magna, ut palam est, admonitione hominum: quæ spectatissimè floreant, celerrimè marcescere.* De momen-

momentanea hac felicitate admodum benè Ausonius Edyl. 14.

Mirabar celerem fugitivâ ætate rapinam,
Et dum nascuntur, consenuisse rosas,
Tum species, tantosque ortus, variosque novatus,
Una dies aperit, conficit una dies.



CAP. XIV. ℣. 2.

56. VAnitas & instabilitas humana multis symbolis à sacris litteris repræsentatur; omnium tamen optimè illam significat titulus umbræ, nullam habentis subsistentiam, & velocissimè transeuntis. Unde Jobus cap. 14. v. 2. *Et fugit velut umbra, & nunquàm in eodem statu permanet;* Hanc veritatem comprobat Psaltes 101. v. 12. *Dies mei sicut umbra declinaverunt.* 1. Paral. 29. v. 15. *Dies nostri quasi umbra super terram, & nulla est mora* Sap. 2. v. 5. *Umbra enim transitus est tempus nostrum.*

Vita nostra est umbra.

De cunctis rebus humanis dixit Eschilus;

Caduca molitur genus mortalium,
Neque certa res est ulla, nec tuta, haud magis
Atque umbra fumi.

Præcisè tamen de vita humana Sophocles in Ajace;

Homo nihil aliud est, quàm flatus, & umbra.

CAP. XIV. ℣. 3.

57. HOmo, natus de muliere, coarctatus ad brevem vitæ cursum, infestatus mille malis, perit instar floris, & fugit velut umbra, ut dixit Jobus c. 14. v. 1. &c. unde præsupposita hâc hominis vilitate, obstupescit magnus iste sanctus, quòd suprema majestas dignetur aperire oculos, & intueri reculam adeò vilem, eamque custodire, protegere, ac providere. *Et dignum ducis super hujuscemodi aperire oculos tuos?* Job. 14. v. 3.

Providentia Dei supra vilem hominem.

Complures antiqui Philosophi existimàrunt actionem, divina majestate indignam, ut se demittat ad curandas has res inferas & minutas. Ita Aristoteles 8. Metaphys. c. 9. & Tullius l. 2. de Nat. Deorum. at gravissimè falluntur.

CAP. XIV. ℣. 5.

58. IN libris Dei exactissimè determinati sunt vitæ nostræ dies, cui numero tota humana industria nec unicum momentum addere potest. Ita Jobus c. 14. v. 5. *Breves dies hominis sunt, numerus mensium ejus apud te est: constituisti terminos ejus, qui præteriri non poterunt.* Et David Psal. 38. v. 5. *Notum fac mihi Domine finem meum, & numerum dierum meorum quis est? — Ecce mensurabiles posuisti dies meos.*

Dies, vitæ nostræ limitati.

Consentaneè Seneca Epist. 101. *stat quidem terminus nobis, ubi illum inexorabilis fatorum necessitas fixit.* Et in consolatione ad Marciam; cap. 20. *Fixus est cuique terminus, manebit semper, ubi positus est.* Et ante illum Virgilius 10. Æneid. v. 647.

Stat sua cuique dies: breve, & irreparabile tempus
Omnibus est vitæ.

Cum ipso Silius Italicus lib. 3.

Et pace, & bello, cunctis stat terminus ævi.

CAP. XIV. ℣. 7. &c.

MIsera hominis conditio longè inferior est herbis & arboribus; hæc enim à falce recisæ, rursùs germinant & ramos reproducunt; homo econtrà semel succisus, nunquam amplius resurgit in hoc mundo. *Lignum habet spem si præcisum fuerit, rursum virescit, & rami ejus pullulant, si senuerit in terra radix ejus, & in pulvere emortuus fuerit truncus illius. Ad odorem aquæ germinabit &c. homo verò, cum mortuus fuerit, & nudatus, atque consumptus, ubi quæso est? sic homo, cùm dormierit, non resurget &c.* Job. 14. v. 7. &c. 59.

Homo non resurgit.

Eâdem similitudine Gentiles deplorant humanam miseriam. Horatius lib. 4. Carm. ad. 7.

Diffugère nives, redeunt jam gramina campis,
Arboribusque comæ.
Mutat terra vices.
Damna tamen celeres reparant cœlestia Lunæ:
Nos ubi decidimus
Quò pius Æneas, quò dives Tullus, & Ancus?
Pulvis & umbra sumus.

Theocritus in Epitaphio Bionis;

Eheu cum semel inculto malva aruit horto,
Aut vivax apium, foliumque virentis anethi
Vere reviviscunt, alium & nascuntur in annum.
Nos autem magni, & sapientes, atque potentes
Ut semel occidimus sub terram, lumine cassi;
Dormimus longum, immensum, æternumque soporem.

CAP. XIV. ℣. 13.

TErrorem adeò grandem affert majestas & rigor Judicis Divini; ut Jobus existimet, tollerabiliorem esse funestissimum horrorem inferni, quàm iratæ Divinitatis furorem. *Quis mihi tribuat, ut in inferno protegas me, & abscondas me, donec pertranseat furor tuus?* Job. 14. v. 13. Hujus sententiæ fuit S. Joannes Chrysostomus Hom. 5. ad Rom. *Si quis est, qui sensu & mente præditus sit; is certè gehennæ pœnam tolerare malit, quàm adverso Deo stare.* 60.

Deus terribilis.

Themistocles, clarissimum illud lumen Græciæ, ut refert Ælianus de Var. Hist. l. 9. c. 18. solebat dicere; *Si quis mihi duas vias monstraret, alteram ad infernum ducentem, alteram ad tribunal,* (id est, ante tribunal Judicum Areopagitarum Athenis) *multò libentius ingrederer eam, quæ rectà ad infernum tenderet.* Adeò gravem timorem conceperat de rigorosa illorum æquitate & justitia.

CAP. XIV. v. 17.

PEccata nostra in thesauris iræ Divinæ conservantur & obsignantur, ut suo tempore inde possint repeti & condemnari. Eo prorsus modo, quo pecuniæ & aliæ res pretiosæ custodiuntur in sacculis. Ita docet S. Job; *Signasti, quasi in sacculo, delicta mea.* Job. 14. v. 17. In hoc argumentum Deut. 32. v. 34. *Nonne hæc* 61.

Peccata à Deo notantur.

condita sunt apud me, & signata in thesauris meis?

De hoc more obsignandi res in familia æstimatas, pluribus locis disserunt Authores profani. Plautus in Asinar. Act. 1. Scen 2.

Obsignate cellas, referte annulum ad me.

Et alibi:

Isti parci promi, qui salinum servus obsignant cum sale.

Plinius lib. 32. cap. 1. *Quæ fuit illa priscorum vita, qualis innocentia, in qua nihil signabatur? At nunc cibi quoque ac potus annulo vindicant à rapina.*

CAP. XIV. ℣. 19.

62. RArum naturæ prodigium est, quòd aquæ, tametsi molles, habeant vigorem ac potentiam excavandi & rumpendi rigidissimos lapides; uti quotidiana experientia comprobat, & Sanctus Job testatur cap. 14. v. 19. *Lapides excavant aquæ.* Idipsum dixit Ovidius lib. 4. de Ponto;

Lapis ab aqua excavatur.

Gutta cavat lapidem; consumitur annulus usu.

Et rursus;

Quid magis est durum saxo? quid mollius undâ?
Dura tamen molli saxa cavantur aquâ.

Et si genuinus textus Hebræus, ut observat Pineda, propriè significet; *Lapides conterunt*, seu *comminuunt aquæ.* Lucretius in hunc sensum apprimè canit lib. 4.

Nam leviter quamvis, quod crebro tunditur ictu,
Vincitur in longo spatio tamen, atque labascit.
Nonne vides etiam guttas in saxa cadentes
Humoris, longo in spatio pertundere saxa?

CAP. XIV. ℣. 20.

63. FAcies humana subjacet continuis mutationibus; non solùm iis, quæ proveniunt ab affectibus amoris, iracundiæ, timoris &c. Sed etiàm quæ oriuntur ab ætate, annis, infirmitatibus, & doloribus; ad has reflectebat Job, quando Deo dixit; *Immutabis faciem ejus, & emittes eum.* Job. 14. v. 20.

Mutationes vultûs humani.

De his mutationibus Seneca in Hippolyt:

Res est forma fugax; quis sapiens bono
Confidat fragili?
Momento rapitur, nullaque non dies
Formosi spolium corporis abstulit.

Horatius lib. 4. Carm. od. 10. loquens Ligurino;

—— —— —— Cùm
Et quæ nunc humeris volitant, ceciderint comæ,
Nunc & qui color est puniceæ flore prior rosæ
Mutatus, Ligurinum in faciem verterit hispidam;
Dices heu (quoties te speculo videris alterum)
Quæ mens est hodie, cur eadem puero non fuit? &c.

Vnde Plato; *Ævum fert omnia, longum tempus novit mutare nomen, & formam, & naturam, & fortunam.*

CAP. XV. ℣. 5.

64. PRorsus acerbæ & malignæ erant imposturæ, quibus Eliphaz oneravit Sanctum Job, quando dixit; à corde iniquo fuisse ori suggesta vitiosa verba, & peccaminosos discursus. *Docuit enim iniquitas tua os tuum, & imitaris linguam blasphemantem.* Job. 15. v. 5. Hunc locum Vatablus interpretatur; *Non est opus, ut te doceam, in quo pecces, cùm ipse tuus sermo te doceat iniquum esse.* Adeoque significare voluit, talem esse discursum, qualis est vita; linguam moveri à corde, & voces externas esse commensuratas internis nostris affectibus.

Verba monstrant hominem internum.

Simili modo loquitur Tullius in Orat. cont: Sallusth. *Eademum magna voluptas est, Crispe Sallusti, æqualem ac parem verbis vitam agere, nec quidquam obscænum dicere, cui non ab initio pueritia omni genere facinoris ætas tua respondeat, & omnis oratio moribus consonet: neque enim, qui ita vivit, ut tu aliter ac tu loqui potest; neque qui tam illoto sermone utitur, vitâ honestior est.*

CAP. XV. ℣. 16.

AD demonstrandam facilitatem, quâ homo sceleratus se præcipitat in vitiosos excessus, recurrit Eliphaz ad metaphoram potûs, qui ad differentiam cibi, promptè ac celeriter ex ore per guttur transfluit. *Abominabilis*, inquit. *& inutilis homo, qui bibit quasi aquam iniquitatem.* Job. 15. v. 16. Opportunè S. Gregorius 12. Moral. c. 18. *Benè autem dicitur, qui bibit quasi aquam iniquitatem; hoc namque quod comeditur, cum mora glutitur, quia manditur, ut glutiatur; quod autem bibitur tantùm ad glutiendum, moram non habet, quanto nullam & ad mandendum necessitatem habet: culpa ergò quia à stulto homine sine ulla retractione perpetratur, quasi aqua iniquitas bibitur, quia enim illius à fine timore facit, quasi potum injustitia sine obstaculo glutit.* 65.

Bibens quasi...

Seneca usus est hâc ipsa metaphora lib. 1. de Ira. cap. 16. *Perbibisti nequitiam, & ita visceribus immiscuisti, ut nisi cum ipsis exire non possit.*

CAP. XV. ℣. 20.

NUnquam secura est hominum violentorum & tyrannorum vita; improvisa gladii acie succidenda. Continuos timet assultus subditorum malè contentorum aut afflictorum. *Inter umbras noctis diffidunt se redituros ad lucem*, videturque ipsis, se assiduò videre vibratos contra viscera sua gladios. *Numerus annorum incertus est tyrannidi ejus. Sonitus terroris semper in auribus illius &c. non credit, quòd reverti possit de tenebris ad lucem, circumspectans undique gladium.* Job. 15. v. 20. &c. 66.

Tyranni semper timent.

Saturninus Imperator apud Flavium Vopiscum dixit; *Nescitis, amici quid mali sit imperare. nam & gladii, & tela nostris cervicibus impendent, imminent hastæ, undique spicula: ipsi custodes timentur ipsi comites formidantur. &c.*

CAP. XV. ℣. 21.

TOta hominum etiam eloquentissimorum facundia nunquam exprimere potest angustias & terrores, quibus conscientia hominis flagitiosi semper concutitur & opprimitur, ut etiam tranquillæ pacis tempore experiatur in pectore terribilia bella. *Sonitus terroris semper in auribus illius: & cùm pax sit, ille semper insidias suspicatur.* Job. 15. v. 21. 67.

Peccator semper timet.

Tullius pro Roscio Amerino, & l. 1. & 2. de finibus, dixit. *Reges atque tyrannos, qui aliis legibus & judiciis non tenentur, natura tamen lege, & conscientiæ judicio vexari & torqueri.* Et in Pisonem; *Furiæ agitant & insectantur impios non ardentibus tædis, sicut*

sicut in fabulis, sed angore conscientiæ. Juvenalis Satyr. 13.

—— —— *Quos diri conscia facti*
Mens habet attonitos & surdo verbere cædit,
Occultum quatiente animum tortore flagello.
Pœna autem vehemens, ac multo sævior illis
Quas & Caditius gravis invenit, & Rhadamanthus;
Nocte, dieque suum gestare in pectore testem.

CAP. XV. v. 22. &c.

68. TAntum abest, impium posse aliquâ felicitate gaudere, ut etiam sumens cibum ad restaurandam naturam, videat imminentes capiti suo gladios ad succidendam vitam; sicque continuâ repletur amaritie. *Circumspectans undique gladium, cùm se moverit ad quærendum panem.* Job. 15. v. 22. &c. *Quasi dicat*, inquit interpres Pineda, *sive dormiat, sive comedat panem, mortis suspicione cruciatur.*

Vitiosus infelix.

Dionysius Tyrannus, cùm ei Damocles adulatoriè diceret, ipsum ob cumulatas divitias, majestatem, & dominium esse reverà felicem ac beatum; volebat, ut Damocles experiretur, qualis esset felicitas tyranni. Proinde fecit eum collocari in superbo lecto, coram quo erat instructa sumptuosissima mensa; adstantibus pulcherrimis ephebis, accinctis ad inserviendum; adjunctis insuper coronis aureis, exquisitis odoribus, ac pretiosis unguentis. Inter tantas verò pompas jussit nudum gladium è crine equino suspendi directè supra ipsius caput. Hoc aspectu territus Damocles, necquidquam ciborum gustavit, neque etiam obsequia aulica vel divitias moratus, supplicavit Regi, ut dimitteretur, cùm in ficta illa beatitudine verùm reperiret infernum. Tullius lib. 5. Tuscul.

CAP. XV. ℣. 26.

69. ARrogantia hominis impii, superbo ac contemptibili modo contra Deum insurgentis, optimè explicatur hâc phrasi; quòd erecto collo & effronti vultu adversus cœlum nitatur. *Cucurrit adversus eum erecto collo, & pingui cervice armatus est.* Job. 15. v. 26. in quem locum P. Gaspar Sanchez ait; *In erecto collo impudens significatur audacia: qui enim erecto collo certamen aggreditur, strenuum se, & acrem vendicat, quique nihili faciat antagonistam suum.*

Arrogantia humana.

His vanitatibus gloriabunda Dares in arenam descendit, de qua Virgilius lib. 5. Æneid. v. 375.

Talis prima Dares caput altum in prælia tollit.
Ostenditque humeros latos, alternaque jactat
Brachia protendens, & verberat ictibus auras.

CAP. XVIII. ℣. 12.

70. TAmetsi singulæ partes corporis humani à fame extenuentur, & consumantur; omnium tamen maximè videtur macilentia in spina dorsi, & costis, quæ vix non nudæ & excarnatæ protuberant. Unde Baldadus, loquens de fame, qua impius nonnunquam castigatur, dixit; *Attenuetur fame robur ejus, & inedia invadat costas ejus,* Job. 18. v. 12.

Costæ attenuatæ à fame.

Ovidius, describens famem, admodùm benè describit curvitatem costarum, plus solito prominentium. lib. 8. Metam.

Dura cutis, per quam spectari viscera possunt,
Ossa sub incurvis extabant arida lumbis,
Ventris erat pro ventre locus: pendere putares
Pectus, & à spina tantummodo crate teneri.

CAP. XIX. ℣. 20.

ADeò mordaci & maligna infirmitate opprimebantur membra Sancti Job, ut carnibus penitus consumptis, totoque corpore extenuato, ossa haud aliter apparerent, ac nuda pelle cooperta. *Pelli meæ, consumptis carnibus, adhæsit os meum*, Job. 19. v. 20. Ubi S. Hieronymus; *Ad tantam ariditatem cor ejus devenerat, ut nihil in eo humoris remanserit, & ob hoc adglutinata quodammodo fuerit pellis ejus ossibus suis.* De hoc effectu Psalmus 101. v. 6. *Adhæsit os meum carni meæ.* & Thren. 4. v. 8. *Adhæsit cutis eorum ossibus.* 71.

Pellis & ossa.

Silius Italicus lib. 2. loquens de angustiis famis;

—— —— —— *Sedet acta medullis*
Jamdudum, atque inopes penitus coquit intima pestis,
Et furtim lento miseris durantia tabo
Viscera, & exurit siccatas sanguine venas.
Per longum celata fames: jam lumina retrò
Exesis fugêre genis: jam lurida solâ
Tecta cute, & venis male juncta trementibus ossa
Extant, consumptis visu deformia nervis.

CAP. XIX. v. 20.

VT demonstraret Jobus, quantùm ab infirmitate sua extenuatus esset, ait, se ad tantam maciem reductum, ut in corpore suo nihil superesset, nisi pellem circumvolutam ossibus, & sola adhuc intacta labia, ad suspiria & planctus exprimendos. *Pelli meæ, consumptis carnibus, adhæsit os meum & derelicta sunt tantummodò labia circa dentes meos.* Job. 19. v. 20. 72.

Ossa & lingua.

Ovidius lib. 3. Metam. Echonem nympham transformatam ita describit, ut videatur repræsentare quandam patientis Jobi effigiem;

Extenuant vigiles corpus miserabile curæ,
Adducitq; cutem macies, & in aëra succus
Corporis omnis abit, vox tantùm, atque ossa supersunt.

CAP. XIX ℣. 23.

VOlens Jobus, suam fidem, constantiam, & toleratas pugnas nulla unquam memoria oblitterari, sollicitè desideravit, ut stylo ferreo notarentur in tabulis plumbeis, & duro scarpello inciderentur marmori. *Quis mihi tribuat, ut scribantur sermones mei? quis mihi det, ut exarentur in libro, stylo ferreo, aut plumbi laminâ; vel celte sculpantur in silice?* Job. 19. v. 23. 73.

Stylus ferreus ad scribendum in plumbo & marmore.

Quòd veteres scripserint stylo ferreo, sua authoritate firmat Hieremias cap. 17. v. 1. *Peccatum Judæ scriptum est stylo ferreo.* Et Ovidius;

Dextra tenet ferrum, vacuam tenet altera ceram.

Quòd in tabulis plumbeis scripserint, demonstrat Plinius lib. 13. c. 11. *Publica monumenta plumbeis*

beis voluminibus, mox & privata lnteis confici cœpta, aut cera.

Quòd denique characteres inciderint marmori aut silici; testatur Plinius l. 36. cap. 22. *In monumenta scalpti* (silices) *contra vetustatem quoque incorrupti permanent.*

CAP. XX. ℣. 2.

74. SOphar, amicus Jobi, auditis discursibus hujus servi Dei, vehementer commotus, sensit, suam mentem variis, cogitationibus agitari, & in diversissimarum rerum oceano fluctuare. *Cogitationes meæ variæ succedunt sibi, & mens in diversa rapitur.* Job. 20. v. 2.

Animus fluctuans

Has animi solliciti & inquieti turbas præclarè expressit Virgilius lib. 8. Æneid.

— — — Laomedontius heros
Cuncta videns, magno curarum fluctuat æstu,
Atque animum, nunc hàc celerem, nunc dividit illuc,
In partesque rapit varias, perque omnia versat.

CAP. XX. ℣. 11.

75. QValis vixit iniquus, talis moritur; & pravas vitæ suæ inclinationes non dimittit usque ad extremum spiritum. De hoc Jobus c. 20. v. 11. *Ossa ejus implebuntur vitiis adolescentiæ suæ, & cum eo in pulvere dormient.* Confirmatur Proverb. c. 22. v. 6. *Adolescens juxta viam suam, etiam cum senuerit, non recedet ab ea.* Vnde S. Hieronymus Epist. ad Lætam de Institut. filiæ. *Difficulter eraditur, quod rudes animi perbiberunt. Lanarum conchylia quis ad pristinum candorem revocet? Recens testa diu & saporem retinet, & odorem, quo primùm imbuta est;* alludens ad illud dictum Horatii in sua Poëtica;

Vitia durant usque ad mortem.

Quo semel est imbuta recens, servabit odorem
Testa diu.

Comprobat id exemplo suo Joannes Zisca, Bohemus, toto vitæ suæ decursu fatalis Catholicorum hostis. Unde etiam mortis suæ tempore talem se exhibuit; jubens, ut ipsius cadaver excoriaretur, & ex pelle fieret tympanum, quo concitaretur bellum contra Christianos. Ita refert Æneas Sylvius Histor. Bohem. cap. 46. Scævola Jurisconsultus narrat Leg. ult. §. ultimo. ff. *de auro & argento Legato*; quandam fœminam præcepisse hæredibus, ut suum cadaver sepelirent cum duobus funiculis perillorum, & certis cymeliis smaragdorum, quos ornamenti loco gestare solebat. Paschasius Justus lib. 1. de Alea recenset, moribundum quemdam lusorem ordinasse, ut ex suis ossibus fierent aleæ ac pyxides; pelle verò cooperiretur tabula, supra quam ludi solet.

CAP. XX. ℣. 23.

76. PLuviarum metaphora insigniter exprimit injurias belli; Deus enim, veluti supremus Bellidux, confligens contra sceleratos, utitur turbato cælo, reboantibus tonitruis, impetuosis ventis, obscuris nubibus, inundantibus pluviis, & indurata grandine. Ita Jobus cap. 20. v. 23. *Emittat in eum iram furoris sui, & pluat super illum bellum suum.* Virgilius lib. 10. Æneid. v. 803. vivis coloribus expressurus prodigiosam Æneæ in castris fortitudinem, usus est metaphora nubilæ tempestatis;

Bellum est simile pluviis.

Ac velut effusa si quando grandine nimbi
Præcipitant, omnis campis diffugit arator,
Omnis & agricola, & tutâ latet arce viator.
— — Sic obrutus undique telis
Æneas nubem belli, dum detonet, omnem
Sustinet &c.

Alludens ad violentiam militarem Hannibal, vocavit Fabium Maximum; *Nubem, quòd cum turbine & procella esset imbrem effusurus.* uti refert Plutarchus. Apud Claudianum *in Seren.* reperitur *bellica nubes.* Et apud Pindarum od. 10. Nem. *Nubes belli.*

CAP. XX. ℣. 24.

DUæ metalli species sunt electæ ad obsequia Martis, tanquam instrumenta mortis in bellis; videlicet durities ferri ac æris de quibus Job. c. 20. v. 24. *Fugiet arma ferrea, & irruet in arcum æreum.* Hanc doctrinam firmat sacra Genesis, ubi Tubalcaim describitur *Malleator & faber in cuncta opera æris & ferri.* cap. 4. v. 22. 77.

Arma è ferro & ære.

Quòd ferrum & æs usurpata sint ad arma bellica, docet Lucretius lib. 5.

Arma antiqua manus, ungues, dentesque fuerunt;
Et lapides, & item sylvarum fragmina, rami,
Et flamma atque ignes postquàm sunt cognita primum.
Posterius ferri vis est, ærisque reperta,
Et prior æris erat, quàm ferri cognitus usus. &c.

CAP. XX. ℣. 25.

LUx & splendor, veluti nobilissimæ proprietates attribuuntur mucroni & gladio. Vnde Jobus de machæra, valido brachio vibrata, ait; *Eductus & egrediens de vagina sua, & fulgurans in amaritudine*, huic conformis Moses Deut. 32. v. 41. *Si acuero ut fulgur gladium meum*; id est, *si extersero, & expolivero, & coruscare fecero ut fulgur gladium meum (instar fulguris coruscantis;)* ut interpretatur Joannes Pineda in hunc loc. 78.

Gladius splendens & fulgurans.

Non solùm sacræ Litteræ attribuunt gladio splendorem fulguris, & lucem ignis; sed etiam Profanæ. Virgilius lib. 4. Æneid. v. 579. de Ænea canit;

— Vaginâque eripit ensem fulmineum.

Idem describens Nisum, dimicantem contra Volscentem. 9. Æneid. v. 441.

— — — Rotat ensem
Fulmineum.

Concordat Homerus Iliad. 14. ubi repræsentat *Ensem similem fulguri.* Et Iliad. 10. loquens de ferro lancearum; *Fulgebat velut fulgur patris Jovis.* His jungi posset Baptista Mantuanus;

Expedit ad solem ferro radiante maniplos.

Et Quintianus;

Ensem micantem fervidâ strinxit manu.

CAP. XX. ℣. 26.

UT cognosci possit, ignem infernalem esse summè calamitosum, describitur inseparabilis tenebrarum comes, adeoque ardet ad torquen- 79.

Privatio lucis summa miseria.

Privatio lucis summa miseria.

quendum; at non lucet ad afferendum vel minimum solatium; *Omnes tenebræ absconditæ sunt in occultis ejus: devorabit eum ignis, qui non succenditur.* Job. 20. v. 26. de hoc igne S. Isidorus lib. 4. de summo bono cap. 31. dicit; *Habere lumen ad damnationem, ut videant impii, unde doleant: & non habere ad consolationem, ne videant, unde gaudeant.*

Seneca, descripturus extremam & intolerabilem calamitatem; exhibet eam tenebris associatam. in Agamem. Act. 4.

Nec hoc levamen denique ærumnis datum est,
Videre saltem, & nôsse, quo pereant malo:
Premunt tenebræ lumina, & diræ Stygis
Inferna nox est. &c.

CAP. XXI. ℣. 5.

80. JObus, loquaces suos amicos silere jubens, ait, ipsos debere labiis imponere digitum. *Attendite me, & obstupescite, & superponite digitum ori vestro.* Job. 21. v. 5. Hæc proverbii forma repetitur cap. 29. v. 9. *Principes cessabant loqui: & digitum superponebant ori suo.* Similiter Ecclesiasticus c. 5. v. 14. *Si est tibi intellectus, responde proximo: sin autem, sit manus tua super os tuum.* & Micheas 7. v. 15. *Ponent manum super os, aures eorum surdæ erunt.* Ad hoc proverbium allusit Petrus Cellensis l. 5. Epist. 15. *Plura scriberemus, sed digito labellum compescimus.*

Digitus ad labia est signum silentii.

Certum est, Harpocratem, Deum silentii, ab Ægyptiis figuratum esse digito labiis imposito, veluti claustra oris obsignantem. Unde apud Latinos invaluit proverbium; *Digito compescere labellum,* forsan ex Juvenali Satyr. 1. mutuatum;

Cùm veniet contra, digito compesce labellum.

CAP. XXI. ℣. 33.

81. AGens Jobus de pœnis infernalibus, avidissimè devoraturis impium; ait, eos saxeis arenis fluminis Cocyti fuisse dulcissimè absorptos. *Dulcis fuit glareis Cocyti.* &c. Job. 21. v. 33. veluti qui *jam pridem* se ad illius loci consuetudinem & incolarum ingenium comparaverat, ut explicat P. Sanchez.

Cocytus fluvius arenosus.

Sicuti Jobus saxeas glareas tribuit fluvio infernali; ita Virgilius lib. 6. Æneid. v. 295. eidem lapideas arenas.

Hinc via Tartarei, quæ fert Acherontis ad undas:
Turbidus hic cœno, vastâq; voragine gurges
Æstuat, atq; omnem Cocyto eructat arenam.

Et Silius Italicus;

Tristior hic Acheron fanie, crassoq; veneno.
Æstuat, & gelidam eructans cum murmure arenam
Descendit &c.

CAP. XXII. ℣. 6.

82. TEmeritas Eliphazi ausa est effrons mendacium proferre; Jobum, charitatis affectu erga pauperes plenissimum, accusans, quasi summè crudelis spoliâsset nudos suis vestibus. *Et nudos spoliâsti vestibus.* Job. 22. v. 6. In hunc locum Origenes gratiosum dubium movet ac solvit. *Atqui nudos spoliare quis poterat? nudos igitur valde inopes cogitare debemus. &c.* vocantur proinde nudi pauperes, & malè vestiti mendici,

Nudus, id est, totus pauper.

Ad hoc propositum Seneca l. 5 de Beneficiis. cap. 13. *Quædam etiamsi vera non sint, propter similitudinem eodem vocabulo comprehensa sunt. Sic illiteratum non ex toto rudem, sed ad litteras altiores non productum: sic qui malè vestitum, & pannosum videt, nudum se vidisse dicit.*

CAP. XXII. ℣. 9.

FAlsè sanctò Jobo opposuit Eliphazus, quòd ipsius crudelitate spoliatæ fuerint viduæ, & pauperes pupilli ad extremam egestatem deducti. *Viduas dimisisti vacuas, & lacertos pupillorum comminuisti.* Job. 22. v. 9. 83.

Viduæ & pupilli spoliati.

Simili modo apud Ciceronem conquestus est Verres; *Pupillos & viduas prædam esse Prætorum, illorum videlicet, qui cum potestate provinciam aliquam obtinerent.* Commune hoc est tyrannorum vitium, quòd illuc majore audacia extendant rapaces suas manus, ubi minus virium repeiunt ad resistendum ac defendendum. De hac iniquitate Seneca in Hippolit. Actu 2.

— — *Venit imperii sitis*
Cruenta, factus præda majori minor.
Pro jure vires esse.

CAP. XXII. ℣. 13. &c.

ELiphaz sano discursu Philosophico caliginem & nubes jungit cardinibus cœli, ut videri potest Job. 22. v. 13. &c. reverà enim circa polum arcticum & antarcticum, qui vocari possunt cardines mundi, reperiuntur nubes & Caligines. 84.

Poli mundi caliginosi.

De polo arctico scribit Solinus in Polyhistore. cap. 10. *Damnata pars mundi, & à rerum natura in nubem æternæ caliginis mersa, ipsisq; prorsus Aquilonis conceptaculis rigentissima.* id quod similiter de polo antarctico verificatur.

CAP. XXII. ℣. 14.

DEus videri non potest, cùm oculus humanus nequeat penetrare nubes, quibus supremus Monarcha vult cooperiri & abscondi. de hoc Jobus Psalm. 96. v. 2. *Nubes & caligo in circuitu ejus.* Et Paulus 1. Timoth. 6. v. 16. *Lucem inhabitat inaccessibilem, quem nullus hominum vidit, sed nec videre potest.* 85.

Deus velatus nubibus.

Orpheus, instruens suum Musæum, conformiter cecinit:

Hunc ego non video, nubes quia densa resistit,
Namq; homini, cui acies obtusa videndi
Atque Deum mundi rectorem cernere non est.

CAP. XXII. ℣. 14.

INexcusabilem errorem commisit Eliphaz, quando dixit, Deum coopertum & absconditum nubibus, vivere in sublimi cœlo, nec aliquam rerum nostrarum inferiorum curam habere. *Nubes latibulum ejus, nec nostra considerat, & circa cardines cœli perambulat.* Job. 22. v. 14. 86.

Providentia Dei.

Hoc errore imbuti fuêre multi Gentiles, reprehensi à Seneca lib. 3. de Benef. c. 3. ubi ait: *Dii omnium rerum optimi auctores, qui beneficia ignorantibus dare incipiunt, ingratis perseverant. Alius illis objicit negligentiam nostri; alius iniquitatem; alius illos extra mundum suum projicit. &c.* Hujus opinionis fuit Aristoteles, si credamus Theo-

doteto lib. 6. de Providentia. *Nichomachi filius Aristoteles lunâ tenus putavit Dei providentiam rebus præesse: & ea omnia, quæ infra lunam subsidunt, minus Deum curare; sed eorum gubernationem tradidisse fatorum necessitati.* Ita Lucretius;

Omnis enim per se Divûm natura necesse est
Immortali ævo summa cùm pace fruatur,
Semota à nostris rebus, sejunctaque longè.

Huic errori etiam involutus fuit Plinius, ut videri potest lib. 2. cap. 7.

CAP. XXIII. ℣. 10.

87. QUemadmodùm aurifaber utitur igne ad probandum, purgandum, & pretiosius efficiendum aurum; ita Deus calamitatum ardore suos servos visitat, ut eos reddat purificatos & gloriosos. Hanc doctrinam intellexit, & protestatus est Job c. 23. v. 10. *Probavit me quasi aurum, quod per ignem transit.* Salomon Prov. 17. v. 3. *Sicut igne probatur argentum & aurum camino: ita corda probat Dominus.* Et Sap. 3 v. 6. *Tanquàm aurum in fornace probavit illos.* Et David Psal. 65. v. 9. *Probâsti nos Deus: igne nos examinâsti, sicut examinatur argentum &c.*

Calamitas purificat.

Profanus quidam scripsit, bonam amicitiam debere tempore adversitatis cognosci;

— *Ut fulvum spectatur in ignibus aurum.*

CAP. XXIV. ℣. 22.

88. TYrannus, quidquid fortitudinis ac potentiæ habet, totum impendit in opprimendos insigniores & opulentiores cives; auferens eis divitias & vitam, ne contradicere possint sceleratis & iniquissimis ejus sententiis. *Detraxit fortes in fortitudine sua;* inquiebat Job c. 24. v. 22.

Tyrannus opprimit subditos.

Hæc nimirum est Regula illa Pseudopolitica & Diabolica; *Excelsa quæque demettere* seu, ut Tarquinius docuit, truncare capita sublimiorum papaverum. Nero, tyrannorum crudelissimus, apud Senecam in Octavia Actu 2. in rem præsentem discurrit.

Servare cives, Principi, & patria graves,
Claro tumentes genere, quæ dementia est;
Cùm liceat unâ voce suspectos sibi
Mori jubere?

CAP. XXIV. ℣. 22.

89. QUantumvis Tyranni sint validi viribus, copiosi divitiis, defensi excubiis, & armis instructi; nunquam tamen gaudent interna quiete; sed illo ipso tempore, quo videntur in prosperitate stabilissimi, timent lapsum ac præcipitium. *Et cùm steterit,* inquit Job c. 24. 22. *non credet vitæ suæ.*

Tyranni timidi.

Hi affectus benè exprimuntur à Thyeste in Tragœdia Senecæ, quæ ab ipso nomen habet; Actu 3.

— — *Dum excelsus steti,*
Nunquam pavere destiti, atque ipsum mei
Ferrum timere lateris.

Herodoto teste lib. 6 *Tyrannus est animal timidissimum.* Et Plato lib. 9. de Republ. *Tyrannica ingenia — inquieta vivunt: Furiis & cruciatibus conscientiæ torquentur. Denique sunt prorsus infelicia ac misera.* Et rursus; *Nunquam felix, qui injustè agit.*

CAP. XXIV. ℣. 15.

INstabilis & caduca hominum sceleratorum infelicitas à Jobo describitur hoc modo c. 24. v. 24. *Elevati sunt ad modicum & non subsistent, & humiliabuntur sicut omnia & auferentur, & sicut summitates spicarum conterentur;* ubi alii legunt, *& sicut spica à calamo sponte decidens.* Ergò sicuti spica, paulò ante valida & robusta, erexit caput versus cœlum; veluti aristis suis, ceu totidem lanceis, minitabunda ipsismet stellis; postea nativa sua debilitate ultrò languet, & caput versus terram inclinat; ita felicitas mundanorum, utut intumescens & fastuosa, ad lapsum sua sponte declinat. 90.

Prosperitas caduca.

Valerius Maximus lib. 6. propè finem. *Caduca & fragilia, puerilibusque crepundiis consentanea sunt ista, quæ vires atque opes humanæ vocantur. Affluunt subitò, repentè dilabuntur, nullo in loco, nulla in persona stabilibus nixa radicibus consistunt.* Et Seneca de mundanis opulentis & superbis ait; *Cupiunt interim ex illo fastigio suo si tutò liceat, descendere nam ut nihil extra lacessat, aut quatiat, in se ipsam fortuna ruit.*

CAP. XXIV. ℣. 24.

EO prorsus modo Deus percutit ac prosternit tyrannos, quo spicatum culmina à grandine & ventis deprimuntur ac conteruntur. Ita Job. c. 24. v. 24. *Et sicut summitates spicarum conterentur.* 91.

Potentes depressi.

Tametsi exemplum Tarquinii, percutientis sublimiores papaveres, multùm in rem præsentem conferat; Accommodatius tamen est factum Thrasibuli, Milesiorum tyranni; Iste interrogatus à Periandro, Corinthiorum Principe, quid facere deberet, ut securè regnaret; respondit, ut ingressus agrum, plenum segete, demeteret spicas cæteris sublimiores; volebat nimirum innuere, opus esse, ut capita grandium auferantur ad stabiliendam & assecurandam tyrannidem. Ita Aristoteles lib. 3. Polit. c. 9. & lib. 5. c. 10.

CAP. XXV. ℣. 2.

BAldadus Suhites ad describendam supremam majestatem Dei, usus est succosis his verbis. *Potestas & terror apud eum est, qui facit concordiam in sublimibus suis.* Job. 25. v. 2. In hunc locum P. Joannes Pineda hanc paraphrasin affert; *Quanta verò illius magnitudo atque sublimitas — cujus perpetua lege in sublimi æthere coguntur tempestates: pugnantque in se invicem elementa; ille verò solo nutu tranquillat dissidia, perturbationesque serenat.* 92.

Deus sedat tempestates.

Delira Gentilitas de suo Jove dicit, quòd frenaret ventos, cogeret nubes, & solo capitis motu fugaret horridas tempestates. Virgilius lib. 1. Æneid. v. 259.

Vultu, quo cœlum, tempestatesque serenat.

Forsan alludere volens ad versus Ennii;

Juppiter his risit, tempestatesque serenæ
Riserunt omnes risu Jovis omnipotentis.

His prior Homerus lib. 17. Iliad. de Jove ait;

Dispersit statim caliginem, & amovit nebulam.

CAP.

CAP. XXVI. ℣. 6.

93. TAntùm abest, aliquam rem ab oculis Dei abscondi posse; ut ipsum terræ centrum, & obscuræ inferni cavernæ ipsius oculis apertissimè pateant. Ita Jobus cap. 26. v. 6. *Nudus est infernus coram illo, & nullum est operimentum perditioni.* Id quod declaravit David Psal. 138. v. 8. *Si descendero in infernum, ades.* Et Salomon Proverb. 15. v. 11. *Infernus & perditio coram Domino.*

Deus omnia videt.

Ubiquitas divina etiam à Gentilibus fuit comprehensa & manifestata. Orpheus, citatus ab Eusebio lib. 3. Præparat. Evang. cap. 3.

Juppiter est summus vertex, atque infima planta
Æternùm semper simul est, ac totus ubique.

Hesiodus;

Omnia videns Jovis oculus, omniaque intelligens.

Et Virgilius lib. 1. Æneid v. 227.

— — *Juppiter æthere summo*
Despiciens mare velivolum, terrasque jacentes,
Littoraque, & latos populos. &c.

CAP. XXVII. ℣. 3.

94. HAlitus & respiratio, quemadmodum sunt instrumentum vitæ, quæ respirando transigitur & conservatur; ita etiam sunt evidens indicium ejusdem vitæ. Unde halitus pro ipsa vita sumitur; solemusque dicere, quamdiu habebo halitum & spiritum; id est, quamdiu durabit mea vita, faciam vel non faciam hoc opus. Inter Authores sacros hac loquendi forma usus est Jobus cap. 27. v. 3. *Donec superest halitus in me, & spiritus Dei in naribus meis, non loquentur labia mea iniquitatem.*

Halitus denotat vitam.

Inter Profanos Virgilius lib. 4. ubi introducit Æneam, loquentem Didoni; v. 335.

— *Neque me meminisse pigebit Elissæ,*
Dum memor ipse mei, dum spiritus hos reget artus.

CAP. XXVII. ℣. 14.

95. JUstitia divina variis modis castigat sceleratos; Inter cæteros communis est ille, quod eos spoliet liberis & nepotibus, omnique posteritate, non sine extremo illorum dolore, exuat. *Si multiplicati fuerint filii ejus, in gladio erunt; & nepotes ejus non saturabuntur pane,* Job. 27. v. 14. Adeoque in patris iniqui pœnam castigantur miseri filii. Nam *Deus æmulator reddit iniquitatem patrum super filios. &c.* Deut. 5. v. 9.

Pater punitur in filiis.

Valerius Maximus lib. 1. cap. 2. de Dionysio, Siciliæ tyranno, ait; *Tametsi debita tot sacrilegiis supplicia non exolvit, dedecore tamen filii mortuus pœnas rependit, quas vivus effugerat.* Et quando filii vivunt in statu miserabili, videtur, divinam justitiam reprehendere paternam iniquitatem illis exprobrationibus Ovidii 6. Metamor.

Atq; ita vive quidem, pende tamen improba; dixit:
Lexque eadem pœna (ne sis secura futuri)
Dicta tuo generi, serisq; nepotibus esto.

CAP. XXVII. ℣. 15.

NOn solùm impii, sed etiam illorum familia & proximi, teste Jobo, à morte absorbebuntur; & quidem tanta infelicitate, ut matres & uxores eorum, nimio horrore oppressæ, non sint repertura lachrymas, quibus miseras exequias comitentur. *Sepelientur in interitu, & viduæ illius non plorabuntur.* Job. 27. v. 15. 96.

Exequiæ sine lachrymis.

In publicæ calamitatibus contagiorum, & pestium, quantò frequentiora sunt funera, tantò parciores sunt lachrymæ. Seneca in Oedipo Act. 1. describens pestem;

Pars nulla regni immunis exitio vacat;
Sed omnis ætas pariter, & sexus ruit,
Juvenesque senibus jungit, & gnatis patres,
Funesta pestis, una fax thalamos cremat,
Fletuque acerbo funera, & questu carent.

Prior illo Sophocles in Oedipo Tyranno;

Absq; numero perit, urbs quoq;
Tum turba non miserabilis
Prostrata funesto jacet
In campo, eamque luctibus
Haud curat ullus prosequi.

Eodem modo Ovidius lib 7. Metam. loquens de peste, canit:

Corpora missa neci, nullis de more feruntur
Funeribus, neque enim capiebant funera portæ;
Aut inhumata premunt terras, aut dantur in altos
Indotata rogos, & jam reverentia nulla est,
Deque rogis pugnant, alienisq; ignibus ardent.
Qui lachryment, desunt, indefletæq; vagantur
Natorum, matrumq; animæ, juvenumque, senumque,
Nec locus in tumulos, nec sufficit arbor in ignem.

T. Livius, describens castra Romanorum, afflicta peste, lib. 25. ante medium ait: *Cum quotidiana funera & mors ob omnium oculos esset, & undique dies noctesq; ploratus audirentur, postremò ita assuetudine mali efferaverant animos, ut non modò lachrymis, justoq; comploratu non prosequerentur mortuos, sed ne efferrent quidem, aut sepelirent.*

CAP. XXVII. ℣. 19.

QUantumvis avarus fatigetur ad cumulandas divitias; perveniens tandem ad vitæ terminum, prorsùs nihil ex iis secum auferet. *Dives cùm dormierit, nihil secum auferet.* Job. 27. v. 19. Conformiter Psaltes 48 v. 17. *Ne timueris, cùm dives factus fuerit homo, & cùm multiplicata fuerit gloria domûs ejus, quoniam cùm interierit, non sumet omnia.* id est; *non sumet ex omnibus.* *Nihil omninò sumet.* 97.

Avarus post mortem nihil relinquit.

Veritas hæc indies comprobata, & à Gentilibus expressa est. Inter hos Ovidius l. 5. Trist. Eleg. 15.

Divitiis ad manes nil feret umbra suos.

Propertius lib. 3. Eleg. 4.

Haud ullas portabit opes Acheruntis ad undas:
Nudus ad infernas, stulte, vehêre rates.

CAP. XXVIII. ℣. 20.

98. Sapientia, instar modestæ virginis, fugit frequentiam populi, & gaudet solitudine. de qua Jobus 28. v. 20. *Unde ergò sapientia venit, & quis est locus intelligentiæ? Abscondita est ab oculis omnium viventium.*

Sapientia abscondita.

Ad hoc propositum Plutarchus *lib. de Iside & Osiride*, discurrit de Philosophia & sapientia veterum Ægyptiorum, qui suas doctrinas sub variis hieroglyphicis abscondebant; aitque, eos ante templa constituisse imagines Sphingis, ut significarent, sapientiam & scientiam rerum divinarum esse ænigmaticam & absconditam. addit; in frontispicio templi, dedicati Minervæ, utpote Deæ sapientiæ, fuisse hanc epigraphen; *Ego sum omne quod exstitit, est, & erit, meumq; peplum nemo adhuc mortalium detexit.* Adeoque Minerva habebat caput coopertum velo, quod à nullo mortalium unquam auferri potuit.

CAP. XXIX. ℣. 5.

99. Quemadmodùm omnes lineæ peripheriæ tendunt directè ad assequendum centrum; ita oculi subditorum & filiorum, qui circulum conficiunt circa Dominum & patremfamiliâs, illum solum observant, ac continuò in eum respiciunt. Ita Jobus cap. 29. v. 5. *In circuitu meo pueri mei.* adeoque, inquit interpres Nicetas, stabant assiduò *illius in circuitu, ut in illum, tamquam in centrum, oculorum, animiq; aciem intentam haberent.*

Oculi subditorum fixi in patre.

Claudianus *in 4. Honor. Consul.* introducit Theodosium Imperatorem, loquentem Honorio suo successori & hæredi, hoc modo:

Hoc te præterea crebro sermone monebo,
Ut te totius medio telluris in orbe
Vivere cognoscas: cunctis tua gentibus esse
Facta palam. &c.

Seneca lib. 1. de Clement. cap. 8. loquens Neroni, tum temporis bono adhuc Principi; *Prodire nobis, ac recedere, & mutare habitum sine sensu publico licet, tibi non magis, quàm soli, latere contingit. Multa contra te lux est: omnium in istam conversi oculi sunt. &c.*

CAP. XXIX. ℣. 7.

100. Jobus, satisfacturus boni principis officio, subditis suis præbebat facilem ac publicam audientiam; protestans de se ipso cap. 29 v. 7. *Procedebam ad portam civitatis, & in platea portabant cathedram mihi.* Et v. 16. *Pater eram pauperum: & causam, quam nesciebam, diligentissimè investigabam.*

Audientia Principum

De Alphonso, Rege Aragoniæ, scribit Antonius Panormitanus lib. c. 20. quòd interdum dederit audientiam publicam solis pauperibus; ne potentiores auderent eos aggravare suis violentiis, si viderent, adeò facilem & commodum recursum ipsis patere ad aures Principis. Ita Carolus Magnus, una saltem per hebdomadem die dabat audientiam publicam; & Carolus Octavus, Rex Galliæ, duabus per septimanam diebus.

CAP. XXIX. ℣. 15.

Jobus, ingenti sua pietate assistens afflictis, corroborans debiles, & adjuvans cunctos, veluti esset cunctorum pater, optimè potuit de se ipso dicere cap. 29. v. 15 *Oculus fui cæco, & pes claudo. Pater eram pauperum. &c.* 101.

Princeps est pater subditorum.

Hos affectus in Constantino Magno observavit ac deprædicavit ipsius Encomiastes; *Patris pietatem sic imitaris ac sequeris* (alludit ad Constantium, patrem Constantini, erga pauperes summè benignum & liberalem) *ut ab omnibus ad te confugientibus, diversamq; opem, aut contra aliorum injurias, aut pro suis commodis postulantibus, quasi legata patris videaris exolvere.*

CAP. XXX. ℣. 1.

Postquàm sanctus Job præcedente numero descripserat propriam dignitatem, majestatem, divitias, & potentiam; his verbis: *Cùm sederem quasi Rex circumstante exercitu.* nunc subjungit cap. 30. v. 1. *Nunc autem derident me &c.* adeoque unico oculi ictu majestas facta est vilis, divitiæ aufugerunt, gloria obscurata, &, qui timebatur, illusus ac derisus fuit. 102.

Majestas instabilis.

Eas nunc, ut ait Seneca in Medea Act. 2.

Confide Regnis, cum levis magnas opes
Huc ferat & illuc casus.

Nimiùm quantùm instabilia sunt fortunæ beneficia, quæ improvisa catastropha, quidquid dedit, aufert: Unde Euripides in Hecuba;

Nec quibus secundæ res sunt perpetuò sic futuras fidere.
Etenim & ipsa quondam eram, sed nunc non sum amplius.
Opes at unus omnes mihi rapuit dies.

CAP. XXX. ℣. 3.

Nunquam satis repræsentari aut deplorari potest illorum miseria, qui fortunæ adversitatibus infestati, pauperes, & mendici coguntur ex hominibus commutari in belluas, & insipidas herbas, durasque, & amaras radices, alimenti loco ad sustentandam vitam sumere. *Egestate & fame steriles, qui rodebant in solitudine, squalentes calamitate & miseria, & mandebant herbas, & arborum cortices, & radix juniperorum erat cibus eorum.* Job. 30. v. 3. &c. 103.

Pasti herbis & radicibus.

Hæc alimenta primis sæculis attribuit Ovidius lib. 1. Metamorph.

Contentique cibis nullo cogente creatis
Arbuteos fœtus, montanaque fraga legebant,
Cornaque, & in duris hærentia mora rubetis.

Virgilius lib. 3. Æneid. loquens de Achemenide, inter horridas, & solitarias sylvas vivente;

Victum infelicem, baccas, lapidosaque corna
Dant rami, & vulsis pascunt radicibus herbæ.

Hac vivendi sorte usus est S. Paulus, primus Eremita, usque ad extremam senectutem vivens in desertis; *Palma ei victum præbente.* S. Hilarion *paucas ficus, & succum herbarum ad victum adhibebat.*

S. Ægy-

S. Ægydius, in eremum fugiens, *diutius herbarum radicibus vixit.* Et centeni alii.

CAP. XXX. ỳ. 20.

104. Preces non exauditæ. CEntum acutissimi dolores, ceu totidem penetrantia tela, transfixerunt S. Jobum; omnium tamen acutissimus & sensibilissimus fuit, quòd Deus, in quo omnem spem suam reposuerat supplices & altos ipsius clamores vel non audiverit, vel non exaudiverit. *Clamo ad te & non exaudis me: sto, & non respicis me.* Job. 30. v. 20. Idipsum conquestus est David Psalm. 21. v. 3. *Deus meus, clamabo per diem, & non exaudies*, & Psalm. 17. v. 42. *Clamaverunt, nec erat, qui salvos faceret, ad Dominum, nec exaudivit eos.*

Trojani inter summas angustias invocârunt auxilium Palladis; quæ tamen se ipsis surdam & inexorabilem demonstravit. Virgilius 1. Æn.

Interea ad templum non æquæ Palladis ibant,
Crinibus Iliades passis, peplumque ferebant
Suppliciter tristes, & tunsæ pectora palmis,
Diva solo fixos oculos aversa tenebat.

CAP. XXX. ỳ. 20. &c.

105. Calamitosus non exauditus videtur mori. OBservabat Jobus, Deum nec audire suas querelas, nec solitæ pietatis oculos erga ipsum convertere; imò quasi in rigidum ac durum saxum conversus esset, suis desideriis contradicere. Unde tantopere derelictus, credidit, se ad calamitosos mortis terminos deductum. *Clamo ad te, & non exaudis me: sto, & non respicis me. Mutatus es mihi in crudelem &c.* Job. 30. v. 20. & 21. subjungens v. 23. *scio, quia morti trades me.*

Hujusmodi querelæ, provenientes ab affectu amoris prorsus vehemente, & cum aliqua iracundia permixtæ, ut scribit P. Pineda in vers. 21. similes sunt vocibus Virgilii Eclog. 2. v. 6.

—— —— *Nihil mea carmina curas?*
Nil nostri miserere ? mori me denique cogis?

Apulejus apud Photidem lib. 2. *Pereo (inquam) imò jam dudum perii, nisi tu propitiaris.*

CAP. XXX. ỳ. 25.

106. Commiseratio. VIscera Jobi erant tantæ humanitatis plena, ut visa aliorum calamitate, totus commoveretur, fundens ex oculis pluvias commiserationis tenerrimæ. *Flebam quondam super eo, qui afflictus erat, & compatiebatur anima mea pauperi.* Job. 30 v. 25.

Hic affectus deprædicatur in multis principibus, qui subditos tanquam suos filios amabant, eorumque calamitatibus cum lachrymis condolebant. Regina Hecuba inter ruinas Trojæ, à Seneca in Troade introducitur dicens:

Quoscumque luctus fleveris, flebis meos.
Sua quemque tantùm, me omnium clades premit.
Mihi cuncta pereunt; quisquis est, Hecuba est miser.

De Vespasiano Imperatore testatur Suetonius; *Justis suppliciis illachrymavit etiam, & ingemuit.* M. Antonius Verus, referente Julio Capitolino, dicebat; *Inhumanum planè esse humanis casibus, & calamitatibus non ingemiscere.*

CAP. XXXI. ỳ. 8.

MAximè calamitosa est illa Jobi imprecatio, 107. commensurata cuivis rapaci ac violento tyranno, qui fructus alieni laboris colligit ac possidet; non sine intolerabili aliorum dolore. *Seram, & alius comedat.* Job. 31. v. 8. Huic convenit illud S. Joannis c. 4. v. 37. *Alius est, qui seminat; & alius est qui metit. &c.* Labores nostri ab aliis collecti.

Similes affectus expressit Virgilius his versibus.

Hos ego versiculos feci, tulit alter honores;
Sic vos non vobis mellificatis apes,
Sic vos non vobis nidificatis aves.
Sic vos non vobis fertis aratra boves.
Sic vos non vobis vellera fertis oves.

His apprimè jungi potest dictum Diocletiani; *Ego apros occido, sed alter fruitur pulpamento.*

CAP. XXXI. ỳ. 10.

CAstissima fuit Jobi vita, eamque tantâ cautelâ custodivit ab affectibus & operationibus spurcis ac scandalosis; ut, si unquam incideret in adulterii culpam, sibi imprecatus sit hoc gravissimum opprobrium; *Scortum alterius sit uxor mea, & super illam incurventur alii.* Job. 31. v. 10. 108. Adulterium abominabile.

Spartani, quando invehebantur in homines exosissimos, inter alia damna eis imprecabantur; ut ipsorum uxores contaminarentur adulterii labe. Suidas in Verb. *Dacnomenos*; ait, *Lacedemoniorum execratio est. Utinam ædifices, ac terram egeras, & equos alas, & uxor tua mæchum habeat, quòd hæc omnia sumptuosa & noxia sunt.*

CAP. XXXI. v. 12.

UT genuinis coloribus exprimeretur libido; 109. Job recurrit ad metaphoram ignis; dicens, Adulterium *ignis est usque ad perditionem devorans.* Job. 31. v. 12. hunc conceptum repetit Ecclesiasticus c. 9. v. 9. *Multi propter speciem mulieris perierunt, & ex hoc concupiscentia quasi ignis exardescit* Virgilius lib. 4. Æneid. v. 2. loquens de Regina Didone, amore captâ; Libido est ignis.

—— —— *Cæco carpitur igni.*

Et vers. 68. ejusdem Libri;

Uritur infelix Dido.

Horatius lib. 1. od. 27.

—— *Venus*
Non erubescendis adurit
Ignibus.

Quædam meretrix apud Apulejum lib. 2. *Discede, ait, misselle à foculo, discede: nam si te vel modicè meus igniculus afflaverit, ureris intimè.*

CAP XXXI. v. 13.

QUantumvis imperiosa majestas Dominorum non permittat, ut pauperes servi in 110. judicio suas causas producant; coacti minis & terroribus, ad omnes sibi illatas injurias & usurpationes silentio prætereundas. Jobus econtra libentissimè illos ad suum tribunal admisit, liberam illis facultatem concedens, proferendi omnia, quæ causam ipsorum concernebant. *Si contempsi subire judicium cum servo meo, & ancillâ meâ, cùm disceptarent adversum me*, veluti diceret, interprete Olympiodoro; *Servis meis libera orationis, & sua causa defendendæ potestatem faciebam, ut si quid* Justitia facta subditis.

fortè à me per injuriam in eos committi suspicarentur, audacter dicerent.

Seneca l. 3. de Benef. cap. 22. ait: *De injuriis Dominorum in servos, qui audiat, positus est, qui & sævitiam, & libidinem, & in præbendis ad victum necessariis avaritiam compescat.* Tullius lib. 1. de offic. *Meminerimus*, inquit, *& adversus infimos justitiam esse servandam. Est autem infima conditio, & fortuna servorum.* Ex hoc capite summam laudem promeritus est Trajanus, qui cuicumque permittebat movere litem contra fiscum seu ærarium & redditus Principis; ubi subditi sæpius obtinuêre sententiam in suum favorem. De hoc Plinius in ipsius Panegyri ait; *Dicitur Procuratori tuo, in jus veni; sequere ad tribunal. Quæ præcipua gloria tua est, sæpius vincitur fiscus, cujus mala causa nunquam est, nisi sub bono Principe. &c.*

CAP. XXXI. ℣. 15.

111. Benignissimum se erga suos servos exhibebat Jobus; considerans, omnibus hominibus eandem esse originem, & unam naturam; ita ut dives æquè ac pauper, Princeps ac servus, ex eodem luto, in eâdem officina uteri materni, formentur. *Nunquid non in utero fecit me, qui & illum operatus est: & formavit me in vulva unus.* Ad eandem nativam, omnibusque communem originem reflectens Princeps Apostolorum, quando Cornelius Centurio venerabundus procidit ad ipsius pedes; *Elevavit dicens; surge, & ego ipse homo sum.* Act. 10. v. 26. SS. Paulus & Barnabas, honorati à populis Lystræ honoribus Divinis, eos recusarunt, cum dicto; *Viri quid hæc facitis? Et nos mortales sumus, similes vobis homines.* Act. 14. v. 14.

Domini & servi sunt homines.

Macrobius lib. 1. Saturn. cap. 11. *An fortè*, inquit, *servos in hominum numero esse non pateris? unde in servos tantùm, & tam immane fastidium, quasi non ex iisdem tibi & constent, & alantur alimentis: eundemque spiritum ab eodem principio carpant? Vis tu cogitare eos, quos jus tuum vocas, iisdem seminibus ortos, eodem frui cœlo, æquè vivere, æquè mori? Servi sunt, imò conservi.* Similes conceptus expressit Seneca Epist. 47. *Libenter ex his, qui à te veniunt, cognovi, familiariter te cum servis tuis vivere. Hoc prudentiam tuam, hoc eruditionem decet. Servi sunt? Imò homines. Servi sunt? Imò contubernales. Servi sunt? Imò humiles amici. Servi sunt? Imò conservi.* Et paulò post; *Vis tu cogitare istum, quem servum vocas, ex iisdem seminibus ortum, eodem frui cœlo, æquè spirare, æquè vivere, æquè mori. &c.*

CAP. XXXI. ℣. 18.

112. De se ipso testatur Jobus, quòd commiseratio sua erga aliorum calamitates non tantùm sit virtus, acquisita studio & diligentiâ; sed potius propensio, genius, & indoles nativa, à Deo sibi concessa; cum qua natus est, & quæ cum ipso simul excrevit. *Ab infantia crevit mecum miseratio, & de utero matris meæ egressa est mecum.* Similem felicitatem sortitus est Salomon, luculentus sibi testis Sap. 8. v. 19. *Puer autem eram ingeniosus, & sortitus sum animam bonam.* In hunc sensum Ecclesiasticus c. 1. v. 16. *Initium sapientiæ timor Domini, & cum fidelibus in vulva concreatus est.*

Indoles bona.

Plutarchus l. de Homero refert doctrinam Stoicorum; *Disci posse virtutem, principiumque ejus esse bonam indolem.* Valerius Maximus lib. 4. c. 3. *Ex eodem naturæ utero, & continentia nata est, & Cato.* Ovidius l. 5. Trist. Eleg. 6.

Nata pudicitia est tecum, probitasque, fidesque.

CAP. XXXII. ℣. 8.

Sapientia non semper acquiritur labore & studio; sed juvenes ac senes ex privilegio eam obtinent à spiritu Dei, cui placet, eos illuminare ac docere. Unde Eliu, *Ut video*, inquit, *spiritus est in hominibus, & inspiratio omnipotentis dat intelligentiam.* Job. 32. v. 8. Idque explicat S. Hieronymus; *Quia spiritu aguntur homines, quibus Deus omnipotens sapientiâ suâ inspirationem tribuerit.* 113.

Sapientia à Deo est.

Gentilium aliqui dicebant, sibi obtigisse hanc felicitatem, quòd Deus sit in ipsis, & ab eo illustrati & inspirati loquantur. Inter hos Pindarus Olymp. od. 5.

—— —— Strenui autem
Viri, & sapientes per Divinam sortem
Existunt.

Et Ovidius lib. 3. de Arte.

Est Deus in nobis, sunt & commercia cœli,
Sedibus æthereis spiritus iste venit.

CAP. XXXII. ℣. 18.

Eliu, desiderans loqui, & non amplius potens continere silentium, se ipsum comparat vasibus, novo vino plenis, quæ, si obturentur, præ nimio calore rumpuntur. *Plenus sum sermonibus, & coarctat me spiritus uteri mei; en venter meus, quasi mustum absque spiraculo, quod lagunculas novas disrumpit, loquar, & respirabo paululùm.* Job. 32. v. 18. veluti diceret; Ego sentio, me ruptum iri, nisi loquar. 114.

Loquax rumpitur si tacet.

Ab hoc conceptu non multùm abludit Seneca Epist. 84. *Quemadmodùm musto dolia ipsa rumpuntur, & omne, quod in imo jacet, in summam partem vis caloris ejectat; sic vino exæstuante, quidquid in imo jacet abditum, effertur, & prodit in medium. Onerati mero, quemadmodum non continent merum vino redundante, ita ne secretum quidem, quod suum, alienumque est, pariter effundunt.*

CAP. XXXIII. ℣. 15.

Variis modis placet Deo secreta sua hominibus revelare; soletque sæpiùs id facere in somniis, uti contigit Abrahamo, Jacobo, Josepho, Salomoni; & aliis. Unde 1. Reg. c. 28. v. 6. de Saule scribitur; *Consuluitque Dominum; & non respondit ei neque per somnia, neque per sacerdotes, neque per Prophetas.* Et in libro Job cap. 33. v. 15. *Per somnium in visione nocturna, quando irruit sopor super homines, & dormiunt in lectulo. Tunc aperit aures virorum, & erudiens eos, instruit disciplinâ.* 115.

Deus loquitur à somnis.

Quòd Gentiles sibi persuasum habuerint, Divinas revelationes fieri in somniis, multi Authores profani testantur. Sufficiat nunc Virgilius lib. 7. Æneid. v. 86.

—— —— Huc dona Sacerdos
Contulit, & cæsarum ovium sub nocte silenti
Pellibus incubuit stratis, somnosque petivit,
Multa modis simulachra videt volitantia miris;
Et varias audit voces, fruiturque Deorum
Colloquio. &c.

CAP.

CAP. XXXIII. ℣. 27.

116. Adeò grandis est Divina bonitas, ut, sicuti nobis largitur gratias, meritis nostris longè majores; ita inferat supplicia, demeritis nostris semper minora. Unde Job. 33. v. 27. *Peccavi, & verè deliqui: & ut eram dignus, non recepi*, congruit dictum Psaltis 102. v. 10. *Non secundùm peccata nostra fecit nobis, neque secundùm iniquitates nostras retribuit nobis.*

Deus punit citra condignum.

Ægypti Regibus hæc laus attribuitur, quòd infligant pœnas, delictis minores. Diodorus l. 2. cap. 3. ait; *Sacerdos olim Ægyptiorum Rege juxta aram hostiis deductis adstante, prædicare solebat magna ulz: voce, audiente populo Regis virtutes, in Deos pietatem, ac religionem, in homines humanitatem servantis, tum illum continentem dicere, justum, magnique animi, veracem, liberalem, omnesque frenantem cupiditates: pœnas insuper mitiores, quàm postularent, erratis crimina exigentem, reddentem verò gratiam meritis ampliorem.*

CAP. XXXIV. v. 30.

117. NUllo modo est defectus Divinæ providentiæ, quòd ad regimen civitatis ac populorum assumantur homines sceleratissimi; sed in hoc maximè resplendet peculiaris effectus æternæ justitiæ, quæ homines flagitiosos eligit, ut castiget peccata subditorum, eosque submittat tyrannidi harum immanium furiarum in pœnam suorum scelerum. *Regnare facit hominem hypocritam propter peccata populi.* Job. 34. v. 30. Ad hunc effectum respexit Isaias 3. v. 4. *Dabo pueros principes eorum, & effœminati dominabuntur eis.* Anastasius Nicænus Quæst. 15. in Scripturam, ait; *Ex Principibus & Regibus alii quidem à Deo præficiuntur, tanquam digni eo honore, alii autem rursus cùm sint indigni, Dei permissione aut voluntate præficiuntur populo digno eorum indignitate.*

Princeps malus datur ob peccata populi.

Plutarchus *lib. de sera Num. vindicta*; præclarè ait, *Deus quibusdam malis, tanquam carnificibus usus est, ad sumendas de aliis malis pœnas; quod verum esse de plerisque Tyrannis arbitror. Quemadmodum enim fel Hyenæ & Phocæ, aliorumque fœdorum animalium coagula aliquid habent ad sanandos morbos utile, sic nonnullis morsu & pœnâ indigentibus Deus injiciens Tyranni alicujus sævitiam implacabilem, aut magistratus molestam asperitatem, non antè id, quod excruciabat, ac turbabat, sustulit, quàm vitiosos morbo laboràsset. Tale medicamentum fuit Agrigentinis Phalaris, Martius Romanis &c.* Ad hoc propositum insigniter servit sententia Theognidis Megarensis, qui videns civitatem totam corruptam vitiis, & tumidam superbiâ, fastu, & luxu; dixit,

Uterum fert civitas hæc: timeo autem ne pariat
Virum correctorem malæ insolentiæ vestræ.

Anastasius, suprà citatus, adducit in rem præsentem duo opportuna exempla; unum Monachi devoti, qui adversùs Deum conquerens, quòd Phocas esset promotus ad Imperium, accepit responsum; id factum esse, *quoniam non invenisset pejorem.* Et alterius Monachi, vitiosissimi hyppocritæ, qui Angeli dispositione electus est in Episcopum sceleratissimæ cujusdam civitatis Ægyptiæ; & cùm ob hanc dignitatem insolenti ac intolerabili modo intumesceret, ab Angelo reprehensus fuit. *Cur superbis, & magnificè tibi places, o infelix? Non es creatus Episcopus, quòd dignus sacerdotio sis, sed quòd civitas tali digna erat Episcopo.*

CAP. XXXV. ℣. 6.

DEus, utpote natura sua impassibilis, non potest ullum ab humana iniquitate recipere damnum aut nocumentum; sibi tamen malis suis operationibus immediatè nocet homo sceleratus, non verò immutabili & impassibili Deo. Unde Job. 35. v. 6. *Si peccaveris, quid ei nocebis? Et si multiplicatæ fuerint iniquitates tuæ, quid facies contra eum?* Ad Deum conversus David Psal. 90. dixit; *Altissimum posuisti refugium tuum, non accedet ad te malum.* 118.

Deus non capax offensæ.

Opportunè Seneca lib. 7 de Benef. c. 7. *Injuriam sacrilegus Deo quidem non potest facere, quem extra ictum sua Divinitas posuit: sed tamen punitur, quia tamquam Deo fecit. &c.*

CAP. XXXV. ℣. 11.

INter præclarissimos favores, quos Divina bonitas homini contulit, recensetur intellectus & ratio; horum enim beneficio homo non solùm evadit superior omnibus animalibus irrationalibus; sed etiam supra illa omnia exercet dominium, & ad sua obsequia cogit. Id quod innuitur Job. c. 35. v. 11. *Qui docet nos super jumenta terræ, & super volucres cœli erudit nos.* 119.

Sapientia hominis facit grandia.

Tullius lib. 2. de Nat. Deorum. *Efficimus domitu nostro quadrupedum vectiones, quorum celeritas atque vis nobis ipsis affert vim & celeritatem. Nos onera quibusdam bestiis, nos juga imponimus: nos Elephantorum acutissimis sensibus, nos sagacitate canum ad utilitatem nostram abutimur. Nos è terræ cavernis eliciimus rem ad colendos agros necessariam: nos auri argenti, auri venas penitus abditas invenimus, & ad usum aptas & ad ornatum decoras.* Et paulò post; *Quid verò? Hominum ratio non in cœlum usque penetravit?*

CAP. XXXVI. ℣. 16.

PHilippus, interpres Jobi, considerans illa verba cap. 36. v. 16. *Salvabit te de ore angusto latissimè*; ea intelligit de faucibus inferni; quæ quidem grandes sunt ad absorbendos innumeros reprobos; at angustissimæ simul, quia nullum penitus permittunt egredi. *Ideo*, inquit, *appellari os angustum ad emittendum: quoniam inferi mortuos intra se tenent, & eos ad vitam non patiuntur exire.* 120.

Infernus habet os largum & angustum.

De largis & simul angustis his faucibus præclarè Virgilius 6. Æn.

Noctes atque dies patet atri janua Ditis,
Sed revocare gradum, superasque evadere ad auras,
Hoc opus, hic labor est. &c.

CAP. XXXVII. ℣. 1.

INter timoris assultus agitatum cor humanum, plus solito palpitat & concutitur; veluti è proprio suo situ dimoveri, & foras prosilire cuperet. Ita Jobus cap. 37. v. 1. *Super hoc expavit cor meum: & emotum est de loco suo*; id est interprete Nicetâ; *parùm abfuit, quin sedem suam derelinqueret.* 121.

Timor concutit hominem.

Galenus 3. de Decret. Hyppocrat. c. 5. inhærens doctrinæ Chrysippi, scribit; *Cordis palpitatio, & totius animæ concursus ad cor in pavoribus evidens est.* Et Seneca l. 2. Nat. Quæst. c. 27. loquens de tonitruis, ait, eorum pavore humanas mentes

mentes dimoveri è proprio situ; *Quorum mentes sonus ille cœlestis loco pepulit. Ad hoc propositum* Ovidius 1. Metam.

—— *Humanas motura tonitrua mentes.*

CAP. XXXVII. ℣. 8.

112. POstquam Jobus descripsit horrorem hyemis, ventorum procellas, & tempestatum injurias; subjungit, ut contra eas capiatur refugium; *Ingredietur bestia latibulum, & in antro suo morabitur.* Job. 37. v. 8. In quem locum P. Pineda; *Vis*, inquit, *hyemis & terrifica tempestatis cogit non solùm homines intra domos, sed feras intra latibula, pisces ad ima confugiunt, aves nidis se continent. &c.*

Animalia se defendunt.

Quod Jobus dixit de feris in abstracto: Plinius scripsit in concreto de feris & aliis animalibus; De muribus l. 8. c. 18 *Ruinis imminentibus, musculi præmigrant.* & cap. 37 *Hermacei mutationem aquilonis in austrum condentes se in cubiculo præsagiunt.* lib. 11 c. 10. de Apibus; *Prædivinant ventos imbresque, & tunc se continent tectis. &c.*

CAP. XXXVII. ℣. 9.

113. VEntus aquilonaris seu borealis, flans à parte poli arctici seu Arcturi, secum affert rigores frigoris, glaciei, ac nivis. Unde Job 37. v. 9. *Ab Arcturo frigus.* Et Ecclesiasticus cap. 43. v. 22. *Frigidus ventus aquilo flavit, & gelavit crystallus ab aqua &c.*

Ovidius 6. Metam. hunc ventum introducit loquentem;

Apta mihi vis est, hâc tristia nubila pello,
Induroque nives, & terras grandine pulso.

De his ventis Varro *Carmine in Marcipore*, ait;

Ventique frigido se ab axe eruperant
Phrenetici septentrionum filii,
Secum ferentes tegulas, ramos &c.

CAP. XXVII. v. 9.

114. UT tempestatis horror genuinè describeretur; Jobus c. 27. v. 9. ventos demonstrat, qui è contrariis partibus erumpentes, ad eam concitandam concurrunt. *Ab interioribus* (id est, à parte australi, seu polo antarctico, ut explicat P. Sanchez) *egredietur tempestas, & ab arcturo frigus.* Id quod etiam observat Pineda in hunc locum num. 5.

Venti contrarii excitant tempestatem.

Hoc modo Princeps Poëtarum dixit;

Unà Eurusque Notusque ruunt, creberque procellis
Africus.

Et ad nostrum propositum Ennius 17. Annal.

Concurrunt veluti venti, cùm spiritus Austri
Imbricitor, Aquiloque suo cum flamine contra
Indu mari magno fluctus extollere certant.

CAP. XXXVII. ℣. 11.

115. GAspar Sanchez, commentans in hunc locum Jobi c. 37. v. 11. *Frumentum desiderat nubes*; acutè observat, quòd verbum illud *desiderat, tam cum nube, quàm cum frumento convenire potest*; quia Divina providentia hanc naturalem inclinationem etiam ipsis creaturis inanimatis dedit, ut hominem juvent, ipsiusque commodis sollicitè succurrant. Unde non tam frumentum desiderat fœcundari nubium pluviis; quàm vicissim roscidæ nubes desiderant influere ad augmentum & maturitatem frumenti. Hac de re vide nostra Lumina Reflexa ad cap. 2. Pseæ. cap. 22.

Creaturæ conveniunt ad sustentandum mundum.

Euripides, productus ab Aristotele lib. 8. Ethic. cap. 1. exprimit hos conceptus.

Pandit terra sinus, pluviasque à nubibus optat,
Cùm macer ablato campus ab imbre sitit.
Nec minus à pluviis, quæ turget in aëre nubes
Optat in expansos larga venire sinus.

CAP XXXVII. v. 11.

PRo mundi elegantia & beneficio sparguntur è nubibus clarissima lumina, sive in ornatum cœli sereni, sive in signum refrigerantis pluviæ, sive in prognosticon vicinæ tempestatis. Id quod Jobus intulit cap. 37. v. 11. *Nubes spargunt lumen suum.* 116.

Nubes luminosæ.

De lumine, è nubibus sparso in meram elegantiam mundi; Virgilius 8. Æneid. canit;

—— —— *Velut cùm cærula nubes*
Solis inardescit radiis, longeque refulget.

De lumine, è nubibus tralucente in indicium pluviarum; Plinius l. 18. c. 35. *Si sol in exortu suo longè radios per nubes porrigit, & medius erit inanis, pluviam significabit.* De lumine fulminum, è nubibus sparso; Ovidius lib. 1. Metam:

Jamque erat in totas sparsurus fulmina terras.

CAP. XXXVIII. ℣. 4.

HUmana perspicacia, quantumvis ingeniosa, nullo modo penetrare aut cognoscere potest, qua methodo supremus Architectus sub initium mundi stabiliverit fundamenta terræ, aut incurvàrit cœlos. Unde bene dixit Jobus c. 38. v. 4. *Ubi eras, quando ponebam fundamenta terræ? indica mihi, si habes intelligentiam.* 117.

Fabrica mundi imperceptibilis.

Conformiter ad hunc discursum Tullius lib. 1. de Nat. Deorum; reprehendit Platonem, qui prætendebat, à se inventum esse modum, quo Deus ædificàrit mundum. *Quibus oculis intueri potuit vester Plato fabricam illam tanti operis, quâ construi à Deo atque ædificari mundum facit? Quæ molitio, quæ ferramenta, qui vectes, quæ machina, qui ministri tanti operis fuerunt. Quemadmodùm autem obedire & parere voluntati architecti aer, ignis, aqua, terra potuerunt?*

CAP. XXXVIII. ℣. 22.

SAnctus Job, de nivibus & grandine agens, docet, eas à providentia Divina conservari ac colligi in propriis suis thesauris seu armamentariis, ceu totidem arma, vibranda contra hostes virtutis ac Dei. *Numquid ingressus es thesauros nivis, aut thesauros grandinis, quæ præparavit in tempus hostis in diem pugnæ & belli.* Job. 38. v. 22. Experientia id comprobatum est contra Gabaonitas; dum *Dominus misit super eos lapides magnos de cœlo, & mortui sunt multò plures lapidibus grandinis, quàm quos gladio percusserant filii Israel.* Josue cap. 10. v. 11. 118.

Nix & grando arma Dei.

Gentiles agnoverunt nives, grandines, & fulmina, tanquam arma, divinitus vibrata ad percutiendum mundum. Inter eos Horatius lib. 1. od. 2.

Jam

Jam satis terris nivis, atque diræ
Grandinis misit pater, & rubente
Dexterâ sacras jaculatus arces
Terruit urbem.

CAP. XXXVIII. ℣. 28.

129. Dicitur Deus non tantùm pater, sed etiam mater pluviarum, roris, glaciei, & omnium creaturarum; cùm omnes sint productæ ab infinita ejus potentia, ceu vigoroso patre; & à suprema providentia, ceu fœcunda & amabili matre. *Quis est pluviæ pater? aut quis genuit stillas roris? de cujus utero egressa est glacies? & gelu de cœlo quis genuit?* Job. 38. v. 28.

Deus est pater & mater creaturarum.

Orpheus, referente S. Clemente Alexandrino lib. 5. Stromat. dedit Deo nomen *Metropatora*, quod idem est, ac *Matripater*, seu simul mater & pater.

Exitii expers Matripater, volvuntur ab ira
Cujus cuncta moves; qui ventos, atq; omnia nimbis
Contegis &c.

CAP. XXXVIII. ℣. 30.

130. Insigne divinitatis opus est, quòd aqua, tametsi natura sua mollis ac fluida, constringatur, consolidetur, & induretur in glaciem seu crystallum, fiatque fortis instar rigidissimi lapidis molaris. *In similitudinem lapidis aquæ durantur, & superficies abyssi constringitur.* Job. 38. v. 30.

Aqua indurata in glaciem.

Quòd aqua consolidetur instar lapidis, demonstrat experientia; quia teste Olao lib. 11. c. 20. & 22. in regionibus septentrionalibus ex frustis glaciei fiunt fortissima propugnacula, quibus retunduntur tormenta bellica. Item supra conglaciata, & instar saxi indurata flumina liberè progrediuntur validissimi armati exercitus. Unde Virgilius l. 3. Georg.

Concrescunt subitæ currenti in flumine crustæ
Undaq; jam tergo ferratos sustinet orbes,
Puppibus illa prius patulis, nunc hospita plaustris.

Plinius in Panegyri; *Danubius ripas gelu jungit, duratusque glacie ingentia tergo bella transportat.* Et Diodorus l. 5. c. 9. loquens de Gallia; *Glacies quoque immensa adeò regionem occupat, ut flumina congelata, sint pervia transeuntibus, non solùm paucis, sed exercitibus quoque, cum curribus, atq; impedimentis.*

CAP. XXXIX. ℣. 18.

131. Struthio, tametsi non sit avis, instructus tamen est alis, iis utens, tanta celeritate currit, ut, licèt tardus passibus, & mole gravis, superet velocitatem celerrimorum equorum. *Cùm tempus fuerit, in altum alas erigit, deridet equum, & ascensorem ejus.* Job. 39. v. 18.

Struthio celerrimus.

Velocitatem Struthionis repræsentat Xenophon lib. 1. de Expedit. Cyri; propè medium, *Struthiocamelum nemo omninò capere potuit, tam longè enim & pedum pernicitate, modò verò alarum quasi velificatione promovebant, ut statim equites, desperata præda, insequi desinerent.*

CAP. XXXIX. ℣. 21.

132. Inter laudatissimas qualitates equi numeratur animosa audacia, qua nullum timet periculum, neque ullo modo cedit, sed generosus & ferox eò semper properat, quò alii ingenti timore absterrentur. *Exultat audacter, in occursum pergit armatis, contemnit pavorem, nec cedit gladio.* Job. 39. v. 22.

Equus generosus.

Jobo assentiuntur Eruditi. Varro lib. 2. c. 7. *Equi boni futuri signa sunt, si cum gregalibus in pabulo contendit in currendo, aliave qua re, quo potior sit: si cum flumen transvehendum est, gregi imprimis prægreditur:* quæ actiones omnes demonstrant generositatem & audaciam. Ad hoc propositum Virgilius 3. Georg.

Continuò pecoris generosi pullus in arvis
Altius ingreditur, & mollia crura reponit,
Primus & ire viam, & fluvios tentare minaces
Audet, & ignoto sese committere ponto.
Nec vanos horret strepitus.

Et Juvenalis Satyr. 8.

— — — *Nempe volucrem*
Sic laudamus equum, facili cui plurima palma
Fervet, & exultat rauco victoria circo.
Nobilis hic quocumque venit de gramine cujus
Clara fuga ante alios, & primus in æquore pulvis.

Posset addi, quod Oppianus refert de equis, qui nascuntur propè fluvium Euphratem.

— *Qui habitant virides Euphratis ad undas*
Magnanimis utuntur equis ad bella leonum.
Lumina glauca vibrant, & magnum in pectore robur
Efferat audaces animos ad fervida bella;
Accedit levitas cursus, quodque ora leonis
Intrepidè perferre valet. &c.

CAP. XXXIX. ℣. 21.

133. In descriptione equi apud Jobum cap 39. v. 21. tria nunc observo; videlicet, quòd generosum hoc animal terram pede quatiat, audaci vivacitate gradiatur, & armis, armatisque occurrat. *Terram ungula fodit, exultat audacter, in occursum pergit armatis.*

Equus quatit terram.

Hæ considerationes minutim reperiuntur apud Profanos. Quantùm ad quatiendam terram; Virgilius l. 3. Georg. de Equo canit;

— — — *Cavatque*
Tellurem, & solido graviter sonat ungula cornu.

Consonat Nemesianus;

— — — *Ungula terram*
Crebra ferit, virtusque artus animosa fatigat.

Et Lucanus;

— *sonipesq; motus clangore tubarum*
Saxa quatit pulsu.

audax.

Quantum ad *exultat audacter*; Ælianus lib. 4. c. 19. ait; *Inter cæteras animantes equus magno, lætoque animo est. Etenim magnitudo & celeritas ipsa, cervicisque eminentia, & crurum facilis contractio, facilisq; porrectio, & ungularum crepitus inducunt eum, ut audacius exultet, & gestiat &c.*

Quantum ad occursum armorum; Virgilius 2. Georg.

Hinc bellator equus campo sese arduus infert.

Et 3. Georg.

— *Si quà sonum procul arma dedêre,*
Stare loco nescit, micat auribus, & tremit artus,
Collectumque premens volvit sub naribus ignem.

CAP. XXXIX. ℣. 25.

134 QUando milites audito tubæ classico ingentem in pectore horrorem ac timorem concipiunt; Equus vicissim totus hilaris & festivus, tubarum stridoribus respondet iterato ac læto hinnitu, Job. c. 39. v. 25. *Ubi audierit buccinam, dicit vah.*

Equus respondet tubis.

Statius lib. 11. Thebaid. favet huic observationi, ita canens;

— *Ad lituos hilarem, intrepidumque tubarum*
Prospiciebat equum.

Idque non solùm quia delectatur bello, sed etiam quia demulcetur musica. Plutarchus de Musica ait; *Equos tibiis & fistulis mulceri.*

CAP. XXXIX. ℣. 27. &c.

135 AQuila nidum suum collocat, non inter paludosam algam, arborum ramos, aut sepium cespites; sed supra saxeas rupes omnium altissimas & celsissimas. Job. 39. v. 27. &c. *In arduis ponet nidum suum. In petris manet: & in præruptis silicibus commoratur, atque inaccessis rupibus.* Ad hoc allusit Abdias c. 1. 4. *Si exaltatus fueris ut aquila, & si inter sydera posueris nidum tuum, inde detraham te, dicit Dominus.*

Aquila facit nidum supra sublimes rupes.

Conformiter Aristoteles de Animal. l. 9. c. 32. de Aquilis scribit; *Nidulantur locis non planis, sed celsis: præcipuè quidem arduis saxis, & præcipitibus.*

Si anima nostra cupiat imitari aquilam, nidum suum formare debet supra sublimem Calvariæ rupem, in sinu crucifixi; ubi erit *in foraminibus petræ, in caverna maceriæ.* Cant. 2. v. 14.

CAP. XXXIX. ℣. 30.

136 QUia regiæ aquilæ nec nutriuntur herbis, nec fructibus aut seminibus; idcircò tam ipsæ, quàm earum pulli vescuntur carnibus, & potantur sanguine prædarum. Ita Jobus c. 39. v. 30. *Pulli ejus lambent sanguinem.*

Aquila bibit sanguinem.

Ælianus, citatus à Pineda in hunc locum, ait; *Aquilæ nullas fruges exedunt & conficiunt, sed carnes vorant, & sanguinem exsorbent.* Aristoteles, tametsi observet, volucres adunci seu incurvati rostri non bibere; nihilominus refert opinionem Hesiodi, qui describit *aquilam bibentem*; idque forsan, quòd *illis sit pro potu sanguis prædæ.* lib. 8. de Hist. Animal. cap. 18.

CAP. XLI. ℣. 9. &c.

137 QUia Balæna, Leviathani nomine descripta apud Jobum cap. 41. n. 9. &c. ingentem copiam sanguinis habet, idcircò abundat calore, ac proinde è naribus, oculis, & faucibus evomit ignem, fumum, & flammas. *Sternutatio ejus ut splendor ignis, & oculi ejus ut palpebræ diluculi. De ore ejus lampades procedunt.* &c. Etiam Salomon Sap. 11. v. 19. describit *ignotas bestias, aut vaporem ignium spirantes, aut fumi odorem proferentes, aut horrendas ab oculis scintillas emittentes.*

Balænæ igneæ.

Etiam profani Authores describunt pisces, serpentes, & alia animalia, evaporantia ignem. Olaus Magnus de Balænis Norvegiæ lib. 21. c. 5. ait; *Oculis noctu coruscant, ingentium flammarum modo; procul enim visi à piscatoribus, ignes grandes esse putantur.* Plinius l. 9. c. 27. de pisce Lucerna ait; *Subit in summa maria piscis, ex argumento appellatus Lucerna, linguaq; ignea per os exerta, tranquillis noctibus relucet.* Virgilius lib. 3. Georg. de serpente aquatili ait;

Exilit in siccum, flammantia lumina torquet.

Et lib. 2. Æneid. certis Draconibus, è flumine quodam progressis, attribuit

Ardentes oculos, suffectos sanguine & igne.

His Authoribus jungi potest Ovidius lib. 7. Metamor.

Ecce adamanteis Vulcanum naribus efflant
Æripedes tauri, tactaq; vaporibus herbæ
Ardent. &c.

CAP. XLI. ℣. 15.

QUantumvis omnia animalia habeant cor carneum, nervosum, & admodùm benè formatum ac consolidatum, ut docet Aristoteles l. 3. de part. cap. 4. Jobus tamen suo Leviathano attribuit cor durum, asperum, & instar saxi ac incudis rigidum. *Cor ejus indurabitur tanquam lapis, & stringetur quasi malleatoris incus* Job. 41. v. 15. 138

Cor saxeum.

Si hæc cordis durities intelligatur physicè; Plinius l. 11. c. 37. docet, quod in corde equi, *& generis cujusdam boum, officula quædam fortitudinis & sustentaculi causa inveniuntur* id quod de bobus affirmavit Aristoteles l. 2. de Animal. c. 13.

Si autem hæc durities intelligatur moraliter & metaphoricè ad denotandum cor crudele & inflexibile instar saxi; Ovidius lib. 1. Trist. Eleg. 7.

Et tua sunt silicis circùm præcordia venæ,
Et rigidum ferri semina pectus habet.

CAP XLI. v. 17.

BAlæna, Leviathani nomine descripta à Jobo, repræsentatur tanta fortitudine instructa, ut nullo armorum genere vulnerari aut offendi queat. *Cùm apprehenderit eum gladius, subsistere non poterit, neque hasta, neq; thorax; reputabit enim quasi paleas ferrum &c.* Job. 41. v. 17. &c. 139

Balæna impenetrabilis.

Similem resistentiam indomitis membris Alcidis attribuit Seneca in Hercul. Act. 1.

Nullis vulneribus pervia membra sunt,
Ferrum sentit hebes; lentior est chalybs,
In nudo gladius corpore frangitur,
Et saxum resilit, fataque negligit,
Et mortem indomito corpore provocat.
Non illum poterant figere cuspides,
Non arcus Scythicâ tensus arundine,
Non quæ tela gerit Sarmata frigidus. &c.

Serpens, contra quem dimicabat Cadmus, non poterat illius viribus superari. De hoc Ovidius 3. Metam. scribit, quòd Cadmus

— *Dextrâ*

— — *Dextrâque molarem*
Sustulit, & magnum magno conamine misit.
Illius impulsu cum turribus ardua celsis
Mænia mota forent; serpens sine vulnere mansit,
Loricaq; modo squammis defensus, & atræ
Duritiâ pellis, validos cute reppulit ictus.

CAP. XLI. ✠. 22.

140. ADeò vasta & valida est Balæna, ut cooperta undis, volensque respirare, efficiat vicinas maris aquas tantoperè exæstuantes, ac si esset ebulliens ahenum. *Fervescere faciet, quasi ollam, profundum maris: & ponet, quasi cùm unguenta bulliunt.* Job. 41. v. 22. Balæna respirans.

Ælianus l. 17. de Animalibus. cap. 6. ait de Balænis, quæ reperiuntur in India; *Eas tanto robore septas esse, ut sæpè cùm naribus respirârint, tantoperè in sublime marinos fluctus jaciant, ut hæc imperitis maximè maris tempestates ac turbines esse videantur.*

LUMINA REFLEXA IN PSALMOS.

PSAL. I. v. I.

141. Beatitudo est finis hominis.



QUia omne agens in operando considerat finem; etiam David, ut suos auditores animaret ad acquirendas illas virtutes, & tolerandos labores, quos in suis Psalmis explicare aggrediebatur; ante omnia alia sub oculos posuit beatitudinem, tanquam finem ab omnibus desideratum; ut defixi ad mercedem adeò dignam, accingantur ad difficillimas quasvis operationes. *Beatus vir, qui non abiit in consilio. &c.* Christus simili modo, sub initium suæ prædicationis, auditoribus proposuit regnum cœleste. *Cœpit Jesus prædicare, & dicere: Pœnitentiam agite: appropinquavit enim regnum cælorum.* Matth. 4. v. 17. Idem Principium etiam dedit sermoni in monte; *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cælorum.* Matth. 5. v. 5.

Aristoteles suis libris dedit exordium à desiderio, quod omnes habent ad beatitudinem; docens, illam beatitudinis speciem, quæ vocatur activa, reperiri in perfecta virtute; id quod affirmat ad Nicomachum & Eudemium. lib. 10.

PSAL. I. ✠. I.

142. BEatitudinis speciem dicit coronatus Propheta, vivere remotum à commercio & familiaritate gentis peccatricis & sceleratæ. *Beatus vir, qui non abiit in consilio impiorum.* Psal. I. v. I.

Fuga vitiorum est fundamentum virtutis. Virtus enim & perfectio nec acquiri, nec conservari potest, nisi vivamus remoti & separati ab iis, qui vitiis contaminati & immersi sunt. In hunc sensum S. Antonius p. 4. Tract. 15. cap. 20. §. 7. docet, internam puritatem obtineri *primò per recessum ab impuro, secundò per approximationem ad summè purum.*

Horatius lib. 1. Epist. 1. stabilivit fundamenta virtutum supra fugam vitiorum & vitiosorum;

Virtus est, vitium fugere.

Seneca lib. de Tranquill. c. 7. *Serpunt vitia, & in proximum quemque transiliunt, & contactu nocent. Itaque ut in pestilentia cavendum est, ne corruptis jam corporibus assideamus, quia pericula trahemus;* ita fugiendi sunt impii, ne eorum impietate contaminemur.

PSAL. I. ✠. I.

TItulus beati optimè in eos convenit, qui remoti à sceleratis vivunt, suamque innocentiam ac puritatem conservant intactam. Unde Psaltes I. v. I. *Beatus vir, qui non abiit in consilio impiorum.* 143. Virtuosus & beatus.

Eusebius lib. 12. Præparat. c. 15. scribit, Platonem ordinâsse, ut Poëtæ sui temporis cogerentur in suis versibus dicere, hominem bonum esse verè beatum, sive sit pauper, sive dives. Contrà verò hominem vitiosum semper esse miserum, quantumvis Midæ divitiis abundaret. Seneca Epist. 45 *Beatum non eum esse, quem vulgus appellat, ad quem pecunia magna confluxit: sed illum, cui bonum omne in animo est, erectum, & excelsum, & mirabilia calcantem &c.*

PSAL. I. ✠. 2.

LEx Dei, veluti tabula hydrographica, à quocumque, intra hujus vitæ pelagus fluctuante, debet ante oculos continuò teneri; id est: diu, noctuque nobis meditanda ac contemplanda est, ut discamus securam ac directam ad operationes virtuosas semitam. *In lege ejus meditabitur die, ac nocte.* Psal. I. v. 2. Hanc continuam meditationem Deus præcepit suo populo, ut videri potest Deut. 6. v. 6. & c. 11. v. 18. & præcisè Principi populi Deut. 17. v. 19. & Josue c. 1. v. 8. 144. Lex Dei semper contemplanda.

Quod David suasit circa legem Dei; Horatius consuluit litteratis, ut libros, à præclaris Græcis scriptos, assiduò versarent. unde in sua arte Poëtica canit;

— — *Exemplaria Græca*
Nocturnâ versate manu: versate diurnâ.

PSAL. II. ✠. I.

JUstissima exprobratione David interrogat furibundos Gentiles, & populos, suis passionibus excæcatos; cur arreptis armis, prorumperent in stultas, temerarias, & sceleratas resolutiones? *Quare fremuerunt gentes, & populi meditati sunt inania?* 145. Furor armorum exprobratus.

Cum his vocibus non ingratam similitudinem referunt reprehensiones Horatii lib. Epod. Od 7 contra illos, qui præcipites ruebant ad bella civilia auspicanda adversus Brutum & Cassium;

Quò, quò scelesti ruitis? aut cur dexteris
Aptantur enses conditi?
Furorne cæcus, an rapit vis acrior?
An culpa? responsum date.

PSAL. II. ℣. 4.

146. Quantumvis iniqui suis sceleratis operationibus insultent Deo; iste tamen, ab eorum aspectu absconditus in sublimibus cœlis, vanas eorum vires ridet, brevi eos in suis conatibus intricaturus ac confusurus. *Qui habitat in cœlis, irridebit eos. & Dominus subsannabit eos.* Psal. 2. v. 4.

Deus ridet vanos nostros conatus.

Huic sensui apprimè respondet Horatius l. 3. Carm. Od. 29.

Prudens temporis exitum
Caliginosa nocte premit Deus,
Ridetque, si mortalis ultrà
Fas trepidat. &c.

PSAL. II. ℣. 8.

147. Æternus Pater in persona Davidis promittit incarnato verbo dominium supra vastam terram. Psal. 2. v. 8. *Dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ.* De hoc S. Bernardus Serm. 66. in Cant. *Habet, & semper habebit integram Christus hæreditatem suam, & possessionem suam terminos terræ.*

Imperium Christi.

Adeoque longè melius Jesu Christo, quam Octaviano Augusto, conveniunt elogia, formata à Virgilio l. 6. Æneid. v. 792.

Augustus Cæsar, Divûm genus, aurea condet
Secula, qui rursus Latio, regnata per arva
Saturno quondam: super & Garamantas & Indos
Proferet imperium.

PSAL. II. ℣. 10.

148. Principes à Regio Propheta persuadentur ad apprehendendam prudentiam ac scientiam, ut bono regimini possint tanto melius præesse. Et ubi nos legimus Psal. 2. v. 10. *Et nunc Reges intelligite*, textus Græcus habet verbum, quod significat *scientificamini*; denotans, teste Lorino, *scientiam suscipere, qua neminem deceat magis, quàm Reges.*

Scientia convenit Principi.

Plato lib. 5. de Leg. dixit; *Aut Reges philosophari, aut Philosophos regere debere.* De Pithagora S. Augustinus l. 2. de Ordine cap. 20. Tom. 1. scribit; *Quòd regendæ Reipublicæ disciplinam suis auditoribus ultimam tradebat, jam doctis, jam perfectis, jam beatis.*

Si demùm advertatur ad apostrophen Psaltis; *Et nunc Reges intelligite. &c.* Hesiodus similiter dixit;

O Reges, considerate etiam ipsi
Justitiam hanc.

PSAL. II. ℣. 10. &c.

149. Ad felicitatem principatuum ac rerumpublicarum plurimùm confert, ut Princeps cum omni justitia observet præcepta legis, servetque animam sancto Dei timore adornatam; serviens enim pietati, omnem prosperitatem experietur. Unde Psaltes Ps. 2. v. 10. *Et nunc Reges intelligite, erudimini qui judicatis terram. Servite Domino in timore & exultate ei cum tremore. Apprehendite disciplinam, ne quando irascatur Dominus, & pereatis de via justa.*

Principes felices cum timent Deum.

Eandem maximam habuêre Gentiles; Aristoteles l. Rhetoric. *Deos promptiores in eos, qui maximè eos colunt, & ita promovere, & conservare eorum principatus.* Et Cicero Orat. de Arusp. Respons. *Romanos non calliditate, aut robore, sed pietate ac religione omnes gentes, nationesq; superâsse.* Unde S. Augustinus lib. 1. de Civit. Dei attribuit continuam Romanorum felicitatem operibus bonis, quæ peregerunt.

PSAL. III. ℣. 4.

David sincero & reali affectu gratitudinis protestatur, omnem suam gloriam, omne patrocinium, & omne incrementum à Deo proficisci. Unde ad Deum conversus, ait Psal. 3. v. 4. *Tu autem, Domine, susceptor meus es, gloria mea, & exaltans caput meum.* 150.

Affectus gratitudinis.

In eundem sensum Horatius l. 1. Carm. Od. 1. dixit Mecænati, benigno litteratorum protectori;

O & præsidium, & dulce decus meum!

Minutius Felix, Bellidux equestris, incautè cum suis turmis contra exercitum Hannibalis excurrens, incidit manifestum periculum, ut in frusta concisus fuisset, nisi Fabius Maximus eum servâsset incolumem. Unde in castra Romanorum reversus, cum omnibus suis militibus accessit Fabium; ubi *Parentem ipse eum alta voce, & milites ejus patronos appellavit.* Subjungens; Domine, duas victorias hodie obtinuisti; superâsti fortitudine tua Hannibalem; salvâsti prudentia tua me tuum collegam. Proinde semper vos agnoscam meum liberatorem & patrem. Illi, qui me genuit, debeo meam vitam; vobis debeo vitam ac salutem non tantùm meam, sed etiam omnium meorum militum. Unde affectuosis amplexibus & osculis strinxit pectus Fabii, generosi sui liberatoris. Plutarchus in vita Fabii Maximi.

PSAL. III. ℣. 5.

Etiamsi interni affectus nostri penitissimè comprehendantur à Deo; nihilominus Propheta, devotè supplicaturus Deo, adhibuit externas articulatas voces. Psal. 3. v. 5. *Voce mea ad Dominum clamavi, & exaudivit me.* Et Psal. 5. v. 3. *Intende voci orationis meæ — Ad te orabo Domine, mane exaudies vocem meam.* & Psal. 76. v. 1. *Voce mea ad Dominum clamavi.* Et centenis aliis locis. 151.

Oratio vocalis.

Hujus sententiæ fuerunt Pythagorici, qui *voce precandum ajebant.* ut refert S. Clemens Alex. citatus à P. Lud. la Cerda Advers. fol. 276. n. 6.

PSAL. IV. ℣. 5.

Errores, nonnunquàm à cordis nostri lubricitate commissi, debent à servo Dei voluntariè puniri; qui omni diligentia in cellulæ suæ solitudine conscientiam ad examen vocat, & in omnia illa exactè inquirit, quæ toto diei decursu operatus est, ut ea arguat & reformet, prout opus fuerit. Documentum hoc est Psalmi 4. v. 5. *Quæ dicitis in cordibus vestris, in cubilibus vestris compungimini.* 152.

Examen conscientiæ.

Seneca

Seneca lib. 3. de Ira. cap. 36. *Animus quotidie ad rationem reddendam vocandus est. Faciebat hoc Sextius, ut consummato die, cùm se ad nocturnam quietem recepisset, interrogaret animum suum: quod hodie malum tuum sanâsti? cui vitio obstitisti? qua parte melior es? Desinet ira, & erit moderatior, quæ sciet, sibi quotidie ad judicem esse veniendum. Quid ergò pulchrius hac consuetudine excutiendi totum diem?* Et paulò post; *Utor hac potestate, & quotidie apud me causam dico. Cùm sublatum è conspectu lumen est — totum diem mecum scrutor, facta & dicta mea remetior. Nihil mihi ipse abscondo, nihil transeo &c.* Ad hoc propositum multa alia scribit Epist. 83.

PSAL. IV. ℣. 7.

153. CUjusvis hominis animæ ingeneratum est quoddam dictamen, quod ei tribuit cognitionem Dei, ac luminis instar servit ad eam illustrandam; uti & sigilli loco ad imprimendam hanc maximam, quòd Deus sit. Id quod forsan innuere voluit Propheta Psal. 4. v. 7. *Signatum est super nos lumen vultus tui Domine.*

Cognitio Dei.

Tullius lib. 2 de Natura Deorum; *Omnibus innatum est, & quasi insculptum, esse Deum.* Et lib. 1. de Legibus: *Nulla gens est neque tam ferrea, quæ non, etiamsi ignoret, qualem Deum habere deceat, tamen habendum sciat.*

PSAL. V. ℣. 4.

154. PRimo exoriente sole, David angelicis affectibus semper solebat cœlum replere cantibus, & hymnis, solvens linguam, erigensque voces ad glorificandum ac rogandum creatorem. Unde Psal. 5. v. 4. *Ad te orabo Domine, manè exaudies vocem meam. Manè astabo tibi.* De hac oratione, sub exordium diei facta, rursus loquitur Psalm. 62. v. 1. *Deus, Deus meus, ad te de luce vigilo.* & v. 7. *Memor fui tui super stratum meum, in matutinis meditabor in te.* Psal. 91. v. 3. *Ad annuntiandum manè misericordiam tuam.* & aliis multis locis.

Oratio matutina.

Herodotus lib. 1. refert morem Magorum in Persia, recitandi sub crepusculum matutinum cantica & hymnos ad honorem suorum Deorum. De Appollonio Thianæo refert Philostratus lib. 1. ipsius vitæ. cap. 12. quòd habitârit cum sacerdotibus, & nascente sole obtulerit in occultis locis aliqua sacrificia. Plinius 2. lib. 10. Epist. 97. de primævæ Ecclesiæ Christianis narrat; *quòd essent soliti stato die ante lucem convenire: carmenq; Christo, quasi Deo, dicere secum invicem.* Ad hoc propositum de quodam Virgilius 11. Æneid.

Vota Deûm primo victor solvebat eoo.

De hoc argumento videatur in Psalm. 62. v. 1.

PSAL. V. ℣. 4.

155. QUamprimùm David in oriente illucescentem conspexit auroram, conversus ad Deum, obtulit ei pietatis ac religionis suæ coruscantia lumina, sese Deo inclinans, eumque devotissimo affectu invocans. *Ad te orabo, Domine, manè exaudies vocem meam. Manè astabo tibi.* Ps. 5. v. 4. Sicque initium suarum operationum absolutè à Deo desumpsit. Idipsum laudatur in Jobo, qui sub diluculum obtulit Creatori victimas in holocaustum. *Consurgens diluculo offerebat holocausta.* Job. 1. v. 5. Laurentius Justinianus de disciplina cap. 10. *Cuncti Deo placere cupientes, primordia diei & actionum conentur consecrare altissimo. Unde mox, ut à somno evigilant, semper cor suum erigere contendant. Prima vox, prima cogitatio, primus affectus, divinam resonet laudem, ignitam ad Deum dirigat supplicationem.*

Principium operum à Deo capere.

Cicero l. 2. de Leg. dicebat; *A Jove primordia.* Idem Orat. in Vat. introducit Q. Fratrem; *Nunc itidem ab eodem, & cæteris Diis immortalibus sunt nobis agendi capienda primordia.* Cui ipse respondit; *Optimè verò frater, & fieri sic decet.* Plato in Timæo, citatus à Boëtio l. 13. Consol. dixit, etiam rerum minimarum initium à Deo sumendum esse. *Quo prætermisso, nullum ritè fundatur exordium.*

PSAL. V. ℣. 5.

CUm Deus sit summa sanctitas, summa puritas, justitia, & bonitas infinita; nullo prorsus modo potest amare, probare, aut vel levitium, iniquitatem, vel culpam; unde hoc sensu ad Deum conversus Propheta Psal. 5. v. 5. *Quoniam non Deus volens iniquitatem tu es.* & Psalm. 10. v. 8. *Justus Dominus, & justitias dilexit.* 156.

Deus amat justitiam.

Homerus, citatus à P. Joanne Lorino in hunc locum, dixit:

Non enim Dii mala opera diligunt,
Sed justitiam honorant.

Hæc sententia est quidem conformis dicto Davidico; effrons tamen mendacium committit Homerus, cùm Dii, quos venerabantur Gentiles, fuerint contaminati sexcentis enormissimis spurcitiis.

PSAL. V. ℣. 7.

TItulus Veracis in omnibus sacræ paginæ locis reperitur attributus Deo. Exodi c. 34 v. 6. à Mose vocatur; *Multa misericordia & verax.* à Psalte Psal. 85. v. 15. eodem titulo insignitur. A Pharisæis Matth. 22. v. 16. *Magister, scimus, quia verax es &c.* A Præcursore Baptista Joan. 3. v 33. *Deus verax est.* Et à Doctore Gentium Rom 3. v. 4. *Est autem Deus verax.* Quid ergò mirum, si Deus, totus verax, abominetur, & puniat illos, qui amant mendacium. *Perdes omnes*, inquit Psaltes 5. v. 7. *qui loquuntur mendacium.* 157.

Mendacium Deus odit.

Plato lib. 2. & 5. de Republ. Et Cicero demonstrant, mendacium displicere non tantùm hominibus, sed etiam Deo; uti refert in hunc locum Lorinus.

PSAL. V. ℣. 13.

BOna voluntas, id est, providentia, protectio, & gratia Dei, non solum attulit Davidi Regi patrocinium ac tutelam, sed etiam ornamentum ac decus. Unde divinam voluntatem simul vocat scutum & coronam. *Domine ut scuto bonæ voluntatis tuæ coronâsti nos.* Psal 5. v. 13. 158.

Scutum instar coronæ.

S. Thomas, Doctor Angelicus eruditam reflexionem subministrat; quando dicit: *Consuetudo fuit Romanis, uti scutis rotundis, & in illis habebant spem victoriæ, & quando triumphabant, utebantur scuto illo, ut coronâ.* Hanc eruditionem observat etiam Michaël Aiguanus in hunc locum.

PSAL. VI. ℣. 7.

159. QUanta fuit enormitas peccati, commissa à Rege adultero & homicida; tantus fuit dolor, quem sensit in emendandis suis erroribus; prorumpens, veluti bonus pœnitens, in effusissimas lachrymas, suaque delicta diu noctuque plangens. *Laboravi in gemitu meo, lavabo per singulas noctes lectum meum.* &c. Psal. 6. vers. 7.

Lachrymæ pœnitentis.

Similis fuit pœnitentia S. Petri Apostoli, cujus oculi à salsedine continuatum lachrymarum corrosi, sanguineum colorem induerunt, ut scribit Nicephorus lib. 2. cap. 37 refertur insuper in recognitionibus S. Clementis, eum, quoties audivit galli cantum, semper prorupisse in amarissimum planctum, ac continuò in manibus portâsse frustum panni, quo assiduas lachrymas extergeret.

PSAL. VI. ℣. 7.

160. TEstatur David se solis suis lachrymis velle lavare lectum suum; ut earum inundatione ablueret maculas adulterii, quibus ille ipse lectus erat contaminatus. *Lavabo per singulas noctes lectum meum, lachrymis meis stratum meum rigabo.* Psal. 6. v. 7.

Lectus lotus lachrymis.

Etiam apud Profanos reperiuntur lecti, afflictorum copiosis lachrymis irrigati. Certè Homerus in Odyssea, referente Lorino, canit:

In lecto, qui dat suspiria multa, cubabo,
Quemq; meis lachrymis, largo velut imbre, rigavi.

PSAL. VI. ℣ 9.

161. VIciniam sceleratorum, quasi lethali contagio essent infecti, abominabatur Rex David; unde plenus nausea & horrore, iis dicebat; *Discedite à me omnes, qui operamini iniquitatem.* Psal 6. v. 9 cui assentitur S. Paulus 1. Cor. 5. v. 11. *Si is, qui frater nominatur, est fornicator, aut avarus, aut idolis serviens, aut maledicus, aut ebriosus, aut rapax: cum ejusmodi nec cibum sumere.*

Vitiosi abominati.

Tenella Virgo Agnes, abominans ardentem illum amantem, qui ipsius candorem contaminare poterat, magnanima resolutione eum à se abegit; cum dicto; *Discede à me pabulum mortis.* S. Antonius Abbas, ut de ipso testantur Historici; *Ab hæreticorum & schismaticorum hominum, maximè Arianorum, congressu & colloquio sic abhorrebat, ut ne propè quidem ad eos accedendum diceret.* Breviar. Rom. 17. Jan.

PSAL. VI. ℣. 9.

162. TAntæ efficacitatis apud Deum sunt preces, ut David tribus vicibus uno penè halitu testetur, eas fuisse à Deo exauditas. *Exaudivit Dominus vocem fletûs mei. Exaudivit Dominus deprecationem meam, Dominus orationem meam suscepit.*

Preces exauditæ.

Horatius, falsos suos Deos pro conservanda Roma orans, firmiter confidit, se exauditum iri; cùm soleret ad eorundem Deorum honorem sæpius proferre cantica & laudes. Epod. ult. ad fin.

Hæc Jovem sentire, Deosque cunctos
Spem bonam, certamque domum reporto,
Doctus, & Phœbi chorus, & Dianæ
Dicere laudes.

Et Ovidius lib. 2. de Ponto. Eleg. 1.

Quod precor, eveniet, sunt certa oracula Vatum. &c.

PSAL. VII. ℣. 8.

UT populus absque ulla difficultate se impenderet ad sanctas & virtuosas operationes; David rogat Deum, ut creaturas suas præcedat sanctorum exemplorum passibus; cùm certissimum sit, oviculas mox insecuturas vestigia divini Pastoris. *Exurge, Domine Deus, in præcepto, quod mandâsti, & synagoga populorum circumdabit te.* Psal. 7. v. 8. S. Gregorius Magnus p. 2. Pastor. cap. 3. ait: *Sit rector operatione præcipuus, ut vita viam subditis vivendo denuntiet & grex qui pastoris vocem, moresq; sequitur, per exempla melius, quàm per verba gradiatur.* 163.

Exemplum majorum.

Claudianus de 4. Consul. Honorii, conversus ad Imperatorem, dixit;

Primus jussa subi, tunc observantior æqui
Fit populus, nec ferre vetat, cùm viderit ipsum
Auctorem parere sibi.

PSAL. VII. ℣. 12.

TItulo Judicis jungit David epitheta justi & fortis. *Deus judex justus fortis.* Psal. 7. v. 12. Quia perfectus judex debet habere pectus admodùm forte ac validum ad reprimendam subditorum potentiam, ne in administranda justitia aliquid inconveniens exoriatur. Unde Ecclesiasticus c. 7. v. 6 *Noli quærere fieri judex, nisi valeas virtute irrumpere iniquitates: ne fortè extimescas faciem potentis, & ponas scandalum in æquitate tua.* De hoc argumento egimus ad cap. 18. Exodi. cap. 21. 164.

Judex sit fortis.

Mediolanenses, civilibus propriæ civitatis discordiis inter nobilitatem ac plebem continuò agitati & turbati, decreverunt exterum quemdam eligere supremi Ducis ac Judicis loco, *qui nulla cognationis aut factionis contagione labefactatus, sincerius jus diceret.* Arlunnus Hist. Mediolan. Sect. 1. Unde Judicem elegerunt virum, omni passione liberum, qui pectoris robore posset reprimere non tam violentias potentùm, quàm insolentias plebis. Similem fortitudinem demonstravit Alphonsus Rex Aragoniæ, qui, nullis principum & magnatum præcipuorum precibus flectendus, jussit, ut quidam nobilis, post dilapidatas multas divitias & contracta gravia debita, cùm non posset solvere *in ære, lueret in corpore.*

PSAL. VII. ℣. 16.

INter præcipua justitiæ divinæ prodigia recensetur, quòd impii puniantur illis ipsis instrumentis, quæ in aliorum damnum adhibuerunt. Unde de quodam scelerato dixit David Psal. 7. v. 16. *Lacum aperuit, & effodit eum, & incidit in foveam, quam fecit. Convertetur dolor in caput ejus, & in verticem ipsius iniquitas ejus descendet.* Id quod confirmatur Psal. 9. v. 17. Proverb. 22. vers. 8. Et rursus c. 26. v. 27. Oseæ. 12. v. 14. 165.

Abdiæ

Impii castigati cum suis instrumentis. Abdiæ 15. &c. Ita Pharao iisdem aquis submersus jacuit, in quibus interitum Israëlitarum quæsivit. Exod. 14. v. 28 Absalon, bellum contra patrem machinatus, perdidit exercitum & vitam. 2. Reg. 18. v. 14. Qui pueros projecerunt in fornacem, ab ipsa fornace devorati sunt. Dan. 3. v. 22. Accusatores Susannæ, qui moliebantur alterius mortem, cum ignominia lapidati sunt. Dan. 14. v. 41. &c.

Hesiodus apprimè dixit; *Malum consilium consultori pessimum.* Adagium indies comprobatum est: *Faber, quas fecit compedes, ipse portat.* Et M. Seneca in Declamat. *Sunt Dii immortales lenti quidem, sed certi vindices generis humani: & magna exempla in caput invenientium regesserunt, ut justissimâ patiendi vice, quod quisque alieno excogitavit supplicio, sæpè excipiat suo.*

PSAL. VIII. ℣. 2.

166. NOmen Dei, id est, illustris fama gloriosarum virtutum & majestatis Dei, non potest constringi in angusta loca, sed dilatatur in omnes terræ angulos, & magnificè elevatur supra summos cœlos. *Domine Dominus noster*, inquit Psal. 8. v. 2. *quàm admirabile est nomen tuum in universa terra? quoniam elevata est magnificentia tua super cœlos.*

Fama ad cœlos pertingens.

Quòd gloria nominis & clamor famæ propagetur supra cœlos, & ad stellas usque; usitata loquendi forma est apud Græcos & Latinos. Ulysses apud Homerum Odyss. 9.

— *Mea gloria cœlum attigit.*

Virgilius Ecloga 5 v. 43.

Daphnis ego in sylvis, hinc usq; ad sydera notus.

Et lib. 1. Æneid. v. 383. de Ænea dicitur;

— — *Fama super æthera notus.*

PSAL. VIII. ℣. 8.

167. MIrabile est dominium hominis supra feras. Frenum ponit feroci equo; jugo submittit validum bovem; canem obligat ad custodiam; vocis suæ sono terret leones, superat sagacitatem ursi, & astutiam vulpis; visco, retibus, & armis subjiciuntur volantes aves, pisces, natura sua feros, cicurat ac domesticos efficit. *Omnia subjecisti sub pedibus ejus, oves & boves universas, insuper & pecora campi, volucres cœli, & pisces maris. Psal. 8 v. 8.* Ad hoc propositum vide cap. 1. Gen v. 26.

De quadrupedibus agit Martialis lib. 1. Epigr. 128.

Picto quod juga delicata collo
Pardus sustinet, improbaque tigres
Indulgent patientiam flagello:
Mordent aurea quod lupata cervi:
Quod fræno Lybici domantur ursi,
Et, quantum Calydon tulisse fertur
Paret purpureis aper capistris.
Turpes esseda quod trahunt bisontes;
Et molles dare jussa quod choreas
Nigro bellua nil negat magistro
Quis spectacula non putet Deorum?

Idem de piscibus ibid. Epigr. 93.

Sacris piscibus hæ natantur undæ,
Qui nôrant dominum, manumq; lambunt
Illam, quâ nihil est in orbe majus.
Quid quod nomen habent? & ad magistri
Vocem quisq; sui venit citatus?

De Avibus Fr. Petrarcha l. 3. Ep. ult. *Humanam societatem anteponere libertati, vitam in vinculis agere — Famem suam nutritoris arbitrio moderari, de illius manibus cibum sumere, vocem jubentis agnoscere, clamoribus obedire, ire ad emittentis arbitrium, & reverti, optimasq; prædas, non sibi, sed Domino reportare.*

PSAL. IX. ℣. 21.

HOmines, affluente felicitate, proprios egressi terminos, status sui obliviscuntur. At superiore violentia coarctati, quamprimùm ad se revertuntur. Unde ad Deum conversus David, ait; *Constitue Domine legislatorem super eos, ut sciant gentes, quoniam homines sunt.* Psal. 9. v. 21. Hoc loco S. Hieronymus legit; *Pone Domine timorem eis.* Lorinus observat, vocem *morath*, hoc loco positam, significare novaculam: veluti David precaretur *excindi, & resecari homines* S. Thomas adducit hanc versionem; *Mitte eis amaritudinem.* Adeoque timor, ferrum, vulnera, & amaritudines cogunt hominem ad propriæ mortalitatis, vilitatis, & miseriæ cognitionem. Ita contigit Antiocho 2. Mach. 9. v. 8. 168.

Afflicti cognoscunt se ipsos.

Antigonus, Rex Macedoniæ, ex quâdam infirmitate convalescens, & debilitate adhuc afflictus, non tantùm non prorupit in querelas ac suspiria, sed cœlo gratias egit, quòd eum hac amaritudine & ærumna visitâsset, cujus opera superbi ac regii spiritus solent reprimi ac mortificari. Unde sanitati restitutus, dixit; *Haud malè actum est nobiscum, commonuit enim morbus nos, ne spiritus, cùm mortales simus, sustollamus.* Plutarch. Apopht.

PSAL. IX. ℣. 3.

COrruptela mundi eò temeritatis pervenit, ut lætis applausibus prosequatur detestabiles culpas, & sceleratissimos peccatores laudet. Hanc iniquitatem abominatur sanctus Rex David Psal. 9. v. 3 *Laudatur peccator in desideriis animæ suæ, & iniquus benedicitur.* 169.

Vitiosi laudati.

Hanc indecentiam agnovit Terentius in Phormion. Act. 5. scen. 2. *His nunc præmium est, qui recta prava faciunt, & in facinore gloriantur.* Nec recedit Seneca Epist 45. *Vitia nobis sub virtutum nomine obrepunt. Temeritas sub titulo fortitudinis latet. Moderatio vocatur ignavia, pro cauto timidus accipitur.*

PSAL. IX. ℣. 8.

VErum quidem est, verba illa; *Periit memoria eorum cum sonitu*; Psal. 9. v. 8. à quibusdam Interpretibus intelligi de Idololatris, qui ab Apostolicæ tubæ sonitu fuerunt sublati è mundo. At Hugo Cardinalis ea explicat de hominibus, quorum memoria post mortem statim extinguitur. *Periit memoria eorum, ad litteram, cum sonitu campanarum & planctus; quia sicut sonitus ille citò transit, sic memoria eorum citò deletur. Prov. 10. Memoria justi cum laudibus, & nomen impiorum putrescet.* 170.

Plinius lib 6. Epist. 10. *Tam rara in amicitiis fides, tam parata oblivio mortuorum, ut ipsi nobis debeamus etiam conditoria extruere, omniaque hæredum officia præsumere.* Stesichorus testatur;

Quòd

Quòd memoria ferè omnium post mortem cito evanescat;

Quum obiit quispiam, omnis hominum benevolentia perit.

PSAL. IX. v. 14.

171. GRandi Deo, tanquam Regi Regum, hanc laudem tribuit Propheta; quòd sit protector, conservator, & defensor pauperum, pupillorum, & oppressorum. *Tibi derelictus est pauper; Orphano tu eris adjutor.* Psal. 9. v. 14. Hoc ipsum documentum S. Bernardus lib de Considerat. cap. 10. dedit Eugenio, summo Pontifici; *Causa viduæ intret ad te, causa pauperis. & ejus, qui non habet quod det.*

Pauperes à Deo proteguntur.

Cassiodorus cuivis Tribunalium ministro ait; *Persona tua refugium sit oppressis, infirmo defensio, præsidium aliqua calamitate conclusis.* Et Rex Theodoricus apud Cassiodorum lib. 1. Epist. 8. *Cordi nobis est, cunctos in commune protegere, sed eos maximè, quos sibi novimus defuisse.*

PSAL. IX. ℣. 17.

172. OBstupescenda planè est pietas & misericordia divina, quæ non solùm profundit gratias, quando rogatur; sed etiam prævenit fidelium preces, eorumque desideria in necessitatibus exaudit. Ita Psal. 9. v. 17. *Desiderium pauperum exaudivit Dominus, præparationem cordis eorum audivit auris tua.*

Deus prævenit suis gratiis nostras preces.

Quòd hoc modo conferri debeant beneficia, docuit Seneca l. 2. de Benef. c. 1. *Gratissima sunt beneficia, parata, facilè occurrentia, ubi nulla mora fuit, nisi in accipientis verecundia. Primum est, antecedere desiderium cujusque: proximum sequi illud melius, occupare, antequam rogemur: quia cùm homini probo ad rogandum os concurrat, & suffundatur rubore, qui hoc tormentum remittit, multiplicat munus suum.* Et cap. 2. *Serò beneficium dedit, qui roganti dedit — illud beneficium jucundum, victurumq; in animo scias, quod obviam venit.* Hanc laudem promeritus est Gratianus Imperator, ad cujus honorem Ausonius de Bordeos, ipsius Magister, scripsit; *Spem superas cupienda prævenis, vota præcurris; quæque animi nostri celeritas divûm instar affectat, beneficiis præeuntibus antecedit: præstare tibi est, quàm nobis optare velocius.*

PSAL. X. v. 2.

173. MAligni calumniatores, ad opprimendum, & intimè feriendum pauperem innocentem, non permittunt ei ullas vires, ut se ipsum defendat; secretè contra eum exonerant venenatas falsarum imposturarum sagittas. *Ecce peccatores intenderunt arcum, paraverunt sagittas suas in pharetra, ut sagittent in obscuro rectos corde.* Psal. 10. v. 2. Idipsum repetitur Psal. 63. v. 5. *Intenderunt arcum, rem amaram, ut sagittent in occultis immaculatum.*

Calumniatores occulti.

Lucianus in Libello *De non credendo calumniæ*; ait: *Id omni ex parte calumniator molitur, uti cum furore ac vecordia hominis, coram quo res agitur, inde sensum reum committat; defensurum partes suas clancularia sectione careat.* Et rursus; *Adeò hoc hominum genus obnoxium est formidini, adeò nihil audet palam, sed perinde, atque qui ex insidiis transversi hostilem invadunt, ex abdito aliunde specu jaculatur, ut non sit, qui contra vel mittere telum, vel manu contendere possit, hostisq; ignarus adversarii, fraudisq; inscius, pereat.*

PSAL. X. ℣. 4.

CEntena sacræ scripturæ loca docent, cœlum esse privilegiatam domum, in qua Deus vult habitare, suamque gloriosam majestatem omnium maximè ostendere. Psal 10. v. 4. *Dominus in cœlo sedes ejus.* Psal. 102. v. 19. *Dominus in cœlo paravit sedem suam.* Psal. 113. v. 16. *Cœlum cœli Domino, terram autem dedit filiis hominum.* Psal. 122. v. 1. *Ad te levavi oculos meos, qui habitas in cœlis.* Isa. 66. v. 1. *Cœlum sedes mea, terra autem scabellum pedum meorum.* Matth. 6. v. 9. *Pater noster, qui es in cœlis.* 174.

Cœlum domus Dei.

Aristoteles docet l. 1. de cœlo. textu. 22. Omnibus à natura quasi insitam opinionem; Deum in cœlo habitare, quod testatur adeò frequens apud Poëtas Græcos;

Superique habitator Olympi.

PSAL. X. ℣. 5.

SI verum est, Deum residere in templo; simulque verum est, eum habitare in cœlo; debemus concludere, cœlum nomine templi repræsentari. Unde quando Psal. 10. v. 5. dicitur; *Dominus in templo sancto suo, Dominus in cœlo sedes ejus.* S. Basilius, Theodoretus, & Euthymius commentantur; *In templo cœlum intelligitur*; id quod confirmat David eodem Psalmo 17. v. 7. *Exaudivit de templo sancto suo vocem meam.* 175.

Cœlum est templum Dei.

Etiam Gentiles cœlo dedêre nomen templi, credideruntque, Jovem superius habitare, & inde sua fulmina vibrare, & tonitrua excitare. Ennius in fragmentis;

Contremuit templum magnum Jovis altitonantis.

Et rursus canit:

— *Ad cœli cærula templa.*

Varro in Satyra Bimarci;

— *Tunc repente cœlitum*
Altum tonitribus templum tonescit.

Et Terentius in Eunucho;

— *Qui templa cœli summa sonitu concutit.*

PSAL. X. ℣. 7.

FRustra sperant peccatores, se fugiendo subtrahi posse divinæ iræ; hæc enim, contra impios fulminans justissima supplicia, supra eos versabit pluvias laqueorum, quibus capientur, ligabuntur, & detinebuntur. *Pluet super peccatores laqueos.* Psal. 10. v. 7. 176.

Laqueus.

Non solùm Deus, sed etiam homines reperiuntur armati laqueis, tanquam instrumento bellico ad vincendum hostem. Herodotus lib. 7. scribit; *Nomadæ & Sagartii laqueis ac restibus pugnabant, quibus injectis equos, hominesque ad se traherent.* Alexander ab Alexandro l. 6. c. 22. ait: *Circa Mæotim Laxamathæ viri pedibus, fœminæ equestri prælio, non ense, sed laqueo depugnant. Sicut Nomades, qui Persicè vivunt, hostem illaqueatum conficiunt.* De Pugilibus, qui retibus dimicabant, eruditè discurrit Justus Lipsius lib 2. de Gladiatoribus, c. 8. ad quem remitto benignum meum lectorem.

PSAL.

PSAL. X v. 7.

177. CÆteris miserorum damnatorum cruciatibus horribili nexu accedunt voracissimus ardor ignis, & abominandus fœtor sulphuris. Unde David Psal. 10. v. 7. *Ignis & sulphur &c. pars calicis eorum.* Ezechiel c. 38. v. 22. de Gog & Magog: *Ignem & sulphur pluam super eum.* S. Joannes Apoc. 14. v. 10. loquens de reprobis; *Cruciabuntur igne & sulphure.*

Ignis & sulphur.

In fulminibus reperitur commixta activitas ignis cum mucore sulphuris. Plinius l. 35 c. 15. *Fulmina & fulgura sulphuris odorem habent, ac lux ipsa eorum sulphurea est.* Lucretius lib 6.

Quod superest, quali naturâ prædita constent
Fulmina, declarant ictus, & inusta vapore
Signa, notaque graves halantes sulphuris auras.

Et Silius Italicus lib. 10.

--- Proavis ab origine quercus
Ceu fumat percussa Jovi, sacrosq; per avum
Æthereo ramos populantur sulphure flammæ.

PSAL. XI. ℣. 9.

178. ETiam in præsenti vita videntur vitiosi conscripti in damnatorum numero; dum, ceu totidem Ixiones, volvuntur circa rotam terrenarum cupiditatum. Et quod dicit David Ps. 11. v. 9. *In circuitu impii ambulant.* S. Laurentius Justinianus in Commentariis Manuscriptis in Psal. ita explicat; *Quid est, ambulant in circuitu, id est, cupiditate temporalium; quæ ideò dicuntur circuitus, quia septem dierum repetitione, tanquam rotâ, volvuntur:* Et Petrus Blessensis Epist. 91. *Non deest tibi rota Ixionis, dum cupiditate torqueris.*

Vitiosi sunt Ixiones.

De his vertiginosis circumvolitionibus loquitur Seneca Epist. 15. *Quam tu nunc vitam dici existimas stultam? Babæ & Ixionis? non ita est: nostra dicitur, quos cæca cupiditas in nocitura, certè nunquam satiatura præcipitat.* Et in lib. de vita beata. cap. 28. *Nonne nunc quoque etiamsi parum sentitis, turbo quidam animos vestros rotat, & involvit fugientes, petentesque eadem &c.*

PSAL. XII. ℣. 5.

179. DAvid supplicat Deo, ut ipsi assistat ac præservet, ne in somno mortis claudat aggravatas palpebras. *Illumina oculos meos, ne unquam obdormiam in morte.* Psal 12 v. 5. ubi nomine somni intelligit mortem; usitatâ in sacris litteris metaphorâ; Joan. cap. 11. v. 11. 1. Thessal. 4. v. 12. & multis aliis locis.

Mors est somnus.

Similitudo dormientium & defunctorum reperitur apud Lucretium lib. 3.

Tu quidem ut es lecto sopitus, sic eris ævi,
Quod superest, cunctis privatus doloribus ægris.

PSAL. XIII. ℣. 4.

180. QUi mordaci linguâ rodunt aliorum famam, aut sanguinariâ manu offendunt eorum vitam, non sunt vocandi homines, sed famelici canes & lupi, irruentes in proximorum pernitiem. Hanc veritatem expressit Psaltes Ps. 13. v. 4. *Devorant plebem meam sicut escam panis.*

Devorare proximū.

Martinus del Rio Tom. 1. Adag. 105. reperit hanc loquendi formam etiam profanis usitatam, & adducit authoritatem Poëtæ Comici,

Sicut vulpes pyrum est.

Et rursùs:

Tam facilè homines occidebant, quàm canis extra edit.

PSAL. XV. v. 2.

SIcuti omnes creaturæ habent aliquam auxilii externi indigentiam; ita Deus, ens perfectissimum, nullâ prorsus re indiget. Ad hunc conversus David Psal. 15. v. 2. *Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges.* Et S. Paulus Act. 17. v. 24. *Deus, qui fecit mundum, & omnia, quæ in eo sunt, hic cœli & terra cum sit Dominus, non in manufactis templis habitat, nec manibus humanis colitur, indigens aliquo, cum ipse det omnibus vitam &c.* 181.

Deus non indiget.

Hanc Dei copiam, affluentiam, & independentiam expressit Lucretius lib. 1.

Ipsa suis pollens opibus, nihil indiga nostri,

Aristoteles lib 7. Ethic. cap. 12. *Manifestum est,* inquit, *quòd nullâ re egens Deus, nec amicis egebit.* Et Diogenes apud Laërtium l. 2. cap 5. *Diis simillimus est, qui quàm paucissimis eget: cùm Dii nullius egeant rei.*

PSAL. XV. ℣. 8.

CÙm verissimum sit proverbium; *Ubi amor, ibi oculi.* Idcircò David, toto suo affectu in Deum reposito, ad eum diu noctuque convertebatur, assiduò eum contemplans & adorans, neque gloriosam & amabilem ipsius præsentiam unquam amittens. *Providebam Dominum in conspectu meo semper.* Psal. 15. v. 8. Et Psal. 122. v. 2. *Oculi mei semper ad Dominum.* 182.

Amans semper est in amato.

Quòd tales sint amantium affectus, probat Terentius, qui in Eunucho Act. 1. scen. 2 ad finem, introducit quemdam, suæ Thaidi ita loquentem.

Dies, noctesq; ames me, me desideres,
Me somnies, me expectes; de me cogites,
Me speres, me te oblectes, mecum tota sis,
Meus fac sis postremò animus, quando ego sum tuus.

PSAL. XVI. ℣. 6.

QUando Deus applicat aures ad audiendum, etiam applicat ad exaudiendum suos fideles. Adeoque auscultare nostris precibus, est certa dispositio & arrha gratiarum, quas Deus nobis elargiri decrevit. Unde David utrumque conjungens, ait Psal. 16. v. 6. *Inclina aurem tuam mihi, & exaudi verba mea* Psal. 30. v. 3. *Inclina ad me aurem tuam, accelera ut eruas me.* Psal. 85. v. 1. *Inclina Domine aurem tuam, & exaudi me &c.* 183.

Audire & exaudire.

Quòd applicatio aurium ad audiendum, & applicatio voluntatis ad exaudiendum, unitæ sint, docuit Horatius l. Epodon. od ult. in fin.

Quindecim Diana preces virorum
Curet, & votis puerorum amicas applicet aures.
Hac Jovem sentire, Deosque cunctos
Spem bonam, certamq; domum reporto &c.

PSAL. XVI. ℣. 11.

DAvid crudeles suos inimicos cum leonibus comparat, quia proprietate leoninâ contra ipsum ferebantur, oculis continuò in terram defixis. *Projicientes me nunc circumdederunt me: oculos suos* 184.

Leo dimicat fixis in terram oculis.

suos statuerunt declinare in terram. Susceperunt me sicut leo paratus ad prædam. Psal. 16. v. 11.

Homerus Iliad. eàdem similitudine describit Ajacem, confligentem pro defendendo corpore Patrocli:

Stabat ut leo depugnans sua pignora circum
Deducto prorsum cilio sua lumina velans.

PSAL. XVII. ℣. 3.

185. Certissimum est, Davidem, ab hostibus infestatum, nullam intermisisse diligentiam, ut se ab iis liberaret; quia pro loci ac temporis exigentia usus est variis artibus; simulavit, fugit, se abscondit, pugnavit, se humiliavit, recurrit ad aliorum consilia & auxilia, &c. Et tamen constitutus in salvo, totam laudem attribuit Deo. *Dominus firmamentum meum, refugiũ meum & liberator meus.* Ps. 17. v. 3. Et v. 18. *Eripuit me de inimicis meis fortissimis, & ab his, qui oderunt me,* id quod repetit v. 3?. & 48. &c. hoc sensu S. Paulus 1. Cor. 15. v. 57. *Deo autem gratias, qui dedit nobis victoriam.*

Deus author omnis felicitatis.

De antiquis Germanis scribit Cornelius Tacitus, quod obsequio adeò magno prosecuti sint suum principem, ut ei attribuerint felicitatem ac gloriam omnium suarum expeditionum. *Illum defendere, tueri, suaque fortia facta gloriæ ejus assignare, præcipuum sacramentum est.*

PSAL. XVII. ℣. 4.

186. David in prælio magis erat sollicitus ad iterandas divinas laudes, quàm ad militum aures tubarum stridore occupandas; magis ad implorandum Dei auxilium, quàm ad suum exercitum inter periculosos assultus animandum. Id quod his verbis insinuavit Psal. 17. v. 4. *Laudans invocabo Dominum, & ab inimicis meis salvus ero. Ut,* commentante Lorino, *sit sensus, quòd non semel, iterumve, sed sæpius opem divinam expertus fuerit in pugna: non tam tunc excitans commilitones classico aut concione, quàm celebrans laudes Dei, eumque invocans.*

Simon Montfortius, contra Albigenses dimicans, in suo exercitu repetebat hunc versiculum:

Hostem repellas longius.

Simili modo in exercitu Germani Antissiodorensis, dum in Britannia confligebat contra Pelagianos, cantabatur *Alleluja*, quod denotat *Laudate Dominum*; ut scribit Beda l. 1. Histor. Angl. c. 20. Ambo autem, dum divinas laudes pronuntiârunt, obtinuerunt insignes victorias.

PSAL. XVII. ℣. 8.

187. Priusquam Deus contra aliquem exoneret suam iram; terra, veluti horrore perculsa, tremit ac concutitur. Hunc effectum observans Propheta, ait Psal. 17. v. 8. *Commota est, & contremuit terra, fundamenta montium conturbata sunt, & commota sunt, quoniam iratus est eis.* Simili consideratione Isaias c. 13. v. 13. *Super hoc cœlum turbabo, & movebitur terra* & cap. 9. v. 19. *In ira Domini exercituum conturbata est terra.*

Terra tremit irato Deo.

Pausanias in Achaicis, agens de Neptuno, ait in tremore terræ cognosci expressa signa & prognostica Deitatis, contra mundum iratæ.

PSAL. XVII. ℣. 9.

188. David, descripturus iratum Deum, exorditur à fumo, qui solet evaporare è facie hominum iratorum; atque Psal. 17. v. 9. *Ascendit fumus in ira ejus.*

Ira enim, inflammans sanguinem circa pectus, fumum attrahit ad caput, qui per nares & oculos erumpit. Unde Aristoteles lib. 3. Ethic. c. 8. describit iram ex Homero:

Per nares acris subiit furor.

Theocritus Idyl. 1. canit:

Iracundia in naribus sedet.

Et Martialis lib. 6. Epigram 64.

- - - rabido nec perditus ore
Fumantem nasum vivi tentaveris ursi.

PSAL. XVII. ℣. 9.

Quando Deus justæ iracundiæ suæ ignem concepit in generoso pectore, evomit è vultu flammas, & ex oculis favillas. Ita David Psal. 17. v. 9. *Ignis à facie ejus exarsit.* Ipsemet Deus Deut. 32. v. 22. *Ignis succensus est in furore meo.* & Psal. 96. v. 3. *Ignis ante ipsum præcedet, & inflammabit in circuitu inimicos ejus.* 189.

Oculi accensi in ira.

Seneca lib. 1. de Irac. 1. describens hominem iracundum, ait, *Flagrant & micant oculi, multus ore toto rubor, exæstuante ab imis præcordiis sanguine, &c.* Homerus, repræsentans Hectorem, Græcis iratum; canit,

- - - at ei oculi
Splendebant terribilibus sub superciliis.

Et lib. 1. Iliad. de Agamemnone:

Oculi autem et igni lucenti similes erant.

Haud aliter Virgilius 12. Æneid.

His agitur furiis, totoq; ardentis ab ore
Scintillæ absistunt: oculis micat acribus ignis,

Et Persius Sat. 3.

Nunc face suppositâ fervescit sanguis, & irâ
Scintillant oculi.

PSAL. XVII. ℣. 11.

Ut ventorum velocitas genuinè describeretur, coronatus Psaltes iis attribuit pennas; asserens Psal. 17. v. 11. Deus *volavit super pennas ventorum.* Ad hoc propositum S. Isidorus lib. 7. Ethymol. cap. 5. *Pictorum licentiâ pennæ Angelis dantur, sicut & juxta fabulas poëtarum venti pennas habere dicuntur propter velocitatem.* 190.

Venti cum pennis.

Ita Ovidius lib. 6. Metam. loquens de vento Borea:

Excussit pennas, quarum jactatibus omnis
Afflata est tellus, latumq; perhorruit æquor.

Et rursùs Epist. 11.

Imperas, & pennis Eure proterve tuis:

Et Metamorph. lib. 1.

Emittitque Notum, madidis Notus evolat alis.

PSAL. XVII. ℣. 12.

Fallitur humana curiositas, quando præsumit naturæ divinæ prærogativas clarè & distinctè cognoscere; cum Deus velit undique luminosis tenebris cooperiri ac circumdari. Psal. 17. v. 12. *Posuit tenebras latibulum suum.* & Psal. 96. v. 2 *Nubes & caligo in circuitu ejus.* 191.

Tenebræ circa Deũ.

Ægyptii, significaturi obscuritatem naturæ divinæ, dicebant; primum principium omnium rerum fuisse tenebras; & in suis cæremoniis vocâsse divinitatem; *incognitam caliginem*; ut refert P. Causinus Symb. lib. 1. c. 1. Tassus l. 2. Conquist. stanz. 72. Deum salutat;

O mar

O mar, dove ogni mente indarno spalma,
O sol, dove ha' suoi lumi in vano affissi,
O tenebre lucenti, ò sacri abissi.

PSAL. XVII. ℣. 14. &c.

192. UT homines continuam habeant venerationem majestatis divinæ; hæc nonnunquam peculiari modo se cognoscendam præbet, dum reboare facit tonitrua, vibrat ex omni latere igneas sagittas, totumque mundum replet timore ac horrore. *Intonuit de cœlo Dominus, & altissimus dedit vocem suam. & misit sagittas suas &c.* Ps. 17. v. 14. Ita Exod. 19. v. 18. *Totus mons Sinai fumabat; eò quòd descendisset Dominus super eum in igne, Et sonitus buccinæ paulatim crescebat in majus &c.*

Dei majestas fulminea.

Simili prosopopœiâ Homerus Iliad. 8. fingit, Jovem apparuisse favorabilem Trojanis.

Ipse autem horrendum intonuit sublimis ab Ida,
Fulmenq. in Danaum populos detorsit.; at illi
Obstupuêre animis, pallens timor occupat omnes.

PSAL. XVII. ℣. 15.

193. ADeò violentus est fragor, & adeò horrendus rumor tonitruorum; ut inter terrores illos videatur medium disrumpi cœlum, terrefacta contremiscere terra, & viventia omnia ingenti horrore concuti. *Misit sagittas suas, & dissipavit eos.* Psal. 17. v. 15. quasi diceret, ut ibi additur; *Fulgura multiplicavit, & conturbavit eos.* & paulò suprà v. 8. *Commota est, & contremuit terra.* Ovidius 2. Metam.

Fulmina terrent.

Ille pater, rectorq. Deûm, cui dextra trisulcis
Ignibus armata est, qui nutu concutit orbem.

Virgilius l. 1. Æneid:

Intonuêre poli, & crebris micat ignibus æther,
Præsentemq. viris intentant omnia mortem.

Et lib. 8. Æneid.

Namq. improviso vibratus ab æthere fulgor
Cum sonitu venit, & ruere omnia visa repentè.

PSAL. XVII. ℣. 26.

194. DAvid, divinas operationes considerans, coram creatore suo protestatur; *Cum sancto sanctus eris, & cum viro innocente innocens eris, & cum electo electus eris, & cum perverso perverteris.* Psal. 17. v. 26. quasi diceret, Deum esse bonis bonum, amicis suis amicum, & liberalem cum iis, qui erga ipsum liberales sunt; vicissim verò tergum obvertere, iis, qui ipsum offendunt aut derelinquunt. Unde S. Bernardus: *Igitur qualem te paraveris Deo, talis oportet appareat tibi Deus, & cum amante amans, & cum vacante vacans, & cum sollicito sollicitus, & cum intento intentus.*

Deus tractat prout tractatur.

Seneca Epist. 41. *Sacer intra nos spiritus sedet, bonorum, malorumque nostrorum observator & custos; hic prout à nobis tractatus est, ita nos ipse tractat.* Supra hæc verba Justus Lipsius ait: *Si benè, benèque habuimus, habet; si æstimavimus, sustulimus, attollit; negligit etiam neglectus.*

PSAL. XVII. ℣. 26.

195. AUdi, & crede mihi, inquit David, tales omninò futuros tuos mores, quales sunt amicorum ac sociorum tuorum. *Cum sancto sanctus eris, & cum viro innocente innocens eris, & cum electo electus eris, & cum perverso perverteris.* Ps. 17 v. 26.

Prorsus conformiter Plutarchus; *Talis eris, qualis consuetudo, quâ uteris. cum litteratum studiosis libros evolves, cum palæstritis luctaberis; cum venandi cupidis feras persequeris, cum potatoribus inebriaberis, cum ambitiosis magistratum ambibis.* Benè Senecâ; *Sumuntur à conversationibus mores &c.* Homerus citatus à Martino del Rio Tom. 2. Adag. 51.

Nunc adeò malus ecce malum comitatur, ut usque
Ad similem Deus adducit, similemq. paremq.

PSAL. XVII. ℣. 28.

AD differentiam illorum hominum, qui solent abominari pauperculos, & adulari potentibus; Deus vicissim elevat depressos, & deprimit superbos. *Tu populum humilem salvum facies, & oculos superborum humiliabis.* Psal. 17. v. 28. Hanc doctrinam confirmat B. V. Maria, *Deposuit potentes de sede, & exaltavit humiles,* Luc. 1. v. 52. 196.

Deus deprimit superbos.

Unus septuaginta Interpretum, interrogatus à Ptolomæo Rege Ægypti, quo modo aliquis princeps posset immunis esse à superbia? respondit, *Si servaret æqualitatem, & se meminisset hominem; Item, si cogitaret, quod Deus superbos deprimit, mites autem & humiles exaltat.* Ita refert Joannes Lorinus in hunc locum.

PSAL. XVII. ℣. 34.

SAnctus Propheta significaturus promptam celeritatem, quâ fugit suos inimicos, ait, Deum suis pedibus dedisse agilitatem cervorum. *Qui perfecit pedes meos tanquam cervorum.* Ps. 17. v. 34. 197.

Quando Græci agunt de educatione Achillis, fingunt, eum à Chirone fuisse nutritum medullâ cervorum, quia promptissimus erat currendo, ut canit Catullus;

Cervus velox.

Flammea prævertit celeris vestigia cervæ.

Virgilius Turnum, fugientem à furore Æneæ, comparat cum cervo, infestato à canibus: lib. 12. Æneid. v. 742.

Ergo amens diversa fugâ petit æquora Turnus
Nec minus Æneas
Insequitur, trepidiq. pedem pede fervidus urget
Inclusum veluti si quando in flumine nactus
Cervū, aut puniceæ septum formidine pennæ
Venator cursu canis, & latratibus instat.

Idq; forsan dixit ad imitationem Hom. Iliad 22.

Hectorem incessanter urgens sequebatur celer Achilles.
Ut quando cervæ hinnulum in montibus canis insequitur &c.

PSAL. XVIII. ℣. 3.

QUales sunt sensus interioris animi nostri, tales etiam sunt externæ nostræ actiones cum proximo. Homo justus, conversans cum bonis, nihil aliud proferre solet, nisi sanctitatem & virtutem; amicus tenebrarum, vivens inter vitiosos, nihil spargit nisi umbras iniquitatum. Hoc sensu forsan locutus est Psaltes Ps. 18. v. 3. *Dies diei eructat verbum, & nox nocti indicat scientiam.* 198.

Discursus respondet affectui.

Eandem loquendi formam cum psalte regio communem habuit Publius, citatus ab Aul. Gellio: *Discipulus est prioris posterior dies.* ut in suis Comment. ad hunc locum refert Lorinus.

PSAL. XVIII. ℣. 9.

199. Anima humana non reperit majus gaudium, quàm in observatione Divinæ legis, & continuo exercitio virtutis. Unde benè dixit Regius Propheta; *Justitia Domini recta, lætificantes corda.* Psal. 18. v. 9. Et rursus; *Memor fui judiciorum tuorum à sæculo Domine*, id est, observator fui tuorum præceptorum, *& consolatus sum.* Ps. 118 v. 52. Et eodem Psal. v. 165. *Pax multa diligentibus legem tuam, & non est illis scandalum*; id est, interprete Agellio, *non est illis singultus, aut scrupulus cordis.*

Qui benè agit, gaudet.

Aristoteles lib. 2. Ethic. ait, signum virtutis habitualis esse, si cum gaudio eliciamus operationes virtuosas. Seneca dicit, non esse majus solatium, quàm præservare animam à vitiis, & operari ad præscriptum rationis. *Ista est voluptas & homine, & viro digna, non implere corpus, nec saginare, nec cupiditates irritare, quarum tutissima est quies, sed perturbatione carere.* lib. 7. de Benef. cap. 1. Et Epist. 23. *Ad verum bonum specta, & de tuo gaude. Quid est autem hoc? dicam ex bona conscientia, ex honestis consiliis, ex contemptu fortuitorum, ex placito vitæ, & continuo tenore &c.*

PSAL. XVIII. ℣. 11.

200. Tantam dulcedinem afferunt verba Dei, ut superent suavitatem lactis & mellis. *Eloquia Domini dulciora super mel & favum.* Psal. 18. v. 11. & rursùs Psal. 118. v. 103. *Quàm dulcia faucibus meis eloquia tua, super mel ori meo.* Similiter sapientia divina Eccl. 24. v. 27. *Spiritus enim meus super mel dulcis, & hæreditas mea super mel & favum.* Et de sacra sponsa Cant. 4. v. 11. *Favus distillans labia tua, sponsa: mel & lac sub lingua tua.*

Verba mellea.

Homerus Iliad 1 ait; ex ore Nestoris profluxisse verba, dulciora melle. Eruditi scribunt de Platone, Origene, & S Ambrosio, quod apes imitati sint; idque ad demonstrandam suavem ipsorum facundiam. Plautus in Truculent, Act. 1.

In melle sunt lingua sita nostra, atque orationes,

Lacteque.

Torquatus, loquens de Alete in Geruf. Liberat. Cant. 2. st 61.

Cominciò poscia, e di sua bocca uscieno
Più, più che mel dolci, d'eloquenza i fiumi.

PSAL. XIX. ℣. 8.

201. Quando Gentiles inter cruenta prælia spem victoriæ reponebant in propriis armis & viribus; Fideles eam collocârunt in Deo. *Hi in curribus & in equis: nos autem in nomine Domini Dei nostri invocabimus.* Psal 19. v. 8. Ita David 1. Reg. 17. v. 45. dixit Goliatho; *Tu venis ad me cum gladio, & hasta, & clypeo, ego autem venio ad te in nomine Domini exercituum.* Et 2. Mach. 10. v. 28 de exercitu Judæ & Timothei; *Primo autem solis ortu utrique commiserunt: isti quidem,* Hebræi, *victoriæ & prosperitatis sponsorem cum virtute Dominum habentes: illi autem,* Gentiles, *ducem belli animum habebant.*

Spes victoriæ in Deo.

Constantinus Magnus, ut scribit Eusebius lib. 4. vitæ cap. 19. dixit; *Non debent milites in armis, aut viribus corporum spem ponere, sed universitatis Deum rerum omnium bonarum, & ipsius victoriæ auctorem cognoscere.*

PSAL. XXI. ℣. 7.

David erat Rex grandis, fortissimus miles, & gratus Dei amicus: nihilominus ex humilitatis & modestiæ excessu se vermem protestatus est. *Ego autem sum vermis, & non homo.* Ps. 21. v. 7. 202.

Ferdinandus II. Imperator se ipsum vocavit vermem; unde argumentum desumpsit P. D. Gregorius Bulzius, formandi hoc epigramma.

David se vocat vermem.

Qui regit imperio populos, domat ense rebelles,
Vindice sceptrigeros fulminat igne Duces.
Serpit humi vermis? ventosa superbia fastus
Pone tuos, humili repere disce solo.
At benè jam novi cur te, Rex optime, Christus
Protegit: & vermis nomine Christus ovat.

PSAL. XXI. ℣. 13.

Persecutores sancti Davidis repræsentantur pinguium taurorum nomine, *Circumdederunt me vituli multi; tauri pingues obsederunt me.* Psal. 21. v. 13. quasi diceretur, copiosâ bonorum opulentiâ, quibus affluebant, factos esse temerarios & petulantes. 203.

Opulentia facit petulantes.

Ad hoc argumentum servit proverbium, formatum contra homines maledicos & furibundos. *Fœnum habet in cornu.* Usus est hoc proverbio Horatius in sermon.

Fœnum habet in cornu, longè fuge.

Antiquitus enim solebat fœnum poni supra cornua illorum taurorum, qui ob pascuorum copiam facti petulantes & feroces, inferebant aliis damna & offensas. Unde Solon, teste Laërtio, consuevit dicere: *Satietatem nasci ex opulentia, ex satietate ferociam.* Unde Sophocles cuidam arroganti & temerario dixit; *Tu ferves quasi pullus, pabuli copiâ.*

PSAL. XXI. ℣. 21.

Ut demonstraret David, quantâ facilitate ipsius pectus flecteretur ac mollesceret, dixit, sibi videri cor, non carneum, sed cereum. *Factum est cor meum tanquam cera liquescens in medio ventris mei.* Psal. 21. v. 15. Hâc similitudine etiam usus est Psal. 57. v. 9. *Sicut cera, quæ fluit, auferentur.* Psal. 67. v. 3. *Sicut fluit cera à facie ignis, sic pereant peccatores à facie Dei.* Psal. 96. v. 5. *Montes sicut cera fluxerunt à facie Domini.* 204.

Cera facilè mollescit.

Et Virgilius Eclogâ 8. v. 80.

Limus ut hic durescit, & hæc ut cera liquescit
Uno, eodemque igni, sic nostro Daphnis amore.

Oenone, plangens mortem Paridis apud Calabr. lib. 10. *Ut cera igni liquescebat.* Alias eruditiones affert Ludovicus la Cerda in hunc locum.

PSAL. XXI. ℣. 18.

Quando David in persona Christi refert, se transverberatis manibus & pedibus affixum lethali trunco crucis; *Foderunt manus meas, & pedes meos* Psal. 21. v. 17. subjungit, quòd ipsum considerârint & observârint. *Ipsi verò consideraverunt & inspexerunt me* v. 18. Conformiter scribit S. Matthæus c. 27. v. 36. quòd Christo crucifixo, *sedentes servabant eum.* Et S. Lucas 23. v. 35. *Et stabat populus spectans.* 205.

Considerati servati.

Hunc

Hunc morem observandi & custodiendi condemnatos, dum adhuc vivebant, referunt Petronius Arbiter in Satyrico, Plutarchus in Cleomene, Justus Lipsius de Cruce l. 2. c. 16. Tertullianus contra Judæos 13. & S. Cyprianus contra Judæos l. 2. c. 20.

PSAL. XXII. ℣. 1.

206. Stupendam felicitatem experitur, qui vivit sub umbra & protectione Dei; cùm securissimè gaudeat omnium bonorum affluentiâ. *Dominus regit me, & nihil mihi deerit*; inquiebat David Psal. 22. v. 1. Huic discursui concordant versus 10 & 11. Psalmi 33. *Timete Dominum omnes sancti ejus: quoniam non est inopia timentibus eum; &; Inquirentes autem Dominum non minuentur omni bono.*

Deus affert omne bonum.

Probè id perspectum habuit S. Franciscus Assisias, qui Deum secum habens, omnium bonorum securus vivebat; solitus exclamare; *Deus meus, & omnia.*

PSAL. XXII. v. 4.

207. Qui penes se conservat amicitiam Dei, tanquam summi boni; non habet, quòd timeat ullum malum; neque etiam ulli disgratiæ subjacere potest, qui vivit in gratia sui creatoris. *Et si ambulavero in medio umbræ mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum es.* Psal. 22. v. 4. Nullam cujusvis mortis suspicionem habere debet, qui se conjunctum servat cum ipsa vita.

Deo esse vicinum.

Quidam nauta timebat tempestatis furorem, & mortis vicinæ horrorem. At Cæsar, in parvula illâ navi consistens, ipsum animavit, ut audacter pergeret, cùm non posset subjacere injuriis adversæ fortunæ, qui Cæsarem, & fortunam, semper ipsi propitiam, haberet comitem. *Perge, age audacter, nec quidquam time, Cæsarem vehis, unaque Cæsaris fortunam.* Plutarch. in Cæsare.

PSAL. XXII. ℣. 5.

208. Priusquam David ageret de alimento sumendo, ait, se unctum fuisse pretiosis unguentis. *Impinguâsti in oleo caput meum*; & postea; *Calix meus inebrians &c.* Psal. 22. v. 5. Similiter 2. Reg. 12. v. 20. *Surrexit David de terra, & lotus, unctusque est.* postquam lavatus est unctus est, *petivit ut ponerent ei panem*, id est, ut instruerent mensam, *& comedit.*

Unctiones ante cœnam.

Communis hic Gentilium mos fuit, ut prius lavarentur & ungerentur; postea verò accumberent mensæ; Ita Josephus Laurentius de Conviviis; *Postquam ergò loti in balneis, vel toti, vel pedibus tantùm; in lectis sese ordine disponebant, inde manus lavabant, corollas, & unguenta sumebant*; postea prandebant aut cœnabant. Et rursus; *Loti igitur deponebant calceos & vestes. Tum aqua manibus lavandis, ministrata unguenta, & corona dispertita, &c. hoc modo discumbebant.*

Proinde nullus audeat mensam sacri Altaris accedere, nisi prius habuerit animam lotam ab internis maculis, & divinæ gratiæ unctionibus profumatam & sanctificatam.

PSAL. XXIV. ℣. 7.

209. Ætas juvenilis, quemadmodùm caret annis, ita & judicio. Unde in aliquam culpam prolapsa, ex aliqua parte meretur excusationem ac commiserationem. Ad ætatis suæ teneritudinem confugit David, ut errorum suorum veniam tantò faciliorem impetraret; rogans Deum hoc modo; *Delicta juventutis meæ, & ignorantias meas, ne memineris.* Psal. 24. v. 7.

Juventus inclinata ad vitia.

Eâdem consideratione usi sunt Gentiles, inter quos Lucanus lib. 9. Pharsal.

-- -- -- *sed parcimus annis,*
Donamusque nefas.

PSAL. XXV. ℣. 6.

Priusquam David propinquaret sacro altari ad offerendas Deo venerabundas preces; protestatur, se diligenti lavacro purificâsse & mundâsse suas manus. *Lavabo inter innocentes manus meas, & circumdabo altare tuum Domine, ut audiam vocem laudis, & enarrem universa mirabilia tua* Psal. 25. v. 6. Eodem modo agebat Judith. quæ *exibat noctibus in vallem Bethuliæ, & baptizabat se in fonte aquæ. Et ut ascendebat, orabat Dominum Deum.* Judith. c. 12. v 7. &c. 210.

Manus lavare ante orationem

Eandem observationem habuère Gentiles, ut lavarent manus, priusquam eas ad cœlum supplices levarent. Homerus Odyss. 2.

Lavans manus in mari puro orabat
Minervam.

Plutarchus scribit de Mario; quòd Deo obtulerit preces ac vota; *lotis manibus, sublatisque in cœlum.* Plautus in Aulular.

Ego, nisi quid me vis eo lavatum,
Ut sacrificem &c.
Nunc lavabo, ut rem divinam faciam.

Æneas lib. 2. Æneid. humano sanguine contaminatum se agnoscens, dicebat:

Tu genitor cape sacra manu, patriosque Penates
Me bello è tanto digressum, & cæde recenti
Attrectare nefas, donec me flumine vivo
Abluero,

De Mahumetanis scribit Bartholomæus Georgius *Proœm. Histor. Turcarum*; quòd semper soleant lavari, priusquàm ingrediantur locum, deputatum ad orationem.

PSAL. XXV. ℣. 6.

Prudens antiquitas, volens Deo exhibere venerationem & obsequium, solebat circuire sacrum altare, & in gyrum seu circulum verti. Desumitur id ex Psalmo 25. v. 6. *Circumdabo altare tuum Domine, ut audiam vocem laudis, & enarrem universa mirabilia tua.* Et ex Psalm. 26. v. 6. *Circuivi, & immolavi in tabernaculo ejus hostiam vociferationis.* 211.

Circuitus orantium.

Id ipsum consueverunt Gentiles, ut colligitur ex versibus Valerii Flacci lib. 8. Argonautic.

Inde ubi sacrificas cum conjuge venit ad aras.
Æsonides, unaque adeunt, pariterque precari
Incipiunt: ignem Pollux, undamque jugalem
Prætulit, ut dextrùm pariter vertantur in orbem.

Verùm de hoc argumento egi L. 2. Mach. cap. 6. v. 7.

PSAL. XXV. ℣. 7.

David, ingressus templum Dei, protestabatur, se non tantùm attulisse aures ad audien- 212.

dos psalmos, & hymnos, à sacerdotibus ac cantoribus decantatos; sed etiam linguam, ad Dei majestatem cum iisdem celebrandam; unde composuit novos Psalmos, quæ ad Dei gloriam recitarentur. *Circumdabo*, inquit, *altare tuum Domine, ut audiam vocem laudis, & enarrem universa mirabilia tua.* Psal. 25 v. 7. ubi textus Hebræus legit; *ut audire faciam.* Et Telesphorus; *Ut clarâ voce predicem laudem.*

Psalmi à Regibus recitati.

Ad honorem Theodosii Imperatoris refert Socrates l. 7. Histor. c. 12. quòd sole exoriente, cum suis sororibus *hymnos alternatim decantatos recitavit. sacras litteras memoriter pronuntiavit, earum interpretes in unum diligentissimè collegit.* Carolus Magnus non solùm cum Paulo Diacono fecit selectum lectionum, quæ per annum in quàvis solemnitate præscribuntur, ut notavit Sigebertus; sed etiam *legendi atque psallendi disciplinam diligentissimè emendavit.* S. Ludovicus, Galliarum Rex, Philippo filio suo in mandatis dedit, ut divinis officiis omni modo interveniret. Et Robertus, Rex Galliarum, composuit aliquot cantica Ecclesiastica.

PSAL. XXV. ℣. 8.

213. NOn solùm divinæ majestati, sed etiam consecratæ Dei domui ac sanctuario, Rex David omnem exhibuit venerationem, sollicitè ac omni possibili diligentiâ procurans ipsius decorum, ornamentum ac pompam. *Domine, dilexi decorem domûs tuæ, & locum habitationis gloriæ tuæ.* Psal 25. v. 8.

Decor templi.

Dignissimum spectaculum vidit Hispania in persona Philippi III. qui genuflexus, ac penicillum manu tenens, pulverem auferebat è sacris lipsanothecis, in summo gradu curans exquisitam munditiem Escurialis. S. Paulinus Episcopus Nolanus *in Natali 1. S Felicis*, totum sollicitum se demonstrat erga templum, huic sancto dedicatum:

Et foribus servire tuis, tua limina manè
Munditie curare sines, & nocte vicissim
Excubiis servare piis, & munere in isto
Claudere promeritam defesso corpore vitam.

PSAL. XXVI. ℣. 2.

214. REgius Propheta scribit, implacabiles suos inimicos in ipsum irruisse, avidos ad lacerandas, ac vivas devorandas ipsius carnes. *Appropiant super me nocentes, ut edant carnes meas.* Psal. 26. v. 2. quâ phrasi volebat significare capitale odium, quo ipsum persequebantur. In hunc sensum Job. 19. v. 22. *Quare persequimini me sicut Deus. & carnibus meis saturamini? &c.* 31. v. 31. *Quis det de carnibus ejus, ut saturemur?*

Hostis vult devorare vivos.

Hàc loquendi formâ usi sunt Gentiles; inter quos Ovidius 13. Metam.

- - - licet exercere, meumq;
Devoveas sine fine caput, cupiasque dolenti
Me tibi fortè dari, nostrumque haurire cruorem.

Quòd si in sensu merè grammatico explicetur, quòd Davidis hostes voluerint ipsius carnes physicè & realiter devorare; Polyphemus, ut refert Homerus Odyss. 10. Et Læstrygones, ut scribit Plinius l. 7. c. 21. pascebantur humanis carnibus, easque vorabant crudas ac sanguine adhuc fluentes. S. Hieronymus l. 2. contra Jovinianum ait: *Quid loquar de cæteris nationibus, cum ipse adolescentulus in Gallia viderim Scotos, gentem Britannicam, humanis vesci carnibus; & cum per sylvas porcorum greges, & armentorum, pecudumque reperiant, pastorum nates, & fœminarum papillas solere abscindere, & has solas ciborum delicias arbitrari?*

Vorare carnes humanas.

PSAL. XXVI. v. 3.

215. DAvid omnem suam securitatem derivabat ab assistentia Dei. Sive enim à fronte videret innumeras hostium turmas, sive irruentes contra se immensos exercitus; Deum secum habens, omnem è pectore suspicionem malorum excludebat, & se prorsus defensum ac satis protectum arbitrabatur. *Si consistant adversùm me castra, non timebit cor meum: si exurgat adversùm me prælium, in hoc* (Deo) *ego sperabo.* Psal. 26. v. 3.

Deus in bello defendit.

Ulysses apud Homerum, conversus ad Minervam, similes affectus expressit,

Atqui ego, si mihi assistas Casta diva,
Vel tercentum contra homines concurrere pugna
Ausim, te fretus comite, ò Dea, & adjutrice.

PSAL. XXVII. ℣. 2.

216. EX centenis sacræ paginæ locis colligitur, orantes fuisse solitos erigere suas manus versùs cœlum. Psal. 27. v. 2. *Dum oro ad te, dum extollo manus meas ad templum sanctum tuum.* Psal. 43. *Si expandimus manus nostras ad Deum alienum.* Psal. 133. v. 2. *In noctibus extollite manus vestras in sancta, & benedicite Dominum.* Et aliis multis locis.

Orantes levant suas manus.

In hoc à fidelibus non discrepârunt Idololatræ. Virgilius 1. Æneid. v. 97.

Ingemit, & duplices tendens ad sidera palmas,
Talia voce refert.

Et lib. 2.

Sustulit exutas vinclis ad sidera palmas.

Et lib. 4.

Dicitur ante aras media inter Numina Divûm
Multa Jovem manibus supplex oràsse supinis.

De hoc argumento rursùs agemus in Psalm. 62. v. 5.

PSAL. XXVII. ℣. 3.

217. NOn habemus deteriores hostes iis, qui se extrinsecùs fingunt nostros amicos. Pessima hominum sors est, quæ linguam solvit in nostras laudes, & in officina cordis cudit fulmina in nostrum interitum. Tales erant hostes Davidis: *Qui loquuntur pacem cum proximo suo; mala autem in cordibus eorum.* Psal. 27. v. 3. Et Psal. 34. v. 20. *Mihi quidem pacificè loquebantur: & in iracundia terræ loquentes, dolos cogitabant.*

Hos malignos proditores graphicè describit Plautus in Truculent. Act. 1.

In melle sunt linguæ sitæ vestræ, atque orationes
Lacteque: corda felle sunt sita, atque acerbo aceto
Elinguis dicta dulcia datis; corde amare facitis.

Idipsum dixit Sallusthius in Conjurat: Catil. *Aliud in pectore, aliud promptum in lingua habere.*

PSAL.

PSAL. XXVIII. v. 3.

218. Tonitrui metaphora à sacris litteris adhibetur ad significandas efficaces, sonoras & magnificas excellentium Oratorum voces. Ps. 28. v. 3. *Vox Domini super aquas: Deus majestatis intonuit*, Apoc. 4. v. 5. *De throno procedebant fulgura, voces, & tonitrua*. & cap. 6. v. 1. *Audivi tanquam vocem tonitrui &c.* Unde S. Hieronymus in Apolog. ad Pammachium, Epist. 50. ait: *Paulum Apostolum quotiescumque lego, videor mihi, non verba audire, sed tonitrua.*

Tonitru typus oratoria.

Pericles, ut refert Tullius de perfecto Oratore; *Ab Aristophane Poëta fulgurare, & tonare, & permiscere totam Græciam dictus est.* Plinius minor l. 1. Epist. ad Tacitum. *Oratio magnificat, & excelsa tonat, fulgurat.* S. Hieronymus lib. 1. cont. Jovinianum, de Philippo Rege Macedoniæ ait; *Contra quem Demosthenis Philippica tonant.*

PSAL. XXVIII. ℣. 3.

219. David Psal. 28. v. 9. loquens de partu cervarum, utitur nomine masculino vice fœminini; aitque, *Vox Domini præparantis cervos*; dicere enim volebat, interprete Aquilà, *parturire facientis cervas.* Adeoque operationes fœmineæ repræsentantur sub nomine masculino.

Masculinum loco fœminini.

Etiam Aristoteles lib. 6. Hist. animal. cap. 31. scribit; *Leones parere.* & cap. 37. *Lupus fert, & parit ut canis tum tempore, tum etiam fœtus numero.* Simili modo Ælianus lib. 4. de Animal. c. 34. *Leo quinquies parit; primò catulos quinque edit &c.*

PSAL. XXIX. ℣. 6.

220. Ubi nos Psal. 29. v. 6. legimus; *Quoniam ira in indignatione ejus, & vita in voluntate ejus.* Hebræus textus traducit; *Momentum in indignatione ejus.* Et Chaldæus; *Una hora indignatio ejus, & vita æterna bona voluntas ejus.* Simili modo Deus Isaiæ ore c. 14. v. 58 *In momento indignationis abscondi faciem meam parumper à te, & in misericordia sempiterna misertus sum tui.* Adeoque ira Dei citò sopitur; cùm hæc iræ sedandæ facilitas, non exigua sit virtus ac prærogativa.

Ira Dei facilè sopitur.

Aristoteles lib. 4. Ethic. c. 5. dixit: *Iracundos, quamvis citò irascantur, & quibus non oportet, at illud optimum habere, quòd citò etiam desistunt; amaros autem illos esse, qui cum difficultate placantur, & longo tempore sunt sub ira.* Hanc doctrinam in sua Regula firmat S. Augustinus: *Melior est autem, cum qui irâ sæpè tentatur, tamen impetrare festinat, ut sibi dimittat, cui se fecisse cognoscit injuriam, quàm qui tardius irascitur, & ad veniam petendam tardius inclinatur.*

PSAL. XXX. ℣. 6.

221. Veritas est virtus adeò rara & excellens; ut Deus videatur illam præ omnibus aliis æstimare; cùm à seipso vocetur *Deus veritatis.* Psal. 30. v. 6. S. Paulus Rom. 3 v. 4 Deum peculiari attributo cognominat Veracem *Est autem Deus verax.* Christus dixit Joan. 4 v. 3 *Et eos, qui adorant eum, in spiritu & veritate oportet adorare.* De quo Regius Propheta Psal. 83. v. 12. *Quoniam veritatem dilexisti.* & Psalm. 83. v. 12. *Misericordiam & veritatem diligit Deus*

Veritas gratissima Deo.

Persæ inter omnes suos Deos primum ac principalem adorant aliquem, cognominatum Oromazum, seu Oromasden, vel Oromagdum, & dicunt, ipsius corpus esse simile corpori humano, animam verò veritati. Ita in hunc locum refert Lorinus.

PSAL. XXX. ℣. 17.

Nihil magis orabat David, nisi ut à Deo aspiceretur facie serenâ & clarâ. Habens enim Deum propitium, amabilem, benignum, non potest non sub aspectu adeò felici omnem experiri prosperitatem & satisfactionem. Adeoque, inquit Ps. 30. v. 17. *Illustra faciem tuam super servum tuum.* Psal. 66. v. 2. *Illuminet vultum suum super nos, & misereatur nostri.* Psal. 118. v. 135. *Faciem tuam illumina super servum tuum.* 222.

Serena facies Dei dat omnia bona.

Videri possit, Poëtam fuisse à nostro Propheta instructum; dum Martialis lib. 2. Epigr. in 24. canit:

-- -- *Quòd si Deus ore sereno*
Annuerit, felix, Candide, solus eris.

PSAL. XXX. ℣. 23.

Oculi Dei iratitantas habent vires, ut prosternant & enervent quosvis robustissimos & generosissimos. Unde David, potens etiam gigantes sternere, confitetur, se solo Dei aspectu victum & prostratum. *Projectus sum à facie oculorum tuorum*, Psal. 30. v. 23. 223.

Oculus Dei terribilis.

Octavianus Augustus habuit oculos adeò luminosos & spirituosos: *ut, si intentius aliquem esset intuitus, cogeretur is, ceu splendoris nimietate caligaret, vultum submittere*; uti refert Cælius Rhodiginius lib. 5, cap. 2 Jon Chio narrat, ab oculis Herculis vibratum fuisse igneum splendorem. Ita referunt Jo. Tzeze Chil. 3. Histor. 105. & Natalis Comes mythol. l. 7. cap. 1.

PSAL. XXXI. ℣. 4.

Respuit è peccatis suis pœnitens Propheta, & à stulto creaturarum amore conversus est ad obsequium creatoris, quando tristitia & remorsus peccati commissi, instar spinæ, transfixit animam; aut, instar calcarium, illum stimulavit, ut prosiliret ex luto impuritatis, & prosequeretur semitam divinæ legis. *Conversus sum in ærumna mea, dum configitur spina.* Psal 31. v. 4. *Hoc est*, interprete Cornelio à Lapide in Proverb. c. 17. v. 22. *Conversus sum ad Deum, dum sentio ab eo me configi spinâ tribulationis & tristitiæ* In hunc locum Theodoretus; *Peccati dulcedo longam post se amaritudinis spinam infigit.* 224.

Remorsus conscientiæ est spina.

Quòd intentus cruciatus sit spina, docet Hippocr. l. 2. de Morbis. *Cura in visceribus, velut spina esse videtur, atque illa pungere* Vincentius Cartarius observans, Veneri consecratas esse purpureas rosas, ait, ex eo demonstrari, quòd impuritas Veneris afferat ruborem pudoris, & acutissimam spinam remorsûs.

PSAL. XXXI. ℣. 10.

Veluti unum supplicium non sufficeret ad puniendam temeritatem peccatoris; magno numero colliguntur supplicia & infortunia; omniaque simul & directè in eum irruunt. *Multa flagella peccatoris*; inquit Propheta Psal. 31. v. 10. Qui voluerit, legat cap. 28. Deuteronomii, ubi reperiet formidabilem fasciculum flagellorum, quæ animæ peccatrici præparata sunt. Idipsum scribitur Jobi c. 20. v. 22. 225.

Flagella peccatorum.

Periti antiquitatum Romanarum sciunt, ad supplicium delinquentium fuisse adhibita flagella. T. Livius; *Fustuarium meretur, qui signa relinquit, aut præsidio decedit.* Polibius lib de tribus Politiis refert; milites delinquentes fuisse punitos

tos

tos decimatione aut fustigatione. Cælius Rhodiginius Lect. antiq. l. 10. c. 5. scribit: *Fuste cæditur quoque, qui furto quidpiam ex castris tulerit, quique falsum testimonium dixerit, & si quis ætatis flore abutatur.* Calistratus Jurisconsultus Digest. de Pœn. inter alia supplicia numerat *fustium admonitionem, & flagellorum castigationem.* Hactenus Cælius Rhod. loc. cit. Ita rei, condemnati ad crucem & suspendium, priusquam morerentur, flagellis cædebantur; Eodem modo possum dicere, reprobos, condemnatos & reservatos ad æternam mortem, in præsenti vita percuti flagellorum ictibus.

PSAL. XXXII. ℣. 6.

226. MUndus, ab infinita virtute verbi creatus, conservatur & sustentatur à vigore divini spiritûs. Quod de utraque parte afferendum est, de una sola pronuntiavit Propheta Psal. 32. v. 6. *Verbo Domini cæli firmati sunt, & spiritu oris ejus omnis virtus eorum.*

Deus creator & conservator mundi.

Virgilius lib. 6. Æneid. v. 724.

Principio cælum, ac terras, camposque liquentes.
Lucentemque globum Lunæ, Titaniaque astra
Spiritus intus alit, totamq; infusa per artus
Mens agitat molem, & magno se corpore miscet.
Inde hominum, pecudumque genus, vitaque volantum,
Et quæ marmoreo fert monstra sub æquore pontus,
Igneus est ollis vigor, & cælestis origo.

Et lib. 4. Georg.

- - - *Deum ire per omnes*
Terrasq;, tractusque maris, cælumque profundum
Hinc pecudes, armenta, viros, genus omne ferarum.
Quemque sibi tenues nascentem arcessere vitas.

In hunc sensum Manilius lib. 1.

Hoc opus immensi constructũ corpore mundi
Membraque naturæ diversa condita formæ
Aëris, atque ignis, terræ, pelagiq; jacentis
Vis animæ divina regit, sacroque meatu
Conspirat Deus, & tacitâ ratione gubernat.

PSAL. XXXII. ℣. 13.

227. SIcuti homines è sublimibus & elevatis montibus solent observare inferiora; ita Deus, nostro concipiendi modo, repræsentatur prospiciens è sublimibus cælis cunctas res terrenas & sublunares. *De cælo respexit Dominus, vidit omnes filios hominum; de præparato habitaculo suo respexit super omnes, qui habitant terram.* Psal. 32. v. 13. Et Psal. 101. v. 20. *Prospexit de excelso sancto suo; Dominus de cælo in terram aspexit &c.*

Deus è cælo in terram prospicit.

Idipsum de fabulosis suis Diis finxêre Gentiles; in particulari de Jove Virgilius lib. 1. Æneid. v. 227.

Et jam finis erat, cum Juppiter æthere summo
Despiciens mare velivolum, terrasque jacentes,
Littoraq; & latos populos; sic vertice cæli
Constitit, & Lybiæ defixit lumina regnis.

PSAL. XXXIII. ℣. 2.

FAvoribus, quos Deus in Regem Davidem contulit, non sufficiebant transitoriæ gratiarum actiones; unde protestatur, se omni loco & tempore, semper ei futurum gratum, ac divina beneficia celebraturum. *Benedicam Dominum in omni tempore, semper laus ejus in ore meo.* Psal. 33. v. 2. & rursùs Psal. 103. v. 33. *Psallam Deo meo, quamdiu sum.* 228.

Gratitudo continua.

Ab hoc proposito non abludunt affectus Virgilii lib. 1. Æneid.

- - - *Grates persolvere dignas*
Non opis est nostræ, Dido: nec quidquid ubique est
Gentis Dardaniæ, magnum quæ sparsa per orbem
In freta dum fluvii current, dum montibus umbræ
Lustrabunt, convexa polus dum sidera pascet,
Semper honos, nomenque tuum, laudesque manebunt.

PSAL. XXXIII. ℣. 11.

QUidquid bonorum accumulent cupidi avari, semper etiam inter acervos divitiarum erunt miseri. Partim enim inexplebili eorum cupiditati deerit omne illud, quod non possident; & partim ob parsimoniam abstinebunt ab usu omnium bonorum, quæ in æraria sua collegerunt; sicque in extrema necessitate & calamitosa anxietate morientur. Unde Psaltes; *Divites eguerunt & esurierunt.* Psalm. 33. v. 11. 229.

Avarus semper pauper.

Paucis, sed nervosis verbis hanc veritatem complexus Horatius, lib. 1. Epist. 2. canit:

- - *Semper avarus eget.*

Faustus Andrelinus in distichis:

Semper eget, sitiens mediis ceu Tantalus undis,
Inter anhelatas pauper avarus opes.

Cornelius Gallus:

Quid mihi divitiæ? quarum si dempseris usum,
Quamvis largus opum, semper egenus ero &c.

Post hos Andreas Alciatus Emblem. 85.

Heu miser in mediis sitiens stat Tantalus undis,
Et poma esuriens proxima habere nequit:
Nomine mutato, de te id dicetur Avare,
Qui quasi non habeas, non frueris quod habes.

PSAL. XXXIV. ℣. 7.

INillis Psalmi verbis; *Absconderunt mihi interitum laquei sui.* Psal. 34. v. 7. continetur figura hyppallages, id est, contraria ac præpostera verborum dispositio. volunt enim dicere; Hypallage *Absconderunt mihi laqueum interitus* Ita in Lib. Jud. c. 1. v. 8. conformiter lectioni Hebraicæ; *Civitatem miserunt in ignem*; id est; *ignem miserunt in civitatem.* Et 1. Reg. 14. v. 4. *Erant inter ascensus scopuli*; id est, *Erant ascensus inter scopulos.* 230.

Hypallage.

Hæc figura Poëtis est frequenter usitata, dum dicunt:

- *Pu-*

— — *Perflavit fistula buccas;*
cùm deberent dicere, *perflârunt fistulam bucca.*
Simili modo;
— — *onerantque canistris*
Dona laborata Cereris.
Id est; *Onerant canistros donis laborata Cereris.*

PSAL. XXXIV. v. 16.

231. NEgari non potest, quin inimici Davidis canino furore & contumeliosâ irâ grassati sint, dum contra ipsum ringebantur & dentibus stridebant. *Frenduerunt super me dentibus suis.* Psal. 34. v. 16. id quod innovârunt Israëlitæ, qui à S. Stephano reprehensi, instar canum præ rabie *stridebant dentibus in eum.* Act. 7. v. 54.

Dentes strident præ ira.

Quòd stridor dentium sit expressum animi iracundi indicium, demonstrat Seneca lib. 1. de Ira. c. 1. *Irascentium signa sunt. Flagrant, & micant oculi, multus ore toto rubor, exæstuante ab imis præcordiis sanguine, labia quatiuntur, dentes comprimuntur, horrent, ac subriguntur capilli, spiritus coactus ac stridens. &c.* Et loquens de feris iratis, subjungit; *Spumant apris ora, dentes acuuntur attritu.* Hercules iratus, apud Virgilium 8. Æneid. v. 230. describitur;
Dentibus infrendens.

De Hormisda, Rege Persiæ, ait Simocatta l. 4. cap. 1. *Rex autem furens, & infrendens dentibus.* De hoc argumento vide ad cap. 8. Matth. num. 12.

PSAL. XXXV. v. 10.

232. TItulus fontis vitæ accommodatissimus est ad exprimendas Divinas beneficentias, dum Deus gratiæ suæ fluentis lavat, refrigerat, fœcundat, vivificat, ac felices reddit suos fideles. De hoc David Psal 35 v. 10. *Quoniam apud te est fons vitæ.* Et Deus ipse apud Hieremiam c. 2. v. 13. *Me dereliquerunt fontem aquæ vivæ.* Absalon Abbas, Canonicus Regularis serm. 5. de Adventu; Christum comparat fonti, à quo irrigatur vastitas mundi. *Fons equidem de terra ascendit, quando splendor gloriæ, & fons vitæ Dei filius de B. Virgine nasci voluit; superficiem terræ irrigavit, quando ipsos peccatores -- ad fidei gratiam convertit.*

Deus est fons vitæ.

Mercurius Trismegistus Dial. 7. ait; *Resipiscite, ò mortales, & resipiscite, & ad fontem vitæ recurrite.*

PSAL. XXXVI. ℣. 2.

233. UNius diei revolutione fœnum, falce recisum, exsiccatur, arescit, omnemque vitalem vigorem perdit. Haud aliter vita humana celerrimè consumitur ac deficit. *Tanquam fœnum,* miseri *mortales, velociter arescent, & quemadmodùm olera herbarum citò decident.* Psal. 36. v. 2. & rursus Psal. 89. v. 6. *Manè floreat & transeat.* veluti hedera Jonæ. cap. 4. quæ unius solis gyro exaruit.

Vita humana fragilis.

Plautus in Pseudolo hunc ipsum conceptum exprimit;
Quasi solstitialis herba paulisper fui,
Repente exortus sum, repentinò occidi.

PSAL. XXXVI. ℣. 13.

234. HOmini mundano nihil proderunt divitiarum copia, virium potentia, amicorum comitatus, & impetrata magnificentia; cùm his omnibus vanitatibus præfixus ac stabilitus est inevitabilis terminus. *Et veniet dies ejus.* Ps. 36. v. 13. id est, *dies contritionis ejus,* ut vertit Chaldæus; seu, ut Apollinaris, *Dies lethalis.*

Dies noster est dies mortis.

Nomen diei reperitur apud profanos usitatum pro ultimo vitæ termino. Virgilius l. 10. Æneid. v. 467.
Stat sua cuique dies: breve, & irreparabile tempus
Omnibus est vitæ. &c.
Seneca in Hercule furente;
Certo veniunt ordine Parcæ,
Nulli jusso cedere licet,
Nulli scriptum proferre diem.
Et Ennodius l. 8. Epist. 14. *Nec diem meum (id est, mortis) sub amici præsentia clausis orbibus intuerer.*

PSAL. XXXVI. ℣. 16.

LOngè plus gaudii experitur pauper, qui modico suo contentus est; quam dives, inexplebili aviditate inquietus. Et longè plus voluptatis accipit famelicus ab unico frusto panis, quàm helluo à lautissima cœna. *Melius est modicum justo,* inquit Psal. 36. v. 16. *super divitias peccatorum multas.* Subscribit Salomon Prov. 15. v. 16. *Melius est parum cum timore Domini, quàm thesauri magni, & insatiabiles. &c.* 17. v. 1. *Melior est buccella sicca cum gaudio, quàm domus plena victimis cum jurgio.* 235.

Natura contenta paucis.

Seneca Epist. 16. *si ad naturam vives, nunquam eris pauper; & si ad opinionem, nunquam eris dives. Exiguum natura desiderat, opinio immensum &c.* & Epist. 110. *Non horrenda res est aqua & polenta, aut frustum hordeacei panis, sed summa voluptas est, posse capere etiam ex his voluptatem.*

PSAL. XXXVI. ℣. 21.

NOn potest non esse homo malus, qui ab alterius benevolentia accepit aliquid mutuum, ut illud statuto tempore restituat, ipse verò imminente solutionis tempore renititur, obmurmurat, & satisfactionis loco perditum cupit amicum. Hunc pessimum genium insinuat David Ps. 36 v. 21 *Mutuabitur peccator & non solvet.* 236.

Restitutio fit difficulter.

Phalaris Epist 63. ad Euneos ait; *Improbum debitorem imitari mores Camaleontis, qui pro tempore colores mutat. Laudare, cùm beneficium est accepturus; cùm reddendum est, ut tyrannum existimare, & impium eum, qui repetat.* Plautus in Captivis Act. 2. Scen. 1. canit;
Nam ferè maxima pars morem hunc hominum
habet, quòd sibi volunt
Dum id impetrant, boni sunt; sed id ubi
jam penes se habent
Ex bonis pessimi, & fraudulentissimi sunt.
Item in Trinummo.
Si quis mutuum dederit, fit pro proprio perditum;
Quum jam repetas, inimicum amicum beneficio
invenis tuo.

PSAL. XXXVI. ℣. 26.

IMpossibile videtur, inquit David, ut homo justus reducatur ad ultimam egestatem; si enim justitia est radix omnis opulentiæ, non potest ei deficere alimonia, qui habet animam instructum virtute & justitiâ. *Junior fui, etenim senui: & non vidi justum derelictum &c.* Ps. 36 v. 25. 237.

Justis nihil deficit.

Hesiodus *in Ergis* constanter affirmat, justos non posse opprimi aut molestari egestate.

Numquam dira fames justos divexat in orbe,
Aut noxa, ast illis convivia maxima prabent,
Cælicolæ, & tellus his victum prabet abundè.

PSAL. XXXVI. ℣. 35.

238. PLus, quàm credi potest, instabilis & fugax est hominum mundanorum felicitas, quæ instar lampadis, dum apparet, disparet. *Vidi impium superexaltatum, & elevatum sicut cedros Libani. Et transivi, & ecce non erat.* Psal. 36. v. 35. *Ita ut*, commentante in hunc locum Agellio, *penè in ipso momento transitûs mei tanta firmitas & pulchritudo periret.*

Felicitas transitoria.

Seneca Philosophus Epist. 4. *Noli huic tranquillitati confidere; momento mare vertitur: eodem die, ubi luserunt navigia, sorbentur.* Et Seneca Tragicus in Troade;

Quem dies vidit veniens superbum,
Hunc dies vidit fugiens jacentem:
Res Deus nostras celeri rotatas
Turbine versat.

PSAL. XXXVI. ℣. 35.

239. CAlamitates, desolationes, & ruinæ, veluti funestæ umbræ, sequuntur corpus peccatoris; ubi enim regnat iniquitas, ibi triumphat infelicitas & interitus. *Injusti autem disperibunt simul: reliquiæ impiorum interibunt.* Ps. 36. v. 35. Quòd si nomine *reliquiæ* intelligantur filii, de his protestatur Salomon Sap. 4. v. 3. *Spuria vitulamina non dabunt radices altas, nec stabile fundamentum collocabunt.*

Divitiæ malè partæ evanescunt.

Si verò nomine *reliquiæ* intelligantur divitiæ; benè fundatum est illud proverbium; *Malè parta, malè dilabuntur.* Benè dixit Poëta;

Non habet eventus sordida præda bonos.

Euripides canit;

Injuste ne possideas pecunias, si velis longo
Tempore in ædibus manere. Quidquid enim iniquè
Domi cumulaveris, non potest esse salvum.

Et Menander.

Lucrum malum damnum semper fert.

PSAL. XXXVII. v. 2.

240. QUando David supplicabat Deo, ne ipsum durante justâ iracundiâ, & concitati furoris tempore puniret aut reprehenderet; *Domine, ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me.* Psal 37. v. 2. docuit Patresfamilias, Judices, & Principes, ut iracundiâ succensi & agitati, neminem puniant.

In ira nemo puniendus.

Idipsum consuluit Plutarchus Opusc. *de iis, qui tarde à Numine corripiuntur* Xenophon lib 5. Histor. ait, tametsi mancipia sint infima servorum fæx, nihilominus ab irato Domino plecti non debere. Valerius Maximus lib. 4. cap. 1. refert, Architam Tarentinum, cùm gravissimè à servo offenderetur, ei dixisse; *sumpsissem à te supplicium, nisi tibi iratus essem.*

PSAL. XXXVII. ℣. 4.

NOn est carnifex rigidior & implacabilior, malâ conscientiâ; Hæc enim, armata flagello, nunquam non percutit viscera peccatoris, lacerat ipsius cor, & ipsa etiam ossa, utut videantur doloris incapacia, replet infelicitate, inquietudine, & tormentis. Unde Rex adulter, cùm resipisceret, Psal. 37. v. 4. ait; *Non est pax ossibus meis à facie peccatorum meorum.* 241.

Synderesis torquet peccatorem.

Mirificè Plautus;

At hoc me facinus miserum macerat,
Meumque cor, corpusque cruciat.

Macrobius lib. 1. in somn. Scipionis; explicat fabulam Promethei, lacerati à vulture. *Per vulturem, sive aquilam, jecur immortale tundentem, nihil aliud intelligunt prisci illi Theologi, quàm tormenta malæ conscientiæ obnoxia flagitio viscera interiora rimantis, & ipsa vitalia indefessâ admissi sceleris admonitione laniantis. &c.*

PSAL. XXXVII. ℣. 11.

TAm afflictio & tristitia cordis, quàm copia lachrymarum diminuunt visum, & turbant lucem oculorum. Unde mirum non est, si David afflictus & plangens dixerit, Psal. 37. v. 11. *Cor meum conturbatum est, dereliquit me virtus mea, & lumen oculorum meorum, & ipsum non est mecum.* Et prior illo Jobus c. 17. v. 7. *Caligavit ab indignatione* (id est, dolore & mæstitiâ, ut interpretatur Pineda) *oculus meus.* 242.

Visum debilitat planctus.

Plinius lib. 11. c. 37. loquens de oculis, ait; *Magna cogitatio obcæcat, abducto intus visu Sic in morbo comitiali aperti nihil cernunt, animo caligante.* Argumento nostro serviunt Consilia Catulli ad Manlium;

Mæsta nec assiduò tabescant lumina fletu,
Tristi nec cessent imbre madere genæ.

PSAL. XXXVII. ℣. 13. &c.

CUm persecutores Davidis graves injurias ei malignè imposuissent; ipse vicissim mirâ patientiâ deglutiit omnia opprobria, dissimulavit injurias, ac si eas non audivisset, tenuitque, instar muti, quietum & exactissimum silentium. *Qui inquirebant mala mihi locuti sunt vanitates, & dolos totâ die meditabantur. Ego autem tanquam surdus non audiebam, & sicut mutus non aperiens os suum* Psal 37. v. 13. &c. 243.

Injuriæ superantur tacendo.

Quòd temeritas vitiosorum debeat superari silentio, meminit Plutarchus Opusc. *de Vitioso pudore*; ubi ait, *Silentium Euripides sapientibus esse dixit responsum. Videmur autem magis eo adversùs iniquos opus habere. Nam verbis quidem possumus placare urbanos homines.* Virtutes Davidis resplenduerunt in S. Ubaldo, meo Con-Canonico, de quo scribit B. Theobaldus, quòd gravi contemptu in calcem liquefactam à sacrilego Architecto projectus; inde *totus infectus cùm surrexisset, humiliter siluit, & cum summa patientia, quasi nihil passus fuisset, ad Episcopatum redivit.*

PSAL. XXXVII. v. 21.

QUodvis corpus, vix ex uno latere recipiens splendorem lucis; mox ex altero infestatur tenebris seu umbris. Ita quivis justus, quamprimùm videtur virtuosè agere, malignorum umbris ac insidiis infestatur. *Qui* 244.

Virtus infestata.

retribuunt

retribuunt mala pro bonis, detrahebant mihi, quoniam sequebar bonitatem. Psal. 37. v. 21. Meus Concanonicus, S. Prosper, benè dixit;

Impia pars mundi parti est infesta piorum,
Nec tolerare potest dissimiles animos.

Plutarchus; *Sicut Cantharides rosis maximè florentibus incumbunt; sic invidia maximè adoritur bonos, ut ad virtutem proficientes.* Epictetus Philosophus in suo Enchiridio cap. 27. *Si Philosophiam cupis, prapara te continuò, ut irridearis, ut subsanneris à multis. &c.*

PSAL. XXXVIII. v. 2.

245. DAvid, ad consecutionem omnium virtutum accinctus, sibi ab omni illo cavebat, quod militare poterat contra legem Dei; primam verò, maximamque diligentiam impendit custodiendo ori, ac refrænandæ linguæ. *Dixi custodiam vias meas, ut non delinquam in lingua mea. Posui ori meo custodiam &c.* Psal. 38. v. 2.

Linguam refrænare.

Mirificè in rem præsentem Cato;

Virtutem primam esse puto compescere linguam,
Proximus ille Deo, qui scit ratione tacere.

PSAL. XXXVIII. v. 7.

249. ADeò misera est humanæ vitæ conditio, ut potius figuram umbræ transitoriæ ac vanæ, quàm aliquid re ipsâ existens ac verum præferat. Idipsum dicere voluit Psal. 38. v. 7. *In imagine pertransit homo*; seu, ut legit S. Ambros. *In imagine ambulat homo*; qui in Ps. 118. Octon. 3. ita discurrit; *Hic in umbra vivimus; ergò vita ista in corpore umbra est vita, atque imago, non veritas; denique in imagine ambulat homo.*

Vita humana est umbra.

Mercurius Trismegistus apud P. Aloysium Novarinum l. 4. Umbræ Virgineæ. n. 808. ait; *Imaginationes hac dicere decet, ò fili, siquidem hominem rectè enuntiamus, humanitatis imaginationem, ac puerum pueri imaginationem; virum viri imaginationem, senem senis imaginationem; nam homo, homo non est; neque puer, puer; nec adolescens, adolescens; nec senex, senex; neque vir, vir; qua enim mutantur, mentiuntur; & qua jam fuerunt, & qua sunt.*

PSAL. XXXVIII. v. 13.

247. LAchrymæ tribulatorum habent vocem adeò sonoram, ut audiatur usque ad cœlos; id quod probè scivit David, quando ad Deum conversus dixit Psal. 38. v. 13. *Auribus percipe lachrymas meas.* In Threnis c. 2. v. 18. scribitur; *Deduc quasi torrentem lachrymas per diem, & noctem; non des requiem tibi, neque taceat pupilla oculi tui.* Et Ecclesiast. 35. v. 8 *Nonne lachryma vidua ad maxillam descendunt, & exclamatio ejus super deducentem eas?* Unde S. Petrus Damianus Opusc. 13. c. 12. *Qui non oculis attendi, sed auribus percipi lachrymas postulat, voces inesse lachrymis manifestè designat.*

Lachrymæ habent voces.

Huic veritati adstipulatur suspirans Poëta;
Interdum lachryma pondera vocis habent.

PSAL. XL. v. 2.

248. S. Ecclesia inter alios psalmos pro suffragio defunctorum utitur psalmo 40. cujus initium est; *Beatus, qui intelligit super egenum & pauperem: in die mala liberabit eum Dominus, Dominus conservet eum, & vivificet eum, & beatum faciat eum in terra* unde S. Mater Ecclesia videtur velle suos Fideles efficaciter movere ad charitatem erga mortuos; qui enim illis suffragatur, se ipsum promovet ad obtinendam beatitudinem, seu omnium bonorũ ac totius felicitatis affluentiã.

Suffragium pro defunctis.

Pausanias in Poëticis refert; quòd è civitate Troja fuerit Thebas translatum cadaver Hectoris, eò quòd oraculum promiserit, beatam à se factum iri illam civitatem, quæ illius defuncti ossa servaret. Oraculum, ibi productum, est istud.

Excelsa incolitis Cadmi qui mænia Thebas,
Si patriam optatis nunquam non esse beatam,
Ex Asia transferte domum magni Hectoris ossa.

PSAL. XLI. v. 4.

DOnum lachrymarum peculiari modo concessum fuit Regi Davidi, cujus oculi diu noctuque videri poterant fontes & scaturigines effusissimorum planctuum. *Fuerunt mihi lachryma mea panis die ac nocte.* Psal. 41. v. 4. 249.

Lachrymæ copiosæ.

Hanc lachrymandi copiam obtinuit S. Arsenius Abbas, ut in Vitis Patrum refertur. Eandem obtinuit S. Vincentius Ferrerius, cujus oculi inundabant frequentissimis lachrymis, maximè quando offerebat incruentum altaris sacrificium. S. Hieronymus ad Eustoch. inter frequentes suas macerationes ait; *Quotidie lachryma, quotidie gemitus.* S. Monica pro salute sui filii Augustini tantas versavit lachrymas, ut S. Ambrosius dixerit; *Impossibile est, ut filius tantarum lachrymarum pereat.* S. Gilbertus, Canonicus Regularis; in contemplatione mysteriorum Dei *tantam vim lachrymarum fundebat, ut ex illarum abundantia obcæcaretur.* Inter profanos Heraclitus continuis lachrymis deploravit miserias undique inundantes. Commune adagium est;

Boni autem valde flebiles viri.

PSAL. XLIII. v. 4.

QUemadmodum oculis hominum patent sola objecta externa; ita oculis Dei omnia etiam reconditissima cordis arcana. *Ipse enim,* inquit David Psal. 43. v. 22. *novit abscondita cordis.* Cùm Deus, teste S. Paulo, *sit discretor cogitationum & intentionum cordis. Et non est ulla creatura invisibilis in conspectu ejus, omnia autem nuda & aperta sunt oculis ejus.* Hebr. 4. v. 12. &c. 250.

Deus videt interna.

Si M. Seneca voluisset componere paraphrasin supra prædictos textus, nihil potuisset accommodatius scribere. *Aliter Deorum numini subjecta uniuscujusque conscientia est, aliter nostra astimationi. Nos tantùm qua feceras, palam vidimus; illi etiam qua secreta sunt.*

PSAL. XLIV. v. 2.

DE se ipso, suisque Prophetiis loquens sanctus Rex David, ait Psal. 44. v. 2. *Eructavit cor meum verbum bonum.* Adeoque habens cor inebriatum Divinâ virtute & prophetico sensu, copiosos conceptus è labris profudit, quorum omnes alii fierent participes. 251.

Proinde in nostrum sacrum Prophetam optimè convenit, quòd de Homero Poëta finxerunt Gentiles; videlicet illum ex ore versâsse ingentem abundantiam certorum liquorum, ad quos colli-

David scaturiens prophetias.

colligendos magno studio ac diligentia concurrerunt cæteri Poëtæ. *Galaton pictor Homerum finxit evomentem, reliquos verò Poëtas ea quæ ipse evomuisset, haurientes.* Ælianus lib. 3. de Var. Hist. cap. 22. Idipsum scribit Cœlius Rhodiginius lib. 21. cap. 44. de quo Manilius Astronom. ait;

— -- Cujus de gurgite vivo
Omnis posteritas latices in carmina duxit.
Amnemq. in tenues ausa est deducere rivos.
Unius fœcunda bonis.

PSAL. XLIV. ℣. 2.

252. Verba bona. Linguam suam soluturus Propheta Regius; decrevit, se nihil aliud velle loqui, nisi bona verba, id est, verba laudis, consolationis, felicitatis, prophetiæ, & sanctitatis. *Eructavit cor meum verbum bonum.* Psal. 44. v. 2.

Hoc loquendi modo usi sunt profani, præsertim tractaturi de diebus, alicui lætitiæ conservatis. Unde Ovidius lib. 1. Fast.

Nunc dicenda bono sunt bona verba die.

PSAL. XLIV. v. 3.

253. Princeps amabilis, prudens, & fortis. Quando Psalmo 44. agitur de persona Salomonis, uti observant sacri Interpretes; David sub initium Psalmi tres laudes ei attribuit; videlicet quod sit princeps pulcherrimus; aptus ad conciliandum amorem subditorum; gratiosus seu prudens in loquendo; & denique fortis ad portandum ex latere gladium, quo utatur contra inimicos. *Speciosus formâ præ filiis hominum, diffusa est gratia in labiis tuis;* Ps. 44. v. 2. & v. 4. *Accingere gladio tuo super femur tuum, potentissime.*

Agesilaus solebat dicere; perfectum principem debere esse *erga subditos benevolum, prudentem consilio, contra inimicos fortem;* uti refert P. Lorinus in hunc locum.

PSAL. XLIV. v. 3. &c.

254. Princeps pulcher & fortis. Salomon à grandi suo Patre laudatur quidem à pulchritudine; *Speciosus formâ præ filiis hominum, diffusa est gratia in labiis tuis* Psal. 44. mox tamen etiam laudatur à fortitudine; *Accingere gladio tuo super femur tuum potentissime.* Debet enim bonus Princeps magnificam vultus pulchritudinem conjungere cum vigoroso robore brachii; de qua conjunctione Psal. 92. v. 1. *Dominus regnavit, decorem indutus est, indutus est Dominus fortitudinem & præcinxit se.* Hæ prærogativæ celebrantur in Saule, Davide, Patriarcha Juda, Josepho &c.

De Græco Achille canit Statius lib. 1. Achill.

Attamen arma inter, festinatosque labores
Dulcis adhuc visu, niveo natat ignis in ore
Purpureus.

De Scipione Africano Silius Italicus lib. 8.

Martia frons, facilesque coma, nec pone, retróque
Cæsaries brevior, flagrantia lumina, miti
Aspectu, gratusq. inerat visentibus horror.

Plutarchus loquens de Demetrio; *Formâ verò, & faciei venustate adeò mirâ atque excellenti, ut plastes vel pictor exprimere nullus imaginem ejus posset; eadem enim venustatem & gravitatem, terrorem & hilaritatem habebat: confusaque erat cum juvenili & feroci vultûs aspectu penè inimitabilis heroica quædam species & majestas regia.* Torquatus Tassus in Conquist. lib. 1. st. 79. de suo Richardo.

Se'l vedi fulminar nel arme avolto
Marte lo stimi; Amor se scopre il volto.

PSAL. XLIV. v. 4.

255. Gladius ante pectus. Hebræi, tempore Salomonis, portârunt gladium è sinistro latere pendentem, & innixum femori. David enim, Salomoni loquens, ait Psal. 44. v. 4. *Accingere gladio tuo super femur tuum potentissime.*

Nostris temporibus tam Turcæ, quàm alii populi orientales; *ita sibi gladios alligant, ut in femur, non in latus pendeant;* ut scribit Lorinus in hunc versum. Suetonius de Galba cap. 11. scribit; *quòd promotus ad Imperium, iter ingressus est paludatus, ac dependente à cervicibus pugione ante pectus.*

PSAL. XLIV. v. 5.

256. Pulchritudo ornamentum Principum. Pulchritudini Salomonis, à Psalmista laudatæ, non sine mysterio jungitur regia dignitas. *Specie tuâ, & pulchritudine tuâ, intende, prosperè procede, & regna.* Psal. 44. v. 5. pulchritudo enim est ornamentum dignissimum Principe ac regiâ coronâ. Ita Exodi cap. 2. v. 2. laudatur pulchritudo Mosis. Gen. c. 49. v. 22. pulchritudo Josephi. lib. 1. Reg c. 16. v. 12. pulchritudo Davidis; qui omnes sunt viri à Deo destinati ad principatus, regimina, & coronas.

Pacatus in panegyrico Theodosii ait; *Virtus tua meruit imperium, sed virtuti addidit forma suffragium: illa præstitit, ut oporteret te principem fieri: hæc ut deceret.* Egesippus lib 1. c. 36. de Antipatro, qui suis fratribus in regno fuit antepositus, ait; *Cui forma, cui decoris gratia suppeteret, ut jure præferendus omnibus æstimaretur.* Cornelius Tacitus lib. 2. Annal. scribit, Ariobarzanem fuisse à Cæsare ad Regnum Armeniæ assumptum, non solùm ob egregii animi meritum, sed etiam *ob insignem corporis formam.*

PSAL. XLIV. ℣. 7.

257. Rhetores habent figuram reduplicationis, quam Græci Diacopen vocant, & Latini separationem, in qua repetitur idem verbum, interposito tamen medio aliquo. Exemplum præbet Psalmus 44. v. 7. *Virga directionis, virga regni tui.*

Lucretius hâc figurâ usus est;

Floriferis ut apes in saltibus omnia libant,
Omnia nos itidem depascimus aurea dicta,
Aurea perpetuâ semper dignissima vitâ.

Et Dantes;

E ciò di viva speme fu mercede
Di viva speme, che mise sua possa.

PSAL. XLIV. ℣. 9.

258. Salomon sponsus è vestimentis suis exhalabat variam, pretiosam, & exquisitam fragrantiam myrrhæ & guttæ, ut magnus ipsius pater insinuat in Epithalamio à se composito Psal. 44. v. 9. *Myrrha & gutta, & casia à vestimentis tuis.* Quid sit gutta, declarat Didymus his verbis; *Guttam esse tenuissimam myrrhæ partem, quatenus fluida est: nam pars crassior, quæ remanet, myrrha nuncupatur.*

Martialis de quodam, unguentis benè profumato, canit:

Semper

Semper casiaque, cinnamoque,
Et nido niger alitus superba
Fragras.

Et Plautus in Curculione:

Tu stacte, tu cinnamomum, tu rosa
tu crocum, & casia es.

PSAL. XLIV. ℣. 10.

159. Pulchritudo ornata. SPonsa Salomonis pulchritudini nativæ, quâ erat dotata, & celebrata in sacris Canticis; nuptiarum tempore addidit pulchritudinem adventitiam ac fucatam. *In vestitu deaurato, circumdata varietate.* Psal 44. v. 10. Ita Judith, tametsi esset *eleganti aspectu nimis.* cap. 8. vers. 7. nihilominus *unxit se myro optimo, & discriminavit crinem capitis sui, & imposuit mitram super caput suum, & induit se vestimentis jucunditatis suæ &c.*

Tibullus l. 2. Eleg. 5. æstimat pulchritudinem amici, sed vult sumptuosis vestibus exornatam:

Sed nitidus, pulcherque veni, nunc indue vestem
Sepositam, longas nunc benè pecte comas.

PSAL. XLIV. ℣. 11.

260. Sponsa obliviscatur suæ domus. SPonsæ Salomonis, abiturienti ad nuptias, hoc documentum datum est, ut non solùm pedibus, sed etiam affectu egrederetur paternam domum; adeoque nationis suæ prorsus oblivisceretur quia tali modo à suo sponso tenerrimè amanda esset. *Obliviscere populum tuum, & domum patris tui. Et concupiscet Rex decorem tuum. &c.* Psal. 44. v. 11.

Euripides in Danae, citatus à Joanne Stobæo serm. 71.

Mulier enim egressa paternam domum
Non amplius parentum est, sed mariti.

PSAL. XLIV. ℣. 13.

261. Gratulatio & munera ad nuptias. PLus quàm credi potest, fuerunt lætæ & sumptuosæ nuptiæ Salomonis, cum eò eas confluxerint plurimi amici, non tantum ut sponsis gratularentur, omnemque felicitatem apprecarentur, sed etiam ut ditissima ac pulcherrima munera afferrent. *Et filiæ Tyri in muneribus vultum tuum deprecabuntur omnes divites plebis.* Psal. 44. v. 13.

Catullus in suo Epithalamio, composito ad nuptias Pelæi & Thetydis, canit;

— Domum conventu tota frequentat
Thessalia, oppletur lætanti Regia cœtu.
Dona ferunt, præ se declarant gaudia vultu.

Claudianus *Epist. ad Serenam* describit nuptias Orphei;

Orphea cum primæ sociarent limina tædæ,
Ruraque complerent Thracia festus Hymen.
Certavêre feræ, picturataque volucres.
Dona suo vati quæ potiora darent. &c.

PSAL. XLIV. ℣. 14.

262. Vera perfectio est interna. REgina, desponsata Salomoni, erat phœnix pulchritudinis; comparuit *in vestitu deaurato*, fuitque humanissimè excepta à nobilissimis Tyriis, quæ ei ditissima munera attulerunt. *Et filiæ Tyri in muneribus &c.* Psal. 44 Singulariter tamen laudatur ob perfectionem bonitatis & virtutis, quâ illustravit animam ac cor suum; unde de illa testatur Psal. 44. v. 14. *Omnis gloria ejus filiæ regis ab intus.*

Plato in Alcibiad. 1. repræsentat Socratem, qui à regimine Reipublicæ removit Alcibiadem, solâ corporis, non verò animi pulchritudine excellentem. Idem Plato in Convivio scribit, quod Alcibiades, loquens de Socrate, consueverit eum comparare cum aliquo sileno, extrinsecùs hispido & crudo; intus verò mirabili integritate, pudicitiâ, & aliis insignibus prærogativis instructo.

PSAL. XLIV. ℣. 15.

DAvid, concludens festivum epithalamium, compositum ad nuptias Salomonis, ait; fidelem populum ei persoluturum acclamationes & applausus per totam æternitatem, id est, per longissimum tempus. *Populi confitebuntur tibi in æternum, & in sæculum sæculi.* Psal. 44. v. 15. id est, *gratias agent, magnitudinem tuam agnoscent, colent, & impensis obsequiis omni semper tempore prædicabunt*; ut interpretatur Jo. Pineda *in Salomone* ad hunc locum. 263. Fama & gloria perpetua.

Idipsum dixisse videtur Virgilius Ecloga. 5.

Semper honos, nomenque tuum, laudesq; manebunt.

PSAL. XLV. ℣. 6. &c.

CUm Judæa infestaretur formidabili hostium potentiâ, promisit Regius Propheta; quòd *Deus in medio ejus non commovebitur: adjuvabit eam Deus manè diluculò*, si verò ex ipso quæratur, quo modo id Deus operaturus, iisque auxiliaturus esset? respondet. *Arcum conteret, & confringet arma, & scuta comburet igni.* Psal. 45. v. 6. &c. & v. 10. Adeoque Deus ibi auxiliatur, quando aufert omne auxilium; ibi defendit, quando destruit, ac in cineres omnia arma, ad defendendum accommodata, redigit. Ibi providet, quando, quidquid provisum est, tollit. In hunc locum S. Augustinus. *Necesse est, ut omnia confringantur, conterantur, comburantur, remaneas inermis, non habens ullum adjutorem tuum; & quanto magis infirmus es, nulla tua arma habens, tantò magis te suscipit, &c.* 264. Deus adjuvat dum tollit adjutorium.

His verbis propheticis non absimilis est generositas Magni Gonsalvi. Cùm enim jamjam aggressus esset prælium propè Gerunium, contra exercitum Ducis Nemosini, subitaneo casu ignis, in pulverem nitratum Hispanorum prosiliens, totum illum consumpsit ac destruxit. Audito hoc nuncio, Gonsalvus, præsagium capiens; invicto animo, & liberâ ac sonorâ voce exclamavit; Vicimus! Deus nos victoriæ securos reddit, quia ablato omni nitrato pulvere, non habemus opus, ut confligamus. Ita nimirum in defectu nitrati pulveris stabilivit spem victoriæ, quam etiam nobilissimam consecutus est. Jo. Botterus in Dictis Memorabil: lib. 1.

PSAL. XLV. ℣. 10.

JOannes Lorinus, commentans supra Psal. 45. v. 10. quòd Deus, tanquam supremus Dux exercituum, *scuta comburet igni*; ait, quod gloriosus victor, finito bello, soleat in ignem projicere ac in cineres redigere arma, ut pacem conservet. Appianus Alexandrinus de Bell. Punic hunc morem, post victoriam colligendi ac comburendi scuta, vocat *patrium Romanis morem*: additque, id fecisse Scipionem, qui ad honorem Martis & Minervæ combussit scuta mili- 265.

militaria, conquassatas machinas, inutiles naves &c. Tarquinius Priscus, victis Sabinis, ad honorem Vulcani combussit eorum arma & scuta. Ad hoc forsan alludit Virgilius lib. 8. Æn.

O mihi præteritos referat si Juppiter annos,
Qualis eram, cùm primam aciem Præneste sub ipsa
Stravi, scutorumq; incendi victor acervos.

PSAL. XLVII. ℣. 2. &c.

166. David, celebrans beneficentiam Dei, eum non solùm deprædicat tanquam magnum Dominum, qui civitatem sanctam Hierosolymam, uti & sacrum montem, in quo adorabatur, tanta sollicitudine protegit; *Magnus Dominus, & laudabilis nimis in civitate Dei nostri, in monte sancto ejus.* Psal. 47. v. 2. Sed etiam dignissimum laude declarat, quòd peculiarem suam providentiam demonstret in gubernanda, protegenda, & adjuvanda quavis domo ac tuguriolo illius civitatis & montis. *Deus in domibus ejus cognoscetur, cùm suscipiet eam.* v. 4. id est, *ad auxiliandum & protegendum*, ut interpretatur S. Hieronymus. In hunc locum S. Jo. Chrysostomus ait: *Per illud: in domibus ejus cognoscetur; magnam ostendit providentiam, & quod eam totam omni ex parte servat, non illius tantùm totius curam gerens, sed etiam in unamquamq; domum suam ostendens providentiam.*

Sinesius *Orat. de Regno*: hanc laudem attribuit Arcadio; *Tibi verò*, inquit, *consentaneum imprimis est, ut quem semel accepisti ordinem, nunquam deseras, neque ei nominis affinitati rem pudendam facias, sed ad ejus imitationem te conferas, civitatesq; non solùm omni bonorum genere cumules, sed etiam felicitatem, quantam potes, in unumquemq; subditorum effundas* Constantinus Imperator in Oratione de Themistro Philosopho, coram Senatu facta, ait: *Ego porrò officii mei partes esse duco, vobis non solùm ex publicis bonis lætitiæ materiam præbere; sed insuper privata singulorum utilitati, quoad ejus fieri queat, debitam providentiam, sollicitudinemque.*

PSAL. XLVIII. ℣. 12.

167. Abstrahendo à virtute & potentia divina, quæ defunctos è tumbis suis evocabit, cogetque coram universali judicio comparere; cadavera, semel in sepulchris reposita, æternùm ibi jacere deberent. id quod innuit dictum Psalmic. 48. v. 12. *Et sepulchra eorum, domus illorum in æternum.*

Sepulchrum est domus æterna.

Ulpianus ff. de Sepult. violand. l. 3. §. non perpetuæ; vocat *sepulturam perpetuam.* Idipsum significat epitaphium Petronii Antigenidis;

Hic domus æterna est: hic sum situs; hic ero semper.

PSAL. XLVIII. ℣. 15.

168. Reprobi, si in hoc mundo vixerint ut bestiæ, & in operationibus suis plus egerint stolidas belluas, quàm homines rationabiles; etiam in inferno tractabuntur ut bestiæ, & veluti victimæ devoratæ ab igne, ac laceratæ à dolore, erunt continua præda mortis, quæ instar insatiabilis vulturis dilaniabit illorum corda. De his Psal. 48. v. 15. *Sicut oves in inferno positi sunt, mors depascet eos*; id est, *non mors eos eradicabit in inferno, sed depascet, ut iterum pullulent, iterum ac sæpius, ac in æternum depascendi*; ut commentatur P. Mendoza in l. 1. Reg. c. 2. n. 6.

Damnati lacerati per totam æternitatem.

Miseriam hanc expressêre Gentiles in Tytio, damnato ad infernum; de quo Ovidius;

Sic inconsumptum Tytii, semperq; renascens
Non perit, ut possit sæpè perire jecur.

PSAL. XLVIII. ℣. 18.

Omnes hominis avari labores in accumulandis divitiis sunt vani & frustranei, quia evolutis quatuor diebus inevitabiliter conductus ad mortem, nudissimus intrabit sepulchrum, neq; secum vel minimam particulam grandium suorum bonorum auferet. *Cùm interierit, non sumet omnia.* Ps. 48. v. 18. hanc veritatem repetit Ps. 75. v. 6. *Dormierunt somnum suum, & nihil invenerunt omnes viri divitiarum in manibus suis.* Et Ecclesiast. c. 5. v. 14. *Sicut egressus est nudus de utero matris suæ, sic revertetur: & nihil auferet secum de labore suo.* 169.

Avarus in morte omnia relinquit.

Ovidius lib. 5. Trist. Eleg. 15.

Divitiis ad manes nil feret umbra suos.

Propertius lib. 3. Eleg.

Haud ullas portabis opes Acherontis ad undas,
Nudus ad infernas stulte vehere rates.

Ausonius Epigram. 53.

Effigiem, Rex Cræse, tuam ditissime Regum
Vidit apud manes Diogenes Cynicus.
Constitit utq; procul: solito majore cachinno
Concussus, dixit: Quid tibi divitiæ
Nunc prosunt? Regum Rex o ditissime quum sis,
Sicut ego solus, me quoq; pauperior?
Nam quæcumq; habui, mecum fero; quum nihil ipse
Ex tantis tecum, Cræse, feras opibus.

PSAL. XLVIII. ℣. 19.

Homo avarus, semper suis lucris intentus, ibi solùm alios laudat & gratias agit, quando aliquid lucratur; quemadmodùm camelus ibi solùm se humiliat, quando cupit recipere sarcinas & beneficia. Ita Propheta Ps. 48. v. 19. *Confitebitur tibi, cùm benefeceris ei.* 170.

Avarus cum lucratur agit gratias.

Quidam, in opulenta fortuna constitutus, de seipso canit;

Quisq; meus civis fieri cupiebat amicus,
Ad mea tendebat limina turba frequens.
Laudabar solus, solus celebrabar, amabar
Egregio solus nomine dignus eram.

At postmodùm mutata conditione:

At quia mensa brevis mihi nunc, & curta supellex,
Innumeri scindunt nec mea rura Syri.
Me feriunt omnes amisso sordibus auro:
Pellitur amissâ pauper amicitiâ.

Eodem sensu discurrit Ovid. lib. 1. Trist. Eleg. 8.

PSAL. XLIX. ℣. 13.

Quando pro antiquo Israelitarum ritu offerebantur Deo victimæ, magis Deus respiciebat puritatem, devotionem, & affectum internum offerentis; quàm pinguedinem taurorum, & venustatem hædorum; unde ipsemet Deus Davidis ore ait Ps. 49. v. 13. *Nunquid manducabo carnes taurorum, aut sanguinem hircorum potabo? Immola Deo sacrificium laudis.* 171.

Deus aspicit internum.

Quidam Poeta apud Porphyrium 2. *de Abstin ab anim.*; citatum à S. Cyrillo l. 9. cont. Julian.

Quis

Quis est adeò stultus, quis adeò credulus,
Et imperitus, ut Deos ipse putet
Fumante bili, & carne nudis ossibus
Quæ vel laborans fame non esset (id est, *comederet*) *canis,*
Lætari, & ipsum accipere honoris loco?

PSAL. XLIX. ℣. 14.

272. OCulis divinis non est charius aut magis pretiosum sacrificium, quàm anima pura, & innocens, consecrata laudi ac servitio Dei. Ita innuit ipse Deus Prophetæ sui ore dicens Psal. 49. v. 14. *Immola Deo sacrificium laudis.*

Anima pura chara Deo.

Philo lib. 3. de vita Mosis; *Nullum*, inquit, *Deo charius esse sacrificium, quàm anima Deo chara pietatem.* Cicero l. 2. de Nat. Deorum suadet, *ut semper pura, integra, incorrupta mente & voce veneremur Deos.*

PSAL. XLIX. ℣. 16.

273. LEx Dei, tota pura & sancta, etiam à linguis hominum justorum & innocentium debet annuntiari & prædicari; grandis enim irreverentia & indecentia est, pretiosas margaritas transmitti per immundas animalium fauces. Psal. 49. v. 16. *Peccatori autem dixit Deus: quare tu enarras justitias meas? &c.*

Lex sancta annuntiatur à sanctis.

Refert Plutarchus *de Audit. & Apoph. Lacon.* Spartanos non voluisse ullam legem, quantumvis sanam & Reipublicæ utilissimam, recipere, si fuisset publicata à ministro vitioso & scelerato; unde statuerunt, ut lex justa similiter promulgaretur ab homine justo. S. Isidorus Pelusiota Epist. 212. *Apud Lacedæmonios ei, qui turpiter vixisset, ne probam quidem sententiam pronuntiare licebat.*

PSAL. L. ℣. 5.

274. SPerare potest proprii spiritûs emendationem, qui cognoscit vitæ suæ deformitatem. David, ut se ad pœnitentiam demonstraret promptum, protestatus est, suas iniquitates à se cognosci; ultrò acceptans medicinam, dum habuit cognitionem infirmitatis. *Quoniam iniquitatem meam ego cognosco.* Psal. 50. v. 5. Nam ut ait Lactantius l. 6. c. 24. *Is, quem facti sui pœnitet, errorem suum pristinum intelligit.*

Cognitio mali est dispositio ad salutem.

Alexander Trallianus, Medicus expertissimus, lib. 9. c. 1. ait; *Internotio rectæ curationis fundamentum est.* Seneca Epist. 6. *Et hoc ipsum argumentum est in melius translati animi, quòd vitia sua, quæ adhuc ignorabat, videt. Quibusdam ægris gratulatio fit, cùm se ipsos ægros esse senserunt.*

PSAL. L. ℣. 6.

275. PRovidus pœnitens supplicat Deo, rogatque misericordiam. *Miserere mei Deus.* Psal. 50. v. 6. adducitque confessionem commissæ culpæ tanquam opportunum medium ad obtinendam pietatem. *Tibi soli peccavi.* v. 6. & rursùs: *Iniquitatem meam ego cognosco.* v. 5.

Confessio delicti.

Quidam miser apud Ovidium;
Ad cœlum manus, & splendida brachia tollens,
Da veniam Lenæe pater; peccavimus, inquit,
Sed miserere precor, speciosoque eripe damno.

PSAL. L. ℣. 9.

ILlis verbis Psal. 50. v. 9. *Lavabis, & super nivem dealbabor*; alludit pœnitens Propheta ad purificationes, in Synagoga usitatas, ut significaretur puritas interna, quam resipiscentes & pœnitentes desiderabant à Deo impetrare. 276.

Lavacrum corporis.

Cum hoc versu convenit opinio Gentilium, quòd lavacrum corporis abstergat immunditiam animæ, ut prolixè scribit Macrobius lib. 3. adducens testimonium Æneæ qui se multis hostium cladibus contaminatū sciens, Æn. 2 dixit:
Tu genitor cape sacra manu, patriosq; penates.
Me bello è tanto digressum, & cæde recenti,
Attrectare nefas, donec me flumine vivo
Abluero.

Hanc opinionem irrisit Ovidius 2. Fast.
Ah nimiùm faciles, qui tristia crimina cædis
Fluminea tolli posse putatis aquâ.

Tullius dixit 1. de Leg. *Aqua aspersione labem corpoream tolli, & præterea castimoniam præstari.*

PSAL. L. ℣. 18.

DAvid ad placandum Deum, graviter à se offensum, non multùm satagabatur victimis in templo offerendis, sed in id unicè incumbebat, ut Deo offerret cor contritum ac pœnitens; probè gnarus, non externa munera, sed internos nostros affectus exigi. *Si voluisses sacrificium dedissem utique, holocaustis non delectaberis. Sacrificium Deo spiritus contribulatus, cor contritum &c.* Psal. 50. v. 18. In hoc argumentum non ingrata est musa S. Gregorii Nazianzeni ad Vitalianum: 277.

Deo placent interna.

Præstat pauca Deo pectus mactare ferentem
Quam sacra mille offerre animus si sordeat ater.
Nil etiam dignum cœlesti Numine, non si
Quæ mare, quæ cœlum, quæ fert humus, omnia jungas,
Omnia namq; Dei; quid enim hæc inveneris extra?
Una Deo est purum gratissima victima pectus
In qua vincit inops, opibus persæpè tumentem.

Seneca lib. 1. de Benef. cap. 6 *Nec in victimis quidem, licet optimæ sint auroq; præfulgeant, Deorum honos est, sed pia ac recta voluntate venerantium.* Ita Lycurgus & Socrates opinabantur, Diis offerri debere res infimi valoris; rationem adducit Lycurgus, ne unquam nobis deesset opportunitas sæpius agendi gratias. *Ne unquam Deos venerari cessemus.* Plutarch. Apophr. Lacon. Socratis ratio erat, quòd Dii non indigeant nostris rebus; magisque æstiment conditionem offerentis, quàm oblati muneris pretium. Videatur Horat. lib. 3. Od. 23. ubi in hoc argumentum mirificè canit.

PSAL. LII. ℣. 6.

IOannes Pineda in cap. 32. Jobi, v. 22. existimat, verba Psalmis 52. v. 6. *Deus dissipavit ossa eorum, qui hominibus placent*; intelligenda esse de adulatoribus, qui, quanto magis cupiunt placere hominibus, tantò plus à Deo derelinquuntur & odio habentur; quia Deus est summa veritas, & simulatoribus summè contradicens. 278.

Deus odit adulatores.

Plato lib. 5. de legibus, citatus à Plutarcho lib.

lib. de Dignoscen. Adulat. ait; *Si veritas est divina omniumq; bonorum & Diis & hominibus principium, apparet Diis inimicum esse adulatorem. &c.*

PSAL. LIII. ℣. 8.

179. QUemadmodùm Deus in suis operationibus est ens summè liberum; ita summè amat, ut suæ majestati à voluntate humana liberè & spontaneè offerantur recognitiones laudis & gratiarum actionis Unde dixit David Psal. 53. v. 8. *Voluntariè sacrificabo tibi*: memor forsitan illius præcepti legalis Exod. 35. v. 5. *Omnis voluntarius, & prompto animo offerat.* in hunc locum Chaldæus & Hebræus: *Omnis, cujus est spontaneum cor, offerat oblationem Domino.*

Voluntaria oblatio.

Huic argumento deservit Seneca l. 4. de Benefic. c. 18. *Ingratum voco, quicquid metu gratum est.* Et lib. 2. cap. 1. *In beneficio jucundissima tribuentis voluntas*, cui assentitur Musa Pindari Pyth. Od. 5. Antistroph. 2.

Spontaneâ igitur decet
Mente benefactori
Occurrere. &c.

At dum agimus de victima voluntaria, quæ Deo summè placet, sufficiat illa observatio. quam Gentiles in sacrificiis & victimis adhibebant. *Hoc quoque notandum*, inquit Plinius lib 8. cap. 45. *Vitulos ad aras humeris hominum allatos, non licere litare, sicut nec claudicante, nec alienâ hostiâ Deos placari, nec retrabente se ab aris.* Similiter Macrobius l. 3. Saturn c. 5 *Observatum est à sacrificantibus, ut si hostia, quæ ad aras duceretur, fuisset vehementius reluctata, ostendissetq; se invitam altaribus admoveri, amoveretur.* Ita Æneid. 8.

Communemq; vocate Deum, date vina volentes;

Et lib. 10. Æneid.

— *Volens vos Turnus adoro.*

PSAL. LIV. ℣. 7.

180. DAvid, infestatus à furibundis hostibus, qui veluti sanguinarii falcones rapacibus suis unguibus ad eum dilacerandum irruebant, desideravit pennas columbæ, ut posset accelerare fugam, & in securitate constitui. *Quis dabit mihi pennas sicut columbæ, & volabo, & requiescam.* Psal. 54. vers 7.

Columba velox in fuga.

Homerus lib. 9. Iliad. loquens de Diana, quæ fugit ab ira Junonis, eam comparat cum timida columba;

Tum Dea, ceu volucri similis fit, & ipsa columba
Quæ volat, atq; cavæ rupis sese abdit in antrum,
Accipitrem fugiens.

Et Virgilius lib. 5. Æneid. v. 213. ad exprimendam celeritatem Mnesthei, volantis cum sua nave, recurrit ad raram agilitatem columbæ.

Qualis speluncâ subitò commota columba
Fertur in arva volans; mox aëre lapsa quieto
Radit iter liquidum celeres neque commovet alas,
Sic Mnestheus, sic ipsa fugâ secat ultima Pristis
Æquora; sic illum fert impetus ipse volantem.

PSAL. LIV. ℣. 10.

LInguæ hominum malignorum, congregatæ ad scindendam & detrahendam famam ac honorem miserorum innocentum; debent justo ac proportionato supplicio etiam ipsæ scindi, dividi, & præcipites projici; juxta sententiam Psalmi 54. v. 10. *Præcipita Domine: divide linguas eorum*; id est, Finde, disperti, disseca, ut explicat P. Lorinus; & Apollinaris ait; 181.

Linguæ scissæ.

Linguas eorum tu dividens vibra in pontum.

Simili supplicio subjacuit sceleratus Nicanor, de quo scribitur 2. Mach. c. 15 v. 33. quòd Judas Machabæus *linguam etiam impii Nicanoris præcisam jussit particulatim avibus dari* Antiochus barbara crudelitate *jussit ei, qui prior fuerat locutus, amputari linguam.* 2. Mach. 7. v. 4.

Eadem pœna, teste Diodoro Siculo lib. 1. c. 6. Ægyptii castigârunt illos, qui vel revelârunt arcana suæ Religionis; vel hostibus prodiderunt consilia bellica; his enim mutilârunt linguas. Tereus, ut canit Ovidius 6. Metam. postquam violavit miseram Philomelam, ne posset enorme delictum propalare;

— *Comprensam forcipe linguam*
Abstulit ense fero.

Justinus Imperator Severum Episcopum Antiochenum, antea excommunicatum tanquam caput Hæreticorum, castigavit linguæ mutilatione & exilio. Sigon. l. 16. Imper. Orient. Etiam S. Romano Martyri, & aliis, fuerunt præcisæ linguæ. &c.

PSAL. LIV. ℣. 18.

DAvid tanto ardore se impendit ad voces pœnitentiæ; ut elegiarum suarum suspiria mœsto cantu recitaverit, Deumque precatus sit tam nascente & occidente sole, quàm sub ipsam quoque meridiem. *Vespere, & manè, & meridie narrabo, & annuntiabo &c.* Psal 54. v. 18. 182.

Oratio continua.

Virgilius lib. 4. Georg. v. 466. de Orpheo, plangente defunctam Euridicen, canit;

Te veniente die, te decedente canebat.

Hunc versum forsitan imitatus est vetus Poëta, Cinna,

Te matutinus flentem conspexit Eous,
Et flentem viait paulò post Hesperus idem.

Et Lucretius lib. 2.

Nec nox ulla diem, nec noctem aurora secuta est,
Quæ non audierit mistos vagitibus ægris
Ploratus mortis comites, & funeris atri.

PSAL. LIV. ℣. 22.

HOmo malignus, solitus discursum suum incipere à verbis dulcibus, mollibus, delicatis, & in aliorum laudem dispositis, tandem finem imponit adjunctis accusationibus ac detractionibus acutis, mordacibus, & penetrantibus. De hoc benè dixit Prophera Psal. 54. v. 22. *Molliti sunt sermones ejus super oleum, & ipsi sunt jacula.* 183.

Malignus dum laudat, vituperat.

Hic successus frequenter evenire solet, ut observat Lucretius.

— *Sæpè etenim medio de fonte leporum*
Surgit amari aliquid, quod in ipsis faucibus angat.

Adeo-

Adeoque astutus ejusmodi detractor omninò talis est, qualis à Torquato describitur Aletes;

Al finger pronto, all' ingannar accorto
Gran fabbro di calunnie, adorne in modi
Novi, che sono accuse, e paion lodi.

PSAL. LIV. ℣. 23.

284. Fidelis nunquam potest suam felicitatem reddere securiorem, ac si integro corde se committat obsequio Dei, omnemque spem suam in ipso reponat. Deus enim, videns hominem in suis obsequiis sollicitum, singulari providentia & sollicitudine procurat utilitatem & conservationem hominis. Unde David Psal. 54. v. 23. *Jacta super Dominum curam tuam, & ipse te enutriet*; seu ut alii legunt; *Jacta cogitatum tuum in Domino, & ipse te enutriet.*

Deus curat suos servos.

In vita S. Catharinæ Senensis repetitur hæc maxima; dum Jesus Christus ei apparens, in hæc verba protestatus est. *Cogita tu de me, & ego cogitabo de te.*

PSAL. LV. ℣. 3.

285. Ut suspirans propheta significaret, quanto contemptu ei illuserint hostes, ait, se ab ipsis fuisse conculcatum. Psal. 55. v. 3. *Conculcaverunt me inimici mei tota die.* In hunc sensum Hieremias c. 12. v. 10. *Pastores multi demoliti sunt vineam meam; conculcaverunt partem meam.* Et Ezechiel 34. v. 18. *Reliquias pascuarum vestrarum conculcâstis pedibus vestris.*

Conculcare in contemptum.

Diogenes, invisens ad palatium Platonis, & sumptuosa illius aulæa contemnens, *superbos Platonis toros lutulentis pedibus conculcabat*; ut refert Tertullianus in Apologet. c. 46. Turnus Pallantem, à se occisum, in contumeliam

— *Lævo pressit pede.* —

Ut canit Virgilius 10. Æneid. v. 495. Ovidius 4. Fast. de antiqua Roma canit;

Victorem terris imposuêre pedem.

PSAL. LVI. ℣. 3.

286. David, infestatus furore Saulis, asyli sui loco elegit obscuram cavernam. Ibi omnem fiduciam suam in Deo collocans, prorupit in preces, suspiria, & gratiarum actiones. Inter alia dixit Psal. 56. v. 3. *Clamabo ad Deum altissimum. Deum, qui benefecit mihi.* Ubi lectio Chaldæa traducit; *Ad Deum, qui accersivit araneam, ut conficeret in ore speluncæ telam propter me.* Ut significaretur, quo modo Deus usus sit telâ araneæ, ad ostium speluncæ texta, ut defenderetur David; quia Saul, illa visa, gressum suum aliò divertit. Proinde dici potest;

Aranea defendit.

Tela videbatur, murus & agger erat.

Simile miraculum contigit in lege gratiæ, dum araneæ tela improviso modo texta fuit supra ostium speluncæ, in qua latens S. Felix Martyr, ab hostium furore præservabatur.

— — *Et aëreo cessit vis ferrea filo.*

Ut canit S. Paulinus Episcopus Nolanus in 5. Natali S. Felicis, citatus Tom. 5. Biblioth. Festum hujus sancti celebratur die 14 Januarii.

PSAL. LVI. ℣. 5.

287. Etiamsi subterraneæ fodinæ essent ferro & omnibus metallis exhaustæ; non tamen ad malignitatem hominum vitiosorum deessent arma bellica ad offendendos alios; quia in mordacibus suis dentibus, seu insultantibus verbis, circumferunt acutissima arma, & in pungitiva lingua venenatissimas sagittas ad transigendum aliorum honorem & existimationem. *Filii hominum dentes eorum arma & sagittæ, & lingua eorum gladius acutus.* Psal. 56. v. 5. Ubi Genebrardus; *Habent verba dentata & sagittantia.*

Linguæ arma offensiva.

Hac loquendi forma usus est Aristophanes in Nebulis, apud quem reperitur hæc phrasis; *Linguâ bellare.* Etiam Heraclitus ad Hermodorum ait; *In lingua habere arma.* De hac hostilitate S. Gregorius Naz. Carm. 54. de Silentio ait;

At certè linguâ nihil exitialius usquam est,
Cursor equus semper, tela parata nimis.

Et paulò post:

Quas animus misit volitant, feriuntque sagittæ,
Vivos, victuros, cum superisque homines.
Hæc æquè incautos, & cautos figit amicos,
Atque hostes pravos vulnerat, atque bonos. &c.

PSAL. LVII. v. 2.

Ministri, à civitate vel Republica electi pro pugnatores, & magistri legum, æquitatis, & justitiæ; non solùm debent eas persuadere suis edictis, & linguæ sono; sed etiam exercere animo libero, incorrupto, & nullis passionibus subdito: ita ut ab iis nunquam se patiantur dimoveri ullo affectu, odio, spe, vel timore. Id quod mihi videtur insinuâsse Psalmus 57. v. 2. *Si verè utiq; justitiam loquimini, recta judicate filii hominum.* 288.

Judex sit justus.

Tullius lib. 3. Offic. scribit: *Bonum virum neque contra rempublicam, neq; contra jusjurandum vel fidem, amici sui causâ facturum; nesi judex quidem erit de ipso amico; ponere enim personam amici, cùm induit Judicis.*

PSAL. LVII. ℣. 4.

Vita peccatorum est adeò contaminata, ut ab ipsa jam pueritia & infantia; imò à ventre matris ostendat suas pravas inclinationes, & declaretur abominabilis. *Alienati sunt peccatores à vulva, erraverunt ab utero.* Psal 57. v. 4. ubi docetur, teste Lorino, *ab ipsamet infantia, utque primùm prodierunt in lucem, atq; ex materno utero, semper à ratione, à virtute, à vero, à Deo alienatos fuisse.* 289.

Vitia nascuntur vitiosis.

Huic veritati adstipulatur proverbium: *Cardiuus, qui aliquando punget, tener adhuc cum spinis nascitur.* Seneca in Thyeste:

— *Ne mali fiant, times?*
Nascuntur.

Unde Petronius Arbiter in Satyr. introducit Quartiliam, in hæc verba loquentem: *Junonem meam iratam habeam, si me unquam meminerim virginem fuisse. Nam infans cum paribus inquinata sum, & subinde prodeuntibus annis, majoribus me pueris applicavi, donec ad hanc ætatem perveni.*

PSAL. LVII. ℣. 6.

Certissimum est, jam antiquis sæculis fuisse adhibitas quasdam incantationes ad capiendos serpentes; unde ipsæ etiam sacræ litteræ pluribus locis expressam earum mentionem faciunt, 290.

ciunt, uti Psal 57. v. 6. ubi de surda aspide dicitur; *non exaudiet vocem incantantium, & venefici incantantis sapienter.* Ecclesiast. 12. v. 13. *Quis miserebitur incantatori à serpente percusso?* Hierem. c. 8. v. 17. *Mittam vobis serpentes regulos, quibus non est incantatio.*

Incantatio serpentum.

Profani plurimis locis commemorant serpentes, à strigibus & incantatoribus per magica carmina superatos & occisos. Lucanus de magis Thessaliæ lib. 6. canit;

— — Gelidos hic explicat orbes
Inque pruinoso coluber distenditur arvo:
Viperei coëunt abrupto corpore nodi,
Humanoque cadit serpens afflata veneno.

Silius lib. 4. de Marmaridibus ait;

Ad quorum cantus serpens oblita veneni,
Ad quorum cantus mites jacuère cerastæ.

Virgilius Eclogâ 8. v. 71.

Frigidus in pratis cantando rumpitur anguis.

Et Seneca in Medæa;

Hic fera serpens corpus immensum trahit,
Trifidamque linguam exertat, & quærens quibus
Mortifera veniat, carmine audito stupet,
Tumidumque nodis corpus aggestum plicat,
Cogitque in orbes.

Videatur Martinus del Rio Disquisit. Magic. lib. 2. ubi de hoc argumento eruditè discurrit.

PSAL. LXI. ℣. 8.

291. MUltis calamitatibus & persecutionibus infestatus David, non absque fundamento creatorem, tanquam unicum asylum suum, salutavit hoc titulo; *Deus auxilii mei.* Psal. 61. v. 8. quia Deus ipsum in omnibus eventibus adjuvit, & suppetias attulit. Unde Psal. 45. v. 2. ait: *Deus noster refugium, & virtus adjutor in tribulationibus.* Et Psal. 17. v. 3. *Deus meus, adjutor meus, & sperabo in eum.*

Deus nostrum auxilium.

Cùm profani opinarentur, unum Deum esse excellentiorem ac sublimiorem altero, idcircò supremum vocârunt Jovem, à juvando cognominatum; constat enim ethymologiam *Juppiter*, non esse aliam, nisi *Juvans Pater.*

PSAL. LXI. ℣. 11.

292. DIvitiæ, accumulatæ ex pretiosis metallis, non sunt frusta argenti & auri, quæ firmiter ac fixè teneri possunt, ut aliqui opinantur; sed sunt præcipites torrentes, qui assiduò ad novos possessores defluunt; Cor autem, in iis commorans, non tantùm nullam tranquillitatem & quietem reperit, sed ab earum pondere & lubricitate præcipitatur in ruinas infernales. Unde suadet Regius Psaltes; *Divitiæ si affluant, nolite cor apponere.* Psal. 61. v. 11.

Divitiæ fluidæ.

Multi scriptores affirmant, sacras litteras veteris legis fuisse à Platone visas. Unde mirum non est, quòd dicta sententia fermè è verbo ad verbum fuerit ab eo scripta & repetita in libris secundo, tertio, & decimo de Republica; maximè autem in libro secundo de legibus.

PSAL. LXII. ℣. 1.

293. AViculæ suas symphonias primo solis ortu non possunt cum tanto jubilo persolvere, ac David primo statim diei radio impendebatur ad venerationem ac laudem Dei decantandam. Unde Psal. 62. v. 1. ait; *Deus Deus meus, ad te de luce vigilo* v. 7. *In matutinis meditabor in te.* Psal. 5. v. 5. *Manè astabo tibi.* & Psal. 87. v. 14. *Manè oratio mea præveniet te.*

Oratio matutina.

Ulysses surgente aurora, solebat invocare & venerari Deos, ut testatur Homerus. Alexander Severus à Mammea, sua matre, fuit à juventute instructus, *Manè in larariis suo rem divinam facere;* ut refert Lampridius. De Scipione Africano scribit Plutarchus, quòd nullam unquàm operationem publicam aut privatam inceperit, nisi prius se contulisset in templum Jovis, ibique numen illud esset veneratus, & ipsius consilium ac auxilium rogâsset.

PSAL. LXII. ℣. 2.

294. SItis metaphora exprimit sanctus Rex David inquietum suum desiderium ad recipiendum à Deo, tanquam vivo fonte, omne suum refrigerium. *Sitivit in te anima mea;* inquiebat Psal. 62 v. 2. seu ut legit S. Hieronymus; *Sitivit ad te:* prout jam dixerat Psal. 41. v. 3. *Sitivit anima mea ad Deum fortem vivum.* Adeoque habens cor, ab amore divino accensum, anhelabat ad illas aquas, quæ infinitæ suavitatis sunt plenæ.

Sitis significat desiderium.

Ad hanc metaphoram frequenter currunt Profani, ad significandam vehementiam suorum desideriorum. Apud Lucretium lib. 3. reperimus; *Sitim vitai.* Tullius l. 2. ad Atticum. Epist. 14. repræsentat *aures sitientes.* Cato, citatus à Tullio l. de senectute, demonstrat *sitim discendæ Græcæ linguæ* &c.

PSAL. LXII. ℣. 5.

295. INter gestus frequentissimè usitatos semper fuit erectio manuum versus cœlum. De hac loquitur David Psal. 62. v. 5. *Benedicam te in vita mea, & in nomine tuo levabo manus meas.* Moses Exod. 9. v. 29. *Cùm egressus fuero de urbe, extendam palmas meas ad Dominum.* Hieremias Thren. 2. v. 19. *Effunde sicut aquam cor tuum &c. leva ad eum manus.* S. Paulus 1. Timoth. 2. v. 8. *Volo ergò viros orare in omni loco levantes puras manus.*

Manus levare orando.

De hoc ritu sæpè loquitur Virgilius. lib. 3. Æneid. v. 263.

At Pater Anchises passis de littore palmis
Numina magna vocat.

Eodem libro v. 176. Æneas de seipso ait:

— — — Tendoq; supinas
Ad cælum cum voce manus.

Et lib. 2. Æneid. de Cassandra canit Poëta;

Ad cælum tendens ardentia lumina frustra,
Lumina nam teneras arcebant vincula palmas.

T. Livius 3. Decad. l. 6. *Undique Matronæ in publicum effusæ, circa Deûm delubra discurrunt, crinibus passis aras verrentes, nixæ genibus, supinas manus ad cælum ac Deos tendentes, orantesq; &c.* Id quod ex naturæ dictamine communiter fieri solet, ut observat Aristoteles lib. 1. de mundo. *Omnes homines manus supplices ad cælum sustulimus.* De hac eruditione aliquid aliud protuli l. 2. Paralip. c. 6. v. 13. Occurrit mihi etiam authoritas Horatii lib. 3. Od. 23.

Cælo supinas si tuleris manus
Nascente lunâ rusticâ Phidile. &c.

De hoc argumento vide suprà Psal. 27. v. 2.

PSAL.

PSAL. LXII. ℣. 7.

296. SAnctissima fuit illa Regii Cytharœdi consuetudo, nascente die sese conferendi ad venerandum Deum, sive ut gratias referret ob noctem feliciter transactam, sive ut ab ipsius pietate impetraret assistentiam pro felici progressu diei. *In matutinis meditabor in te.* Psal. 62. v. 7. Idipsum dixit Psal. 5. v. 5. *Manè astabo tibi*, id est, *ordinabo, aut disponam precem matutinam* & Psal. 87. v. 14. *Manè oratio mea præveniet te.*

Orationes matutinæ.

Sub primam diei horam aperuerunt Gentiles sua templa, & illuc se contulerunt ad eos salutandos & excitandos. Apulejus Lib. 11. *Rebus jam ritè consummatis, incohoata lucis salutationibus religiosi primam nuntiant, & horam perstrepunt.* Cicero pro Roscio Amerino; *Quòd si luce canes quoque latrent, cum Deos salutatum aliqui venerint; ut opinor, iis crura suffringantur.* Seneca Epist. 95. *Vitemus salutationibus matutinis fungi, & foribus assidere templorum.* De qua ceræmonia Prudentius Peristeph.

Manè salutatum concurritur, omnis adorat
Pubes.

Et Arnobius lib. 7. *Quid sibi volunt excitationes illæ, quas canitis matutini, collatis ad tibiam vocibus? Obdormiscunt enim superi, remeare ut ad vigilias debeant.*

PSAL. LXIII. ℣. 4.

297. Lingua maligni calumniatoris non est lingua, sed gladius vehementer pungens, acutus, feriens, lacerans, ictusque inferens lethiferos & insanabiles. Ita sanctus Propheta David Psal. 63 v. 4. *Exacuerunt ut gladium linguas suas.* Et Psal. 56. v. 5. *Et lingua eorum gladius acutus.*

Calumnia est gladius.

Quòd inter linguam calumniatricem & acutum gladium magna interveniat similitudo, probè intellexit Thearides Spartanus, qui gladium acuens, cùm interrogaretur, an esset acutus; respondit, *acutiorem, quàm calumniam.*

PSAL. LXIV. ℣. 2.

298. QUia omnes vires eloquentiæ creatæ sunt nimiùm debiles & infirmæ ad exprimendam majestatem divinam, natura sua inexplicabilem & infinitam; idcircò potius attonito & reverenti silentio, quàm acutis & innumeris argumentis celebranda est. Unde David Psal. 64. v. 2. canit: *Te decet hymnus Deus in Sion.* Seu ut S. Hieronymus traducit; *Tibi silentium Deus in Sion.* Et Pagninus; *Tibi silet laus*; aliique citati à Jo. Lorino. *Tibi formosa laus est silentium*

Et certè, Aristotele teste lib. 1. Ethic. cap. 12. *Optimorum non est laus, sed majus quid, & melius; admiratio scilicet, & stupens silentium.*

PSAL. LXIV. ℣. 12.

299. ANni revolutionem Propheta vocat coronam, quia instar coronæ à suo fine revertitur ad suum principium. *Benedices coronæ anni benignitatis tuæ.* Psal. 64. v. 12.

Ludovicus la Cerda ad versum 402. Georg. Virgilii lib. 2.

— *In se sua per vestigia volvitur annus.*

Ait, quòd *Latinis annus est quasi annulus (ut volunt aliqui) quia in se annus recurrit, ut etiam annulus.* Claudianus lib. 2. de Laud. Stilicon. describens speluncam, ubi habitabat Echo; ait, eam fuisse circumdatam à serpente, qui dentibus extremam suam caudam mordens, efformabat circulum.

— — — *Complectitur antrum;*
Omnia qui placido consumit Numine serpens,
Perpetuumq; vires squammis, caudamque reducto
Ore vorat, tacito relegens exordia lapsu.

Et Seneca Hercul. fur. act. 2.

— — *Volucrique die*
Rota præcipitis volvitur anni.

PSAL. LXIV. ℣. 12.

PRæsentia Domini est adeò utilis; ut, quemadmodum agri, etiam fertilissimi, illo absente commutantur in horrida dumeta; ita sub ipsius vestigiis evadunt in felicissimos paradisos. Unde ubi nos legimus Psal. 64. v. 12. *Campi tui replebuntur ubertate*; Paraphrastes Chaldæus vertit; *Et itinera viæ tuæ stillabunt dulcedinem pinguedinis*; & alii; *Et semita tua stillabunt pinguedinem.* 300.

Præsentia Domini est utilis.

Aristoteles lib. 1. Oeconomic. cap. 16. ait: *Ut equum Domini oculus pinguem facit, ita optimum agro sterquilinium vestigia ejusdem forent.*

PSAL. LXV. ℣. 12.

ISraëlitæ, imprimis coacti ad ignem fornacum Ægyptiarum, & postea infestati usque ad medias undas maris Erythræi; optima ratione potuerunt dicere Psal. 65. v. 12. *Transivimus per ignem & aquam &c.* Hac loquendi forma possunt uti omnes illi, qui per gravissimas calamitates transierunt. Unde Deus Isaiæ ore dixit cap. 43. v. 2. *Cùm transieris per aquas, tecum ero, & flumina non operient te: cùm ambulaveris in igne, non comburreris, & flamma non ardebit in te.* 301.

Afflictus transit per ignem & aquam.

Ab hac loquendi methodo non abludit Horatius, qui describens intensos labores & extrema pericula, ab avaris voluntariè tolerari solita, canit;

Impiger extremos currit mercator ad Indos,
Per mare pauperiem fugiens, per saxa, per ignes.

PSAL. LXV. ℣. 14.

SIcuti violentus æstivi solis calor cicadam cogit ad elevandas suas sonoras voces; ita calamitatum ardor impellit Christianos ad linguam suam in devotas ac supplices preces solvendam. Unde Propheta Psal. 65. v. 14. *Et locutum est os meum in tribulatione mea.* Psal. 85. v. 7. *In die tribulationis meæ clamavi ad te.* Psal. 119. v. 1. *Ad Dominum, cum tribularer, clamavi. &c.* 302.

Calamitas facit orare.

Ovidius lib. 9. Metam.

Cogar opemque tuam timidis exposcere votis.

Et lib. 14.

— — *Dum pejora timentur,*
Est locus in voto.

Lucanus lib. 5. Pharsal.

— — *nova vota timori*
Sunt inventa novo.

PSAL. LXV. ℣. 18.

DEus, tanquam infinita puritas, vult etiam homines, sibi supplices, esse puros & innocentes. Et sicuti istorum precibus propitius 303.

Vitiosi non exaudiuntur. annuit, ita supplicibus sceleratis videtur surdas & obduratas exhibere aures. Unde Psaltes; *Iniquitatem si aspexi in corde meo, non exaudiet Dominus* Psal. 65. v. 18. Hieremias in Thren. 3. v. 42. *Nos peccavimus, idcircò inexorabilis es.* Et Cæcus illuminatus Joan. 9. v. 31. *Scimus, quia peccatores Deus non audit.*

Cùm Biantes navigaret, excitata horribili tempestate, aliqui scelerati, qui in eadem navi erant, & vitæ jacturam timebant, inceperunt Deum orare, ejusque auxilium implorare; at bonus Philosophus, adeos conversus, imperavit ipsis silentium; *silete*, inquit, *ne vos hic illi navigare sentiant.* Deus enim sceleratorum voces non solùm non exaudit, sed econtrà obtinendæ pietatis & auxilii loco, eum cogent ad fulminanda supplicia.

PSAL. LXVII. ℣. 6.

304. Deus est pater amabilis. DEus adeò amabilem curam erga miseros derelictos in se recipit, ut David ei attribuat titulum *Patris orphanorum, & Judicis viduarum.* Psal. 67. v. 6. & Psal. 9. v. 14. *Tibi derelictus est pauper: orphano tu ejus adjutor.*

Aristoteles lib. 5 Polit. cap. 10. dixit; *Reges custodia defensionisq; causa constitutos, ut & locupletes prohibeant injuria, & inopem multitudinem — tueantur.* Rex Thodoricus apud Cassiodorum lib. 3. Ep. 40. *Inter gloriosas Principis curas, quas perpeti cogitatione, Deo adjuvante revolvimus, cordi nostro est levamen humilium.* Unde leges civiles & canonicæ ab oneribus eximunt pupillos, viduas, & sacras virgines; de quibus Valentinianus & Valens *lib. 4. de Censibus. Cod. Theodosiu.*

PSAL. LXVII. ℣. 21.

305. Deus beneficus. DEus, summè bonus, nulla re magis gaudet, quàm suas creaturas beneficiis & auxiliis prosequi. De quo David Psal. 67. v. 21. *Deus noster, Deus salvos faciendi.* ubi Textus Hebraicus; *Deus nobis, Deus ad salutes.* Et ipsemet Deus Hieremiæ ore; c. 29. v. 11. *Ego cogito cogitationes pacis, & non afflictionis.*

De hac Dei bonitate & beneficentia pluribus locis agit Seneca; Epist 95. *Quæ causa est Deo benefaciendi? natura: errat, si quis putat, illum nocere velle; non potest.* lib. 2. de Ira c. 27. *Quædam sunt, quæ nocere non possunt, nullamque vim, nisi beneficam & salutarem habent, ut Deus immortalis, qui nec vult obesse, nec potest &c.* Et lib. 4. de Benefic. c. 26. *Æquali tenore bona sua per gentes, populosq; distribuit, unam fortitus potentiam, prodesse.*

PSAL. LXVII. ℣. 30.

306. Munera oblata in templo. SIcuti divina majestas singulari complacentia ac peculiari modo vult in sacro templo nostro, veluti in propria aula, residere; ita ibidem à suis devotis recipit tributum insignium munerum. Unde Psaltes 67. v. 30. *A templo tuo in Jerusalem tibi offerent Reges munera.* Constat enim, conopæum Holofernis, & gladium Goliathi, fuisse oblatum in templo, non ad ministerium illius sacri loci, sed tanquam trophæum pietatis, à fidelibus suspensum.

Ptolomæus Philadelphus multa dona obtulit templo, ut scribit Josephus lib. 12. c. 2. inter quæ fuit vitis, undique distincta gemmis. Herodotus refert lib. 7. quòd Darius donaverit templo platanum & vitem, ex puro auro confectam. Templa S. Petri Romæ, S. Joannis Laterani, sacræ domûs Lauretanæ, & innumera alia, videmus superbis muneribus instructa.

PSAL. LXVIII. ℣. 3.

UT David non tantùm amaritudines sui cordis, & strepitus tumultuantium suorum hostium; sed etiam collisiones agitatorum viscerum, & formidabiles terrores mortis significaret; usus est metaphora maris, in quo ipsemet abundis & tempestatibus agitatus, naufragium passus esset. *Veni in altitudinem maris, & tempestas demersit me.* Psal. 68. v. 3. 307. Afflictus est similis naufraganti.

Hoc argumento etiam usus est Euripides in Hippolyto.

Malorum verò miser pelagus intueor
Tantùm, ut non aliquando enatare possim.

Et Jacobus Billius;

Vita maris est similis, namque ut mare vita procellas
Hac habet, & ventos, naufragiumq; frequens.

PSAL. LXVIII. ℣. 4.

INundantibus supra pauperem Davidem gravissimis periculis instar tempestatum & procellarum; recurrit optimus Rex ad Deum, eumque clamoribus adeò intensis invocavit, ut raucedinem contraxerit. *Laboravi clamans, raucæ factæ sunt fauces meæ* Psal. 68. v. 4. 308. Raucedo.

Titus, expugnatis Hierosolymis, videns à militibus Romanis circa sacrum templum excitari incendium; ut ruinas illas impediret, vocibus adeò elevatis eos inclamavit, ut raucedinem contraxerit. Ita refert Josephus lib. 7. de Bello Jud. c. 10.

PSAL. LXVIII. ℣. 12.

INter gravissimas calamitates, quas toto vitæ suæ decursu perpessus est David, fuit omnium maxima, quando vidit se linguis maledicis infestatum, factumque vulgi ludibrium, ita ut digito monstraretur, & fabula infimæ plebis fieret. Unde de se ipso scribit Psal. 68 v. 12. *Factus sum illis in parabolam.* Hoc opprobrium minatus est Deus suo populo, quando non sine grandi suo infortunio prævaricatus est. *Eris perditus in proverbium ac fabulam omnibus populis.* Deut. 28. v. 37. Idipsum repetitur. 2. Paral 7. v. 19. &c. Hoc modo affligebatur etiam Jobus c. 30. v. 9. *In eorum canticum versus sum, & factus sum eis in proverbium.* Hæc calamitas fuit denuntiata Israëlitis apud Hieremiam cap. 24. v. 9. &c. 309. Illusio vulgi.

Huic ignominiæ subjacuit Poëta Lyricus, qui Epod. Od. 11. querebatur

Heu me per urbem, nam pudet tanti mali,
Fabula quanta fui!

Cum hoc convenit Petrarcha part. 1. Sonnet. 1.

Mà ben veggi hor si come al popol tutto
Favola fui gran tempo: onde sovente
Di me medesmo meco mi vergogno.

PSAL. LXVIII. ℣. 13.

UT opprobria, innocenti Davidi illata, evenirent in majorem ipsius calamitatem & mortificationem; non acquiescebant maligni 310.

ejus

Satyræ & cantica injuriosa. ejus æmuli, dum vocibus impudenter elatis ei illudebant; sed insuper satyricis versiculis, & insultantibus cantiunculis optimum Regem onerabant. *Adversum me loquebantur, qui sedebant in porta, & in me psallebant, qui bibebant vinum.* Psal. 68. v. 13 ubi Hebræus legit; *Factus cantiones.* Et Vatablus; *De me fabulabantur, qui desident in porta, & carmina canunt, qui sicera bibunt.*

Ad hanc illudendi formam videtur allusisse Virgilius 2. Æneid. v. 124. ubi in persona Sinonis ait;

—— —— Et mihi jam multi crudele canebant.

Hæc actio est adeò probrosa, ut ab Antiquis fuerit vitæ supplicio prohibita. Unde est illa duodecim Tabularum Lex; *si quis carmen occentâsset, quod alteri flagitium faxit: capitale est.*

PSAL. LXVIII. ℣. 21.

311. Expectare malum. TAmetsi verbum *expectare* ordinariè soleat adhiberi in bonam partem, serviatque ad commoda & beneficia; nihilominus interdum ponitur, quando agitur de infelicitatibus & ærumnis. In hunc sensum David Psal. 68. v. 21 *Improperium expectavit cor meum & miseriam.* Et S. Lucas 21. v. 26. *Arescentibus hominibus præ timore & expectatione. &c.*

Certum est, quòd à turbido capite C. Gracchi nihil potuerit expectari utile, aut Reipublicæ proficuum. Nihilominus Cicero ad Atticum dixit; *De C. Gracchi tribunatu quid expectem* (id est, quid metuam) *non libet augurari.* Hoc loquendi modo quidam Poëta cecinit;

Che l'aspettar del male è mal maggiore.

PSAL. LXVIII. ℣. 22.

312. Fel & acetum, datum Christo. DAvid, magnus Avus Servatoris nostri JEsu Christi, in hujus persona conqueritur ob adversitates, sibi à Judæis illatas. *Et dederunt mihi*, inquit, *in escam meam fel, & in siti mea potaverunt me aceto.* Psal. 68 v. 22. Hanc afflictionem prædixit Hieremias Thren. 3. v. 15. & 19. Et Habacuc 2. v. 15.

Hujus rei præsagium etiam habuère Sybillæ, inter quas una lib. 1. Sybill. Oracul. cecinit;

In escam autem fel, & in potum acetum purum

Impiè dabunt, malo perculsi æstro.

PSAL. LXVIII. ℣. 32.

313. Vituli chara Deo victima. TAmetsi in veteri Lege fuerint Deo oblati pingues boves & tauri in victimas & holocausta; David tamen observavit, magis placere Deo tenellos vitulos Psal. 68. v. 32 *Placebit Deo super vitulum novellum, cornua producentem & ungulas.* Ita Micheas 6 v. 6 agens de victimis privilegiatis & electis, ait; *Nunquid offeram ei holocaustomata, & vitulos anniculos?*

Consuevit Gentilitas fabulosis suis Numinibus in victimas, offerre vitulos; eoque alludit Mantuanus Homerus Eclog. 3 v. 77.

Cùm faciam vitulâ pro frugibus, ipse venito.

In hunc locum Ludovicus la Cerda observat, vitulum fuisse victimam, oblatam à divitibus; pauperes verò obtulisse oviculas: juxta illud Tibulli l. 2.

Vos quoque felicis quondam, nunc pauperis horti

Custodes fertis munera vestra lares.

Tunc vitula innumeros lustrabat cæsa juvencos,

Nunc agna exigui est hostia parva soli.

PSAL. LXXI. v. 2.

PRincipe Salomone jam ad Regnum & coronam destinato; David, magnus ipsius parens, rogavit ei à Deo sapientiam & æquitatem, tanquam primarias regnantium proprietates, ut dignè posset suum munus sustinere *Deus judicium tuum Regi da, & justitiam tuam filio Regis, judicare populum tuum in justitia, & pauperes tuos in judicio.* Psal. 71 v. 2. Et ipsemet Salomon Sap. 1. v. 1. *Diligite justitiam, qui judicatis terram.* 314. Justitia propria regnantium.

Tullius lib. 2 de offic. *Mihi non apud Medos solùm, ut ait Herodotus, sed apud majores nostros justitiæ fruendæ causâ videntur olim benè morati Reges constituti.*

PSAL. LXXI. ℣. 4.

DAvid ad duo capita reducit regiam virtutem filii sui Salomonis: videlicet benignum auxilium, pauperibus oppressis exhibendum; & potentiam reprimendi temeritatem superborum ac violentorum. *Judicabit pauperes populi, & salvos faciet filios pauperum, & humiliabit calumniatorem.* Psal. 71. v. 4. & v. 12. subjungit; *Liberabit pauperem à potente, & pauperem cui non erat adjutor.* 315. Princeps benignus erga pauperes.

Quòd his duobus polis nitatur majestas Regia, testatur Aristoteles lib. 5 Polit c. 10. *Reges custodiæ defensionisque causâ constituti, ut & locupletes prohibeant injuriâ & inopem multitudinem contra locupletum injurias tueantur.* Theodoricus Rex Italiæ apud Cassiodorum lib. 1. Epist. 8. *Cordi nobis est, cunctos in commune protegere, sed eos maximè, quos sibi novimus defuisse. Sic enim æquitatis libra servabitur si auxilium largiamur imparibus & metum nostri pro parvulis, insolentibus opponamus.*

PSAL. LXXI. ℣. 5.

MEritis ac virtutibus Salomonis prædicit David æternas & immortales acclamationes; eumque securum facit, quòd sub radiis solis, & in conspectu lunæ futurus sit conspicuus plurimis sæculis. *Et permanebit cum sole & ante lunam* (id est, *coram illa, & in conspectu, seu ante conspectum ejus*, ut interpretatur Lorinus) *in generatione & generationem.* Psal. 71. v. 5. 316. Gloria permanens.

Similes acclamationes & auguria fecit Martialis imperialibus familiis suorum temporum; lib. 9. Epigr.

Manebit altùm Flaviæ decus gentis

Cum sole, & astris, cumque luce Romana.

Id est, ut interpretatur Pharnabius, *quamdiu fulgebunt sol, astra &c.* Similiter Ovidius 1. Amor. Eleg. 15.

Cum sole & luna semper Aratus erit.

PSAL. LXXI. ℣. 8.

MEro impulsu ac inspiratione Dei prævidit David futuram sui filii Salomonis majestatem, scripsitque clarissimum hoc vaticinium propria manu. *Dominabitur à mari usque ad mare, &c.* Psal. 71. v. 8. 317. Prophetia Davidis.

De Gregorio VII Pontifice Maximo, refert Cardinalis Baronius Tom. II. Anno 1073. quòd

adhuc infans, nullamque alphabeti cognitionem habens; lignorum ramentis, quæ ipsius pater, pauperculus faber lignarius, runcinâ formaverat, composuerit hæc verba; *Dominabitur à mari usque ad mare.* Expresso miraculo prædicens sibimet supremam authoritatem, postmodùm obtinendam.

PSAL. LXXI. ℣. 8.

318. David, filio Salomoni regiam magnificentiam & potestatem prædicens, non alios terminos assignavit ipsius dominio, quàm vastitatem maris, & remotissimos terræ angulos. *Dominabitur à mari usque ad mare, & à flumine usque ad terminos orbis terrarum.* Psal. 71. v. 8.

Regnum Salomonis

Simili modo loquitur Virgilius de Magno Imperatore Augusto, lib. 6. Æneid. v. 793.

— — *Latio regnata per arva*
Saturno quondam: super & Garamantas & Indos
Proferet imperium: jacet extra sidera tellus
Extra anni, solisque vias, ubi Cælifer Atlas
Axem humero torquet stellis ardentibus aptum.

Eschines contra Ctesiphontem dixit; *Alexander ultra septentrionem, & orbem penè terrarum habitabilem excesserat.*

PSAL. LXXI. ℣. 9.

319. Tantam venerationem recepit imperans Salomon; ut etiam exteri populi sese facie in terram abjectâ humiliter inclinârint: imò ipsum quoque pavimentum, in quo Salomon ambulaverat, exosculati sint, non absque pulveris & terræ commaculatione. *Coram illo procident Æthiopes & inimici ejus terram lingent.* Psal. 71. v. 9. Cum hoc textu convenit illud Isaiæ c. 49. v. 23. *Erunt Reges nutritii tui, & reginæ nutrices tuæ: vultu in terram demisso adorabunt te, & pulverem pedum tuorum lingent.*

Venerari facie in terram depressâ.

Valerius Maximus lib. 8. c. 1. de L. Pisone refert: quòd reus alicujus culpæ coram Judicibus consistens: *Cùm prostratus humi pedes Judicum oscularetur: os suum cæno replevit.* De Antonino scribit Ammianus l. 18. quod ad Saporem, Regem Persarum confugiens; *curvatis membris, humum vultu penè contingens, salutavit.* Apud Parthos erat moris, Regi exosculari soleas calceorum. Hunc ritum insinuat Martialis lib. 10. Epig. 72.

Ad Parthos procul ite pileatos;
Et turpes, humilesque, supplicesque
Pictorum sola basiate Regum.

Ubi vox *sola*, significat *soleas*, ut advertunt Interpretes.

PSAL. LXXI. ℣. 9. &c.

320. Magnificentia, sapientia, aliæque virtutes Salomonis famâ adeò sonorâ & clara omnes totius mundi angulos penetrârunt: ut ex remotissimis provinciis ac regnis advenerint Principes & Monarchæ, eum veneraturi, ac remuneraturi. Id quod prævidit ac prædixit magnus ipsius Parens Ps 71. v. 9. *Coram illo procident Æthiopes — Reges Tharsis, & Insulæ munera offerent: Reges Arabum & Saba dona adducent. Et adorabunt eum omnes Reges terræ. &c.*

Honorari ab exteris.

Philippus Maria Vicecomes, Tertius Dux Mediolanensis, postquàm militari sua fortitudine subjugâsset multas provincias & civitates Italiæ; aliisque demonstrationibus magnanimæ clementiæ in multis occasionibus ostendisset animum plus quàm regium: nomen suum inclarescere ac omni reverentia prosequi fecit non solùm apud primos Principes Christianos, sed apud ipsos etiam infideles. Ladislaus Rex Poloniæ, inita cum ipso arctissima amicitia: *Legatis, muneribusque præmissis, benevolentiam erga illum multis documentis testatus est.* Idem fecêre *Reges Lithuaniæ, & Daciæ: idem & Prussiæ fecêre.* Joannes, Imperator Constantinopolitanus, fama Philippi abreptus: *plusculis diebus ad eum visendum Mediolani substitit.* Reges Asiæ & Africæ *Mediolanum legatos cum muneribus misêre, amicitiam ultrò efflagitantes.* Denique ipse Imperator Sigismundus *cum paucis ad eum venit, stetitque Mediolani.* Ita Petrus Candidus Decembrius cap. 32. in ipsius vita, ubi concludit: *Nullus toto orbe Princeps fuit, cui non acceptissima esset memoria sui nominis, rerumque ab illo gestarum gloriam in honore non haberet.*

PSAL. LXXI. v. 12.

Regius Propheta prædicit gloriosos honores, Salomoni cōferendos. *Et adorabunt eum omnes Reges terræ, omnes gētes servient ei.* Mox tamen subjūgit, hæc obsequia ab ipso receptum iri tanquàm mercedem debitā ipsius commiserationi ac protectioni erga miseros oppressos. *Quia liberabit pauperem à potente: & pauperem cui non erat adjutor. Parcet pauperi & inopi, & animas pauperum salvas faciet &c.* Psal 71. v. 12. &c. Ad hoc propositum insigniter facit illud Psalmi 34. v. 10. *Domine quis similis tibi? eripiens inopem de manu fortiorum ejus: egenum & pauperem à diripientibus eum.* Adeoque protectio pauperum oppressorum reddit Principes gloriosissimos, & similes Deo. 321.

Protectio pauperum facit similes Deo.

Apprimè Plinius: *Deus est mortali juvare mortalem, & hæc ad æternam gloriam via.* Seneca lib. 1. de Clement. cap. 5. *Servare proprium est excellentis fortunæ, quæ nunquam magis suscipi debet, quàm cùm illi contingit idem posse, quod Diis, quorum beneficio in lucem edimur, tam boni, quàm mali.* Et Theodoricus Rex apud Cassiodorum lib. 3. Epist. 20. *Inter gloriosas Principis curas, quas perpeti cogitatione, Deo adjuvante, revolvimus: cordi nostro est levamen humilium contra potentiam superborum.*

PSAL. LXXII. ℣. 2.

Nullo modo capere poterat David, quòd reprobi in hoc mundo gaudeant omni prosperitate: Unde protestabatur, se habere cor agitatum cogitationibus, & vacillantes ab affectibus suis pedes. *Mei autem penè moti sunt pedes &c. quia zelavi super iniquos, pacem peccatorum videns.* Psal. 72. v. 2. totumque Psalmum prosequitur recensendo eorum prosperitatem & satisfactionem. 322.

Vitiosi felices.

Similem dolorem ostendit Claudianus lib. 1. in Ruffin.

Sæpè mihi dubiam traxit sententia mentem,
Curarent Superi terras: an nullus inesset
Rector, & incerto fluerent mortalia casu.

Nam

Nam cum dispositi quæsissem fœdera mundi,
Præscriptosque mari fines, annique meatus,
Et lucis, noctisque vices: tunc omnia rebar
Consilio firmata Dei &c.
Sed cùm res hominum tantâ caligine volvi
Aspicerem: lætosque diu florere nocentes,
Vexarique pios: rursùs labefacta cadebat
Religio, &c.

Et Plautus in Rudente;

Tum hoc mihi indecorè, iniquè, immodestè
Datis Dî: nam quid habebunt sibi jugiter impii
Posthac, si ad hunc modum est innoxiis honor
Apud vos?

PSAL. LXXII. ℣. 7.

323. SCelerati, quò plura à Deo accipiunt beneficia, tantò plura & graviora committunt peccata. Adeoque benè de iis dixit David Psal. 72. v. 7. *Prodiit quasi ex adipe iniquitas eorum.* Id quod deploravit Moses Deut. 32. v. 15. *Incrassatus est dilectus, & recalcitravit: incrassatus, impinguatus, dilatatus, dereliquit Deum factorem suum.* Et 2. Esd. 9 v. 25. *Comederunt, & saturati sunt & impinguati sunt, & abundaverunt deliciis in bonitate tua magna: provocaverunt autem te ad iracundiam.*

Abundantia facit Sceleratos.

Illud ipsum significare voluit vetus adagium;

Pinguis venter tenuem non gignit mentem.

Et Horatius l. 2. Serm. Sat. 2.

— — Nam corpus onustum
Hesternis vitiis, animum quoque prægravat ipsum,
Atque affigit humo Divinæ particulam auræ.

PSAL. LXXII. ℣. 9.

324. DAvid, detestans temeritatem sacrilegorum, ait; eam nec à Deo, nec ab hominibus condonari. *Posuerunt in cœlum os suum, & lingua eorum transivit in terra.* Ubi Euthymius ait; *Per cœlum quidem Deum intelligit, qui in cœlis habitat; per terram verò homines in ea commorantes.* Similiter Hieremias c. 51. v. 48. ait; *Laudabunt super Babylonem cœli & terra;* Id est, interpete Maldonato, *Exultabunt cœli & terra, id est, & Deus & homines lætabuntur Babylonis expugnatione.*

Cœlum est symbolum Dei

Etiam Græci falsum Deum Saturnum vocant nomine d'uranou, id est, *cœlum.* Herodotus in Clio scribit; *Moris eis est, editissimas montium summitates ascendere, & Jovi hostias ibi immolare, omnem cœli gyrum Jovem appellantes.* Adeoque nomen cœli attribuerunt Diis, & nomen Jovis, quod credebant nomen Dei, attribuerunt cœlo.

PSAL. LXXII. ℣. 11.

325. HAud facilè quis dijudicaverit, fueritne major hominum illorum cæcitas vel impietas, qui negare audent, aut in dubium vocare scientiam & providentiam Dei; & tamen non attentis his gravissimis exprobrationibus, temerario contemptu, *Dixerunt, quomodò scit Deus, & si est scientia in excelso?* Psal. 72. v. 11.

Scientia negata Deo.

In hunc errorem impegerunt quidam Philosophi, inter quos ipse etiam Aristoteles 12. Metaph. text. 51. ait; scientiam rerum particularium non debere attribui Deo, quia in his reculis vilesceret, & subjaceret mutationibus, proveniretque à principio extrinseco. Videatur Suarez Metaphys. Disput. 32. sect. 15. num. 40.

PSAL. LXXII. v. 40.

ARcanâ Dei providentiâ solet delicto peccatoris conjungi pœna; ita ut ibi usque in infernum deprimatur, quando temerariè præsumit adversùs cœlum erigi. Id quod dixit Psaltes 72 v. 18 *Dejecisti eos dum allevarentur.* In hoc argumentum mirificè S. Petrus Damianus lib. 2. Epist. in 17. *Per hoc marcescunt, per quod intumescunt: inde corruunt, unde sublimes fiunt: non postquam ad extrema deveniunt, tunc nihil fiunt, sed tunc procul dubio fiunt nihil, cùm videntur aliquid.* Unde de quovis impio dicit David Psal. 82 v. 14. *Deus meus pone illos ut rotam.* Quia homo sceleratus teste S. Augustino, instar rotæ; *ex his quæ retrò sunt, extollitur, & ex his quæ antè sunt, dejicitur.* 326.

Sceleratus dejicitur.

De hac hominum sorte Claudianus lib. 1. cont Ruffin.

— — Tolluntur in altum
Ut lapsu graviore ruant.

PSAL. LXXII. ℣. 18.

PRætermitti non debet circumstantia temporis, electa à Justitia Divina ad pœnam sceleratis infligendam. Ibi enim id solet Deus, quando apicem suæ prosperitatis attigerunt; ut casus tantò fit amarior, & magis calamitosus; quantò antea dulcedo erat suavior, & celsitudo sublimior. Id quod Psaltes his verbis innuit; *Dejecisti eos, dum allevarentur.* 327.

Vitiosi dejecti.

Cæsar de Bello Gallico lib. 1. hanc observationem scripto reliquit; *Consuesse Deos immortales quò gravius homines ex commutatione rerum doleant, quos pro scelere ulcisci velint, his secundiores res, & diuturniorem impunitatem concedere.*

PSAL. LXXIII. ℣. 4.

PRophetico spiritu David prævidens bellicos assultus, quibus Gentiles essent Hierosolymis destructuri sacrum templum; ita loquitur; *Posuerunt signa, sua signa,* id est, portârunt & fixerunt victoriosa sua vexilla; *& non cognoverunt,* neque observârunt, id permitti sola voluntate Dei; *sicut in exitu,* prout eventus ipsos optimè edocuit, *super summum;* id est, supra templum; ubi, veluti non essent milites, sed fabri lignarii, securibus & ligonibus crudissimo modo diruerunt magnificas portas & fenestras. *Quasi in sylva lignorum securibus exciderunt januas ejus, &c.* Psal. 73. v. 4. 328.

Milites instar fabrorum lignariorum.

Eâdem similitudine usus est Valerius Flaccus, ut describeret ictus, à nervoso Alcide factos; comparans eum fabris lignariis, qui vibratis securibus succidunt arbores intra sylvam.

Ac veluti magna juvenum cùm densa securi
Sylva labat, cuneisque gemit grave robur adactis
Iamque abies, piceæque ruunt; sic dura sub ictu
Ossa virum, maleque sonant.

PSAL.

PSAL. LXXIII. ℣. 12.

329. UT Regius Propheta Divinam majestatem dignè celebraret, duos titulos conjungit; imprimis attribuit Deo nomen Regis, cujus majestas per totum universum exercet dominatricem potestatem. Postea nomen Salvatoris; cùm non sit actio dignior Rege, aut magis propria Deo, quàm salvare ac felices reddere. *Deus autem Rex noster ante sæcula operatus est salutem in medio terræ* Ps. 73. v. 12.

Princeps fit beneficus.

Princeps ergò ex beneficentia erga subditos recipit gloriosam famam. Demosthenes ad Alexandrum Magnum dixit: *Nihil in fortuna tua majus habes, quàm ut possis; nihil melius, quam ut velis benefacere.* Q. Curtius lib. 8. *Imperii majestatem salutis esse tutelam.* Seneca lib. 1. de Clement. c. 3. *Virtutes magnis viris decori, gloriæque sunt, si illis salutaris potentia est.* Plinius l. 2. c. 7. *Deus est mortali juvare mortalem, & hæc ad æternam gloriam via.* Verùm de hoc argumento vide Psalm. 67. v. 6. & Psal. 71. v. 12.

PSAL. LXXIII. ℣. 14.

330. ALimentum humanum non solùm desumitur ex herbis terræ & fructibus arborum; sed etiam ex carnibus animalium terrestrium & piscibus, imò ex ipsis etiam draconibus & serpentibus. Ita testatur David Psal. 73. v. 14. Deum alloquens; *Tu confregisti capita draconis: dedisti eum escam populis Æthiopum.*

Serpentes manducati.

Hieronymus Cardanus l. 9 de subtilit recensens aliquot peregrinas serpentum species, unam ait esse innocentem, aliam delectabilem oculis ac gustui, qualis est serpens phaleratus, ita dictus à similitudine, quam cum equo phalerato seu ad prælium instructo habet. Cùm enim admodum sit sapidus, avidè manducatur in occidentalis Indiæ Insula Hivana, natali solo illius serpentis.

PSAL. LXXIV. ℣. 8.

331. INnumeræ Scripturæ consonant, Deum simul esse gravem & benignum, quia deprimit superbos, & depressos benevolè erigit. *Hunc humiliat, & hunc exaltat.* Psal. 74. v. 8. Hujus doctrinæ authoritatem firmat 1 Reg. 2. v. 5. &c. Tob. 13. v. 2. Sap 16. v. 13. Ecclesiast 10. v. 18. Luc. 1. v. 52. &c.

Deus exaltat humiles, deprimit superbos.

Hesiodus in Ergis, loquens de Jove:

Nam facilè extollit, facile elatum repellit,
Et clarum obscurans, obscuri nomen adauget:
Erigit, & miserum facile, extinguitque superbum
Iuppiter altifremus, cui celsum regia cœlum.

Seneca lib. 3. Nat. Quæst. in Præfat. *Deus alia exaltat, alia submittit.* Alexander Severus simili modo dixit; quòd bonus Princeps debeat humiliare ac deprimere vitiosos; protegere & elevare benè meritos. De hoc Lampridius; *Præsides Provinciarum, quos verè, non factionibus laudari comperit, & in itineribus secum semper in vehiculo habuit, & muneribus adjuvit, dicens, & fures à Republica pellendos, ac pauperandos, & integros esse redimendos atque ditandos.*

PSAL. LXXV. ℣. 6.

AVaris sub vitæ finem accidit, quod somniantibus repertum thesaurum. Sicuti enim iste finito somno, ita ille finitâ vitâ reperit manus vacuas. Psal. 75. v. 6. *Dormierunt somnum suum, & nihil invenerunt omnes viri divitiarum in manibus suis.* 332.

Avarus à morte.

Petronius Arbiter in Satyrico canit;

Nocte soporiferâ, veluti cùm somnia ludunt
Errantes oculos, effossaque protulit aurum
In lucem tellus, versat manus improba furtum,
Thesaurosque rapit, sudor quoque perluit ora,
Et mentem timor altus habet, ne fortè gravatum
Excutiat gremium secreti conscius auri
Mox ubi fugerunt elusam gaudia mentem,
Veraque forma redit, animus quod perdidit optat,
Atque in præterita se totus imagine versat.

PSAL. LXXV. ℣. 6.

S Ambrosius *lib. de Naboth. cap.* 14. observat, quòd Propheta agens de hominibus avaris, & pecuniæ corradendæ addictis, præcisè dicat Psal. 75. v. 6. *Nihil invenerunt omnes viri divitiarum in manibus suis.* Ut significaret, ipsos servire pecuniis, non pecunias ipsis. *Benè viros divitiarum appellavit David, non divitias virorum, ut ostendat, eos non possessores divitiarum esse, sed à suis divitiis possideri.* 333.

Avari possidentur à pecunia.

Seneca Epist. 119 de Avaris ait; *sic divitias habent, quomodò habere dicimur febrim, cùm illa nos habeat. E contrario dicere debemus: febris illum tenet: eodem modo dicendum est; divitiæ illum tenent, imò & torquent.* Baptista Guarini in Pastor fido. Atto 2. scen. 5.

Questi beni mortali,
Altro non son che mali:
Men hà chi più n'abonda,
E posseduto è più, che non possede.

PSAL. LXXVI. ℣. 7.

SAnctus Rex David tempus nocturnum non transegit quieto ac suavi somno; non tripudiis & conviviis; non obscœnitatibus & impudicitiis; sed ad examen vocans pristinæ diei operationes, emundabat propriam conscientiam, & ejectis sordibus, curabat eam conservare puram & innocuam. *Meditatus sum nocte cum corde meo, & exercitabar & scopebam spiritum meum.* Psal 76. v. 7. Idipsum dixit Psal. 4. v. 5. *Quæ dicitis in cordibus vestris, in cubilibus vestris compungimini.* 334.

Examen conscientiæ.

Pithagoras inter alia præcepta etiam istud recensuit:

Neque somnum teneris in oculis accipe,
Priusquàm diurnorum factorum ter unumquodque recogitaveris &c.

Huic doctrinæ inhærens Ausonius in Idyll. 8. canit:

Vir bonus & sapiens, qualem vix repperit unum
Millibus ex multis hominum consultus Apollo
Iudex ipse sui totum se explorat ad unguem &c.
Non prius in dulcem declinat lumina somnum,
Omnia quàm longi reputaverit acta diei
Quæ prætergressus? quid gestum in tempore? quid non?
Cur isti facto decus abfuit, aut ratio illi? &c.

Ita Galenus lib. de Cognoscend. & curand. animi morbis ait: *Singulis diebus ea, quæ superius dicta sunt, tibi ipsi revoca in memoriam. Atque hoc quidem præstabit te sæpius facere. Quod si non possit tam sæpe, at saltem matutinis horis semper antequam quidquam eorum, quæ acturus es, aggrediaris, ac vespertinis antequam cubitum eas.* De hoc argumento vide Psal. 4. v. 5.

PSAL. LXXVII. ℣. 9.

335. ETiam tempore Davidis erant in exercitibus homines jactabundi, qui se verbotenus profitebantur totidem Martes, & re ipsâ vilissimos agebant Martanos. Qui enim ante prælium rugiebant instar leonum, in ipso prælio fugiunt tanquam cuniculi. *Filii Ephram intendentes & mittentes arcum, conversi sunt in die belli.* Ps. 77. v. 9.

Jactabundi.

De his dixit T. Livius lib. 7. *In castris feroces, in acie pavidi.* Aristot. l. 3. Ethic. ad Nicomach. scribit; *Temerarios quidem promptos & volentes esse ante pericula, sed in ipsis deficere: at fortes, in rebus & factis acres, antè quietissimos.* Aristophanes in Plut.

Eos, qui domi leones, in pugna vulpeculas existere.

Dares, descriptus à Virgilio lib. 5. Æneid. priusquam congrediebatur cum hoste;

— — — caput altum in prælia tollit,
Ostenditque humeros latos, alternaque jactat
Brachia protendens, & verberat ictibus auras.

Videns autem Entellum, suum Antagonistam, comparere cum cespite in manibus;

Ante omnes stupet ipse Dares, longeque recusat.

Tandem victus, & aliorum commiseratione subtractus morti;

— Illum æquales genua ægra trahentem,
Iactantemque &c.
Ducunt ad naves.

PSAL. LXXVII. ℣. 15. &c.

336. INter præcipua miracula, quæ Moses Divino jussu operabatur, cumprimis recensetur illud, dum rigidam rupem convertit in pretiosa ubera, è quibus fluxêre undæ purissimæ, veluti exquisitum lac, ad sitibundos Israelitas refrigerandos. *Interrupit petram in eremo, & adaquavit eos velut in abysso multa. Et eduxit aquam de petra. &c.* Psal. 77. v. 15. &c. Hic eventus refertur imprimis Exodi c. 17. v. 6. postea Sap. 11. v. 4. Isaiæ c. 48. v. 22. & 1. Cor. 10. v. 4.

Aqua ex rupe.

Gentiles ad imitandam hanc veritatem composuêre fabulam de Athalanta, quæ è venatione fatigata ac sitibunda, saxum percussit hastâ, & inde aquas mirificè frigidus extraxit. Ita Pausanias in Laconicis. Ovidius 6. Metamor. de Neptuno canit;

Stare Deum pelagi, longoque ferire tridente
Aspera saxa facit, medioque è vulnere saxi
Exiluisse fretum.

PSAL. LXXVII. ℣. 20.

UT petra converteretur in rivulos, imò in torrentes inundantium aquarum; Moses geminato ictu eam percussit; chirurgorum more, qui percutiunt infirmum, venamque aperiunt, ut sanguinem extrahant. *Percussit petram, & fluxerunt aquæ, & torrentes inundaverunt.* Psal. 77. v. 20. 337.

Aqua sanguis terræ.

Exactè in rem præsentem differit Plutarchus in vita Pauli Æmilii; *Ut in corporibus nostris sanguis, cùm percussa vena est, tamdiu manat, donec omnis effluxerit, ita in terra solutis ac patefactis venis, rivus aut flumen effunditur.*

PSAL. LXXVII. ℣. 24.

SI ex una parte necessitas Hebræorum in deserto fuit extrema; inde suprema fuit Divina providentia, quæ promptuarium cœli aperuit, & misero populo ex elaborato Angelorum manibus manna instruxit mensam. *Et pluit illis manna ad manducandum, panem cœli dedit eis* Psal. 77. v. 24. Hoc ipsum miraculum describitur Exod. c. 16. v. 4. &c. & repetitur Ps. 104. v. 40. &c. 338.

Manna.

Miraculosis mannæ pluviis Deus dignatus est providere Phrygiæ, Galatiæ, Ciliciæ, & Cappadociæ, quando sub Valentiniano & Aetio erant penuriâ oppressæ; ut refert Evagrius lib. 2. cap. 6. Imò Severus, Episcopus Minoricensis, scribit ad Evodium, quòd multis Judæis ad sanctam fidem conversis, deciderit grando minutissima, quovis melle dulcior; & sol, mirificè resplendens, repræsentârit speciem columnæ igneæ. Ita Cardinalis Baronius Tom. 5. Ann. 4. 8.

PSAL. LXXVII. ℣. 27.

COnquerentibus Hebræis, quod nullum alium cibum, præter manna à Divina bonitate reciperent; Deus raro prodigio supra ipsos depluit abundantes, ac miras carnes, ut eorum cupiditati satisfieret. *Et pluit super eos sicut pulverem carnes.* Ps. 77. v. 27. 339.

Carnium pluvia.

Quod interdum supra populum Romanum deciderit pluvia carnea; Testatur Valerius Maximus lib. 1. cap. 6. n. 5. *Carnis quoque in modum nimbi dissipata partes ceciderunt: quarum majorem numerum præpetes diripuerunt aves, neque odore tetro, neque deformi aspectu mutatum jacuit.* De hoc prodigio loquuntur T. Livius Decad. 3. l. 7. Plinius l. 2. c. 56. Et Simon Majolus Dierum Canicul. colloq. 1.

PSAL. LXXVII. v. 30.

IMpatientia Hebræorum murmura, & importunas preces impetrandi carnes, tandem Deus exaudivit; at illo ipso momento, quo devorabant coturnices, oppressi ab ira Divina, extincti sunt improvisâ & acerbâ morte. David refert Ps. 77. 340.

Felicitas desinit in miseriam.

77. v. 30. *Adhuc esca eorum erant in ore ipsorum, & ira Dei ascendit super eos. Et occidit pingues eorum. &c.* Etiam Balthasar assidens convivio, inter dulcedines vini, & harmonias musicas audivit sibi sententiam mortis, non sine ingenti horrore & gravissimâ amaritudine promulgatam Dan. 5.

Pindarus olymp. od. 2.

—Fortuna quæ paternam
Hanc habet jucundam sortem
A Deo profectis cum divitiis.
Aliquod etiam malum adducit.

Sufficiat hic Hugolinus. Iste fœderationis Guelfriæ caput contra Gibellinos, ipso suo natali die omnibus fœderatis exhibuit sumptuosum convivium; ubi felicitatem suam jactabundè enumerans, interrogavit, quid sibi deesset ad gloriæ complementum? cui unus è convivis respondit; *Sola ira Numinis, procul dinque abesse à tam secundis rebus non potest.* Prout etiam accidit; dum paulo post sub ipsius aspectu fuère interfecti filius & nepos; ipse verò cum duobus filiis & tribus nepotibus conjectus est in turrim, ubi cum aliis fame periit. Paul. Æmil. l. 8. Hist. Franc.

PSAL. LXXVII. ℣. 34.

341. Calamitas

HEbræi, mille beneficiis à Deo cumulati, semper perstitère ingrati, Deoque tergum obverterunt; at perculsi calamitatibus, sollicitè ad illum recurrerunt, eumque invocârunt, ac clementiam rogârunt. *Cùm occideret eos, quærebant eum: & revertebantur, & diluculo veniebant ad eum.* Psal 77. v. 34.

Cato in oratione coram Senatu Romano pro Rhodiis dixit: *Quod adversæ res homines domant, & docent, quid opus sit facto.* uti refert Aulus Gellius lib. 7. c. 3. M. Seneca Controvers. 1. lib. 8. hanc affert sententiam; *Magis Deos miseri, quàm beati colunt. Frangitur calamitosis animus, & ipsa se infelicitas damnat. Diligentius Dii coluntur irati.*

PSAL. LXXVII. ℣. 47.

342. Occidere arbores.

GRandines, sparsæ à Deo contra vineas & moros, fuère adeò violentæ & graves, ut ruperint arbores, eradicaverint vites, & loca illa fertilissima converterint in deserta. *Occidit in grandine vineas eorum & moros &c.* Psal. 77. v. 47.

Paradoxus videri posset modus loquendi, à propheta usitatus, quando dixit; *Occidit vineas.* Nisi etiam Alcimus, Poëta sacer, lib. 2. eo usus fuisset:

Non faciet vivum radix occisa cacumen.

Et Virgilius l. 4. Georg v 330.

— — Interfice messes.

Plinius l. 8. c. 21. de Basilisco ait: *Necat frutices non contactos modò, verùm & afflatos.* Et Arnobius lib. 3. *Cur quotidie gemmas & pubescentes herbas adurit, atque intersicit nocentissimum frigus?*

PSAL. LXXVII. ℣. 65.

343. Vinum animat.

DOminus Exercituum tanto ardore ac vivacitate prorupit ad sumendam contra iniquos Judæos justissimam vindictam, ut videri possit, surrexisse è convivio, ubi potentissimum ac generosissimum vinum biberit. *Excitatus est tanquam dormiens Dominus, tanquam potens crapulatus à vino, & percussit inimicos suos &c.* Psal. 77 v 65. seu ut S. Hieronymus traducit; *Quasi fortis post crapulam.*

Et certè calices vini benè junguntur tractandis armis, quia vinum moderatè sumptum, vivificat spiritus, corroborat vires, militibus ingerit contemptum periculorum, eosque disponit ad insignes victorias. Unde Divinus Plato de Legibus dixit: *Hominem, postquàm bibit, hilariorem fieri spe bonâ, atque viribus augeri & ad dicendum liberum, & ad agendum impigrum atque alacrem reddi.* Unde Spartani bibendo accingebantur armis, inquit Eustachius, & disponebantur ad prælia, in hunc sensum Hecuba Iliad. 6.

— Corpora magna virorum
Dulcia vina levant, animisque & viribus augent.

Et Horatius lib. 1. Epist 5. loquens de vino;

Spes jubet esse ratas, in prælia trudit inermem.

PSAL. LXXVIII. ℣. 2.

GEntiles ad infestandam Judæam barbarâ feritate delati, non solùm fecère horrendam incolarum stragem, sed ipsa etiam cadavera occisorum exposuerunt devoranda rapacibus volucribus & feris. *Posuerunt morticina servorum tuorum escas volatilibus cæli; carnes sanctorum tuorum bestiis terræ.* Psal 78. v. 2. Idipsum minatus est Goliath Juveni Davidi 1. Reg 17. v 44. Et David dixit se facturum occiso Goliatho. v. 46. Huic miseriæ subjacuerunt filii Respha 2. Reg. 21, 10. & Jezabel 4. Reg 9. v. 33. &c. 344. Cadavera exposita volucribus.

Æneas, interfecto Tarquito, lib. 10. Æneid. v. 559. concludit:

Alitibus linquere feris.

Consonat Silius lib. 2.

Deforme alitibus liquère cadaver Iberis.

Et Claudianus l. 2. Ruffin.

— Infestoque jubet bubone moveri
Agmina, Mygdonios mox impletura volucres.

Lucanus lib. 4. plangens scripsit:

— Libycas en nobile corpus
Pascit aves, nullo contectus Curio busto.

PSAL. LXXVIII. ℣. 6.

DAvid, prævidens gravem Dei iram, & supplicia delinquentibus parata, rogat, ut justos suos ictus exoneret contra infideles, liberosque & exemptos dimittat Israëlitas. *Effunde iram tuam in gentes, quæ te non noverunt. & in regna, quæ nomen tuum non invocaverunt.* Psal 78. v. 6. Id quod descripsisse videtur Hieremias c. 10. v. 25. *Effunde indignationem tuam super gentes: quæ non cognoverunt te, & super provincias, quæ nomen tuum non invocaverunt.* 345. Calamitates optat exteris.

Frequenter solent Poëtæ exteris imprecari calamitates. Horatius lib. 1. Carm. od 35. fortunam alloquitur;

— — Outinam novâ
Incude diffingas retusum in
Massagetas, Arabasque ferrum?

Virgilius 8. Æneid. considerans barbariem Mezenzii vers. 483.

Quid memorem infandas cædes? quid facta Tyranni
Effera? Dii capiti ipsius, generique reservent.

Id-

Idipsum dixit S. Gregorius Nazianzenus Carm. 50.

Vita hac contingat capitibus hostium.

PSAL. LXXX. v. 7.

346. Bonus Joseph in Ægypto ad servitutem adeò vilem ac depressam conductus fuit, ut coactus sit manibus eluere sordes, & terram circumferre. Unde David Psal. 80. v. 7. *Manus ejus in cophino servierunt.* S. Augustinus: *Per cophinum*, inquit, *significantur opera servilia, mundare stercora, terram portare.*

Servitium vile Josephi.

Ex hoc capite Juvenalis Sat. 3. exaggerat depressionem Judæorum;

— — — *Delubra locantur*
Judæis, quorum cophinus, fænumque supellex.

Usitatum huic genti fuit hoc exercitium, quando adjuverunt Pompejum in expugnando sacro templo, ubi ad replendas fossas in corbibus portârunt terram. De hoc facto Egesippus lib. 1. de Excid. cap. 16. ait; *Ad templi autem irruptionem quoniam pertinaciter resistebatur, Judæos Magnus paravit socios: simul ut suis manibus Judæi fossas replerent, impio ministerio, & turpi obsequio servierunt manus eorum in cophino, & mentes in sacrilegio.*

PSAL. LXXX. ỳ. 9.

347. Deus summo zelo invigilat, ne cultus sibi soli debitus, falsis & exteris Numinibus sacrilegè tribuatur. *Israel si audieris me, non erit in te Deus recens, neque adorabis Deum alienum.* Psal. 80 v 9. Unde primum præceptum fuit Exod. 20. v. 2. &c. *Ego sum Dominus Deus tuus &c. Non habebis Deos alienos coram me.*

Dii exteri abominabiles.

De veteri Athenarum civitate affirmat Virgilius 8. Æneid: quòd fuerit

— *Veterumque ignara Deorum.*

Romani olim summo rigore prohibuerunt; *ne peregrini Dii, sacrave admitterentur*; ut testantur Tullius 2. de leg. & 2. de Divinat. T. Livius l. 4. ab urbe condita; & l. 2. de Bello Punico, Valerius Maximus l. 1. c. 3. &c. Certum est, Romulum hanc legem in duodecim tabulis posuisse; *Deos peregrinos ne colunto. Separatim nemo habessit Deos: neve novos, sed nec advenas, nisi publicè accitos, privatim colunto Divos.* De iisdem Romanis canit Propertius lib. 4. Eleg. 1.

Nulli cura fuit externos quærere Divos,
Cùm tremerent patrio pendula turba sacro.

PSAL. LXXX. ỳ. 18.

348. Clementia, bonitas, & misericordia Dei transcendit omnem existimationem, dum hominum impiorum iniquitatibus provocata, non solùm dissimulat, suffert & condonat, sed etiam providet, pascit, & sceleratos amabili beneficentia prosequitur. *Inimici Domini mentiti sunt ei: & erit tempus eorum in sæcula*; id est, ut explicant Interpretes *perseverans usque ad finem mundi malitia*; & tamen *cibavit eos ex adipe frumenti, & de petra melle saturavit eos.* Psal. 80. v. 16.

Bonitas Dei erga sceleratos.

Aliquod vestigium similis benignitatis suo modo videri potest in Philippo Rege Macedoniæ, qui sciens, Nicandrum de se pessime & calumniosè locutum; misit ei superbissimum munus. Ita Titus imperiali suæ mensæ jussit accumbere duos Senatores, tametsi sciret, eos contra suam vitam conspirâsse.

PSAL. LXXXI. ỳ. 1.

Etsi Deus sua præsentia, potentia, & essentia ubique locorum existat, peculiari tamen modo dignatur assistere Judicibus in tribunalibus. Uti innuit Psal. 81. v. 1. *Deus stetit in Synagoga Deorum.* 349.

Deus assistit Judicibus.

Dicitur, Æthiopes in loco deputato ad judicandas & definiendas causas, semper reliquisse sedem vacuam, in qua credebant Deum residere, tanquam præfectum judiciorum, & Judicem Judicum. Compertum etiam est, librum Evangeliorum in Conciliis semper collocari in aliquo throno, ut in eo repræsentetur ipsemet Christus; ut scribit Cyrillus in Epistola Synodali. De S. Petro Alexandrino refertur, quòd nullo prorsus modo voluerit sedere in throno Episcopali, quia dicebat, in eo à se clarè videri splendorem quemdam Divinum.

PSAL. LXXXI. ỳ. 1.

Dignitas Judicum & Sacerdotum est adeò sublimis, ut titulis totidem Deorum honorentur. Propter hoc tamen efferri aut quidquam præsumere non debent, cùm vicinum habeant Deum, tanquam supremum arbitrum, qui eos exactissimè observat, ut malè operantes condemnet ac puniat. Psal. 81. v. 1. *Deus stetit in synagoga Deorum, in medio autem Deos dijudicat.* 350.

Judex est similis Deo.

Plutarchus in opusculo: *Quòd in Principe requiritur doctrina:* ait, Principem, Judicem populi, esse quandam in hac terra imaginem & Vicarium Dei. S. Gregorius l. 4. Epist. ad Mauritium Imperatorem meminit, Sacerdotes non solùm vocari Angelos, sed etiam Deos; idque probat ex hoc Psalmo, & authoritate Exod. c. 22. v. 8 & 9. Cùm in Concilio Nicæno porrigerentur Constantino aliqui libelli supplices, qui continebant defectus quorundam Episcoporum, mox eos laceravit & in conspectu omnium combussit; cum dicto *vos nobis à Deo dati estis Dii: & conveniens non est ut homo judicet Deos, sed solus ille, de quo scriptum est; Deus stetit in Synagoga Deorum: in medio autem Deos dijudicat.*

PSAL. LXXXI. ỳ. 3.

Excitata quâdam lite inter divitem & pauperem; non debet Judex uti aliqua partialitate erga divitem propter divitias; sed directè observare æquitatem & rationem, ut pro exigentia causæ feratur sententia in favorem pauperis, ejusque innocentia protegatur; id quod innuit Psalmus 81. v. 3. *Judicate egeno, & pupillo: humilem & pauperem justificate.* 351.

Judex faveat pauperi.

De Trajano Imperatore scribit Plinius in Panegyrico, & de M. Antonino Julius Capitolinus Philosophus: quòd, si regnantibus his duobus Monarchis excitata fuisset aliqua controversia inter subditos & Principem: Judices sententiam tulerint contra fiscum, *cujus*, ut ait Plinius, *mala causa nunquam est nisi sub bono Principe.* Ita Modestinus l non puto. § de Jure fisci scribit. *non putare se delinquere eum, qui in dubiis quæstionibus contra fiscum facilè judicaverit.*

PSAL. LXXXI. ℣. 4.

552. BOnus Princeps assumat patrocinium miserorum oppressorum, & simul reprimat temeritatem violentorum opprimentium; ut illi salventur, & isti puniantur. *Eripite*, inquiebat Regius Propheta Psal. 81. v. 4. *pauperem, & egenum de manu peccatoris liberate*; imitentur in hoc Davidem; qui liberavit oviculam, ne periret; & prostravit devoratricem ursum ac leonem. 1. Reg. 17. v. 34.

Princeps protegat pauperem

Utrumque exigit Plato lib. 2. de Leg. in gubernatore civitatis, desumens similitudinem à generoso cane, qui ante fores domûs excubans, erga domesticos totus est familiaris & blandus; exteris verò & prædatoribus implacabilis ac iracundus.

PSAL. LXXXII. ℣. 15.

553. IGnis, omnium elementorum maximè activus, quantumvis provideatur abundanti escâ, aviditate tamen insatiabili, & horrenda furia in eam grassatur, totamque devorat. Unde non potest videri violentius spectaculum, quàm ignis in sylva aut latere montis concitatus, qui omnia imperiosè percurrit, consumit, & in minutissimos cineres redigit. Ad hanc similitudinem recurrit David Psal 82. v. 15. ut exprimeret gravem irati Dei activitatem. *Sicut ignis, qui comburit sylvam & sicut flamma comburens montes; ita persequeris illos in tempestate tua &c.*

Ignis est typus Dei irati.

Homerus l. 2. Iliad.

Quemadmodùm ignis lignis lucens comburit
ingentem sylvam;
In montis verticibus, eminus autem apparet
fulgor.

Et Pindarus od. 3. Pyth. *Ignis in monte, ex uno semine prosiliens, magnam vastavit sylvam.*

PSAL. LXXXIII. v. 3.

554. DUm cor & anima sancti Davidis gaudebant & gloriabantur servitute Dei; etiam ipsius caro & corpus erant hujus gaudii ac jubili participes; tanta enim inter illa erat sympathia, ut unum lætaretur alterius lætitia, & tristaretur alterius tristitia. Unde quando David Psal. 83. v. 3. dixit; *Cor meum & caro mea exultaverunt in Deum vivum.* Salomon Prov 17. v. 22. adjunxit: *Animus gaudens ætatem floridam facit — spiritus tristis exsiccat ossa.* Et rursus cap. 15 v. 13. *Cor gaudens exhilarat faciem: in mærore animi dejicitur spiritus.*

Corpus & anima correspondent.

Hanc doctrinam exactè tradidit Aristoteles de Physiogn. cap. 4. *Videntur mihi anima & corpus compati ab invicem: & anima habitus alteratus simul alterat corpus, & iterum forma corporis alterata alterat animæ habitum: quando enim anima est tristari & lætari; manifestum est, quod tristes obscura facies sint, gaudentes autem hilares.*

PSAL. LXXXIII. ℣. 11.

555. DAvid tantoperè æstimabat servos Dei, & tantoperè abominabatur ministros iniquitatis; ut ultrò elegerit, potius esse minimus inter servos Dei, quàm Monarcha inter sceleratos. *Elegi abjectus esse in domo Dei mei: magis quàm habitare in tabernaculis peccatorum.* Psal. 83. v. 11. id est, ut interpretatur quidam Doctus;

Dignitas justorum.

Asservare domus hic claviger ostia mallem,
Sceptrifer in scelerum quàm ditione coli.

Julius Cæsar, authoritatis supremæ tenacissimus, seriò solebat dicere; *Se malle primum in oppido alpium barbaro, quod homines pauci & tenues colerent, esse; quàm Romæ secundum*; ut in ipsius vita refert Plutarchus.

PSAL. LXXXVII. ℣. 6.

OMnia volumina sacra & profana unanimi calculo tribuunt morti titulum somni. David Ps. 87. v 6. *Sicut vulnerati dormientes in sepulchris.* Ps. 126. v 2. *Cùm dederit dilectis suis somnum: ecce hæreditas Domini, &c.* Ps. 3. v. 6. *Ego dormivi, & soporatus sum, & exurrexi.* Deut. 31. v. 16. *Dormies cum patribus tuis.* 3. Reg. 2. v. 10. *Dormivit igitur David cum patribus suis.* Unde S. Augustinus in Psal. 3. *Somnum pro morte positum innumerabiliter scriptura continent.* 556.

Mors est somnus.

Homerus Iliad. lib. 14. v. 231.

Occurrit somno, qui mortis frater habetur;

Et lib. 11. v. 241.

Membra cadens duro is somno composita
reliquit.

Torquatus Tassus in Gerus: Conquist. l. 4 st. 50.

— — — Tolta
E dal capo la vita al Duce Franco.
Cade; e i lumi che à penna aprir si ponno
Dura quiete preme, e ferreo sonno.

Et lib. 15. st. 83. loquens de Clorinda expirante animam;

Passa la bella donna, e par che dorma.

PSAL. LXXXVII. ℣. 19.

FAlsi amici à quodam sapiente comparantur hirundinibus, quæ bono tempore, & lætis diebus claræ æstatis nobiscum commorantur; at incanescente obscurâ & rigidâ hyeme recedunt. Tales se probavêre amici Davidis, dum eò in miseriis hærente, aufugerunt. *Elongâsti*, inquit *à me amicum & proximum, & notos meos à miseria.* Psal. 87. v. 19. 557.

Amici falsi.

Idipsum dixit Seneca in Tragœd.

Nam rara fides, ubi jam melior
Fortuna ruit.

Petronius Arbiter in Satyr.

Nomen amicitiæ, si quatenus expedit, hæret,
Calculus in tabula mobile ducit opus.
Cùm fortuna manet, vultum servatis amici,
Cùm cecidit, turpi vertitis ora fugâ.

PSAL. LXXXVIII. ℣. 10.

INter alias operationes, quæ infinitam Dei potentiam insigniter manifestant, meritò numeratur illa, dum vasto mari imperat, ut ad solum ipsius nutum componat horridas procellas, & tranquillitatem induat. *Tu dominaris potestati maris; motum autem fluctuum ejus tu mitigas.* Psal. 88. v. 10. *Viderunt te aquæ Deus, viderunt te aquæ, & timuerunt.* Psal. 76. v. 17. *Mirabiles elationes maris, mira-* 558.

Deo obediunt maria.

mirabilis in altis Dominus. Psal. 92. v. 4. *Aquæ ab increpatione tua fugient. &c.* Psal. 103. v 7. *Imperavit ventis & mari, & facta est tranquillitas magna.* Matth. 8. v. 26.

Gentiles hanc virtutem etiam fabuloso suo Neptuno tribuunt. Unde Virgilius fingit, eum è mediis procellis erexisse caput; lib. 1. Æneid. v. 146.

— Dicto citius tumida æquora placat,
Collectasque fugat nubes, solemque reducit.

In hoc argumentum Valerius Flaccus Argonaut. lib. 1.

Hæc ait, & pontum pater, & turbata reponit
Littora, depellitque Notos. &c.

PSAL. LXXXVIII. ℣. 15.

359. UTerque titulus misericordis & justi simul junctus tribuitur Deo, tanquàm Regi Regum, & supremo Judici; Ut gubernatores humani discant suum pectus his duabus gemmis exornare. *Misericordia & veritas præcedent faciem tuam;* inquit David Psal. 88. v. 15. *Misericordiam & judicium cantabo tibi Domine* Psal. 100. v. 1. *Misericors & miserator, & justus (Dominus.)* Ps. 111. v. 4.

Justitia cum misericordia.

Marcianus. exactus & rigorosus Jurisconsultus, *in L. perspiciendum. 11. §. de Pœnis;* suadet Judici, ne aliam metam sibi præfigat, nisi solam æquitatem & justitiam; aitque; *Perspiciendum est judicanti, ne quid aut durius, aut remissius constituatur, quàm causa deposcit: neque enim aut severitatis, aut clementiæ gloria affectanda est: Sed perpenso judicio, prout quæque res expostulat, statuendum est:* & postea subjungit; *Planè in levioribus causis promiores ad lenitatem Judices esse debent; in gravioribus pœnis severitatem legum cum aliquo temperamento benignitatis subsequi.*

PSAL. LXXXVIII. ℣. 18.

360. QUemadmodum umbra è vestigio sequitur corpus, ejusque lateri individua adhæret; ita non potest non resplendere gloria, ubi reperitur virtutis meritum. Hunc nexum inferunt verba Psalmi 88. v. 18. ubi David, Deo loquens, protestatur; *Gloria virtutis eorum tu es.* In hoc argumentum S. Bernardus; *Virtus gradus ad gloriam, virtus mater gloriæ est.*

Gloria sequax virtutis.

Seneca Epist. 79. *Gloria, umbra virtutis est; etiam invitos comitabitur. Sed quemadmodùm aliquando umbra antecedit, aliquando sequitur; ita gloria aliquando ante nos est, visendamque se præbet, aliquando in averso est, majorque, quò serior, ubi invidia secessit.*

PSAL. LXXXVIII. ℣. 20.

361. IN interna aure coronati Prophetæ resonant voces Dei, eumque securum reddunt, quòd speciale auxilium contulerit ei, qui se fortem & potentem demonstravit. Ita David Psal. 88. v. 20. *Posui adjutorium in potente:* id est, ut traducunt aliqui; *Robur suppeditabo Heroi.*

Auxilium.

Vulgatum proverbium est, omne auxilium esse bonum; & plus valere duo, quàm unum solum. Unde Vellejus Paterculus lib. 2. *Magna negotia magnis adjutoribus egent: raroque eminentes viri non magnis adjutoribus ad gubernandam fortunam suam utuntur.*

PSAL. LXXXVIII. ℣. 21.

DEus, Prophetæ sui ore significaturus promotionem ipsius ad regnum, ait; *Oleo sancto meo unxi eum.* Psal. 88. v. 21. Samuel enim, Dei jussu, Davidem unxit, & consecravit ad coronam. Ita legimus oleo unctos & consecratos Salomonem, Azaëlem, Jehu, & Joachim, prout Libri Regum testantur; 362.

Unctio Regum.

Imò nostris adhuc temporibus omnes Reges Galliæ sub initium regni unguntur illo oleo, quod ipsis tempore S. Remigii fuit à Deo prodigiosè donatum, ut scribit Aimoinus lib. 1 de Gest. Francorum. cap. 16.

PSAL. LXXXVIII. ℣. 26.

DEus, promittens dominatricem potestatem servo suo Davidi, & in hujus persona Christo Salvatori, ait Psal 88. v. 26. *Et ponam in mari manum ejus, & in fluminibus dexteram ejus.* Quasi diceret; eum habiturum imperium supra terras & aquas; dum sinistram manum extenderit ad possidendum mare, & dexteram ad flumina ac terram. 363.

Manus super terram & aquam.

Quinto Curtio reperimus usitatam hanc loquendi formam; ubi Legatus Scytharum ita loquitur Alexandro; *si Dii habitum corporis tui, aviditati animi parem esse voluissent: alterâ manu occidentem, alterâ orientem contingeres.*

PSAL. LXXXVIII. ℣. 27.

BEneficiis, à Deo exhibitis sancto Davidi, tantam gratitudinem reposuit Propheta: ut, videns, se à Deo tractari tanquam filium; ipse vicissim eum amârit & invocârit nomine ac reverentia patris. *Ipse invocabit me, Pater meus es tu: Deus meus, & susceptor salutis meæ.* Psal. 88 v. 27. 364.

Deus vocatur Pater

Gentiles Jovem, fabulosum suum Deum, cognominârunt Patrem; Unde Bithinii, ut scribit Arrianus, conscenderunt fastigia montium, & salutarunt *Jovem Papam.* Idem Jupiter, teste Herodoto in Melpomene, à Scythiis cognominatus fuit Pappæus. Omnes denique nationes suis Diis attribuerunt nomen Patris. Proinde Æneas, supplicans Apollini lib. 3. Æneid. v. 89.

Da Pater augurium, atque animis illabere nostris.

Et T. Livius lib. 8. *Jane, Juppiter, Mars pater.* Et Lactantius Firmianus lib. 4. Div. Institut. cap. 3. *Itaque & Juppiter à precantibus pater vocatur, & Saturnus, & Janus, & Liber, & cæteri deinceps.*

PSAL. LXXXVIII. ℣. 49.

STultus, omnique judicio privatus foret, qui conaretur subtrahi viribus mortis, & præservari à sepulchro. Lex hæc universalis neminem excludit: & quisquis habuit natales, subjectus est Parcis. *Quis est homo qui vivet & non videbit mortem: eruet animam suam de manu inferi?* Psal. 88 v. 49. 365.

Mors inevitabilis.

Idipsum scripsit Plato in Gorgia, asserens, *Quòd factum ne quidem unus effugiet.* Homerus in Odyss. loquens de potentia Divina nimis restrictè:

At verò mortem communiter omnibus æquam
A dilecto homine neque Dii depellere possunt:
Quem funesta dies fati jam urget acerbi.

Statius lib. 2.

— — — *Ibimus omnes,*
Ibimus, immensis urnam quatit Aeacus umbris.

PSAL. LXXXIX. ℣. 4.

366. SI unicum momentum cuivis damnato videatur longissimum sæculum; Deo vicissim, infinitè beato, longissima sæcula videntur unicum momentum. Et ut Psaltes canit; *Mille anni ante oculos tuos tanquam dies hesterna, quæ præteriit.* Psal 89. v. 4.

Sæculum videtur Deo momentum.

Hanc doctrinam probè intellexit Plutarchus, in opusculo de sera Numinis vindicta scribens; *De tempore longo cùm dixi, intelligendum est hoc, ut ad humanam referatur naturam: nam Diis quidem omne vitæ spatium pro nihilo est, &c.*

PSAL. LXXXIX. ℣. 6.

367. VIta humana, nimiùm quantùm fragilis & caduca; apprimè comparatur cum certa quadam specie herbæ, quæ manè virescens ac florida, sub vesperum exsiccatur, impallescit, & emoritur. *Manè sicut herba transeat, manè floreat, & transeat, vespere decidat, induret, & arescat.* Psal. 89. v. 6.

Vita humana fugax.

Dioscorides lib. 4. c. 8. & lib. 6. c. 5. herbam quandam vocat *Ephemeron*; quæ uno tantùm die progerminat & emoritur, ad hanc alludit Plautus in Pseudulo;

Quasi solstitialis herba paulisper fui,
Repentè exortus sum, repentinò occidi.

Pindarus Pyth. 8. Epod. 5.

Dies unius sunt homines.

Et Ausonius in Professoribus Carm. 6.

Ostentatus,
Raptusque simul,
Solstitialis.
Velut herba solet
Rhetor Alcti.

Videatur Cælius Rhodiginius l. 29. cap. 4.

PSAL. LXXXIX. ℣. 10.

368. HOmines frustra sperant integris sæculis vivere; cùm vitæ nostræ spatia sint constricta ad mensuram septuaginta annorum; quòd si etiam robustissimi attigerint octoginta annos, reliqua vita potius erunt cadavera, quàm homines. *Dies annorum nostrorum in ipsis septuaginta anni. Si autem in potentatibus, octoginta anni.* Psal. 89. v 10.

Septuaginta anni humanæ vitæ.

Solon, ut scribit Laërtius lib. 1. existimavit, spatium septuaginta annorum esse humanæ vitæ præfixum; Idem affirmant Philo l. de mundi opificio, & S. Clemens Alexandrinus l. 6. strom. cap. 8. Macrobius lib. 1. in Somn. Scipionis. cap. 6. ait: *Septies deni anni à Physicis creduntur meta vivendi, & hoc vitæ humanæ perfectum spatium terminatur: quod quisquis excesserit, ab omni officio vacuus, soli sapientiæ & studio vacat.* At Herodotus lib. 3. opinabatur, perfectissimum vitæ humanæ spatium extendi ad octoginta annos.

PSAL. LXXXIX. ℣. 15.

369. SIcuti calamitates præsentes plurimùm amaritudinis generant & affligunt; ita præteritæ afferunt reminiscentiæ nostræ jucundissimam dulcedinem. Unde Israëlitæ Davidis ore ajunt Psal. 89. v. 15. *Lætati sumus pro diebus, quibus nos humiliâsti: annis, quibus vidimus mala.*

Calamitas præterita jucunda.

Cicero lib. 2. de fin. *Jucunda laborum, malorumque præteritorum memoria.* & in Philip. 3. *Jucundiorem facit libertatem servitutis recordatio.* Macrobius l. 7. cap. 2 *Pericula præterita vel ærumnas penitùs absolutas qui evasit, ut referat gratissima, provocatur.* Euripides citatus à Macrobio;

Magnoperè est jucunda viro renovata dolorum
Mentio, qui permulta tulit, permultaque gessit.

Seneca in Hercul. furent:

— — *Quod fuit durum pati,*
Meminisse dulce est.

Et Virgilius 4. Æneid.

—*Forsan & hæc olim meminisse juvabit.*

PSAL. XCII. ℣. 1.

PUlchritudo non est prærogativa soli sexui fœminino propria, ut nonnulli credunt; quia etiam viri eâ condecorati sunt, dum Principes celebrantur illustres pulchritudine: imò ipse Deus se æqualiter pulchrum & fortem Regem cognoscendum præbet. *Dominus regnavit decorem indutus est, indutus est Dominus fortitudinem &c.* Psal. 92. v. 1. 370.

Pulchritudo & fortitudo in Deo.

Statius lib. 2. Thebaid. loquens de Pallade;

Diva ferox, magni decus ingeniumque parentis
Bellipotens, cui torva genis horrore decoro
Cassis.

Calpurnius Eclog. 7. de Imperatore:

—*Utcumque tamen conspeximus ipsum*
Longius: ac nisi me decepit visus, in uno
Et Martis vultus, & Apollinis esse putavi.

Martialis lib. 7. Epigr. 5. loquens de certo inimico, volente conspicere Imperatorem: ait,

Terrarum Dominum propriis videt ille, tuoque
Terretur vultu barbarus, & fruitur.

De hoc argumento vide suprà ad Psal. 44. v. 3.

PSAL. XCIII. ℣. 11.

FAtigentur homines, quantum velint, ad accumulandas divitias; revolvant mentem in mille cogitationes ad obtinendas, dignitates & honores; consumant sese affectibus odii aut amoris; tandem omnes hæ laboriosæ curæ nihil aliud sunt, nisi merissima vanitas. *Dominus scit cogitationes hominum, quoniam vanæ sunt.* Psal. 93. v. 11. Et Salomon Ecclesiastes c. 1. v. 14. *Vidi cuncta, quæ fiunt sub sole, & ecce universa vanitas, & afflictio spiritûs.* 371.

Res mundi vanæ.

Ipsimet homines mundani experiuntur & apprimè cognoscunt hanc veritatem; inter eos Martialis exclamat,

O curas hominum, o quantum est in rebus inane!

PSAL.

PSAL. XCIV. ℣. 3.

372. QUantumvis Gentilitas fabulosis suis Diis attribuat aliquod dominium, restringit tamen illud in peculiares terminos & confinia; ita ut Neptuno assignetur mare, Plutoni infernus, Junoni aër, Cereri messis, Jovi cœlum; at si loquamur de vero Deo, est virtutis infinitæ, Rex Regum, & longè majoris authoritatis ac dominii, quàm omnibus Gentilium Diis simul sumptis attribuitur. *Quoniam Deus magnus Dominus, & Rex magnus super omnes Deos.* Psal. 94. v. 3. & rursus Psal. 49. v. 1. *Deus Deorum Dominus locutus est.*

Deus super omnes Deos.

Apulejus de Doctr. Platonis refert; quod Ennius numeraverit duodecim Deos majores; videlicet Junonem, Vestam, Minervam, Cererem, Dianam, Venerem, Martem, Mercurium, Jovem, Neptunum, Vulcanum, Apollinem; sex mares, & totidem fœminas. At idem Apulejus l. 11. Metam. vocat Osiridem *Deum Deorum magnorum potiorem, & majorum summum, & summorum maximum, & maximorum regnatorem.*

PSAL. XCIV. ℣. 4.

373. Infinita & incircumscripta Dei immensitas per omnia extenditur; Eam innuit Propheta Ps. 94. v. 4. *In manu ejus (Dei) sunt omnes fines terræ. Quia scilicet,* ut explicat Joannes Lorinus, *latissimè patet potestas ipsius per universam terram.* Id quod ipsemet Deus dixit ore Hieremiæ c. 23. 24. *Cœlum & terram ego impleo.*

Immensitas Dei.

In hoc argumentum Lucanus lib. 9.

Estque Dei sedes, ubi terra, & pontus, & aër,
Iuppiter est quodcunque vides, quocumque moveris.

PSAL. XCV. ℣. 11.

374. AD incarnati Verbi Divini adventum Propheta Regius invitat omnes creaturas cœlestes & sublunares, ut prorumpant in festivos jubilos & insolitas lætitias. *Lætentur cœli, & exultet terra ante faciem Domini, quoniam venit.* Psal. 95. v. 11.

Christi adventus.

Cum hac invitatione multùm consonat prosopopœia Virgilii, dum Eclog. 4. v. 50. introducit Sybillam, quæ ad honorem Salonini, seu ut alii putant, Octaviani Augusti, ait, omnes creaturas ab ipsius aspectu invitari ad insolitam lætitiam;

Aspice, venturo lætentur ut omnia sæclo.

Hæc Ecloga, ut observat Ludovicus la Cerda, ad honorem Christi mirificè accommodari potest.

PSAL. XCVIII. ℣. 3.

375. NOmen Dei non solùm cognominatur grande, sed etiam terribile; quia cordibus suorum fidelium inserit religiosum ac reverentem timorem. *Confiteantur nomini tuo magno, quoniam terribile & sanctum est.* Psal. 98. v. 3.

Nomen Dei terribile.

Ovidius lib. 9. Metam. de quodam ait:

— — *Dum fuit integer ævi,*
Terruerat magnas ipso quoque nomine gentes.

Philæmon, vetus Poëta, citatus à Justino de Monarch: alludens forsan ad Dei nomen ineffabile tetragrammaton, canit;

Cujus nomen formidabile ne nominare quidem ausim.

PSAL. XCVIII. ℣. 4.

Justitia est virtus adeò Principis propria; ut si eam ritè administret, plurimùm honoris ac gloriæ recipiat. Unde David Psal 98 v. 4. *Honor Regis judicium diligit.* Theodoretus, S. Basilius, & S. Cyrillus ita explicant; *Hoc Regem honorabilem reddit, quòd justitiam diligat.* 376.

Justitia est honor Principis.

Quando Tullius lib. de Offic. uno loco ex opinione Herodoti scripsit; *Fruendæ justitiæ causâ videntur olim benè morati Reges constituti.* Alio loco subjungit, quòd hæc administratio Justitiæ *Fundamentum est totius commendationis & famæ.*

PSAL. C. ℣. 1.

GLoria Divina connexam habet geminam laudem pietatis & Justitiæ. *Misericordiam & judicium cantabo tibi Domine.* Psal. 100. v. 1. Adeo que in Deo reperitur non sola imbellis & inermis misericordia; neque etiam sola fulminans & minitans justitia; sed ambæ inseparabiliter colligatæ. *Virtutes, si separatæ fuerint, dilabuntur. Æquitas sine bonitate, sævitia est & justitia sine pietate, crudelitas.* Inquit S. Petrus Chrysologus. 377.

Justitia cum misericordia.

Basilius Imperator inter cætera documenta etiam istud suo filio dedit: *Natura humana valde ad labendum est proclivis, & ad cadendum prona. Esto ergò errantibus lenis & justitiæ admisce humanitatem.* Virgilius 6. Æneid. v. 851.

Tu regere imperio Populos Romane memento
(Hæ tibi erunt artes) pacisq; imponere morem,
Parcere subjectis, & debellare superbos.

Seneca lib 1. de Clementia. cap 2 ait: *Adhibenda est moderatio, quæ sanabilia ingenia distinguere à deploratis sciat. Nec promiscuam habere, ac vulgarem clementiam oportet, nec abscissam. Nam tam omnibus ignoscere crudelitas est, quàm nulli. Modum tenere debemus. &c.*

PSAL. C. ℣. 2.

QUomodo David se gesserit in conspectu suæ familiæ, ipsemet demonstrat, dum ait; quod ex omni parte coram suis subditis exhibuerit puritatem, munditiem, & innocentiam. *Perambulabam in innocentia cordis mei in medio domus meæ.* Psal. 100. v. 2. ut hoc exemplo incitarentur ad ipsum imitandum. *Hic ostendit Psalmista* inquit Author incognitus, *qualiter mundè se habuit ad se ipsum. Cùm enim vita Regis sit quoddam speculum, & quadam regula subditorum; quæ imitanda proponitur, si vita Regis fuerit munda, faciliter ad munditiam trahit subditos.* 378.

Exempla Majorum.

Plutarchus lib. de Liberis educand *Ante omnia debent parentes nihil peccando, omniaq; pro officii rationibus agendo, evidens se liberis exemplum præbere. ut in istorum ii vitam, tanquam in speculum intuentes, à turpibus dictis factisque avertantur.*

PSAL. C. ℣. 2.

SI David sibi soli invigilâsset potuisset vivere conclusus in cubiculo & à familia separatus; sed quia sciebat, officii sui esse, juvare singulos, & potius subditorum utilitatem & commo- 379.

modum, quàm proprium suum promovere, idcircò sollicitus circuibat singulos palatii angulos. *Perambulabam in innocentia cordis mei in medio domûs meæ* Ps. 100. v. 2. Ad hoc argumentum deservit, quod Agellius scribit in Ps. 77. v. 75. *Et pavit eos in innocentia cordis sui.* Ubi ait: *In innocentia cordis pascet, qui non aliò refert pastorem pecoris, quàm ad ovium ipsarum utilitatem, non sua magis, quàm gregis commoda quærit, non se magis, quàm gregem pascit.*

Princeps juvet subditos.

Quòd veri Principis officium sit, proprio suo incommodo promovere commodum subditorum, intellexit Tiberius, qui in Senatu, ut testatur Suetonius, ita dixit: *Et nunc, & sæpè aliâs, P. C. dixi, bonum & salutarem Principem — Senatui servire debere, & universis civibus sæpe, & plerumque etiam singulis, &c.*

PSAL. C. ℣. 4.

380. REx David tantæ erat virtutis, perfectionis, & sanctitatis; ut homines malitiosi & fraudulenti non fuerint ausi ad ipsum propinquare; nec ipse gentem hanc sceleratam & abominabilem æstimavit dignam sua familiaritate. *Non adhæsit mihi cor pravum.* Ps. 100. v. 4. inquiebat David. In quem locum Agellius; *Homo cordis perversi, fraudulentus, ac malitiosus non adhæsit mihi, non mecum amicitiâ junctus est: longè à me fuit, non mecum versatus est.*

Justus odit vitiosos.

Conformiter ad hunc discursum Homerus Iliad. 1.

Exosus enim mihi ille, velut inferni porta,
Qui aliud quidem occultum habet in mentibus,
Aliud verò ore profert.

PSAL. C. ℣. 5.

381. DAvid variis modis agebat cum varia sceleratorum sorte. Aliquos interno horrore abominabatur; aliquos longè à se amovebat; aliquos dedignabatur suo aspectu; prout ipsemet scribit Ps. 100. quando verò loquitur de detractoribus; eos persequebatur & infestabat. *Detrahentem secretò proximo suo, hunc persequebar.* Ps. 100. v. 5.

Detractor abominandus.

Themistius Orat. ad fin. observat, quòd Homerus, solitus laudare omnes, contra neminem invehatur, nisi contra malignum Thersitem. *Scit enim, inquit, quemadmodum Homerus omnia collaudet, quæcumque nominat, neque vel levissima quæque præclaro testimonio defraudet; Verùm & pueri apud eum formosi dicuntur, & flagella omnia splendida, atque etiam arborem quamdam in Delo insula consitam, mirificè prædicet, ut ne subulcus quidem ille egregius suâ in versibus prædicatione careat. — Unum duntaxat Thersitem conviciis afficit, quod (ut arbitror) ille ipse convitiator ac contumeliosus esset.*

PSAL. C. v. 5.

382. TAmetsi oculus deserviat ad detegendos omnes affectus animæ; peculiari tamen modo in eo residet arrogantia, fastus, & superbia. Unde David hoc abominabile vitium attribuit oculo, dum dicit Ps. 100. v. 5. *Superbo oculo. &c.*

Oculus est sedes superbiæ.

Plinius lib. 11. c. 37. *Supercilia homini, & pariter, & alternè mobilia: & in iis pars animi. Negamus, annuimus. Hac maximè indicant fastum. Superbia alicubi conceptaculum, sed hîc sedem habet. In corde nascitur: huc subit, hic pendet &c.* Hoc sensu Petronius Arbiter in Satyr. *Postquam se amari sensit, supercilium altius tulit.* Et Juvenalis, abominatus fastum cujusdam fœminæ;

Malo Venusinam, quàm te Cornelia Mater Gracchorum, si cum magnis virtutibus affers Grande supercilium.

PSAL. C. ℣. 5. &c.

SIve David volebat affabiliter conversari, sive ad mensam sumere cibum; magna semper circumspectione à suo commercio excludebat quosvis sceleratos ac vitiosos. *Superbo oculo, & insatiabili corde, cum hoc non edebam. Oculi mei ad fideles terræ, ut sedeant mecum.* Ps. 100. v. 5. &c. 383.

Socius cautè eligenda.

Chilo, referente Plutarcho *in Convivio*, invitatus ad cœnam, non condixit, nisi prius sciret, quinam alii essent invitati; dicebat enim, *quibuscum necesse esset unà navigare, aut militare, eorum etiam molesto comitatu ac contubernio utendum esse. Ultrò autem qualibuscunque conviviis se admiscere, non esse sani hominis.*

PSAL. C. ℣. 6.

DAvid in suos ministros eligebat, non nobilissimos natalibus, non adulatores, aut astutos politicos; neque ab aliis sibi commendatos; sed solummodò illos, quos habebat ab integritate, justitiâ, & fidelitate probatos. *Oculi mei ad fideles terræ, ut sedeant mecum: ambulans in via immaculata, hic mihi ministrabat.* Ps. 100. v. 6. 384.

Ministri fideles.

Atalaricus Rex, citatus à Cassiodoro l. 9. Ep. 12. cautelam hanc adhibebat: *Electio nostra de meritis venit, & tanto quis regali animo proximatur, quantò bonis studiis societate conjungitur.* Corn. Tacitus l. 4. Annal. *Res suas Cæsar spectatissimo cuique quibusdam ignotis ex fama mandabat.* Plinius in Panegyr. loquens Trajano; *Felices illos, quorum fides & industria non per internuntios & interpretes, sed ab ipso te, nec auribus tuis, sed oculis probatur.* Et Imperator Constantius in Orat. de Themistio dicebat, se hunc Philosophum promovisse ad Senatoriam dignitatem, motumque ad id fuisse à fama virtutum maximarum, quæ in ipso resplendent. *Quum igitur existimatio de viro longè lateque dispersa, Themistium Philosophum ad aures nostras adduxisset, imperatoris judicii — esse existimavi, illum splendidissimo Patrum concilio adscribendo, virtutem, quæ in ipso est, congruo honore remunerari.*

PSAL. C. v. 7.

TAntam aversionem habuit David contra malignos accusatores & linguas calumniatrices, ut eos nullo prorsus modo tolerare, videre, vel audire potuerit. Unde Ps. 100. v. 7. ait: *Qui loquitur iniqua, non direxit in conspectu oculorum meorum.* Ubi Chaldæus; *Qui loquitur mendacia, non erit ei facultas comparendi coram oculis meis.* 385.

Maligni abominabiles.

Dignissima boni Principis hæc maxima est; Unde Imperator Basilius suum filium Leonem hoc documento instruxit cap. 55. *Præbere aures auditioni vanæ noli, & calumniatores in sinu tuo ne fove, & improbis ne temerè crede: isti enim sæpius viros bonos affligere solent. &c.*

PSAL. CI. ℣. 6.

POenitens Propheta, jejuniis extenuatus, & gemitibus afflictus, tantam contraxit maciem, ut pellis videretur solis ossibus hærere. *A voce gemitus mei adhæsit os meum carni meæ.* Hieremias loquens de miserabili statu, ad quem reducti erant Hebræi, ait Thren. 4. v. 8. *Adhæsit cutis eorum ossibus: aruit, & facta est quasi lignum.* Et rursus c. 5. 10. *Pellis nostra quasi clibanus exusta est à facie tempestatum famis.* 386.

Pellis & ossa.

famis. Et prior omnibus Job. cap. 7. v. 5. *Cutis mea aruit & contracta est.*

Ad describendum hominem consumptum & emaciatum, utimur hoc proverbio, quòd totus sit pellis & ossa. Plautus in Captivis:

Ego, qui tuo mœrore maceror,
Macesio, consenesco, & tabesco miser.
Ossa atque cutis sum miserâ macritudine.

Et in Aulularia;

Qui ossa atque pellis totum est, ita cura macerat.

PSAL. CI. ℣. 5.

387. Naturalis amor, quo quisque fertur erga suam patriam, adeò excæcat, ut terra etiam vilissima præferatur aliis magnificis & insignibus regionibus. Ita Israëlitis magis placuerunt maceriæ & rudera destructæ patriæ & civitatis Hierosolymitanæ, quàm magnifica ædificia Babyloniæ, Persiæ & Ægypti. *Quoniam placuerunt servis tuis lapides ejus.* Psal. 101. v. 15.

Amor patriæ.

Quidam Græcus canit:

— — *Cæterum Ulysses*
Cupidus vel fumum exeuntem vid[illegible]
Patriæ suæ, sic mori optat.

M. Brutus, teste Plauto in Rudente dixit: *Malle se Romæ ignobilissimum civium, quàm exulem, omnium aliarum civitatum Imperatorem nominari.*

PSAL. CI. ℣. 18.

388. David cum cicada cantu comparet fervidas orantium voces. Unde Psal. 101. v. 18. ait: *Respexit Dominus in orationem humilium.* id est, ut traducit R. Anonymus, &, ni fallor, etiam Genebrardus; *Respexit in orationem cicadæ.*

Timon in laude Platonis, referente Diogene Laërtio lib. 3. dicit:

Hos inter dux ille Plato celsissimus ibat,
Cujus ab ore melos manabat, quale Hecademi
Arbustis lepidâ modulantur voce cicadæ.

PSAL. CI. ℣. 27.

389. Tam stabilitas terræ, quàm vastitas cœli, subjectæ sunt suis terminis. Terra enim consumetur ab igne, & cœli ab aliena alteratione dissolventur. De his David Psal. 101. v. 27. *Ipsi peribunt. &c.* Huic veritati subscribit Isaias c. 51. v. 6. *Cœli sicut fumus liquescent, & terra sicut vestimentum atteretur.* Et 2 Petri 3. v. 10. *Cœli magno impetu transient, elementa verò calore solventur, terra autem & quæ in ipsa sunt opera, exurentur. Cùm igitur hæc omnia dissolvenda sunt &c.*

Cœli & terra destruentur.

Quòd destructio omnibus rebus immineat, testatur Ovidius 12. Metamorph.

Tempus edax rerum, tuq; invidiosa vetustas
Omnia destruitis:

Sophocles in Ajace:

Omnia longo tempore flaccescunt
Et consumuntur.

Et Lucretius lib. 5.

Deniq; non lapides quoq; vinci cernis ab ævo?
Non altas turres ruere? & putrescere saxa?
Non delubra Deûm? simulachraque fessa fatisci?
Deniq; non monumenta virûm dilapsa videmus?

PSAL. CI. ℣. 28.

390. Licet cœli & terra subjaceant mutabilitati, uti dixit David Psal. 101. v. 28. *Omnes sicut vestimentum veterascent.* Deus tamen immutabilitate perpetua & æterna gaudet. Ad hunc conversus Propheta, subjungit. *Tu autem idem ipse es per omnia sæcula sæculorum.*

Deus immutabilis.

Plato *lib. 1. de Republ.* ait de Deo, *Essentiam æqualiter se habentem semper eodem modo.* additque; *Ipsum æquale ipsum pulchrum, sive bonum ipsum singulum, id quod existit, nullam mutationem suscipiens aut alterationem.* Et lib. 2. de Republ. idipsum probat; *Deum non mutari; quia mutari Deum velle in deterius fingi non potest; in melius non potest, quia nihil eo melius & perfectius.*

PSAL. CII. ℣. 2.

391. David reflectens ad insignia beneficia, sibi à Deo collata, invitat animam suam ad rependendum tributum laudis & benedictionis eamque simul hortatur grato affectu, ne miræ hujus beneficentiæ memoriam unquam oblitterari patiatur; *Benedic anima mea Domino: & noli oblivisci omnes retributiones ejus.* Psal. 102. v. 2.

Memoria beneficiorum Dei.

Affectum non absimilem exhibet Homerus;

Memor sum, utq; tui nunquam obliviscar Apollo.

Seneca l. 4. de Benef. cap. 6. ait; *Si gratus es, dices;*

— *Deus nobis hæc otia fecit*
Namq; erit ille mihi semper Deus, illius aram
Sæpè tener nostris ab ovilibus imbuet agnus. &c.

PSAL. CII. ℣. 11.

392. Spatium longè protensum significatur illo loquendi modo in Psal. 102. v. 11. *Secundùm altitudinem cœli à terra: corroboravit misericordiam suam super timentes se.* Huic jungi potest dictum Isa. c. 55. v. 9. *Sicut exaltantur cœli à terra, sic exaltatæ sunt viæ meæ à viis vestris.* Adeoque longissima distantia repræsentatur, quando exprimitur intervallum cœli & terræ.

Distantia cœli & terræ.

Simili forma loquendi utitur Virgilius, ut horribilem profunditatem inferni demonstret, 6. Æneid. v. 577.

— — *Tartarus ipse*
Bis patet in præceps tantùm, tenditq; sub umbras
Quantus ad æthereum cœli suspectus olympum.

Et Hesiodus in Theogon.

Tantùm sub terra est, quantùm cœlum distat à terra.

PSAL. CII. ℣. 12.

393. Grande loci intervallum, & infinita spatii distantia infertur hac loquendi forma; *Quantum distat ortus ab occidente, longè fecit à nobis iniquitates nostras.* Psal. 102. v. 12. Idipsum dicitur Luc. 16. v. 26. *Inter nos & vos chaos magnum firmatum est.*

Et orientis ab occidente.

Seneca in Hercul. Furen. utitur eo loquendi modo;

— — — *Quà lucem premit*
Aperitque Thetis

Et rursùs;

Et quod occasus videt, & quod ortus.

Et denique:

Auroram inter & hesperum.

Alius quidam Poëta:

— — — *quantum*
Hispanus Veneto dissidet Oceano.

PSAL. CII. ℣. 13.

394. TEnerrimus affectus, quo Deus miseretur calamitatum humanarum, à Psalte repræsentatur similitudine patris, qui versùs dilectam suam prolem solet ultra modum esse benignus. *Quomodò miseretur pater filiorum, misertus est Dominus timentibus se.* Ps. 102. v. 13.

Pater benignus erga filios.

Plutarchus *lib. de Lib. educand.* suadet patribus, ut abstineant à rigidis asperitatibus; claudantque interdum oculos, & dissimulent errores filiorum; ac duritiem reprehensionum moderentur benigna & discreta suavitate. Terentius in Andria Act 5. Scen. 3.

Pro peccato magno paulùm supplicii satis est patri.

Hujus paternæ moderationis multa exempla colligit Val. Maximus lib. 5. cap. 9.

PSAL. CII. v. 15.

395. EAdem facilitate ac celeritate, qua fœnum & flores in pratis exsiccantur & destruuntur; etiam vita humana flaccescit & finitur. *Homo sicut fœnum dies ejus, tanquam flos agri sic efflorebit.* Psal. 102. v. 15.

Vita humana fragilis.

Quidam vetus Poëta, citatus à Stobæo, canit:

Nos verò sicut folia producit floridũ tempus
Veris, cum illicò splendor augetur solis.
His similes cubitale ad tempus floribus adolescentia.
Delectamur.

Torquatus in Godofredo Cant. 16. St. 15.

Così trapassa al trapassar d' un giorno
De la vita mortale il fiore, e'l verde.

PSAL. CII. ℣. 15.

396. VItam humanam, mortis falce succisam, comparat sacer Poëta cum subtili flore, reciso in prato. *Homo sicut fœnum dies ejus tanquam flos agri sic efflorebit* Psal. 102. v. 15. Et Isaias c. 40. v. 6. *Omnis caro fœnum, & omnis gloria ejus quasi flos agri. Exsiccatum est fœnum, & cecidit flos. &c.* idque repetitur 1. Pet. 1. v. 24.

Vita humana caduca.

Virgilius lib. 9. Æneid. describens mortem Euriali, eam comparat flori, per aratrum succiso. v. 435.

Purpureus veluti cùm flos succisus aratro
Languescit moriens &c.

Ovidius lib. 10. Metam. loquens de morte Hyacinthi;

Ut si quis violas, riguoque papavera in horto
Liliaque infringat fulvis hærentia virgis:
Marcida demittant subitò caput illa gravatum
Nec se sustineant, spectentq; cacumine terram
Sic vultus moriens jacet.

PSAL. CII. ℣. 20.

397. DAvid, conversus ad angelos, familiares Dei ministros, promptissimam eorum obedientiam ita exprimit. *Qui facitis verbum illius ad audiendam vocem sermonum ejus.* Ps. 102. v. 20. Adeoque vix audito supremo mandato, sine tergiversatione aut procrastinatione, igneis alis volant ad illud exequendum. *Vera quippe obedientia*, inquit S. Gregorius in 1. Reg. c. 3. *nec præpositorum intentionem discutit, nec præcepta discernit, quia qui omne vita suæ judicium majori subdidit — si quod sibi præcipitur, operatur; quia hoc tantum bonum putat, si præceptis obediat.*

Obedientia prompta.

De prompta hac obedientia præclarè discurrit Seneca Epist. 94. *Non probo, quòd Platonis legibus adjecta principia sunt. Legem enim brevem esse oportet, quo facilius ab imperitis teneatur, velut emissa divinitus vox sit. Jubeat, non disputet. Nihil mihi videtur frigidius, nihil ineptius, quàm lex cum prologo. Mone, dic quid me velis fecisse. Non disco, sed pareo.*

PSAL. CIII. ℣. 3.

QUando describitur Majestas triumphantis Dei, repræsentatur sedens supra currum, ex argenteis nubibus constructum. De quo David Psal. 103. v. 3. *Qui ponis nubem ascensum tuum.* ubi S. Hieronymus traducit; *Qui ponit nubes currum suum.* De hoc curru Psaltes 67. v. 18. ait: *Currus Dei decem millibus multiplex. &c.* 398.

Jupiter (& etiam alii Dii) repræsentantur supra sublimem currum; de quo Horat. l. 1. od. 12.

Tu gravi curru quatiens olympum.

Et Od. 34.

— *Nam Diespiter*
Igni corusco nubila dividens
Plerumque per purum sonantes
Agit equos, celeremque currum.

Verùm de hoc argumento dicemus ad Danielis cap. 7. v. 9.

PSAL. CIII. ℣. 4.

QUemadmodùm angeli, ministri Dei, repræsentantur sub specie vigorosorum juvenum; ita à Regio Propheta comparantur igni; ut exprimat ardentem illorum promptitudinem ac celeritatem in exequendis divini Monarchæ mandatis. *Qui facis angelos tuos spiritus; & ministros tuos ignem urentem.* Psal. 103. v. 4. 399.

Juventus ardens.

Virgilius, exprimens juventutis Trojanæ promptitudinem ad nutum Æneæ, lib. 6. Æneid. v. 5. ait:

— — *Juvenum manus emicat ardens.*

Et ab Horatio lib. 4. Carm. vocantur *Juvenes fervidi*; Pindarus Od. 8. Isthm. de certis juvenibus ait, eos habuisse

Vigorem pedum instar fulgurum.

PSAL. CIII. ℣. 5.

IN totius universi centro reperitur terra, æqualiter circumdata à cœlis, in medio aëris ambientis. Ibi enim propria sua mole pendet ac sustentatur. Id quod David, ad Deum conversus, dixit: Ps. 103. v. 5. *Qui fundâsti terram super stabilitatem suam.* 400.

Terra stabilitur in suo centro.

Prorsùs conformiter Ovidius. lib. 1. Metam.

— — *Pendebat in aëre tellus*
Ponderibus librata suis.

Et rursùs de terra loquens:

Et pressa est gravitate sui.

Lib. 6. Fast.

Terra, pilæ similis, nullo fulcimine nixa,
Aëre subjecto tam grave pendet onus.
Ipsa volubilitas libratum sustinet orbem,
Quiq; premat partes angulus omnis abest.

PSAL.

PSAL. CIII. ℣. 10.

401. Expressus divinæ providentiæ effectus est productio fontium, qui, veluti copiosa ubera, cristallinis suis humoribus fovent herbas ac virgulta; & fœcundant vastitatem terræ. Unde Deum alloquens David, ait: *Qui emittis fontes in convallibus, inter medium montium pertransibunt aquæ.* Psal. 103. v. 10.

Fontes à Deo facti.

Etiam Ovidius Deo attribuit formationem fontium, & fluminum; lib. 1. Metam. canens:

Addidit & fontes, & stagna immensa, lacusque
Fluminaq; obliquis cinxit declivia ripis.

PSAL. CIII. ℣. 15.

402. Multa encomia de vino formari possent: at Davidi satis est, illud vocare datorem lætitiæ, & consequenter dissipatorem curarum melancholicarum & molestarum. *Et vinum lætificet cor hominis.* Psal. 103. v. 15. Unde Salomon Prov. 31. v. 6. *Date siceram mærentibus, & vinum his, qui amaro sunt animo: bibant & obliviscantur egestatis suæ, & doloris sui non recordentur amplius.*

Vinum lætificat.

Socrates apud Xenophontem *in Symposio* ait: *Vinum lætitiam non aliter excitare, quàm oleum inspersum igni flammam adauget.* Seneca de Tranquill. c. 15. de vino ita disserit: *Eluit enim curas, & ab imo animum movet, & ut morbis quibusdam, ita tristitiæ medetur. Liberque non ob licentiam linguæ dictus est inventor vini, sed quia liberat servitio curarum animum, vegetiorem, & audaciorem in omnes conatus facit.* Virgilius 1. Æneid.

Adsis lætitiæ, Bacchus dator.

Horatius lib. 3. Od. 21.

Tu spes reducis mentibus anxiis,
Viresque.

Et Varro:

Vino nihil jucundius quisquam bibit,
Hoc continet coagulum convivia.
Hoc hilaritatis duce seminarium,
Hoc ægritudinem ad medendam invenerunt.

PSAL. CIII. ℣. 23.

403. Quemadmodùm nox sub umbris suis invitat creaturas ad capiendam placidam quietem; ita sol, afferens diem, eas excitat ad labores & incommoda. Unde quamprimùm Psaltes dixit, *Ortus est sol*, mox subjungit; *Exibit homo ad opus suum, & ad operationem suam usq; ad vesperam.* Psal. 103. v. 23.

Sol invitat ad labores.

Virgilius lib. 11. Æneid. v. 182.

Aurora interea miseris mortalibus almam
Extulerat lucem, referens opera, atq; labores.

Manilius lib. 1.

Illic orta dies sopitas excitat urbes,
Et cum luce refert operum vadimonia terris.

Seneca Hercul. fur. Act. 1. in Choro:

Jam cæruleis evectus equis
Titan summum prospicit Oetan —
Labor exoritur durus, & omnes
Agitat curas, aperitque domos
Pastor &c.

PSAL. CIII. ℣. 25.

404. Duplex epitheton David attribuit mari, videlicet magnum & spatiosum. *Hoc mare magnum & spatiosum*; inferens vastitatem ipsius immensam & insuperabilem. Psal. 103. v. 25.

Mare vastum.

Simili modo Virgilius lib. 5. Æneid. v. 624.

— — *Dum per mare magnum*
Italiam sequimur fugientem.

Seneca lib. 1. Suasor.

Nihil infinitum est, nisi Oceanus.

De cujus vastitate Seneca in Oedip. Act. 2. in fin.

Oceanus clausum dum fluctibus ambiet orbem.

PSAL. CIII. ℣. 28.

Quemadmodùm assistentia Dei est scaturigo omnis felicitatis; ita ex ipsius absentia profluit omnis miseria. *Aperiente te manum tuam, omnia implebuntur bonitate. Avertente autem te faciem turbabuntur.* Psal. 103. v. 28. &c. 405.

Præsentia Dei utilis.

Quod noster Propheta affirmavit de Deo; Basilius Imperator asseruit de præsentia Principis, unde filio suo Leoni loquens, dixit: *Quemadmodùm ea, quæ à te diligenter inspecta administrantur, multum emolumenti capiunt, ita quæ non inspecta neglectim prætereuntur, in magnam perniciem labuntur.*

Præsentia Principis.

PSAL. CIII. ℣. 31.

Non desunt sacri Interpretes, qui volunt, illa verba Psalmi 103. v. 31. *Lætabitur Dominus in operibus suis*; intelligi præcisè de hominibus, qui sunt opera, peculiari modo formata à divino opifice, habente in iis plurimam complacentiam; unde dixit: *Et deliciæ meæ esse cum filiis hominum.* 406.

Deus delectatur hominibus.

Plato lib. 7. de Leg. vocat hominem *Ludum quemdam Dei, quod inter prospera & adversa constitutus, Deo spectaculum præbeat.* Id quod etiam reperitur apud S. Clementem Alexandrinum lib. 7. Strom. Seneca l. cur bonis viris. cap. 2. ait; *Miraris tu, si Deus ille bonorum amantissimus, qui illos quàm optimos esse, atque excellentissimos vult, fortunam illis, cum qua exerceantur, assignat? Ego verò non miror, si quando voluptatem capiunt Dii, dum spectant magnos viros colluctantes cum aliqua calamitate. &c.*

PSAL. CIII. ℣. 31.

Cum omnes creaturæ, cœlestes & terrestes, corporeæ & spirituales, sint formatæ à virtute, sapientia, & potentia æterni opificis; mirum non est, quòd iis non sine dulci complacentia delectetur. Id quod Psaltes innuit Psal. 103. v. 31. *Lætabitur Dominus in operibus suis.* 407.

Quivis amat suum opus.

Ita quivis Artifex, ut scribit Aristoteles 9. Ethic. cap. 7. & lib. 4. c. 1. *Opus suum proprium magis amat, quàm ab opere amaretur, si animatum esset.* Idem observatur in Poëtis erga sua poëmata, ut scripserunt Plato lib. 1. Polit. & Cicero 14. ad Atticum. Epist. 22. Illud ipsum etiam dici potest de Musicis, Pictoribus, & aliis hujusmodi artificibus.

PSAL. CIII. ℣. 32.

Terrorem adeò grandem secum affert majestas Dei; ut ipsa etiam elementa ipso præsente contremiscant. *Qui respicit terram, & facit eam tremere*; inquit de Deo Psal. 103. v. 32. & Ecclesiasticus c. 16. v. 18. *Ecce cælum, & cæli cæli, abyssus & universa terra, & quæ in eis sunt, in conspectu* 408.

Deus terribilis.

spectu illius commovebuntur: montes simul, & colles, & fundamenta terræ, cùm conspexerit illa Deus tremore concutientur. Ita Habac. 3. v. 6. *Aspexit, & dissolvit gentes, & contriti sunt montes sæculi.*

Similes effectus fingebant Poëtæ de aspectu Jovis. Catullus de Nupt. Pel. canit;

Annuit invicto cœlestum numine Rector
Quò tunc & tellus, atq; horrida contremuerunt
Æquora, concussitq; micantia sidera mundus.

Virgilius lib. Æneid. v. 106. de Jove ait;

Annuit, & totum nutu tremefecit olympum.

Horatius 3. Carm. Od. 1.

Reges in ipsos imperium est Jovis,
Clari giganthæo triumpho,
Cuncta supercilio moventis.

Et Ovidius 1 Metamorph.

Terrificam capitis concussit terque, quaterq;
Cæsariem, cum qua terram, mare, sidera movit.

PSAL. CIII. ℣. 32.

409. UNo Dei aspectu concutitur ac tremit terra; & solo fulminantis manus divinæ tactu, montes fumigant & consumuntur. *Qui respicit terram, & facit eam tremere: qui tangit montes, & fumigant.* Psal. 103. v. 32.

Tangere pro fulminare.

Quòd si verbum *tangit* idem sit ac fulminare, frequenter eo significato utuntur Latini; videlicet Virgilius Eclog. 1. v 17.

De cœlo tactas memini prædicere quercus.

Cornelius Tacitus 14. Annal. *Tacta de cœlo quatuordecim urbis regiones.* Suetonius in Galba cap. 1. *Tacta de cœlo Cæsarum æde.* Quantùm verò ad fumigandum, Virgilius 3. Æneid. v. 573. describit Montem Æthnam;

Turbine fumantem piceo, & candente favillâ.

PSAL. CIV. ℣. 20.

410. VIæ, per quas Deus suum Josephum extulit, fuerunt planè mirabiles. Ut heret Prorex & quasi Dominus Ægypti, disposuit, ut illuc intraret tanquam servus. Promovit illum ad apicem gloriæ, quando erat oneratus infamibus calumniis. Elevavit eum ad principatum è vili & depresso fœtentis carceris loco. *Misit Rex, & solvit eum; princeps populorum, & dimisit eum; constituit eum Dominum domûs suæ, & principem omnis possessionis suæ.* Psal. 104. v. 20.

Exaltatio Josephi.

Cum Claudius, ingenti timore oppressus, & non securus vitæ, se absconderet, subitò in latibulis suis deprehensus, miro eventu promotus fuit ad fastigium Imperiale, ut narrat Suetonius in ipsius vita cap. 10. Castrucius Castracanus, Bellidux Lucensium, jussu Vguccionis de Fagivola, Principis Lucensis & Pisani, retentus fuit in carcere Lucensi; datumq; Nerio, filio Vguccionis, expressum mandatum ut sub cujuscumque, etiam levissimæ culpæ prætextu, Castrucius, si quid opponeret, capitali pœna plecteretur. Cùm verò Nerius reponeret, id admodùm fore difficile, eò quòd Bellidux ille multos & bonos in civitate Lucensi haberet amicos; ipsemet Vguccio ad exequendam malignam suam intentionem Pisis profectus est Lucam. Vix eo civitatem egresso, Pisani concluserunt portas, & arripuerunt arma, quibus novis acceptis, etiam Lucenses arreptis armis, clausère portas. Ita Vguccio uno momento perdidit dominium duarum insignium civitatum. Mox Lucenses accurrerunt ad liberandum Castrucium, & ruptis à furente populo carceribus, illum suum excellentissimum Principem proclamârunt. Fulgos l. 6. c. 11.

PSAL. CV. ℣. 3.

QUemadmodùm Reges à Deo supra populos elevati sunt, ut gubernent & administrent justitiam; ita, si hoc officio suo ritè funguntur, non tantùm hominum linguis prædicantur, sed etiam divina bonitas eos remuneratur. Psaltes ait Psal. 105. v. 3. *Beati qui custodiunt judicium, & faciunt justitiam in omni tempore.* Regina Saba dixit Salomoni 3. Reg. 10. v. 9. *Constituit te Regem, ut faceres judicium & justitiam.* 411.

Rex administret justitiam.

S. Ludovicus, Rex Galliæ, auditis his verbis Psalmi, revocavit sententiam absolutionis, datam cuidam reo, jussitque eum capite plecti; asserens, Principem, qui potest punire, & non punit, non esse coram Deo minus culpabilem illo, qui delictum commisit; & justitiam exequi, non esse opus rigoris, sed pietatis. Trajanus adeò fuit administrandæ justitiæ sollicitus, *ut sedens pro tribunali labore refici, ac reparari videretur;* prout dixit Plinius in Panegyr: Idipsum multo labore & incommodo fecerunt Julius Cæsar, Octavianus, Tiberius, Claudius, Vespasianus, Trajanus, Constantinus, Severus &c. videantur Lumina Reflexa ad lib. 3. Reg. cap. 10. v. 9.

PSAL. CV. ℣. 6.

HEbræi, Regii Psaltis ore confitentur, se peccâsse protestantur tamen, se ad peccatum fuisse inductos malis exemplis suorum parentum & antecessorum, quorum vestigia secuti, fuissent prolapsi in præcipitia iniquitatum. *Peccavimus cum patribus nostris, injustè egimus, iniquitatem fecimus.* Psal. 105. v. 6. 412.

Vitia paterna imitantur filii.

Sententia Tullii est lib. 1. offic. *Plerumq; præceptis parentum imbuti, ad eorum consuetudinem, moremque deducimur.* Plautus in Pseudulo.

Id ne tu miraris, si patrizet filius?

Et Juvenalis Sat. 14.

Sic natura jubet, velocius & citius nos
Corrumpant vitiorum exempla domestica &c.

Idque prosequitur & exaggerat per totam Satyram.

PSAL. CV. ℣. 11.

VIctoria, quam Deus, exercituum Dominus, de Pharaone & suis sequacibus retulit, adeò fuit completa, ut omnibus in mari submersis, nec unicus hoc supplicium effugerit. *Et operuit aqua tribulantes eos, unus ex eis non remansit.* Psal. 105. v. 11. 413.

Destructio totalis.

Simile quid mihi videor reperire in Tragædia Troadis apud Senecam, ubi agit de hujus civitatis ruina:

superestq; vasta ex urbe ne tantum quidem;
Quo lateat infans.

Accommodatius tamen est, quod refert Diodorus lib. 11. Carthaginenses cum Xerxe erant confœderati contra Siciliam, & re ipsa non solùm cum trecentis armatorum millibus infesta-

infestabant totum regnum, sed etiam illius maria cum tribus navium millibus. Gelon, supremus Syracusanorum Belli dux, astuto stratagemate interfecit centum & quinquaginta millia hostium, cæterosque reduxit captivos; classim verò maritimam totam combussit, exceptis viginti navibus, quæ, cùm fugâ sibi consuluissent, horribilibus procellis ruptæ & submersæ sunt, adeò ut vix exigua quædam scapha Carthaginem redierit cum his novis; *Copias, quæ in Siciliam trajecerant, funditus periisse omnes.* Theatrum Tit. *Classis.*

PSAL. CV. ℣. 19.

414. Boves adorare. REverâ stolidos se demonstrârunt Hebræi instar jumentorum, quando bovi aut vitulo exhibuerunt Divinos honores. *Et fecerunt vitulum in Horeb, & adoraverunt sculptile.* Psal. 105. v. 19. &c. hanc iniquitatem sexcenta Sacræ Scripturæ loca abominantur, ipsisque exprobrant.

Sicuti Hebræi in hoc sacrilegio secuti sunt vestigia Ægyptiorum, qui tanquam Deum adorârunt Apim sub specie bovis; ita adhuc in hodiernum diem ibi reperiuntur quidam populi Orientales, qui boves adorant, ut refert Paulus Venetus l. 9. c. 24. & c. 30.

PSAL. CV. ℣. 21.

415. Beneficii oblivisci. MEritò videbatur Davidi intolerabilis ingratitudo Hebræorum, qui post innumera à Deo accepta beneficia, non solùm debitas intermisêre gratias, sed prorsus eorum obliti sunt. *Obliti sunt Deum, qui salvavit eos, qui fecit magnalia in Ægypto, mirabilia in terra Cham: terribilia in mari rubro.* Psal. 105. v. 21.

Seneca l. 3. de Benefic cap. 1. *Multa sunt genera ingratorum. — Ingratus est, qui beneficium accepisse se negat, quod accepit. Ingratus est, qui dissimulat. Ingratus qui non reddit. Ingratissimus omnium qui oblitus est. Illi enim si non solvunt, tamen debent: & extat apud illos vestigium certè meritorum, intra malam conscientiam conclusorum — His nunquam fieri gratus potest, cui totum beneficium elapsum est — Qui tam ingratus est, quam qui quod in prima parte animi positum esse debuit, & semper occurrere, ita seposuit & abjecit, ut in ignorantiam verteretur? Apparet illum non sæpè de reddendo cogitâsse, cui obrepsit oblivio.*

PSAL. CV. ℣. 37.

416. HEbræi, apostatæ à servitute Dei, etiam fuerunt apostatæ ab affectibus paternis, quia propriâ manu suos filios in victimas obtulerunt falsis Diis & monstris infernalibus. *Immolaverunt filios suos, & filias suas dæmoniis. Et effuderunt sanguinem innocentem: sanguinem filiorum suorum & filiarum suarum, quas sacrificaverunt sculptilibus Chanaan.* Psal. 105. v. 37. Hujus iniquitatis etiam fit mentio lib. 4. Reg. c. 23. v. 10.

Plato, Plutarchus, Diodorus, & centeni alii Scriptores affirmant, à Gentilibus fuisse in victimas oblatos juvenes tam Saturno, quàm Dianæ Tauricæ, & Jovi Lycæo. De hoc more loquitur filius Italicus lib. 4. referens, Africanos suis Diis obtulisse victimas humanas.

Mos fuit in populis, quos condidit advena Dido.
Poscere cæde Deos veniam, & flagrantibus aris,
Infandum dictu, parvos imponere natos.

Minutius Felix in suo Octavio ait, quòd Saturno *in nonnullis Africa partibus à Parentibus infantes immolabantur: blanditiis & osculo comprimente vagitum, ne flebilis hostia immolaretur.* De his sacrificiis videantur Ludovicus la Cerda in suis Adversariis fol. 374 n. 2. Cornelius à Lapide in Levit. c. 18. v. 21. Pineda in Salom. & nos suprà ad 4. Reg. c. 3. v. 27.

PSAL. CV. v. 43.

VIderi possit, Divinam bonitatem certâsse cum Hebræorum iniquitate; quantò enim majores gratias spargebat Deus, tantò audaciores Hebræi committebant scelera; semper recidivi, culpis jungebant culpas, & excessibus excessus. *Sæpè liberavit eos. Ipsi autem exacerbaverunt eum.* Psal. 105. v. 43. 417. Peccator recidivus.

Hunc agendi morem habent impii, ut nunquam acquiescant cum uno excessu, sed temerario ausu eos semper multiplicent.

— — — *Nam quis*
Peccandi finem posuit sibi? quando recepit
Ejectum semel attritâ de fronte ruborem?
Quisnam hominum est, quem tu contentum videris uno
Flagitio?

Ita Juvenalis Satyr. 13.

PSAL. CVI. ℣. 8. &c.

COelestis noster Cygnus, totus quantus intentus ad gloriam Dei, Psal. 106. iteratis vicibus repetit illum versum; *Confiteantur Domino misericordiæ ejus, & mirabilia ejus filiis hominum;* ut videri potest in vers. 8. 15. 21. 36. &c. 418. Epistrophe.

Hæc figura vocatur Epistrophe, id est, Reversio, Poëtis sæpissimè usitata; Theocritus frequenter utitur hoc versu intercalari;

Dicite Bucolicos mea carmina dicite cantus.

Ad hujus imitationem Virgilius Eclog. 8. sæpius repetit;

Incipe Mænalios mecum mea tibia versus.

Similiter Martialis lib. 2. Epigr. 15.

Capto tuam, pudet heu, sed capto Maxime cœnam,
Tu captas alias; jam sumus ergò pares.
Manè salutatum venio: tu diceris isse,
Antè salutatum; jam sumus ergo pares.
Sum comes ipse tuus, tumidique anteambulo Regis:
Tu comes alterius: jam sumus ergò pares.

PSAL. CVI. ℣. 16.

UT Regius Propheta describeret Divinam benignitatem, quâ Israëlitas liberavit servitute Ægyptiâ; recurrit ad formam metaphoricam, aitque, eum rupisse portas æreas, & vectes ferreos. *Contrivit portas æreas, & vectes ferreos confregit.* Psal 106. v. 16. 419. Portæ ferreæ & catenæ ruptæ.

Simile factum Virgilius attribuit Deæ Junoni lib. 7. Æneid. v. 620.

Tu Regina Deûm cœlo delapsa, morantes
Impulit ipsa manu portas, & cardine verso
Belli ferratos rupit Saturnia postes.

Et Ennius, citatus à Ludovico la Cerda in hunc locum;

— — — Discordia tetra
Belli ferratos postes, portasque refregit.

PSAL. CVI. ℣. 16.

410. As & ferrum in portis. COronatus Cytharœdus ait, quòd Deus in favorem Israëlitarum, quando erant servi in Ægypto, *contrivit portas æreas, & vectes ferreos confregit*. Psal. 106. v. 16. quæ verba in sensu litterali demonstrant, quàm fortes fuerint carceres Ægypti, dum habuerunt portas æreas, & pessulos ferreos.

De his materiis, ad firmandas portas & feras adhibitis, sæpius agit Virgilius lib. 7. Æneid.

Centum ærei claudunt vectes, æternaque ferri
Robora.

Et lib. 6. describens portam inferni;

Porta adversa, ingens, solidoque adamante columna
Vis ut nulla virum; non ipsi excidere ferro
Cœlicolæ valeant: stat ferrea turris ad auras.

PSAL. CVI. ℣. 26.

411. Undæ maris commotæ. UNdæ maris, ventorum furore infestatæ, colliduntur & non fine prodigioso horrore distorquentur; sublatis nunc in altum, quasi stellas detrahere vellent; nunc in imum depressis, quasi portas inferni dirumpere conarentur. *Ascendunt usque ad cælos, & descendunt usque ad abyssos*. Psal. 106. v. 26.

Ovidius 1. Trist. Eleg. 2. exactè in rem præsentem;

Me miserum! quanti montes volvuntur aquarum!
Jamjam tacturos sydera summa putes.
Quantæ diducto subsidunt æquore valles:
Jamjam tacturas Tartara nigra putes.

Et Virgilius 3. Æneid. v. 564.

Tollimur in cælum curvato gurgite, & iidem
Subductâ ad manes imos descendimus undâ.

PSAL. CVI. v. 25.

412. Tempestas maris facit attonitos nautas. CUm Psaltes Regius describeret iratos tempestatum motus, & spumantes undarum fastus; *stetit spiritus procellæ, & exaltati sunt fluctus ejus Ascendunt usque ad cælos, & descendunt usque ad abyssos*. Psal. 106. v. 25. &c. mox adjungit, miseros agitatos, plenosque infinitarum perturbationum, non scivisse, quid agerent. *Et omnis sapientia eorum devorata est*. Psal. 106. v. 27.

Lucanus lib. 5. Pharsal.

Artis opem vicêre metus, nescitque Magister
Quam frangat, cui cedat aqua discordia ponti.

Seneca in Agamemn.

Nil ratio & usus audet in magnis malis.
Tenet horror artus, omnis officio stupet
Navita relicto, remus effugit manus.

Ovidius 11. Metamor:

Ipse pavet, nec se quis sit status ipse fatetur
Scire ratis Rector, nec quid jubeatve, velitve.
Tanta mali moles, tantoque potentior arte est.
Deficit ars, animique cadunt.

Et lib 1. de Trist. Eleg. 2.

Rector in incerto est, nec quid fugiatve, petatve
Invenit, ambiguis ars stupet ipsa malis.

PSAL. CVI. ℣. 28.

HEbræi, qui affluente felicitate, non habuêre voces aut linguas ad agendas Deo gratias; oppressi calamitatibus mox habuêre linguas & voces ad invocandum Dei auxilium. *Et clamaverunt ad Dominum cùm tribularentur*. Psal. 106. v. 28. adeoque tribulatio est quædam infirmitas, cogens hominem ad implorandum Divini Medici auxilium. 413. Tribulatio cogit ad Deum

Seneca in Agamemnone;

In vota miseros ultimus cogit timor.

Et in Octavia;

— — — Tollitur ingens
Clamor ad astra cum fœmineo
Mixtus planctu, mors ante oculos
Dira vagatur. Quærit Lethi
Sibi quisque fugam.

Virgilius lib. 1. Æneid. loquens de Ænea;

Extemplo Æneæ solvuntur frigore membra;
Ingemit, & duplices tendens ad sidera palmas
Talia voce refert. &c.

PSAL. CVI. v. 29.

QUantumvis prodigiosa sit effrenis procellarum feritas; longè tamen magis prodigiosa est Divina potentia, quæ illas unico nutu coërcet, & ad summam tranquillitatem reducit. *Et statuit procellam ejus in auram, & siluerunt fluctus ejus*. Psal. 106. v. 29. Et conversus ad Deum Psal. 88. v. 10. *Tu dominaris potestati maris: motum autem fluctuum ejus tu mitigas*. 414. Deus obdit mari.

Erat horribili tempestate turbatum mare, fremebant venti, spumabant aquæ, intumescebant undæ, & videbantur insurrecturæ adversùs nubes. At Neptunus ibi apparens, mox composuit omnes tempestatum tumultus. Ita fingit Ovidius lib. 1. Metam:

Nec maris ira manet: positoque tricuspide telo
Mulcet aquas Rector pelagi.

PSAL. CVI. ℣. 33.

REvolventibus sæculis, miræ in Elementis videntur mutationes. Flumina exsiccantur & arescunt; terra, antea irrigata aquis copiosè scaturientibus, commutatur in pumicem; campi fœcundi, veluti sale conspersi, sterilescunt. Hos successus attingit Psal. 106. v. 33. *Posuit flumina in desertum, exitus aquarum in sitim. Terram fructiferam in salsuginem à malitia inhabitantium in ea.* 415. Mutatio in pejus.

Hanc rerum mutationem in deterius, exprimit Virgilius Eclog. 5. v. 34.

— — Postquàm te fata tulerunt
Ipsa Pales agros, atque ipse reliquit Apollo,
Grandia sæpè quibus mandavimus hordea sulcis

Infelix

Infelix lolium; & steriles dominantur avenæ.
Pro molli viola, pro purpureo Narcisso
Carduus, & spinis surgit Paliurus acutis.

PSAL. CVI. ℣. 35.

416. Deſertum mutatur in paradiſum. ADeò grandis est Divina potentia & virtus, ut sciat ex aridis pumicibus eruere copiosas aquas; & squallida ac horrida deserta in amœnissimos, fertilissimosque hortos. Hæc prodigia celebravit Propheta, dum Psal. 106. v. 35. de Deo ait; *Posuit desertum in stagna aquarum, & terram sine aqua in exitus aquarum &c.*

Ab hoc discursu non abludunt oracula Sybillæ apud Virgilium Eclog. 4.

Molli paulatim flavescet campus aristâ,
Incultisq; rubens pendebit sentibus uva,
Et duræ quercus sudabunt roscida mella.

PSAL. CVI. v. 42.

417. Iniquitas facit mutum. RUborem adeò grandem parit deformitas culpæ; ut peccator manifestatus & convictus, nulla videatur habere verba, quibus se excuset aut culpas suas diluat; totus confusus, obmutescens, & taciturnus; id quod Propheta innuit Psal. 106. v. 42. *Omnis iniquitas oppilabit os suum.* Exemplum se offert in illo temerario, qui interrogatus, cur auderet sedere ad regiam, mensam destitutus veste nuptiali? *obmutuit.* Matth. c. 22. v. 12.

Idipsum testatur Sophocles;

Furans cùm quis apertè repertus fuerit,
Silere ei necesse, quamvis bonum & facundum ferat os.

PSAL. CVII. v. 13.

418. Vanitas humana. OMnis spes nostra unicè debet esse collocata in Deo, quia fiducia in hominibus reposita, caret omni fundamento, & vanitati penitus obnoxia est. Unde ad Deum conversus David, benè dixit Psal. 107. v. 13. *Da nobis auxilium de tribulatione, quia vana salus hominis.* Id quod repetitur Psal. 59. v. 13. & Psal. 145. v. 3.

Adamus de S. Victore, Canonicus Regularis, in Epitaphio, quod suo sepulchro præfixit, & adhuc in Monasterio S. Victoris extra Parisios reperitur, inter alia scripsit;

Vana salus hominis, vanus decor, omnia vana,
Inter vana, nihil vanius est homine.

PSAL. CVIII. v. 10.

419. Exilium & paupertas. INter varias maledictiones, quas Regius Psaltes in justam pœnam imprecatur homini scelerato, seu rectius populo Hebræo; recensetur etiam ista, *Nutantes transferantur filii ejus, & mendicent, & ejiciantur de habitationibus suis,* Ps. 108. v. 10. adeoque comdemnati sunt ad exilium & mendicitatem, pœnas sanè gravissimas & atrocissimas.

Medæa in furiam acta, apud Senecam in cognomine ipsius Tragœdia, Act. 1. loquens suis furiis; postquàm dixit,

-- -- *Conjugi lethum nova,*
Lethumque socero, & regiæ stirpi date.

Subjungit;

Mihi pejus aliquod, quod precor sponso malum
Vivat: per urbes erret ignotas, egens,
Exul, pavens, invisus, incerti laris.

Nam, ut Seneca in Thyest. Act. 5. dixit;

-- -- *trepidi comes exilii*
Tristis egestas.

PSAL. CXI. v. 7.

MOrs falcem suam frustrà acuit contra hominem justum, eumque aliorum hominum visui subducit; cùm ipsius meritum in posterorum memoria vitam habeat immortalem, &, ut protestatur Propheta Psal. 111. v. 7 *In memoria æterna erit justus.* Et Ecclesiasticus 39. v. 13. *Non recedet memoria ejus, & nomen ejus requiretur à generatione in generationem.* 420. Justus semper vivit.

Dionysius Halicarnassæus lib 8. Antiquit. Roman. de Marcio ait; *Memoria ejus post quingentesimum ab obitu annum nondum evanuit, sed nostro quoque tempore ab omnibus decantatur & prædicatur ut vir justus & pius.*

PSAL. CXIII. v. 4.

AD significandam insolitam & ingentem lætitiam ex adventu aut præsentiâ cujusdam magni Principis, pro tripudiis & festivis solemnitatibus introducuntur ipsæ etiam res inanimatæ. David Psal. 113. v. 4. sive loquatur de Israëlitis, egressis Ægyptum; sive de eo tempore, quo Deus in monte Sion, veluti in throno apparuit; ait, quòd *Montes exultabunt omnia ligna sylvarum ante faciem Domini, quoniam venit.* & Isaias cap. 55. v. 12. *Montes & colles cantabunt coram vobis laudem, & omnia ligna regionis plaudent manu.* 421. Lætitia rerum inanimatarum.

Tullius in Orat. pro M. Marcello dixit; ipsos curiæ Romanæ muros reddidisse Cæsari gratias, & jubilâsse ob ipsius præsentiam. Virgilius Ecloga 5.

Ipsi lætitia voces ad sidera jactant
Intonsi montes: ipsæ jam carmina rupes,
Ipsa sonant arbusta.

Et rursùs;

— *Montesque feri, sylvæque loquuntur.*

Et lib. 8. Æneid. describens triumphum Octaviani Augusti, ait;

Maxima tercentum totum delubra per orbem
Lætitia, ludisque viæ, plausuque fremebant.

PSAL. CXIII. ℣. 6.

DOctissimus Gaspar Sanchez, commentatus in 2. Reg 22. v. 8. observat; verba hujus Psalmi 113. v. 6. *Montes exultâstis sicut arietes, & colles sicut agni ovium*; non debere intelligi tanquam signa lætitiæ, sed quod saltare ex uno loco in alium fiat ob violentum excessum terroris. *Exultare autem hoc loco non est lætari, sed ex suis sedibus convelli, & salire in alium locum*; id quod manifestatur ex versu sequenti; *A facie Domini mota est terra.* Ad hoc propositum Isaias 13. v. 13. de Deo contra Babylonios irato ait; *Super hoc cælum turbabo, & movebitur terra de loco suo propter indignationem Domini exercituum.* Et S. Joannes in Apocal. c. 20. v. 11. *Vidi thronum magnum, candidum, & sedentem super eum, à cujus conspectu fugit terra & cælum, & locus non est inventus eis.* 422. Saltare præ terrore.

Davi-

Davidis versui; *Montes exultâstis &c.* non absimilis est versus Virgilii 3. Æneid. ubi de mari, ad oras Siciliæ agitato, ait;

Exultantque vada, atque æstu miscentur arenæ.

Ita Plinius l. 2. c. 83. refert; *In agro Mutinensi montes duo inter se concurrerunt, crepitu maximo assultantes, recedentesque.* Quòd montes ad præsentiam Divinæ Majestatis præ terrore concutiantur, testatur Eschilus, citatus à S. Clemente Alexandrino lib. 5. Strom. cap. ult.

Montes tremiscunt, terraque, & vasti maris
Ingens profundum, & montium cacumina
Cùm viderint Domini oculos terribiles,
Cuncta potens nam gloria est altissimi.

PSAL. CXIII. ℣. 9.

433. SUmmam laudem meretur ille fidelis, qui è suis meritoriis & virtuosis operationibus nullum desiderat applausum, sed totam gloriam unicè in Deum refert; dicens cum Psalmista 113. v. 9. vel 1. *Non nobis Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam.* quod etiam suadet Apostolus 1. Tim. 1. v. 17. *Regi sæculorum immortali & invisibili, soli Deo honor & gloria. &c.*

Gloria debetur Deo.

Gregorius III. cum insignis quidem Orator in ipsius laudem composuisset panegyrin, lachrymabili voce respondit; *Non nobis Domine, non nobis; sed nomini tuo da gloriam.* Constantinus Magnus; quascumque expeditiones absolvisset, & quascumque victorias reportâsset, ingenuè tamen & apertè illas omnes attribuit Christo Salvatori. Carolus V. quodam prælio felicissimè finito, dixit; *Ego veni, vidi, & Deus vicit.*

PSAL. CXIII. ℣. 12.

434. CÆca Gentilitas ad honorem suorum fabulosorum Numinum, quæ adorabat, eorum simulachra formavit ex nobilissimis metallis, videlicet auro & argento, ut tali modo majore pretio & æstimatione haberentur. *Simulachra gentium argentum & aurum, opera manuum hominum.* Psal. 113. v. 12. seu 4.

Idola ex auro & argento.

Quo tempore cœperint Gentiles simulachra formare ex auro, refert Plinius l. 33. c. 4. & quando ex argento, c. 12. Plato l. 12. de Leg. consuluit Atheniensibus, ne formarent statuas Deorum ex auro, argento, vel ære; sed solùm ex saxo vel ligno; idque ideò, ut observat Theodoretus l. 3. Græc. Affect. ne, si simulachra penitus prohiberet, Athenienses contra ipsum conspirarent, eumque veneno interficerent, ut fecerunt Socrati; proinde pulchro astu permisit illa fieri ex materia vili, ut demonstraret, statuas illas esse Divinitatis inanes, contemptibiles, & nullius æstimationis.

PSAL. CXIII. ℣. 16.

435. NObilitas cœli adeò superat terram, ut cœlum sublime, immensum & luminosum, sit destinata Dei habitatio, ubi ipsius gloria peculiari modo resplendet; terra autem est assignatum hominibus domicilium. *Cœlum cœli Domino: terram autem dedit filiis hominum.* Psal. 113. v. 16.

Ex hoc Psalmo videri possit Plinius descripsisse id, quod annotavit l. 2. cap. 63. *Sequitur terra &c. sic hominum illa, ut cœlum Dei.*

PSAL. CXV. ℣. 11.

SIcuti omnes filii Adam concepti sunt in peccato originario, ita sive naturæ corruptæ vitio, sive inductâ malâ consuetudine, secum ferunt promptam inclinationem ad mentiendum & promissa frangenda. Unde David protestatur Psal. 115. v. 11. seu 2. *Ego dixi in excessu meo; omnis homo mendax.* Cui subscribit S. Paulus Rom. 3. v. 4. *Est autem Deus verax, omnis autem homo mendax.* Unde S. Augustinus in Sententiis num. 322. *Nemo habet de suo, nisi peccatum, & mendacium; si quid autem homo habet veritatis, atque justitiæ, ab illo fonte est, quem debemus sitire in hac eremo. &c.* 436.

Mentiri est vitium frequens.

Hanc hominum proclivitatem ad istud vitium maximè observârunt Gentiles. Cicero pro L. Flacco dixit, suis temporibus, *Græcis jusjurandum jocum fuisse, testimonium ludum; laudem, gratiam, gratulationem positam omnem in impudenti mendacio.* Theognites dicebat; *Paucis à multis fidus est animus.* Et Architas; *Ut sine spinis invenisse piscem difficile est: ita & hominem, qui non dolosum, spinosumque quiddam habeat.*

PSAL. CXV. ℣. 13.

BEnè dicit S. Hieronymus; *Calicem in Scripturis Divinis passionem intelligimus.* Unde David, jamjam dispositus ad calicem illum avidè ebibendum, in quo amaritudines, miseriæ, & passiones repræsentantur; prorupit in sacras voces, benedicens & invocans Deum, veluti ex hâc invocatione obtenturus omnem salutem. *Calicem salutaris accipiam, & nomen Domini invocabo.* Psal. 115. v. 13. 437.

Invocatio Dei salutifera.

Athenæus lib. 1. Dipnosoph. c. 1. refert, Amphictyonem expressâ lege statuisse, ut Athenienses, priusquàm ebiberent calicem, invocarent nomen Jovis Salvatoris, quia tali modo futurum dicebat salutiferum illum potum. *Jovis præterea Servatoris nomen invocare constituit, memoriæ gratia bibentium, quòd sic bibentes salutem sine dubio consequerentur.*

PSAL. CXVII. v. 12.

UT David demonstraret ardorem ac violentiam, quâ inimici magno numero ad ipsum pungendum & torquendum irruebant, recurrit ad metaphoram apum, quæ immensâ rabie solent contra quoscumque suis cellulis vicinos advolare. *Circumdederunt me sicut apes.* Psal. 117. v. 12. 438.

Apes rabiosæ.

Etiam Claudianus recurrit ad apes, ut describat iram exacerbatorum defunctorum contra Ruffinum lib. 2.

Tunc animæ, quas ille fero sub jure peremit
Circumstant; nigrique trahunt ad Judicis urnam
Infesto fremitu; veluti pastoris in ora
Commota glomerantur apes, qui dulcia raptu
Mella trahit, pennasque cient, & spicula tendunt.

PSAL. CXVII. ℣. 12. 439.

DAvid concitatas ab hostibus persecutiones comparat cum igne in spinis excitato. *Exarserunt sicut ignis in spinis.* Ps. 117. v. 12. forsan demonstraturus, illas diu non durare & brevi finiri.

Ignis in spinis brevi finitur.

Silius

Silius Italicus lib. 1. loquens de quodam milite, annis gravido;

Ille quidem cruda mente, & viridissimus ira
Ibat: sed vani frigentem in Marte senectam
Prodebant ictus, stipula crepitabat inani
Ignis iners, crassamque dabat sine robore flammam.

Sedulius lib. 4. *Paschalis operis* calumnias, à synagoga contra Christum cumulatas, comparat cum flamma intra stipulas excitatâ;

— Jamjamque volant mendacia mille
In Dominum, vanis hominum conflata favillis,
Quæ pereunt levitate sui, velut ignis oberrans
Arentes stipulas, vires cui summa cremandi
Materies infirma rapit, victoque furore
Labitur invalida deformis gloria flammæ.

Ovidius, loquens de juvenili & amoroso ardore lib. 5. Trist. Eleg. 8.

Flammaque de stipula nostra, breviság, fuit.

Et Seneca in Octavia;

Juvenilis ardor impetu primo furit,
Languescit idem facile, nec durat diu
In Venere turpi, ceu levis flammæ vapor.

PSAL. CXVII. ỳ. 17.

440. David, plenus gratissimo affectu erga Deum, non ob aliam causam amavit vitam, nisi ut eam impenderet ad laudes & benedictiones supremi sui benefactoris; unde se declarat Psal. 117. v. 17. *Non moriar, sed vivam, & narrabo opera Domini.*

Vita servata in alterius laudem.

Virgilius Eclog. 4. v. 13. sibi ipsi desiderat & precatur vitam adeò longam, & spiritum ita elevatum, ut dignè servire queant ad celebrandas virtutes & merita Salonini;

O mihi tam longæ maneat pars ultima vitæ,
Spiritus & quantum sat erit tua dicere facta.

PSAL. CXVIII. v. 24.

441. INter molestas curas & intricata negotia tribunalis, justitiæ, & regiminis; David semper retinuit oculos defixos in divina lege, desumens directionem & consilium à præceptis Dei. *Nam & testimonia tua meditatio mea est, & consilium meum justificationes tuæ* Psal. 118. v. 24.

A Deo sumere directionem.

Plinius in Panegyr. ad Trajanum hanc maximam tradit; *Nihil rectè, nihilque prudenter auspicantur homines sine Deorum immortalium ope, consilio, honore.* Seneca Ep. 41. *Bonus vir sine Deo nemo est. An potest aliquis supra fortunam, nisi ab illo adjutus, exurgere? Ille dat consilia magnifica & erecta.* Unde Cyrus suasit Cambysi; *Ut nihil publicum vel privatum ageret, nisi prius ad Deum confugeret.* Xenoph. l. 8. Cyripæd.

PSAL. CXVIII. ỳ. 26.

442. SAcri Interpretes ad illa verba Psal. 118. v. 26. *Vias meas enuntiavi*; observant, eadem dicere, ac *narravi, recensui.* adeoque idem esse, ac; *Delictum meum cognitum tibi feci, & injustitiam meam non abscondi.* Psal. 31. v. 5. *Et iniquitatem meam annuntiabo.* Psal. 37. v. 19. sic nimirum prudenti sagacitate suos errores accusans, constituebatur bonus pœnitens securo felicitatis & salutis loco.

Accusare suos errores juvat.

Seneca Epist. 54. *Sicut somnia narrare, vigilantis est; ita vitia sua confiteri, sanitatis indicium est.* veluti diceret; qui confitetur sua vitia, benè illa cognoscit; qui cognoscit, non potest non illa abominari; qui abominatur, ab iis eximitur & præservatur.

PSAL. CXVIII. ỳ. 37.

PReces illæ Davidis ad Deum Psalm. 118. v. 37. *Averte oculos meos, ne videant vanitatem*; intelligenda sunt de quovis objecto peccaminoso, quia ab omnibus æquali modo desiderabat præservari; proinde dicere volebat; fac, o mi Deus, ut oculi mei non capiantur vanitatibus; *Res omnes, quæ sub oculis cadunt, & allicere immoderatum appetitum possunt, atq; fallaci boni specie fallere, sive sit mulier, sive idolum, sive vanus honor. &c.* 443.

Oculus remotus à malis objectis.

Lucretius de Rerum principiis;

Sed fugitare decet simulachra, & pabula amoris
Abstergere sibi, atq; aliò convertere mentem.
Vlcus enim vivescit, & inveterascit alendo:
Inque dies gliscit furor atque ærumna gravescit.

Unde Scipio noluit videre sponsam nobilis cujusdam Hispani; nec Cyrus Pantheam; nec Alexander uxorem Darii; ne à fœminea venustate concitarentur ad inordinatum excessum.

PSAL. CXVIII. v. 54.

LEx divina jam tempore Davidis reperiebatur explicata spiritualibus quibusdam cantilenis, quæ suis rhytmis & harmoniis suaviter attrahebant adultos & juvenes ad eos concinendos. Id quod Propheta innuit, dum dixit; *Cantabiles mihi erant justificationes tuæ in loco peregrinationis meæ.* Psal. 118. v. 54. Hunc morem observat tota Christianitas in Italia, Hispania, & aliis provinciis; imò etiam apud Indos orientales in praxin deductus est à S. Francisco Xaverio. 444.

Lex Dei cantata.

Aristoteles Sect. 19. Probl. in 28. ait, antiquos, priusquam habuerunt cognitionem litterarum, cantâsse leges patrias, ne unquàm memoria exciderent. Plato 2. de Leg. jussit, ut juvenes discerent aliquas odas, easque sæpius cantarent, quæ continebant, quidquid à legibus erat laudabile ac præceptum; & quidquid detestabile ac prohibitum. Ælianus lib. 2. de Var. Hist. cap. 39. *Cretenses jusserunt liberorum filios cum quodam concentu & melodia leges perdiscere, ut ex musica voluptatem caperent, & facilius eas memoria complecterentur.*

PSAL. CXVIII. ỳ. 66.

DAvid Deum tria precatus est; *Bonitatem, disciplinam, & scientiam doce me.* Psal. 118. v. 66. id est, bonitatem internam, & scientiam practicam ac moralem, ut observant sacri Interpretes. Omnium tamen primò petit bonitatem, veluti fundamentum & dispositionem proximam ad recipiendos habitus scientificos; 445.

Bonitas ante scientiam.

Nam scientia tam practica, quàm moralis, ut observat Aristoteles lib. 1. Ethic. *Benè affectum requirunt discipulum, ut scientiis imbuatur.*

PSAL. CXVIII. ℣. 67.

Peccatum causat miseriam.

446. DAvid, in memoriam revocans gravissimas calamitates ac persecutiones à se toleratas, & calumnias sibi à perduellibus subditis illatas, apertè fatetur, eas fuisse præcedenti peccato, à se commisso, consequenter connexum. Unde dixit Psal. 118. v. 67. *Priusquam humiliarer ego deliqui.*

Franciscus I. Rex Galliarum in bello captus, cùm aliquod templum ad horam tertiam intraret, fuit observatum, in ipso ejus ingressu versiculum illum in choro recitari; *Priusquàm humiliarer, ego deliqui.* quo audito, nonnulli prudentes concluserunt; id evenisse peculiari voluntate Dei; ut Rex intelligeret, aliquod suum peccatum esse causam probrosæ illius captivitatis, quæ ipsum humiliaret & mortificaret. Ita refert Joan. Lorinus, conterraneus Galliæ, in hunc locum.

PSAL. CXVIII. ℣. 95.

Religio præposita vitæ.

447. IN pectore Davidis adeò profundas radices egit pietas & religio; ut, tametsi à persecutorum crudelitate re ipsâ infestatus, & ad mortem conquisitus, se magis ad meditandam Dei legem, quàm ad conservandam vitam impenderit. *Me expecta:erunt peccatores ut perderent me: testimonia tua Domine intellexi.* Psal. 118. v. 95.

De Numa Pompilio scribit Plutarchus in ipsius vita, quòd actu offerens sacrificium, acceperit nuntium, hostem armatum & furibundum in ipsum irruere; at ille nec minimùm turbatus, suum ministerium prosecutus est, & quietè respondit; *At ego sacrifico.*

PSAL. CXVIII. ℣. 109.

Animam in manu ponere.

448. SAcræ Litteræ pluribus locis significaturæ, aliquem esse periculo vitæ expositum, dicunt, eum animam posuisse in manibus. Vnde quando nos legimus Psal. 118. v. 109. *Anima mea in manibus meis semper*; Chaldæus traducit; *Anima mea periclitatur, ac si in superficie manûs mea esset.* Hæc loquendi forma etiam usitata est 1. Reg. 19. v. 5. & c. 28. v 1. Job. 13. v. 14. Eâdem usus est S Bernardus Serm. in Ob. tu S. Malachiæ; *Rogatus itaque à fidelibus Malachias noster, ut tantis sese malis opponeret, animam suam in manibus suis ponens, accessit intrepidus, suscepit Archiepiscopatum, tradens sese discrimini manifesto. &c.*

Xenarchus, citatus ab Athenæo lib. 13. c. 3. eodem loquendi modo usus est, quando dixit;

Semper trepidantem, contremiscentem,
Formidantem, in manu animam habentem.

PSAL. CXVIII. v. 111.

Virtus est magna hæreditas.

449. IDem gaudium, quod alii haberent in acquirenda possessione grandium & copiosorum bonorum; David habuit in intelligenda & observanda lege Dei, quam præ omni hæreditate æstimavit, utpote fœcundam incorruptibilis virtutis, meriti, & gloriæ. *Hæreditate aquisivi testimonia tua in æternum.* Psal. 118. v. 111.

Tulllius lib. 1. de offic. dixit; *Optimam hæreditatem à patribus tradi liberis, omnique patrimonio præstantiorem, gloriam virtutis, rerumque gestarum.*

PSAL. CXVIII. v. 112.

Bonitas amata propter lucrum.

450. UT virtus, instar nobilis virginis, instructa sit insigni pulchritudine; cor tamen humanum, veluti amans lucri cupidus, eam non amat propter se ipsam, sed solummodò ob ingentem dotem beatæ ac sempiternæ mercedis, quam nobis affert. Unde David; *Inclinavi cor meum ad faciendas justificationes tuas in æternum: propter retributionem.* Psal. 118. v. 112.

Exactè Ovidius lib. de Ponto.

Nec facilè invenies multis in millibus unum,
Virtutum pretium qui velit esse sui.
Ipse decor recti, facti si præmia desint,
Non movet, & gratis pœnitet esse probum.

PSAL. CXVIII. v. 113.

Justus gaudet Deo.

451. CUm Davidis anima esset Deo per gratiam & virtutem unita, non sensit delectationem aut suavitatem majorem, ac in iis rebus, quæ secum afferebant servitium aut amorem Dei; unde Lex Divina erat ipsi instar nectaris, sacchari, & mellis. *Quàm dulcia faucibus meis eloquia tua: super mel ori meo.* Ps. 118. v. 113.

Seneca l. 3. Natur Quæst. non recedit ab hoc sensu; *Cùm homo Divina contemplatur, alitur, crescit, & hoc habet argumentum Divinitatis suæ, quòd illum Divina delectant, nec ut alienis interest, sed ut suis.*

PSAL. CXVIII. v. 129.

Res mirabiles attrahunt.

452. SI interrogaveris; quâ ratione Regius Propheta semper fuerit intentus contemplandæ ac meditandæ Legi Divinæ, omnesque suas delitias ac virtuosissima solatia in ea repererit? ipsemet respondebit, se ad id allectum fuisse admirandis & obstupescendis motivis, quæ in lege Dei deprehenduntur. *Mirabilia testimonia tua; ideò scrutata est ea anima mea.* Ps. 118. v. 129.

Aristoteles lib. 2. Metaph. c. 2. & Plato in Theæt. concordi sensu docent; admirationem, excitatam in corde & mentibus hominum, esse illam, quæ iis dulci violentiâ persuadet, ut philosophentur, & investigent causas occultas illarum rerum, quas observant & admirantur.

PSAL. CXVIII. ℣. 36.

453. EXagerans est illa locutio Psal. 118. v. 136. ubi dicitur, ex oculis pœnitentis Davidis fluxisse torrentes aquarum. *Exitus aquarum deduxerunt oculi mei.* uti & illa Ps. 6. v. 7. *Lachrymis meis stratum meum rigabo.* Et Thren. 2. v. 18. *Deduc quasi torrentem lachrymas per diem & noctem. &c.* Nam hic modus loquendi deservit ad exprimendam ingentem vehementiam mœroris & doloris.

Hoc sensu Virgilius 1. Æneid. v. 469.

Multa gemens, largoque humectat flumine vultum.

Statius lib. 4. Thebaid.

— *Largùque humectant imbribus ora.*

Phrasis hæc usitata fuit Theophilacto Simocattæ lib. 1. Hist. Mauritan. cap. 2. ubi ait; *Tiberio Imperatore defuncto, incisis lachrymarum venis, plurimorum ex oculis flumina proruppisse.*

PSAL. CXVIII. ℣. 139.

Zelus cum tristitia.

454. CUm noster Propheta summo zelo prosequeretur honorem Dei, & integram sanctæ legis observantiam; idcircò acerrimè offendebatur & affligebatur, quando vidit, eam ab hominibus vitiosis infringi. Unde ubi nostra Vulgata legunt; *Tabescere me fecit zelus meus,*

quia

quia obliti sunt verba tua inimici mei. Psal. 118. v. 139. alii legunt; *Contristavit, oppressit, consumpsit zelus meus. &c.*

Quòd zelus comitem habeat tristitiam, observavit Aristoteles l. 2. Rhet. cap. 11. *Est zelus cum tristitia conjunctus, quòd alius potiatur eâre, quam concupiscis, vel quòd impediat, aut impugnet bonum amici tui.*

PSAL. CXX. ℣. 4.

455. PRopriissima Principis virtus est vigilantia, ut supra dixi ad c. 6. Esth. v. 1. ubi dicitur de Assuero: *Noctem illam duxit Rex insomnem.* at ipsemet David mihi porrigit novam authoritatem Psal. 120. v. 4. ubi dicit; *Ecce non dormitabit, neq; dormiet, qui custodit Israël.*

Vigilantia Principis.

Virgilius hanc virtutem deprehendit in suo Heroe;

At prius Æneas per noctem plurima volvens.

Plutarchus *opusc. advers. Ducem imperitum* scribit; Epaminondam, quando alii Belliduces assidebant conviviis, mansisse sobrium & vigilantem. Plinius inter alias laudes, quas in sua panegyri tribuit Trajano, etiam hanc recenset; *Tibi parcus & brevis somnus.* Alexander magnus, referente Ariano lib. 8. solebat dicere suis militibus; *plus vigilare, quàm vos, me certò scio; ut ipsi quietos somnos capere possitis.* Caligula sibi fecit fabricari coronam, in qua repræsentabantur effigies solis, lunæ, & stellarum, *ut sibi sive noctu, sive interdiu perpetuò vigilandum recordaretur.* Pierius Valerianus lib. 44.

PSAL. CXX. ℣. 6.

456. NEmini videatur paradoxus ille modus loquendi Psalmo 120. v. 6. *Per diem sol non uret te, neque luna per noctem*; quia non tantùm sol ardens, sed etiam luna, id est, frigus nocturnum, adurit & destruit herbas terræ.

Frigus adurit.

Virgilius lib. 1. Georg. v. 92.

Ne tenues pluviæ, rapidive potentia solis
Acrior, aut Boreæ penetrabile frigus adurat.

Ita Calpurnius Eclog 5. expressa Virgilii imitatione;

- Ne forte rigor penetrabile corpus adurat.

Lucanus lib. 4.

Urebant montana nives, camposq; jacentes
Non duratura conspecto sole pruina.

Et S. Gaudentius, Episcopus Brixiensis in Dedicat. Basil. ss. Quadrag. Mart. *Urebat acritudo nimii frigoris lucentes rigentium corporum cutes.*

PSAL. CXXI. ℣. 2.

457. POëtæ nonnunquam utuntur figura, quam vocant palilogiam, ubi verba, ad finem periodi dicta, adhibentur initio sententiæ sequentis: uti in Psalmo 121. v. 2. *Stantes erant pedes nostri in atriis tuis Jerusalem. Jerusalem quæ ædificatur ut civitas. &c.*

Palilogia.

Virgilius Eclog. 10. v. 72.

Pierides: vos hæc facietis maxima Gallo;
Gallo, cujus amor tantum mihi crescit in horas.

Sedulius:

— — — mihi noxia conjux,
Noxia tu conjux magis, ac Draco perfidus ille,
Perfidus ille Draco, sed tu quoq; noxia conjux.

Et Tassus:

Beltà sei di natura inutil dono,
Dono infelice io ti rifiuto. &c.

PSAL. CXXI. ℣. 6.

DUæ felicitates prædicuntur Hierosolymis, 458.
videlicet pax & abundantia, quæ sibi mutuò fœderatæ sunt. *Rogate quæ ad pacem sunt Jerusalem, & abundantia diligentibus te.* Psal. 121. v. 6.

Pax cum abundantia.

Hanc conjunctionem probè perspectam habuêre Gentiles. Unde Pausanias in Atticis & Bæoticis refert, Athenis fuisse simulachrum Palladis, quod manibus sustinebat Plutonem, Deum divitiarum; quia affluentia & divitiæ semper solent comitari pacem. Seneca in Medea Act. 1. in Choro, de pace ait;

Martis sanguineas quæ cohibet manus,
Quæ dat belligeris fœdera gentibus.
Et cornu retinet divite copiam.

PSAL. CXXII. ℣. 1.

DAvid inter suas angustias non solùm supplice lingua, sed etiam oculis in cœlum defixis 459.
imploravit divinum auxilium. Unde Psal. 122. v. 1. ait; *Ad te levavi oculos meos, qui habitas in cœlis.* Et Psal. 140. v. 8. *Ad te Domine oculi mei.*

Oculi in cœlum levati.

Lucilius, citatus à Cicerone l. 2. de Nat Deorum, dixit: cuivis infelici à natura congenitum esse, ut oculos in cœlum defigat: manifesto sanè indicio, ibi Deum existere, à quo imploratur opportunum adjutorium. Virgilius hunc morem attingit lib. 12. Æneid. v. 195.

— — — Deinde Latinus
Suspiciens cœlum, tenditq; ad sydera dextram.

Ita Homerus l. 19. Iliad.

Supplicans autem dixit, suspiciens in cœlum latum.

Et lib. ultimo:

Supplicavit deinde, cœlum aspectans.

PSAL. CXXII. ℣. 2.

OMnem laudem promerentur servus & ancilla, si ex reverentia & amore semper suos 460.
oculos teneant defixos in suis dominis, ut celeriter & accuratè possint exequi eorum mandata, & etiam nutibus respondere. Tales, teste Regio Psalte, erant boni Israëlitæ; de quibus Psal. 122. v. 2. *Sicut oculi servorum in manibus Dominorum suorum, & sicut oculi ancillæ in manibus Dominæ suæ; ita oculi nostri ad Dominum Deum nostrum.*

Servi semper defixi in Domino.

Plautus in Aulular. ait, illum esse bonum servum, qui *vultum ex heri vultu comparat, & ita imperium herile ediscit, ut quid frons velit, oculi sciant.* Idem Plautus cujusdam Principis ore;

— — — Edico tibi
Ut hujus oculos in oculis habeas tuis,
Quoquo hic spectabit, & tu spectato simul.

Terentius in Adelph. Act. 2. scen. 2. introducit importunum & imperiosum Dominum ita loquentem;

Cave nunc jam oculos à meis oculis
Quoquam dimoveas tuos,
Ne mora sit, si innuerim, quin pugnus
Continuò in malam inhæreat.

PSAL. CXXV. ℣. 5.

LAbor haud dubiè est mater quietis: & incommoda præcedentia afferunt optima seque-

Labor est basis felicitatis. sequelà felicitates ac commoda. Ita Psal. 125. v. 5. *Qui seminant in lachrymis, in exultatione metent. Euntes ibant, & flebant, mittentes semina sua; venientes autem venient cum exultatione, portantes manipulos suos.*

Etsi non ausim dicere, lectum aliquando à Plauto Psalterium Davidis; scio tamen, illum in suo Mercatore, scenâ *Duas res*; prorsus conformiter dicere;

Tibi aras, tibi occas, tibi seris, tibi eidem & metis,
Tibi denique iste pariet lætitiam labor.

Arianus lib. 5. Hist. *Labores & præclara facinora adeuntibus, & vita ipsa cum virtute conjuncta, jucunda est, & mors nequaquam acerba.* T. Livius Decad. 1. lib. 5. *Labor, voluptasque dissimillima natura, societate quâdam naturali inter se sunt juncta.*

PSAL. CXXVI. ℣. 3.

461. *Filii sunt agri.* S. P. Basilius, Theodoretus, Euthymius, & alii, ad illa verba Psalmi 126. v. 3. *Ecce hæreditas Domini filii*; dicunt, filios esse patribus à Deo datos instar bonæ hæreditatis, seu instar pulchri agri, in quo colendo fatigantur diligenti educatione, ut ex iis recipere possint fructus virtutum & sanctarum operationum.

Hoc argumentum perspexit Euripides *in Meleagro*, citatus à Joanne Stobæo serm. 75. ubi de filiis ita loquitur; *Hæc est, ô mater, possessio pulcherrima, & prior divitiis si cui sit, & liberi boni.*

PSAL. CXXVII. ℣. 2.

463. *Labor est radix felicitatis.* AB amara laboris radice colligitur fructus suavissimæ dulcedinis plenus; & tantundem gaudii affert, quantæ fuerunt ærumnæ & dolores, antea tolerati. Unde Psal. 127. v. 2. *Labores manuum tuarum quia manducabis, beatus es, & benè tibi erit.* Simili modo Isaias 3. v. 10. *Dicite justo, quoniam benè, quoniam fructum adinventionum suarum comedet.*

Quòd ex amaro laboris thymo colligatur mel felicitatis, observat Sophocles in Electra;

Absque laboribus nulla certè felicitas.

Aristoteles 9. Ethic. c. 7. *Omnibus sua cariora sunt omnia, quæ summo labore confecta sunt.* Solebat etiam dicere; *Artium radices satis quidem esse amaras, sed dulcissimum adferre fructum.* Et Baptista Guarinus in suo P. F. sub fin.

Non è sana ogni gioia
Ne mal ciò, che v'annoia
Quello è vero gioire
Che nasce da virtù dopò il soffrire.

PSAL. CXXVIII. ℣. 3.

464. *Filii deliciæ parentum.* MAxima felicitas, quâ frui possunt senes progenitores, consistit in eo, ut videant suos filios & posteros, tanquam gratiosam coronam, circa se versari pacificos & innocuos. De eâ Regius Propheta ait Psal. 127. v. 3. *Filii tui, sicut novella olivarum in circuitu mensæ tuæ. Ecce sic benedicetur homo &c.*

Tibullus, relatus à Martino del Rio Tom. 2. Adag. 132.

Vt tibi succrescat proles, quæ facta parentum
Augeat, & circa stet veneranda senem.
Huc veniat Natalis avis, prolemque ministret.
Ludat, & ante tuos turba novella pedes.

PSAL. CXXXI. ℣. 3.

DIgnissimæ considerationis sunt protestationes Davidis; videlicet se non ingressurum in proprium tabernaculum, non iturum cubitum, non daturum aggravatis palpebris somnum; nisi prius satisfecisset debitæ erga Deum pietati & religioni. *Si introiero in tabernaculum domûs meæ; si ascendero in lectum strati mei; si dedero somnum oculis meis, & palpebris meis dormitationem, donec inveniam locum Domino.* Psal. 131. v. 3. Adeoque curam rerum Divinarum anteponebat omnibus suis commodis temporalibus. 465. *Religio antepôsita mundo.*

Hanc maximam habuêre veteres Romani, de quibus Valerius lib. 1. c. 1. n. 9. *Omnia post religionem ponenda semper nostra civitas duxit. Quapropter non dubitaverunt sacris imperia servire: ita se humanarum rerum futura regimen existimantia, si Divinæ potentiæ benè atque constanter fuissent famulata.*

PSAL. CXXXI. v. 17.

TAmetsi cornu videatur aliquid vile, in ejus tamen hieroglyphico repræsentantur res elevatissimæ & nobilissimæ, videlicet ingens potestas & magnificentia coronatorum Monarcharum. Hoc sensu dicitur Psal. 131. v. 17. *Illuc producam cornu David*: id est, authoritatem, potentiam, & majestatem regiam illius Domini. Hæc doctrina firmatur centenis Sacræ Scripturæ locis, ubi cornu interdum assumitur tanquam symbolum potentiæ; ut Ps. 17. v. 3. Ps. 43. v. 6. Psal. 74. v. 11. Eccl. 47. v. 6. 8. &c. Hierem. 48. v. 25. Thren. 2. v. 3. & 27. Mich. 4. v. 13. interdum tanquam symbolum gloriæ; ut Psal. 74. v. 6. Ps. 88. v. 18. Ps. 91. v. 11. &c. Solent etiam Sacræ Litteræ fortitudinem regnorum exprimere sub metaphora cornu; ut Isaiæ 5. v. 1. Ezech. 29. v. 21. Dan. 7. v. 7. Luc. 1. v. 69. Apoc. 5. v. 6. &c. 466. *Cornu symbolum Regi.*

Quòd cornu sit hieroglyphicum regni, observârunt Gentiles. Plutarchus loquens de Pyrrho; *Agnitus fuit ipse eximiâ cristâ, & cornibus hircinis.* Virgilius 12. Æneid. attribuit Æneæ, tanquàm Regi,

Ensemque, clypeumque, & rubra cornua, cristæ.

Pierius Valerianus lib. 7. refert, quòd prorsùs eodem tempore ex utero materno prodierint Albinus Clodius & bos candidus, habens cornua rubicunda; quibus visis concepta sunt felicissima præsagia dignitatis Imperialis, olim ab illo domino adulto obtinendæ.

PSAL. CXXXII. ℣. 2.

TAnta copia pretiosi unguenti supra caput primi & summi Sacerdotis Aaronis fusa fuit tempore consecrationis, ut à capite defluxerit in venerabilem barbam. Eò reflexit David Psal. 132. v. 2. *Sicut unguentum in capite, quod descendit in barbam, barbam Aaron.* 467. *Barba conspersa unguento.*

Anacreon præ omni terrena magnificentia æstimavit barbam, pretiosis unguentis conspersam.

Nihil curo Sardiani
Regni Gygem potentem.
Auri nec appetens sum;
Nec invidens tyrannis;
Sed curo delibutam
Vnguento habere barbam.

PSAL.

PSAL. CXXXII. ℣. 2.

468. SAcrum unguentum, fusum supra caput summi Sacerdotis & primi Pontificis Aaronis, adeò fuit abundans, ut pretiosi & odoriferi rivuli defluxerint ad postremum limbum vestium; comparueritque à capite usque ad pedes totus unctus & consecratus. Id quod recenset Psal. 132. v. 2. *Sicut unguentum in capite, quod descendit in barbam, barbam Aaron; quod descendit in oram vestimenti ejus.*

Unctio capitis & pedum.

Similis copiosa unctio reperitur facta Carolo Magno Imperatori, de quo Paulus Diaconus lib. 24. refert: *Perunctum in Basilica D. Petri Apostoli à Leone Papa à vertice usque ad pedes.*

PSAL. CXXXV. ℣. 13.

469. ISraëlitis ex Ægypto in alias terras proficiscentibus, mare rubrum divisum est per medium, stravitque ingentem viam non uno tantùm loco, sed pluribus; ut populus ille numerosissimus facilitate tantò majore transire posset ad oppositas ripas. Hujus veritatis firmandæ occasionem præbet David, dum ait, Deus *divisit mare rubrum in divisiones.* Psal. 135. v. 13.

Mare in multas partes divisum.

Civitas Babylonia erat circumdata & defensa à flumine Euphrate, cujus profundi gurgites, & immensa aquarum copia eam inexpugnabilem fecerunt. Cyrus tamen, fluvium illum in multos canales distribuens ac dividens, effecit, ut ab exercitu suo facilè potuerit transiri; prout etiam superbam illam civitatem hoc modo occupavit, sibique subjecit. Ita Herodotus lib. 1 Xenophon in Cyropæd. lib 7. & Orosius lib. 2. cap. 6.

PSAL. CXXXV. v. 25.

470. BEneficentia Divina non ad paucos tantùm restringitur, sed extenditur ad omnes creaturas, quibus profusa liberalitate providet, pascit, & recreat. De quo David Psal. 135. v. 25. *Qui dat escam omni carni.* Et rursùs Psal. 144. v. 16. *Aperis tu manum tuam, & imples omne animal benedictione.* Idipsum innuit hoc nomen *Deus*, quia, ut observat S. Johannes Damascenus, relatus ab Alberto Magno in cap. 1. Luc. *Deus dicitur, vel quia providet, & videt omnia, vel quia curat de omnibus, vel quia circuit omnia.*

Deus omnibus providet.

Seneca lib 4. de Benef. cap 6. præclarè ait: *Deus est non qui paucas boves, sed qui per totum orbem armenta dimisit, qui gregibus ubique passim vagantibus pabulum præstat. &c.* Et paulò post; *Jovem illum optimum ac maximum ritè dices & tonantem & statorem: qui non (ut Historici tradiderunt) ex eò quod post votum susceptum acies Romanorum fugientium stetit, sed quòd stant beneficio ejus omnia, stator, stabilisq; est. &c.*

PSAL. CXXXVI. ℣. 1.

471. TAmetsi vastissimæ, & ab innumero populo habitatæ essent regiones circa Babyloniam; nihilominus Hebræi coacti sunt non alibi, nisi ad ripas fluminum in sua captivitate commorari, & defluentes aquas planctuum suorum rivulis augere. *Super flumina Babylonis illic sedimus & flevimus.* Psal. 136. v. 1. Ezechiel de sua captivitate agens, ait, se habitâsse *juxta fluvium Chobar*; cap. 1. v. 1. Daniel captivus, ac memor sui status, ait: *Eram juxta fluvium magnum, qui est Tygris.* cap. 10. v. 4.

Ad flumina habitant captivi.

Flumina proinde supra suas glareas præbent miseris captivis receptaculum; idque etiam usitatum fuit, quando Hebræi, Romanorum armis oppressi, conducti sunt in Italiam; ubi cogebantur habitare propè Tyberim, ut scribit Philo de Legat. ad Cajum. Et Martialis lib. 1. Epigr. 98. attribuit Judæo titulum *Transtyberini.*

PSAL. CXXXVI. ℣. 1.

HEbræi, in Babylonia captivi, non repræsentantur stantes aut exercitati laboriosis operationibus, sed sedentes ad ripam fluminum. *Super flumina Babylonis illic sedimus & flevimus.* Psal. 136. 1. Sedere enim est situs hominis mœsti, calamitatibus oppressi, & ob extremam debilitatem ægrè consistentes pedibus. Simili modo de Amicis Jobi c. 2. v. 13. scribitur; *Sederunt cum eo in terra.* Esdr. l. 2. c. 1. v. 4. De se ipso ait: *Sedi & flevi.* Hieremias c. 2. v. 10. *sederunt in terra, conticuerunt senes filiæ Sion. &c.* 472.

Sedere convenit mœstis.

Quòd sedere sit calamitosorum & infelicium situs, observant Eruditi. Virgilius 6. Æneid. v. 617.

— sedet, æternumque sedebit
Infelix Theseus.

Id est, ut interpretatur Levinus, citatus à Patre la Cerda in hunc locum; *Luget, æternumq; lugebit. Ex nota significatione verbi sedeo.* addit la Cerda, *quod ponitur pro lugeo.* Propertius lib. 4. Eleg. 4. canit:

O utinam ad vestros sedeam captiva penates!

Achilles Bocchius acutè observat, mancipia, in antiquis numismatibus expressa, semper repræsentari sedendo; capite languente & manibus sustentato, extremum mœrorem spirantia.

PSAL. CXXXVI. ℣. 2.

AFflictus Hebræorum animus, omnis lætitiæ oblitus, ac calamitatibus undique oppressus, decrevit, musica instrumenta, veluti tunc prorsus inofficiosa, ex arboribus suspendere. Ita refertur Psal. 136. v. 2. *Super flumina Babylonis &c. in salicibus in medio ejus suspendimus organa nostra.* 473.

Instrumenta musica appensa arboribus.

Pluribus locis reperiuntur instrumenta musica è truncis & arboribus suspensa. Homerus l. 8. odyss.

Suspendit autem è palo citharam stridulam.

Virgilius Ecloga 7. v. 24.

Hic arguta sacrâ pendebit fistula pinu.

Tibullus lib. 2. Eleg. 5.

Pendebatque vagi pastoris in arbore votum,
Garrula sylvestri fistula sacra Deo. &c.

PSAL. CXXXVI. ℣. 4.

MIseri Israëlitæ, captivi in Babylonia, quando animabantur, ut cor suum erigerent canticis, jubilis, & lætitiæ signis; responderunt afflicti; *Quomodò cantabimus canticum Domini in terra aliena?* Psal. 136. v. 4. 474.

Exules incapaces lætitiæ.

Joannes, Galliarum Rex, captus à Principe Eduardo, Eduardi III. Regis Angliæ filio, Anno 1356. ductus fuit captivus in magnam Britanniam. Cùm ibi præsens aliquando esset magnificis ludis Trojanis, adstitit spirans ex oculis, fronte, & toto vultu extremum mœrorem: & cum animaretur ad lætitiam, subridens respondit: *Quomodò cantabimus canticum in terra aliena?* Polydorus Virgilius 19. Hist. Anglic.

PSAL. CXXXVIII. ℣. 5.

475. Sapientia Divina, ut pote infinita, comprehendit omnia, & cognoscit omnia, quod contigit sæculis præteritis, & eveniet futuris, oculo ipsius linceo apertissimum est. Unde Propheta Psal. 138. v. 5. ad Deum conversus; Domine, inquit, *Tu cognovisti omnia novissima & antiqua.* Et Salomon Sap. 7. v. 24. *Omnibus enim mobilibus mobilior est sapientia: attingit autem ubique.* Et cap. 8. v. 1. *Attingit ergò à fine usque ad finem fortiter.*

Deus omnia scit.

Hanc veritatem perspectam habuit Orpheus, dum loquens Deo canit:

Cuncta vides, & cuncta audis, & cuncta gubernas.

PSAL. CXXXVIII. v. 7.

476. Immensitas Divina, quemadmodum à nostro Propheta optimè intellecta, ita etiam ab eo clarè fuit explicata Ps. 138. v. 7. *Quò ibo à Spiritu tuo, & quò à facie tua fugiam? si ascendero in cælum, tu illic es, si descendero in infernum, ades. Si sumpsero pennas meas diluculo, & habitavero in extremis maris: illuc manus tua deducet me &c.*

Immensitas Divina

Etiam veteres Philosophi & Poëtæ eam agnoverunt, dum fassi sunt, Deum existere ubique, & esse instar circuli infiniti, à quo omnia comprehenduntur. Orpheus in Hymno de Saturno ad Deum dixit; *qui omnes mundi partes habitas, generationis princeps.* Idem, citatus ab Eusebio lib. 3. Præparat. Evang. cap. 3. canit:

Iuppiter altitonans ante omnia sæcula primus,
Iuppiter extremus, longè est per sæcula mundi:
Iuppiter est summus vertex, atque infima planta,
Æternùm is semper simul est, ac totus ubique.

Etiam Virgilius lib. 4. Georg. protestatur;

— — *Deum ire per omnes*
Terrasque, tractusque maris, cælumque profundum &c.

PSAL. CXXXVIII. ℣. 17.

477. Homines mundani, excæcati à vitiis, quemadmodum malè apprehendunt pretium virtutis, ita difficulter æstimant merita virtuosorum. Amatores modestiæ contemnuntur à petulantibus; scandalosi abominantur exemplares; humilitas servi Dei vilipenditur & negligitur à superborum fastu. At David, totus mundo contrarius, æstimabat & honorabat homines Deo addictos Ps. 138. v. 17. protestans; *Mihi autem nimis honorificati sunt amici tui Deus.*

Iustus est honorandus.

Plato docuit Dialog. 5. de Leg. animum hominis justi secundo post Deum loco honorandum ac venerandum esse; simili modo etiam corpus: *non quia formosum, robustum, velox, magnum, sanum: sed si sit temperatum, promptum, facile ad virtutis actiones,*

PSAL. CXXXVIII. ℣. 18.

478. Quia arenæ sunt innumerabiles; idcircò Divina Sapientia computum ardui & impossibilis hujus numeri sibi soli reservat; adeoque solus Deus gloriari potest Ps. 138. v. 18. *Dinumerabo eos, & super arenam multiplicabuntur.*

Arena innumerabilis.

Si proinde soli Divinæ virtuti reservatum est numerare arenas; Apollo, referente Eusebio lib. 5. de Præparat. Evang. ut hominibus fidem faceret, se esse Deum, jactabundè dixit:

Novi ego arenarum numerum, spatiumque profundi.

Et Horatius ad honorem Architæ Tarentini lib. 1. Carm. od. 28.

Te maris, & terræ, numeroque carentis arenæ
Mensorem perhibent Archita.

PSAL. CXXXIX. v. 12.

Tantùm abest hominem linguosum, susurronem, & malignum in hoc mundo pertingere ad præfixum lucri sui terminum; ut prorsùs è contrario nihil aliud sit acquisiturus, nisi infortunia, damna, & desolationes. *Vir linguosus non dirigetur in terra.* Ps. 139. v. 12. 479.

Quòd malis linguis immineant damna & calamitates, testati sunt Poëtæ Græci; Eschilis in Prometheo:

Linguæ improbæ, vanaque damnum incurritur.

Et Euripides in Bacchis.

Effrenati oris, & exlegis amentiæ finis infortunium.

PSAL. CXLI. ℣. 4.

David per separationem ab omnibus creaturis desiderans conjungi Deo; supplicat bonitati Divinæ, ut animam suam dividat à corpore, veluti ab infelici carcere, in quo spiritus detinetur captivus. *Educ de custodia animam meam.* Ps. 141. v. 8. Simili sensu Simeon dixit Luc. 2. v. 29. *Nunc dimittis servum tuum Domine secundùm verbum tuum in pace.* In hæc verba S. Ambrosius lib. de bonis mortis. cap. 2. *Ita dimitti petit, quasi à vinculis quibusdam ad libertatem festinaret.* 480.

Corpus est carcer animæ.

Themistius, citatus à Jo. Stobæo serm. 117. *Probabile est, animam veluti à vinculo corporis, quod expiravit, solutam, tum demum verè respirantem, se sequa recreantem, Deo sociari. &c.* Seneca Epist. 102. *Detraheretur tibi hæc circumjecta, novissimum velamentum tui, cutis: detrahetur caro & suffusus sanguis, discurrensque per totum: detrahentur ossa, nervique, firmamenta fluidorum ac labentium. Dies iste, quem tanquam extremum reformidas, æterni natalis est. Depone onus. &c.* Et Petrarcha;

La morte è il fin d'una prigione oscura.

PSAL. CXLIII. ℣. 5.

Latinum verbum *tangere*, significat summum horrorem ac timorem, veluti hominis fulmine percussi aut infestati. Ita Propheta Psal. 143. v. 5. *Tange montes, & fumigabunt.* Psal. 103. v. 32. *Qui tangit montes, & fumigant. &c.* Clarissimè Jobus c. 1. v. 16. *Ignis Dei cecidit è cælo, & tactas oves, puerosque consumpsit.* 481.

Tangere pro fulminare.

Tullius lib. 3. Catilin. *Tactus est etiam, qui hanc urbem condidit Romulus.* Et Minutius Felix in Octavio; *Sicut ignes fulminum corpora tangunt, nec absumunt. &c.* De hâc observatione vide ad Psal. 103. v. 32.

PSAL. CXLIII. ℣. 6.

Grande discrimen est inter fulgura & fulmina. Illa minantur, ista feriunt. 482.

Fulgura lucent: fulmina occidunt. riunt. Illa perstringunt visum, hæc vitam. Illa demonstrant claritatem ignis, hæc præcipitant ad umbras sepulchri. Hoc ipsum discrimen fecit Psaltes; *Fulgura coruscationem, & dissipabis eos; emitte sagittas tuas, & conturbabis eos.* Psal. 143. v. 6.

Seneca lib. 2. Natur. Quæst. c. 12. *Fulguratio ostendit ignem, fulminatio emittit; illa comminatio est, & conatio sine ictu; ista jaculatio cum ictu.*

PSAL. CXLIII. ℣. 7.

483. Manus invocata in aquis. CUm videret David tumultuans supra se pelagus miseriarum, timens ne præcipitaretur & absorberetur, affectuosis precibus supplicabat Deo; *Emitte manum tuam de alto, eripe me, & libera me de aquis multis.* Psal. 143. v. 7.

His precibus non absimiles sunt illæ Palinuri, qui ad cavernas inferni descendens, ita rogavit Æneam; lib. 6. Æneid. v. 370.

Da dextram misero, & tecum me tolle per undas.

PSAL. CXLIII. ℣. 9.

484. Decachordum. INstrumentum Musicum, à Rege Davide ad decantandas Divinas laudes adhiberi solitum, constabat decem chordis; uti ipsemet testatur, *in psalterio decachordo psallam tibi.* Psal. 143. v. 9. Imò etiam aliis fidelibus suadet lusum illius instrumenti; *in psalterio decem chordarum psallite illi.* Psal. 32. v. 2.

Petrus Bongus in numero denario refert, Apollinem ab Antiquis pictum fuisse, manibus instructum cytharâ, quæ decem chordis constabat; uti etiam affirmat Fulgentius Mytholog. lib. 1. ubi ait: Musas & Apollinem habuisse cytharas decachordas, quibus decem varietatum symphonias proponebant.

PSAL. CXLIII. ℣. 10.

485. Deus adjuvat Reges. DAvid hoc peculiare encomium tribuit Deo, quod specialem curam ac providentiam Regum habeat, adjuvans, & salvans illos in gravissimis necessitatibus. *Qui das salutem Regibus.* Psal. 143. v. 10. Hæc veritas observatur in Saule, toties triumphante contra Philistæos; in Davide, subtracto Saulis furori. In Ezechia, defenso contra vires Sennacheribi. &c.

Idipsum perspectum habuit Julius Cæsar, qui nullos timebat insultus maris, dicere solitus, se protectum à bona fortuna. Exemplo est Titus, qui absque ulla offensa in obsidione Hierosolymitana infinitis sagittis infestatus fuit; apprimè gnarus, ut scripsit Josephus lib. 5 de Bell. cap. 7. *Et belli momenta, & Imperatorum pericula, Deum curare.* Trajanum, confligentem contra Judæos, cum provinciæ horribilibus terræ motibus concuterentur, multaque ædificia corruerent, & plurimi homines opprimerentur, quidam homo majestatis virilis *Eduxit in locum benè tutum, ubi sanus, salvus, latus constitit.* Dion. lib. 53. Unde Alphonsus, Rex Aragoniæ, referente Ænea Sylvio, dixit: *Regum animas non privatorum libidini subjectas esse: sed sub cura Dei securas & latas agere.*

PSAL. CXLIII. ℣. 10.

486. Muliebris vestitus. COnsiderans Sanctus Propheta innumerum ornatum mulierum, quæ auro, argento, gemmis, floribus, & aromatis cupiunt esse onustæ ac superbæ; dixit, quòd fuerint *compositæ, & circumornatæ, ut similitudo templi.*

S. Clemens Alexandrinus lib. 3. Pædag. cap. 2. ad exprimendam vanitatem mulierum, quæ superbo & fastuoso excessu unicè attendunt ornando ac perpoliendo vultui & corpori; animam verò circumferunt innumeris defectuum monstris contaminatam; eas comparat cum templis Ægypti, undique marmore, auro, & gemmarum cumulo exornatis; quæ tamen intus erant defœdata crocodilis, simiis, serpentibus, aliisque idolorum monstris.

PSAL. CXLIV. ℣. 18.

INeffabilis omninò est benignitas Dei, quia ultra modum facilis ad audiendas & exaudiendas supplicum voces; consolans omnes, quicumque gratiam aut auxilium rogaverint. *Prope est Dominus invocantibus eum.* Ps. 144. v. 18. id quod dicitur etiam Deut. c. 4. v. 7. *Non est alia natio tam grandis, quæ habeat Deos appropinquantes sibi, sicut Deus noster adest cunctis obsecrationibus nostris.* 487. Benignitas Dei in audiendis precibus.

Hæ prærogativæ, celebratæ in Divina majestate, deberent in quovis bono Principe reperiri; in quo Cicero Ep. 1. ad Q. Fratrem requirebat *facillimos aditus, patentes aures querelis omnium, nullius inopiam ac solitudinem non modo populari accessu ac tribunali, sed ne domo quidem, & cubiculo exclusam.* Idem Tullius pro Leg. Manil. *Pompejus dignitate Principibus excellens, facilitate par infimis videbatur.* De Trajano scribit Dion: *Talem se præstabat privatis, qualem optaret ipse privatus.* Audientia facilis.

PSAL. CXLIV. ℣. 14.

TAnta benignitate Deus prosequitur desideria suorum servorum, eorumque precibus satisfacit, ut videatur potius agere obedientem & suis devotis clientibus obsequentem servum, quàm supremum & magnificum Monarcham. *Voluntatem timentium se faciet, & deprecationem eorum exaudiet.* Ps. 144. v. 19. Ita ad preces Josue firmatus est sol, *obediente Deo voci hominis.* Jos. 10. v. 14. Josephus Hebræus Antiquit. l. 14. c. 3. scribit Oniâ precante pro obtinendis pluviis, *factus obediens Deus pluit.* 488. Deus obediens suis devotis.

Hanc Dei inclinationem ad explendas aliorum preces ac merita, etiam agnovit Claudianus, quando commemorans fulmina ac pluvias, tempore M. Antonini Veri à Legione fulminatrice obtentas, canit de 6. Consul. Honor.

— — Omne Tonantis
Obsequium Marci mores potuêre mereri.

PSAL. CXLV. ℣. 4.

QUando anima hominis separatur & dissolvitur à corpore: istud, utpote è terra formatum, rursus in terram resolvitur. Unde Ps. 145. v. 4. *Exibit spiritus ejus, & revertetur in terram suam.* Et Ps. 1?9. v. 9. *Auferes spiritum eorum, & deficient: & in pulverem suum revertentur.* Simili modo Ecclesiastes c. 12. v. 7. *Revertatur pulvis in terram suam unde erat, & spiritus redeat ad Deum qui dedit illum.* 489. Corpus humanum revertitur in terram.

Xenophanes, scriptor Græcus:

Ex terra namque cuncta, & in terram
cuncta.

Lucretius.

Cedit item retrò de terra, quod fuit antè
In terras: & quod missum est ex ætheris oris,
Id rursus cœli relatum templa receptant.

Martinus del Rio lib. 1. Adag. in 8. refert Epitaphium

phium alicujus Regis Galliæ, quod hunc epilogum habet;

Terra fui quondam, rursum sum terra: nihil sum.

Terra caduca vale; vermes salvete, recumbo.

In templo S. Bartholomæi Pistorii nostrorum Canonicorum Regularium cernitur lapis sepulchralis, qui hominem ita alloquitur.

Terra teris terram, te terram terra tenebit.

PSAL. CXLV. ℣. 8.

490. Sicuti Deus est summa bonitas, æquitas, & justitia; ita peculiarissimo affectu amat homines bonos, justos, & innocentes. *Dominus diligit justos* Ps. 145. v. 8.

Justi à Deo amata.

Seneca lib. de Provident. cap. 1. *In gratiam te reducam cum Diis, adversus optimos optimis — Inter bonos viros, ac Deum amicitia est, conciliante virtute. Amicitiam dico? Immò etiam necessitudo &c.* & cap. 2. *Patrium habet Deus adversus bonos viros animum, & illos fortius amat.* De peculiari affectu Dei erga homines justos, pluribus locis discurrunt Philosophi; Plato 10. de leg. & l. 2. de Repub. Aristot. l. 10. Ethic. c. 8. & alii.

PSAL. CXLVI. ℣. 3.

491. Deus providet ut Dominus, & amat ut pater; castigat ut judex, & defendit ut pastor, videns nos vulneratos, sanat ut chirurgus. De quo Propheta Psal. 146. v. 3. *Qui sanat contritos corde, & alligat contritiones eorum.* Adeoque sanando ligat, & ligando sanat. Ut observatur in Isaia cap. 30. v. 26. *In die illa, quâ alligaverit Dominus vulnus populi sui & percussuram plagæ ejus sanaverit.*

Deus sanando ligat.

Fascias & ligamina esse instrumenta principalia ad sananda & consolidanda vulnera, testatur Hippocrates lib. de Med. *Deligatio propria, & genuina medicina est, ex qua æger opem sentit.* Unde ipsemet Hippocrates prolixè discurrit de modo, situ, & diligentiâ, adhibendâ in ligandis vulneribus; uti & de qualitate, quantitate, & mollitie fascium, ut infirmus juvetur.

CAP. CXLVII. ℣. 16.

492. Tametsi nix propria sua qualitate sit frigida; miro tamen modo deservit ad fovendam & calefaciendam terram; unde apprimè dicitur similis lanæ, qua humana membra adversus gelidos rigores hyemis defenduntur & conservantur. Ita Regius Propheta Ps. 147. v. 16. *Qui dat nivem sicut lanam.*

Nix ut lana.

Eustatius in Dionys. de situ orbis; vocat nivem *laneam aquam*; Et Martialis lib. 4. Epigr. 3. de Nivibus;

Aspice quàm densum tacitarum vellus aquarum
Defluat &c.

PSAL. CL. ℣. 3. &c.

Quando agebatur de celebranda majestate Divina: David suasit, ut adhiberentur instrumenta Musica, Psalterium, cythara, chordæ musicæ &c. *Laudate eum in Psalterio & cythara. Laudate eum in chordis & organo. Laudate eum in cymbalis benesonantibus &c.* Ps. 150. v. 3. &c. Etiam Gentiles consueverunt sua idola venerari ad sonitum instrumentorum musicorum. Unde Daniel cap. 3. v. dicitur; *In hora, quâ audieritis sonitum tubæ, & fistulæ, & cythara, sambucæ & psalterii, & symphoniæ, & universi generis musicorum, cadentes adorate statuam auream &c.* 493.

Instrumenta musica ad laudem Dei.

Ad sonum citharæ aut lyræ decantabat Horatius laudes fabulosorum Deorum. Unde lib. 1. od. 12.

Quem virum, aut heroa, lyra, vel acri
Tibia sumis celebrare Clio?
Quem Deum? &c.

Videtur mihi imitari voluisse Pindarum Olymp. ode. 2.

Hymni regnantes in cithara,
Quem Deum, quem heroem,
Quem virum celebrabimus?

Et ode. 32. libri 1.

Poscimus si quid vacui sub umbra
Lusimus tecum, quod & hunc in annum
Vivat, & plures: age, dic Latinum
Barbite carmen.
Liberum, & Musas, Veneremque & illi
Semper hærentem puerum canebat &c.
O Decus Phœbi, & dapibus supremi
Grata testudo Iovis. &c.

Rursus Pindarus Olymp. ode 5.

Servator in altis nubibus degens Iupiter,
Supplex tibi venio, Lydiis
Sonans tibiis.

Finis Partis Tertiæ, & Tomi primi.

LU-

